Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/operaomniainunum30deni

DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST

Fr. Renatus-Maria, Prior Cartusiæ,

in festo S. P. N. Brunonis, Conf., anno 1905.

IMPRIMATUR

Tornaci, 21ª Octobris 1905.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.

ZACH.I. IRA MAGNA EGO IRASCOR SVPER GẼTES. ET SAGITAS MEAS COMPLEBO IN EIS DEV 32.

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII
CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA
AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM
CURA ET LABORE
MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS
FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

SERMONES DE TEMPORE (Pars secunda)

TORNACI
TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS
MDCCCCV


BENEDICTVS DEVS IN SCĒA
CONVERTE NOS DEVS SALVTARIS NR: ET AVERTE IRA TVAM A NOBIS PSAL 84

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA,
JAN 16 1932
3940

DOMINICA QUARTA POST PASCHA

ENARRATIO IN EPISTOLAM

OMNE DATUM OPTIMUM ET OMNE DONUM PERFECTUM DESURSUM EST. Jacob. I, 17-21.

A IN epistola hodierna sacris doctrinis referta, primo docet nos beatus apostolus Jacobus, in vera humilitate omne bonum Deo adscribere, gratias agere, mentem custodire, in bonis proficere. Itaque ait :

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est. Quidam per « datum optimum », intelligunt omne donum naturæ; atque per « donum perfectum », omne munus gratiæ. Alii per « datum optimum », accipiunt quodlibet munus gratiæ; et per « donum perfectum », B munus quodlibet gloriæ. Nec dubium quin littera possit aptari ad hæc. Omne equidem bonum, utpote omne donum naturæ, omne donum gratiæ, omne donum gloriæ, et quidquid citra Deum est, a Deo profluxit. Si ergo « datum optimum » referatur ad dona naturæ, « datum optimum » convenienter intelligitur intellectus, et quæcumque ejus perfectio naturalis. Omnia equidem naturalia sunt a Deo immediate vel mediate, id est per creationem, vel per causarum secundarum cooperationem seu C subministrationem. Unde et Aristoteles dixit, quod ab hoc ente dependet cœlum et terra, et tota universi natura. Et iterum : Ab ipso (inquit) omnibus communicatum est esse et vivere. Dona vero naturæ dicuntur optima, non quasi donis gratiæ præstantiora, sed optima, id est valde bona, vel optima in suo genere ac ordine. Porro dona gratiæ, ut virtutes theologicæ et dona Spiritus Sancti, etc., dicuntur dona perfecta, non absolute, quum dona gloriæ sint utique digniora, sed in suo genere et naturalium donorum comparatione, quia immediate conjungunt nos Deo et gratos ei efficiunt, atque per ea dona gloriæ promeremur.

Omne ergo hujusmodi donum « desursum est », id est efficienter *descendens a Patre luminum.* Qui licet ubique sit tanquam incircumscriptibilis ac immensus (unde per Jeremiam testatur, Cœlum *Jer.* XXIII, 24. et terram ego impleo); nihilo minus in cœlo empyreo specialiter esse et habitare asseritur, quoniam ibi clarius cernitur, et evidentius ac sublimius operatur. Propter quod in Deuteronomio scribitur : Non est *Deut.* XXXIII, 26, 27. alius ut Deus rectissimus ; habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna. Denique per « Patrem luminum », intelligi potest vel Deus Trinitas, a quo omne lumen (tam naturale quam gratificum ac beatificum) est, vel persona Patris æterni, a quo increatum est lumen, quod est unigenitus Filius ejus, qui est lumen de lumine : de quo scriptum est, Erat lux vera; *Joann.* I, 9. de quo et Simeon justus dixit, Lumen ad *Luc.* II, 32. revelationem gentium. Sed et Spiritus Sanctus est lumen æternum et increatum, a Patre procedens, imo a Patre et Filio, tanquam a principio et lumine uno. Hinc in Joanne scriptum est : Non potest homo *Joann.* III, 27. accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cœlo.

Apud quem, id est in quo, *non est trans-*

mutatio. Deus enim est actus purus et ens absolute perfectum, in quo nec est materia arctans, nec potentia limitans, nec differentia contrahens. Nil enim movetur aut mutatur, nisi ens imperfectum. Quum ergo Deus gloriosus et adorandus, sit ens primum, summum, ad nil aliud vel altius ordinabile, sed omnium ultimus finis, nequaquam moveri potest aut transmutari, sed ipse stabilis manens, dat cuncta moveri. Hinc per Malachiam loquitur : Ego Dominus, et non mutor. (*Malach.* III, 6.) In Numeris quoque fertur : Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. (*Num.* XXIII, 19.) Ideo, juxta Paulum, solus Deus habet immortalitatem, id est omnimodam invariabilitatem. (I *Tim.* VI, 16.) Omnis autem creatura, eo ipso quo ex nihilo est, in nihilum vertibilis est ex se ipsa, ad suam nihileitatis originem comparata, ut asserit Damascenus; et verteretur in nihil nisi Creatoris omnipotentia conservaretur, ut etiam Plato in primo Timæi fatetur, ubi summum Deum inducit ita loquentem : O dii deorum ! quorum pater et opifex ego ; natura quidem corruptibiles, mea autem voluntate incorruptibiles estis. *Nec vicissitudinis obumbratio,* id est nulla præteritio, nulla successio, nulla alternatio obnubilans aut obumbrans puritatem et immutabilitatem lucis divinæ ac increatæ essentiæ. Non enim sunt in Deo plures aut succedentes actus intelligendi sive volendi, sed uno simplicissimo et æterno actu intelligendi atque volendi cognoscit et vult se ipsum et omnia alia. Nec actus iste ab ejus differt essentia, quia in eo identificantur esse, posse et agere, seu essentia, potentia et actio. Porro in Beatis est actionum istarum vicissitudo, non quoad beatificam divinæ essentiæ visionem ac dilectionem ipsius fruitivam, sed quoad quamdam aliorum quorumdam notitiam ac amorem.

Deinde ponitur beneficium magnum Patris cœlestis. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.* Potest hoc primo exponi de creatione, quia sponte, intellectualiter et liberrime cuncta creavit verbo æterno, juxta illud in Psalmo : Ipse dixit, et facta sunt; (*Ps.* XXXII, 9.) itemque, Verbo Domini cœli firmati sunt. (*Ibid.* 6.) « Voluntarie » ergo « genuit » (id est creavit) « nos, verbo veritatis », id est verbo quod est veritas ipsa. Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. (*Joann.* I, 3.) Quibus consonat illud Deuteronomii : Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te ? (*Deut.* XXXII, 6.) Quidam autem philosophi putaverunt omnia profluxisse a Deo non quasi voluntarie, sed per modum naturalis emanationis : quorum error per prædicta destruitur. Secundo exponitur istud de regeneratione in aqua Baptismatis sub forma verborum a Christo traditorum, quæ sunt verba veritatis æternæ, et dicuntur etiam sermo seu verbum veritatis increatæ. Frequenter enim accipitur verbum pro complexu verborum, sicut in libris Prophetarum : Factum est ad me verbum Domini. Et in libro Judicum Aod ait ad regem Eglon : Verbum secretum habeo ad te, o rex. (*Judic.* III, 19.) In Baptismo enim regenerantur fideles ex Deo et Ecclesia, juxta illud Joannis : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei. (*Joann.* III, 3, 5.) Unde ad Ephesios habetur : Christus dilexit Ecclesiam, mundans illam lavacro aquæ in verbo vitæ. (*Ephes.* V, 25, 26.) Et recte dicimur in Baptismo regenerari, quoniam ibi sumus esse spirituale, quod est esse gratiæ ac virtutum, adepti. Tertio exponitur sic : « Voluntarie genuit nos verbo veritatis », id est, Pater per Verbum suum incarnatum regeneravit nos et redemit, quia a peccatis purgavit, gratiamque infudit, secundum illud Joannis : De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia. (*Joann.* I, 16.) De Christo quoque Gabriel prænuntiavit : Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. (*Matth.* I, 21.) Quarto sic : « Voluntarie genuit nos verbo veritatis », id est, per evangelicæ legis veritatem, doctrinam seu verbum, Pater convertit nos et esse gratiæ contulit. Hinc Paulus conversis a se : Per Evangelium (inquit) ego vos genui; (I *Cor.* IV, 15.) et denuo, Filioli mei, quos iterum parturio. (*Galat.* IV, 19.)

Ut simus initium aliquod creaturæ ejus, A id est, primatum quemdam inter creata sortiamur. Quamvis enim per naturalia dona simus prælati irrationabilibus creaturis (unde in Genesi dictum est protoplastis : *Gen.* I, 28. Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et cunctis animantibus terræ; atque *Ps.* VIII, 8. in Psalmo, Omnia subjecisti sub pedibus ejus, etc.), tamen per dona gratuita populus christianus ceteris gentibus est eminenter prælatus. Propter quod prima Petri I *Petr.* II, 9. inducitur : Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. B Jamque tempore evangelicæ legis, non utique obstinatis Judæis, sed fidelibus Christianis competit *Deut.* IV, 7. illud Deuteronomii : Non est alia natio tam *Ps.* CXLVII, 20. grandis; et illud in Psalmo, Non fecit taliter omni nationi.

Scitis, fratres mei dilectissimi, vera esse quæ dico. Denique, quoniam tanta est Dei majestas, et tam magna beneficia ejus sunt super nos, ideo consequenter docet Apostolus qualiter in Dei obsequio habere nos debeamus. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum* C ea quæ Dei sunt et salutis, et quæ scire vel audire oportet; *tardus autem ad loquendum,* nisi specialis ratio poscat oppositum, quia in casu statim loquendum est : ut si aliquis periclitetur in fide, vel veritas fidei requiratur ab aliquo, vel innocens condemnetur ad mortem et aliquis veritatem loquendo queat eum eripere. Itaque proni simus ad audiendum salubria, nec inconsulte præsumamus docere, quia ad humilitatem id pertinet, et tutius est audire quam loqui, *Prov.* X, 19. D quum Salomon dicat : In multiloquio non *Ibid.* XXIX, 20. deest peccatum. Itemque : Vidisti hominem velocem ad loquendum ? Stultitia magis speranda est, quam illius correctio. Hinc Pythagoras discipulos suos præcepit quinquennio silere, ut sic opportune discerent loqui. Unde in Vitaspatrum habetur, quod et abbas Agathon tribus annis lapidem tulit in ore, ut disceret taciturnitatem et loquendi opportunitatem, prout Salomon fa- *Eccle.* III, 7. tetur : Tempus loquendi, et tempus tacendi.

Et tardus ad iram. Nam ira per vitium, est omnino vitanda, quoniam rationem excæcat. Ira vero per zelum, non nisi ex magna causa est assumenda, quia et ipsa rationem aliqualiter turbat. Propterea in Ecclesiaste scriptum est : Ne sis velox ad *Eccle.* VII, 10. irascendum, quoniam ira in sinu stulti requiescit. Nam ira per vitium, efficit hominem fatuo similem. Ideo subditur : *Ira enim viri,* id est ira per vitium, quæ scilicet prævenit rationem, in quocumque sit homine, *justitiam Dei non operatur.* Minus dicit, et majus significat. Nam talis ira non solum impedit hominem a justa operatione, sed etiam ad injustitiam eum inducit, quia facit eum mensuram rationis et æquitatis excedere. Propter quod Salomon loquitur : Ira non habet misericor- *Prov.* XXVII, 4. diam. In Job quoque habetur : Non te *Job* XXXVI, 18. superet ira, ut aliquem opprimas. Nempe in Ecclesiastico asseritur : Homo iracun- *Eccli.* XXVIII, 11. dus incendit litem, et vir peccator turbabit pacem. Ideo ait Psalmista : Desine ab *Ps.* XXXVI, 8. ira, et derelinque furorem.

Propter quod abjicientes omnem immunditiam, id est universa inquinamenta mentis et corporis, quatenus casto corpore mundoque corde, fonti totius munditiæ, Deo sanctitatis immensæ, obsequamini; *et abundantiam malitiæ,* id est continuationem operum malignorum, juxta illud Ecclesiastici : Ne adjicias peccatum super *Eccli.* V, 5. peccatum. Vel « abundantia malitiæ », est peccatum ex deliberatione et habitu vitioso, non ex ignorantia vel infirmitate, procedens. « Immunditia » quoque potest referri ad peccata carnalia, « abundantia malitiæ » ad peccata spiritualia, quæ ex suo genere sunt peccatis carnalibus graviora, secundum Gregorium. *In mansuetudine suscipite insitum verbum,* id est verbum evangelicæ prædicationis, quod fidelium mentibus est insertum, impressum, infusum, quoniam Christus per prædicatores suos seminat illud in mentibus credentium. Vel « insitum verbum », est Unigenitus Dei, qui per fidem habitat in cordibus nostris, et per prædicatoris sermonem audientium inseritur animabus.

A *Quod potest salvare animas vestras :* quoniam Verbum æternum, videlicet Christus, efficienter salvat per gratiam suam fidelium animas ; evangelica vero doctrina instrumentaliter dispositiveque salvat animas pias. Mansuetudo autem specialiter mentem disponit ad susceptionem verbi divini, sicut et ira præcipue impedit bonum hoc. Unde Ecclesiasticus docet : Esto *Eccli.* v, 13. mansuetus ad audiendum verbum Dei.

SERMO PRIMUS

DE TESTIMONIIS DEI ET PRÆCEPTIS, AUDITIONEQUE VERBI DEI.

B SIT *omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram.* Jacob. I, 19.

Duæ sunt partes legis divinæ, videlicet testimonia et præcepta. Testimonia sunt de credendis, ut quod Deus est unus et trinus, quod Dei Filius est incarnatus; præcepta sunt de agendis aut omittendis. In hac autem epistola quædam ponuntur pertinentia ad testimonia seu credenda, ut quod omne datum optimum et omne donum perfectum a Deo procedit. Et quamvis naturali ratione id possit probari, non C tamen potest sufficienter probari ex lumine naturali, quod omnia sint a Deo, eo modo quo fides hoc tenet et scriptura libri Geneseos docet. Insuper ad credenda pertinet quod subditur, Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, si intelligatur de regeneratione spirituali et supernaturali, facta in fonte Baptismi seu per instructionem et gratiam Christi. Cetera in epistola hac contenta pertinent ad agenda aut omittenda, ut quod ait : Sit omnis homo velox ad D audiendum.

Itaque in primis obediamus huic brevi sed vere salubri verbo Apostoli, quo profatur : Sit omnis homo velox ad audiendum. Quod etiam ad subjectos ac simplices, ad minores ac feminas potissimum pertinet, qui sermocinationes, exhortationes, correptiones superiorum suorum ac sapientiorum et seniorum fervide debent audire, memoriter retinere, strenue adimplere. Verbum etenim Dei, cibus, robur et medicina est animæ, vita et illuminatio ejus. Ideo loquitur Christus : Beati qui *Luc.* xi, 28. audiunt verbum Dei et custodiunt illud. Augustinus quoque affirmat : Non minus dignum est verbum Dei, quam corpus Christi. Idcirco non minus reus est qui verbum Dei negligenter audit, quam qui corpus Christi ex negligentia sua cadere in terram permittit.

Debemus ergo proni esse et alacres ad audiendum verbum Dei. Primo, quoniam verbum Dei illuminat animam ad cognoscendum ea quæ Deus ab ipsa requirit, et sine quorum notitia salvari non potest. Verbum etenim Dei, est sacra Scriptura et salutaria documenta circa Scripturam conscripta. Hinc ait Propheta : Lucerna *Ps.* cxviii, 105. pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis; itemque, Declaratio *Ibid.* 130. sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Qui ergo tardus est ad audiendum salubria, propriam fugit salutem, et habet ignorantiam crassam, amatque tenebras suæ mentis. Secundo debemus verbum Dei prompte velociterque audire, quia mentem in amore Dei accendit et ad proficiendum inflammat, juxta illud Jeremiæ : Factus est sermo Domini *Jer.* xx, 9. in corde meo quasi ignis exæstuans. Unde ait Psalmista : Ignitum eloquium tuum *Ps.* cxviii, 140. vehementer. Et Salomon : Omnis (inquit) *Prov.* xxx, 5. sermo Dei ignitus. Denique sæpe contingit ut unus homo audiendo bona de alio, inflammetur illius amore : quanto magis audiendo verba sacræ Scripturæ, in quibus infinita Dei bonitas, perfectio et beatitudo immensa describitur, ejusque beneficia ac promissa narrantur, et quantum dilexerit nos recitatur, debemus sincerissimo ejus amore valide inflammari, sicut ait Prophe- *Ps.* XXXVIII, 4. ta : Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis, id est, in cogitatione mea de Deo fervor sui amoris accendetur in me.

Tertio debemus veloces esse ad idem, quoniam verbum Dei curat mentem a vitiis, a superbia, ab avaritia, a luxuria, ceterisque peccatis. Nam contra singula vitia continentur in Scripturis saluberrima documenta et salutifera prorsus remedia. Quarto, quoniam verbum Dei ferventer audire, est signum bonitatis, probitatis atque pruden- *Eccli.* III, 31. tiæ, juxta illud Ecclesiastici : Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Ideo tardum esse ad audiendum verbum Dei, est signum malitiæ atque stultitiæ. Quinto, quoniam verbum Dei libenter audire, est signum probabile prædestina- *Joann.* VIII, 47. tionis divinæ, Christo dicente : Qui ex Deo est, verba Dei audit. Timeat ergo qui verbum Dei audit invite, quum Christus re- *Ibidem.* probis dixerit : Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Sexto, quia per assiduam audientiam verbi Dei, duritia frangitur cordis et emollitur ad compunctionem et devotionem : quemadmodum lapis, quamvis sit durus, guttarum incidentia perforatur. Hinc per Jeremiam lo- *Jer.* XXIII, 29. quitur Deus : Numquid non verba mea sunt quasi malleus conterens petram ?

Aliæ sunt plurimæ utilitates et rationes audiendi verba divina, quia per ea instruitur homo qualiter resistat diabolo, qualiter inter bona et mala discernat. Verbum etiam Dei, hominem consolatur et confor- II *Tim.* III, 16, 17. tat in spe. Idcirco ait Apostolus : Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo ad omne opus bonum.

A Sed, heu, heu, et iterum heu ! quoniam multi proniores sunt ad audiendum verba scurrilia, vana et frivola, imo pungitiva et detractoria, quam verba vitæ atque salutis, quum tamen dicat Scriptura : Sepi *Eccli.* aures tuas spinis, et noli audire linguam XXVIII, 28. nequam. Emendet se ergo qui talis est, ne pereat in æternum.

Præterea, juxta doctrinam Jacobi apostoli, simus tardi ad loquendum, nisi sufficiens ratio exigat loqui : quia ut ait Gregorius, Sicut incauta locutio in erro- B rem pertrahit, ita indiscretum silentium eos qui erudiri poterant, in errore relinquit. Est ergo congruo tempore silendum, et tempore opportuno loquendum. Ait quippe Ambrosius : Patientia silendi opportunitasque loquendi, et contemptus divitiarum, magna valde sunt fundamenta virtutum. Pronior debet tamen homo consistere ad audiendum quam ad loquendum, ceteris paribus, quia facilius cadit homo loquendo quam audiendo, et majoris humilitatis ac securitatis est tacere quam C loqui. Ideo dicit Ambrosius : Multos vidi loquendo in peccatum ruisse, vix quemquam tacendo. Taciturnitas quoque est sapientiæ signum. Propter quod a Job scriptum est : Utinam taceretis, ut putaremini *Job* XIII, 5. esse sapientes. Denique de his Seneca prudentissime ait : In hoc incumbe ut libentius audias quam loquaris. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. Auribus frequentius quam lingua utere. Quidquid dicturus es, tibi dicas antequam aliis. Taciturnitas stulto homini pro sapientia est. D Qui nescit tacere, nescit loqui. Insuper, quam laudabilis est taciturnitas ista, tam vituperabilis est loquacitas, quia insipientiæ vanitatisque signum est, animum lædit, devotionem exstinguit, evagationem et instabilitatem cordi ingignit, et innumerabilia mala oriuntur ex ea. Idcirco in Ecclesiastico verissime scriptum est : Qui *Eccli.* XIX, 5. odit loquacitatem, exstinguit malitiam. Hinc ait Gregorius : Pravi homines sicut in sensu sunt leves, ita in locutione præcipites, quia quod levis mens concipit, levior

A lingua protinus pandit. Hugo quoque de S. Victore: Vanus (inquit) sermo, vanæ conscientiæ index est. Mores hominis lingua prodit, et qualis sermo ostenditur, talis *Matth.* xii, 34. animus comprobatur, quia ex abundantia cordis os loquitur. — Ecce quam necessaria est refrenatio linguæ. Propter quod Salomon *Prov.* xxv, 28. asserit: Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita homo qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

Amplius, juxta doctrinam Apostoli, simus tardi ad iram, quæ est velut quædam insania mentis, et rationem a veritatis B consideratione enormiter impedit. Propterea *Job* v, 2. in Job asseritur: Virum stultum interficit iracundia. Et Salomon loquitur: *Prov.* xiv, 29. Qui impatiens est, operatur et exaltat stultitiam suam. Imo, quam vitanda et vitiosa sit ira, docet Gregorius, dicens: Per iram justitia relinquitur, gratia vitæ socialis amittitur, mansuetudo perditur, lux veritatis excutitur. Et iterum ait: Per iram splendor Spiritus Sancti expellitur, qui Cf. *Is.* lxvi, 1, 2; lvii, 15. super humilem et quietum requiescere dicitur, quia dum ira quietem menti C subtrahit, suam Spiritui Sancto habitationem claudit; per iram quoque sapientia perditur, ut quid, quove ordine loquendum aut agendum sit, nesciatur. Denique ira est unum de septem peccatis mortalibus: ideo pronitas, consuetudo seu assiduitas irascendi est damnabiliter periculosa. Dupliciter quoque fit ira culpa mortalis: primo, si ipsa commotio sit tam immoderate vehemens, quod rationem omnino superat et exstinguit; secundo, si vindicta quæ infertur aut inferri optatur, nimis excedat D illatam injuriam seu offensam aut culpam. Non autem est ultio appetenda aut infligenda, nisi secundum rationis censuram ac juris ordinem ac processum. Et sicut unusquisque debet specialiter luctari contra peccata ad quæ pronior est ex naturali dispositione aut consuetudine, ita qui ad iram proclives sunt, sicut cholerici, contra eam præcipue debent conari, Deum pro gratia mansuetudinis invocando, Christi passionem, patientiam, mititatem pensando, se ipsos pro sua iracundia castigando. Verumtamen ira per zelum, quæ ex amore justitiæ sponte assumitur, ut opus virtutis robustius exerceatur, bona censetur.

Postremo, secundum doctrinam apostoli Jacobi, abjiciamus omnem immunditiam carnalium vitiorum, omnemque malitiam spiritualium peccatorum; cum mansuetudine et tranquillitate suscipiamus verba salutis a magistris et superioribus nostris. Siquidem ad fructuosam ac dignam susceptionem seu audientiam verbi Dei sex requiruntur aut conferunt, quæ in ista tanguntur epistola. Primum est velocitas audiendi: unde in Ecclesiastico habetur, Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et *Eccli.* vi, 18. usque ad canos invenies sapientiam. Secundum est taciturnitas, quia verborum tumultus impedit considerationem, et anima quiescendo fit prudens. Tertium est mansuetudo, quoniam ira obruit animum ne possit cernere verum. Quartum est munditia a carnalibus vitiis, quoniam in *Sap.* i, 4. malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Quintum est puritas mentis ab interioribus et spiritualibus culpis. Sextum est mansueti cordis humilitas: superbis *Jacob.* iv, 6. enim Deus resistit, et superbus informationem contemnit, quum sit magnus et sapiens in oculis suis.

Ecce epistola ista saluberrimis plena est documentis. Quantum vero Deo complaceat diligens oris custodia atque discreta tarditas ad loquendum, hinc patet, quod in quodam cœnobio erat devotus monachus districtus observator silentii, in tantum quod nec unum verbum voluit loqui sine superioris sui licentia. Quumque quodam tempore inopinate ortum fuisset grande in cœnobio illo incendium, et ignis tam impetuose procederet, quod ab his qui aderant reprimi non valebat, Frater et monachus jam præfatus accurrit, et se igni opponens, protulit tantum hæc duo verba: Ignis, sta. Et mox ignis divina virtute repressus stetit, celeriterque fuit exstinctus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

VADO AD EUM QUI ME MISIT. Joann. XVI, 5-15.

A APPROPINQUANTE nunc tempore dominicæ Ascensionis, recte legitur in ecclesia die hoc, evangelium præsens, in quo Christus ascensionem suam prædixit, atque Apostolos de suo corporali recessu mœstissimos multipliciter consolatur, ut in processu expositionis patebit. Porro evangelium istud, quemadmodum et præcedens, imo et sequentium dominicarum evangelia usque ad octavas Pentecostes, sumpta sunt ex sapientissimo pulcherrimoque sermone quem post Cœnam Christus fecit Apostolis, B in quo suam resurrectionem, apparitionem, ascensionem et Spiritus Sancti missionem clare ac diffuse prædixit, promisit, et per hoc consolabatur Apostolos. Itaque ait :

Vado, id est, per passionem, resurrectionem ascensionemque meam revertor secundum formam servi quam indui, hoc est secundum naturam humanam quam assumpsi, *ad eum qui me misit,* id est ad Patrem cœlestem, adipiscendo ab eo beatitudinem pleniorem quantum ad præmium accidentale, C videlicet corporis mei glorificationem, in cœlestibus mansionem, ad dexteram Patris consessionem. Et quamvis Christus ut homo, non redierit ad Patrem motu locali, quoniam incircumscriptibilis Deus Pater ubique est, tamen ad locum in quo Pater specialiter esse habitareque dicitur, rediit motu locali, ascendendo usque in cœlum empyreum. Et ideo dixit Salvator, Vado, quia in proximo fuit ut iret. Unde de re mox futura loquimur quasi de re præsenti.

D *Et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?* In hujus sermonis exordio legitur Petrus Christum interrogasse : Domine, Joann. XIII, 36. quo vadis? Ibid. XIV, 5. Cui et Thomas dixit : Domine, nescimus quo vadis. Quomodo ergo nunc Veritas ait, Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Ad hoc respondetur dupliciter. Primo, secundum Augustinum, quod verba hæc Christi ad tempus ascensionis sunt referenda, ut sit sensus : « Vado », id est, prope est ut ascendam, ad Patrem; « et nemo ex vobis interrogat me », id est, tunc nullus vestrum quæret quo eam, quia tam manifeste ascendam, adstantibus angelis, obsequentibus nubibus, quod non erit ambiguitas quo ascendam. Videntibus Act. I, 9. enim illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum, ut scribitur in Actibus. Secundo, dicendum quod in principio hujus sermonis, quidam Apostolorum (ut tactum est) sciscitabantur Christum quo iret. Deinde de cœnaculo sunt egressi, et Christo cœptum sermonem continuante in alio loco, ibique dicente, Vado ad eum qui misit me, nullus Apostolorum quæsivit quo iret. Et hoc fuit ex magnitudine admirationis, timoris atque mœroris, propter ea quæ audierunt a Christo : nam ante hæc verba eis prædixit, Venit hora Joann. XVI, 2. ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Obmutuerunt ergo ab hac inquisitione, vehementer attoniti et dejecti. Quam eorum desolationem quodammodo exprobrans Christus : Nemo (inquit) ex vobis interrogat me, Quo vadis?

Sed quia hæc de persecutionibus vobis futuris, et corporali recessu meo a vobis, *locutus sum vobis, tristitia* aliqualiter indiscreta ac immoderata *implevit cor vestrum,* quod ex sua imperfectione nondum vere paratum est ad sustinendum mundi adversa, neque me diligit dilectione pure spirituali, sed partim sensuali : unde et corporalem meam præsentiam nimium cupitis, quam Joannes Baptista, tan- A quam vir perfectus, non curavit. Non enim legitur Christum corporaliter visitasse aut *Joann.* VI, 64. secutus fuisse, quoniam caro non prodest quidquam.

Denique, dicendo, « Tristitia implevit cor vestrum », innuit eos vehementissime contristatos. Ideo eos benignissime consolatur, subdendo : *Sed ego* qui sum veritas increata, *veritatem* proportionalem *dico vobis. Expedit vobis,* id est, animabus vestris salubre est, *ut ego vadam* ad Patrem (modo prætacto). Cujus ratio subditur : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos* in tanta plenitudine, atque in signo visibili, sicut in die Pentecostes. Jam tamen Apostoli habebant Paracletum, prout requiritur ad salutem : siquidem in die *Ibid.* XX, 22. Paschæ insufflavit in eos, Accipite (inquiens) Spiritum Sanctum. Interim quoque profecerunt in caritate et gratia : et sic venit ad eos per gratiæ incrementum. *Si autem abiero, mittam eum ad vos* in signo visibili et abundantia maxima. Cur autem Spiritus Sanctus non fuit hoc modo C mittendus nisi post Christi ascensionem, diversæ sunt causæ. Prima, quoniam Apostolorum ad Christum affectio quamdiu conversabatur cum eis, fuit aliqualiter sensualis, quia revera etiam in naturalibus fuit pulcherrimus atque dulcissimus, et valde amorose, dulciter atque humiliter habuit se ad Apostolos, tanquam ad filios, discipulos, amicos et fratres. Quantum autem affectio habet de carnalitate, tantum impedit de Spiritus Sancti receptione. Hinc Paulus perfectionem sortitus, Christumque D solum spiritualiter amans ac speculans, II *Cor.* V, 16. ait : Et si novimus Christum secundum carnem, tamen jam nunc non novimus. Secunda causa est, quoniam tam eximia Spiritus Sancti plenitudo danda non fuit, nisi reconciliatis Deo per Christi passionem. Tertia, quoniam Christus rex noster, tam copiose dare non debuit dona sua, nisi quum reversus fuit ad patriam suam, et sedit in sede regni sui. Quarta, quoniam membra non erant tanta gratia decoranda, nisi ipsorum capite glorificato. Ideo dictum est : Spiritus nondum erat datus, *Joann.* VII, 39. quoniam Jesus nondum erat glorificatus.

Et quum venerit, id est, postquam Spiritus Sanctus vobis fuerit tam gratiose infusus, ita quod a vobis abstulerit omnem inordinatum timorem, et dederit vobis invictam animi libertatem, inconcussam constantiam, justitiæ stabilitatem, ac fervidam Dei ac proximi dilectionem : quod totum in die Pentecostes peractum est; *ille arguet mundum,* id est, per vestram B prædicationem increpabit homines mundanos ac reprobos, *de peccato* infidelitatis quod habuerunt, *et de justitia* quam omiserunt, id est de contemptu et omissione justitiæ. Justitia nempe non increpationem, sed laudem meretur; verum omissio et contemptus justitiæ meretur redargui. Arguit quoque Spiritus Sanctus mundum de falsa et simulata justitia : de qua Christus in Evangelio multipliciter reprehendit sacerdotes, Scribas et Pharisæos. *Et de judicio* eorum temerario, vel de judicio divino, quod non timuerunt, et de temeritate suæ præsumptionis, qua non timuerunt judicium Dei. Erant namque homines mundani his tribus vitiis specialiter implicati, quoniam infideles, injusti et præsumptuosi fuerunt.

Deinde Christus verba sua exponit. *De peccato quidem* Spiritus Sanctus arguet mundum, *quia non crediderunt in me* amatores mundi, videlicet obstinati Judæi atque gentilium multi, quum tamen tot et tanta miracula a me vel a vobis fieri conspexissent, per quæ Deus testimonium veritatis præbuit evangelicæ legi : ideo inexcusabiles sunt. — *De justitia vero* omissa arguet eos, *quia ad Patrem vado :* ideo mihi glorificato et super omnes cœlos exaltato, magis quam ante obedire debuerant, quum vidissent atque audissent sufficientia fidei argumenta de mea ascensione. Post ascensionem enim Christi, demonstravit Deus Trinitas hominibus excellentiam Christi, quod Deus et homo esset, et quod non esset in alio salus : ideo obedi- *Act.* IV, 12.

endum fuit ejus præceptis. Vel sic : Arguet A mundum de justitia Christi, quam non acceptaverunt iniqui, quia ad Patrem vado : per quod patet justitia mea, videlicet quod vera docui, justa præcepi, irreprehensibiliter vixi. Ideo imitanda fuit justitia mea, seu justa conversatio mea. *Et jam non videbitis me* in triduo mortis, nec mortalem ut ante.

De judicio autem discretionis, quod abjecerunt, vel de judicio discussionis divinæ, quod non timuerunt, atque de temerario eorum judicio arguet eos, *quia* B *princeps hujus mundi,* id est diabolus, *jam judicatus est,* id est reprobatus ac condemnatus a me, atque de credentium corde ejectus. Et hoc judicium homines debuerunt attendere, ac diabolo taliter judicato resistere, divini quoque rigorem judicii formidare, eo quod Deus principem mundi tam districte damnaverit. Et utique, si pensemus quam rigorose ac subito Deus a principio principem dæmonum cum adhærentibus sibi damnavit, propter unum conceptionis suæ tumorem, valde C timere habemus divinæ justitiæ judicialem rigorem. Hinc enim secunda Petri habetur : Si Deus peccantibus angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, novit Dominus iniquos in diem judicii cruciandos servare. (II *Petr.* II, 4, 9.) Porro, quamvis diabolus a principio suæ ruinæ sit judicatus, et in fine sæculi quodammodo judicandus, specialiter tamen judicatus et reprobatus fuit a Christo conversante in mundo : qui quum tentaretur, dixit diabolo, Vade retro, Satana ; (*Matth.* IV, 10.) D et alias, Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. (*Joann.* XII, 31.)

Adhuc multa de credendis et agendis, de mysteriis meis et sponsæ meæ Ecclesiæ, de statu sæculi futuri consummationeque mundi, *habeo vobis,* tanquam futuris totius mundi doctoribus, *dicere,* ut possitis totum genus informare humanum de necessariis ad salutem. In omni etenim genere, primum oportet esse maximum et perfectissimum. Quum ergo Apostoli fuerint primi post Christum doctores Ecclesiæ, oportuit eos excellentissime eruditos esse de mysteriis Christi, et his quibus instruenda fuit Ecclesia. *Sed non potestis* omnia illa *portare,* hoc est intelligere et mente ferre ac retinere, *modo :* quoniam inquieti, tristes ac pavidi estis. Passiones enim quum fuerint vehementes, actum rationis multum impediunt. Ideo in Job quoque habetur : Neque possum metuens respondere. (*Job* IX, 35.) Tranquillitas autem mentis disponit eam ad illuminationem divinam et instructionem salubrem : unde in epistola hujus dominicæ scriptum est, In mansuetudine suscipite insitum verbum. (*Jacob.* I, 21.) Ideo quoque non poterant capere, quia adhuc satis carnales ac rudes fuerunt. *Quum autem venerit ille Spiritus veritatis,* id est Spiritus Sanctus : qui dicitur Spiritus veritatis, quoniam fons et doctor est veritatis, et quoniam essentialiter verus et veritas est, et quia Spiritus est Patris et Filii, qui una sunt veritas ; *docebit vos omnem veritatem,* non simpliciter omnem, sed omnem veritatem de qua nunc loquor, utputa omnia quæ habeo vobis dicere ad vestram salutem atque Ecclesiæ instructionem : quod fuit in die Pentecostes impletum. Juxta hunc modum ait Joannes apostolus : Unctio docet vos de omnibus ; (I *Joann.* II, 27.) et Paulus, Dabit tibi Dominus de omnibus intellectum. (II *Tim.* II, 7.)

Deinceps ostendit Christus cur Spiritus Sanctus sit ad instruendum tam perfecte idoneus. *Non enim loquetur a semetipso,* id est, non vos illuminabit per allocutionem internam, virtute et scientia non recepta, sed sibi a Patre ac Filio communicata, ita quod locutio ejus erit tam vera sicut locutio Patris et Filii, imo potius eadem numero, quoniam opera Trinitatis sunt indivisa. Itaque non loquitur a semetipso, quia non est a semetipso, sed potestatem atque scientiam, imo quidquid habet et est, suscepit a Patre et Filio, tanquam ab uno principio, quum Patris et Filii sit una natura et una voluntas. *Sed quæcumque audiet, loquetur.* Verba hæc sanum ac sobrium exigunt intellectum. A Quum enim Spiritus Sanctus sit verus Deus, et per consequens infinitam scientiæ plenitudinem habens a Patre et Filio, non est opinandum quod revelavit alicui homini absolute omnia quæ audivit, et per spirationem passivam seu procedendo accepit et agnovit a Patre et Filio. Rursus, quum Spiritus Sanctus sit Deus, et per consequens summe simplex et penitus immaterialis, non est putandum quod aliquid corporaliter audiat. Iterum, quum sit Deus, et ex consequenti omnino invariabilis ac æternus, nihil audit de novo, nec audiet quod non audivit, id est, non cognoscet quod æternaliter non cognovit. Est igitur sensus : « Quæcumque » vobis necessaria et pro Ecclesiæ informatione utilia « audiet », id est, se per æternam processionem novisse ostendet. Vel, « audiet », id est, in æternitatis momento omne tempus includente audit, seu procedendo cognoscit. Quum enim processio Spiritus Sancti sit æterna, per verba omnium temporum explicatur, quoniam omne tempus comprehendit æternitas : unde de Deo communiter dicimus, Deus fuit, Deus erit, Deus est. « Loquetur », id est, vestris cordibus inspirabit locutione interna : de qua ait Propheta, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Ps.* LXXXIV, 9.

Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ex hoc constat quod Apostoli fuerunt prophetæ, imo summi prophetæ : quod maxime patet in evangelista Joanne, qui in Apocalypsi describit totum militantis processum Ecclesiæ, a tempore Apostolorum usque in finem mundi. Petrus quoque et Paulus in suis epistolis, aliqua de futuris in Ecclesia scribunt.

Ille me clarificabit, id est, per vestras prædicationes et per vestra miracula meam majestatem et gloriam hominibus insinuabit. Tanta enim gratia ac sapientia decoravit Deus Apostolos, quod per eos totus mundus conversus est, et Christi claritatem agnovit ac honoravit, juxta illud Psalmistæ : In omnem terram exivit sonus eorum. *Ps.* XVIII, 5. *Quia de meo accipiet,* id est, essentiam et sapientiam a me procedendo invariabiliter habet. Sic enim et de Spiritu Sancto ait, Accipiet, sicut de eo jam dixit, Audiet. Græci dicunt, sive dixerunt, quod Christus idcirco non ait, De me, sed, De B meo accipiet, quoniam non procedit a Filio, sed ab eo quod est Filii, hoc est de substantia Patris, quæ et Filio inest. Hoc autem mendaciter confinxerunt, quoniam in verbis sequentibus Christus probat quod a se Spiritus Sanctus vere procedit. *Et annuntiabit vobis* futura, et omnia de quibus instruenda exstat Ecclesia.

Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, non solum per fruitionem, ut dixerunt hæretici, sed et per substantialem identitatem, continentiamque realem ; id C est, totam suam essentiam, potestatem et perfectionem Pater mihi communicavit. *Propterea dixi : Quia de meo accipiet,* id est de plenitudine meæ deitatis, et de me procedit. Quasi dicat : Quum in Patre et me sit una essentia, una potentia, una voluntas, quemadmodum Spiritus procedit a Patre, sic et a me, quoniam id per quod competit Patri spirare, est in me : sicut etiam tres Personæ sunt unus Creator, quoniam id ratione cujus competit Patri creare, est in Filio et Spiritu Sancto, nec aliud D obstat. Porro Spiritus Sanctus est amor, idcirco procedit a voluntate. Voluntas autem in Patre et Filio est eadem numero. De hac materia multa scribit Anselmus in libro de Processione Spiritus Sancti. *Et annuntiabit vobis* quæ dicta sunt.

SERMO SECUNDUS

DE IMPEDIMENTIS QUIBUS HOMINES IMPEDIUNTUR A SUSCEPTIONE SPIRITUS SANCTI.

S*PIRITUS sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Sap. I, 5.

In his verbis tanguntur duo impedimenta infusionis et gratiosæ inhabitationis Spiritus Sancti. Primum est fictio ; secundum est imperita seu stolida cogitatio. Denique, quamvis omne peccatum mortale impediat hominem a susceptione et inhabitatione Spiritus Sancti, quædam tamen vitia mortalia specialiter ac præcipue tale præbent impedimentum. Sunt etiam appropriatæ rationes assignabiles circa unumquodque mortale peccatum, cur impediat infusionem et gratiam Spiritus Sancti, sicut jam, Deo præstante, partim monstrabitur.

Præterea, quod nihil impediat hominem ab inhabitatione et gratia Spiritus Sancti nisi peccatum, multipliciter potest probari. Primo, auctoritate sacræ Scripturæ, quæ evidenter atque frequenter hoc *Is.* LIX, 1, 2. protestatur. Scriptum est enim in Isaia : Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat ; sed iniquitates vestræ diviserunt inter Deum vestrum et vos, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis. Hinc per Michæam *Mich.* II, 7. prophetam loquitur Deus : Numquid abbreviatus est spiritus meus, ut salvare non *Jer.* V, 25. possim ? Et in Jeremia habetur : Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis.

Secundo probatur hoc ex parte Dei, quoniam tam infinita est bonitas, misericordia et dilectio ejus circa genus humanum, quod quantum in se est, paratus sit omni homini gratiam suam conferre, et non nisi perversitas, ingratitudo et negligentia hominum impediat eos a donis A et gratia Spiritus Sancti. Proprietas namque boni est se communicare et dona sua effundere. Quum ergo Deus omnipotens et æternus sit infinita puraque bonitas, cujus munificentia et opulentia est immensa, certissimum est quod quantum in ipso est, paratissimus sit gratiam, virtutes et dona Spiritus Sancti conferre ; nec impedimentum est nisi ex parte peccantium. Similiter ad misericordiam pertinet miseris subvenire ; et dilectio est virtus per quam unus vult atque communicat aliis B bonum. Quum ergo tam infinitæ sint misericordia et caritas Dei ad homines, dubium esse non potest quin quantum in se est, paratus sit omnino gratiarum charismata impertiri : imo hominum salutem vult, cupit, et eos ad gratiam suam invitat. Hinc in Ezechiele affirmat : Numquid *Ezech.* XVIII, 23. voluntatis meæ est mors impii, et non ut convertatur et vivat? Unde et in Evangelio loquitur Christus : Jerusalem, Jerusalem, *Matth.* XXIII, 37. quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos C sub alas, et noluisti ? Hinc princeps Apostolorum in sua secunda scribit Canonica : Non tardat Dominus promissum, sed pa- II *Petr.* III, 9. tienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Præterea, quantum Deus piissimus ex sua dilectione et bonitate velit et optet hominum salvationem et emendationem, quantum quoque miseris pereuntibusque condoleat, constat ex eo quod in Deuteronomio loquitur Moysi de filiis Israel : Quis det *Deut.* V, 29. talem eos habere mentem ut timeant me D et custodiant universa mandata mea, et bene sit eis et filiis eorum post eos in sempiternum ? Apud Isaiam quoque : Uti- *Is.* XLVIII, 18. nam (inquit) attendisses mandata mea.

Tertio idem probatur ex beneficiis Dei. A Si enim consideremus quanta et qualia Deus pro nostra salute effecit, quanta beneficia contulit, quam misericorditer demum nobiscum egit, et præsertim quanta Unigenitus Dei Patris pro nostra redemptione assumpsit, fecit ac pertulit, luce clarius scimus quam paratissimus sit Dominus Deus noster suam nobis gratiam elargiri, dummodo obicem non ponamus. Nonne Pater æternus pro nostra salute superdilectissimum et unicum Filium suum misit in mundum, et nostram naturam ei B univit, atque in ea voluit ipsum laborare, pati et mori pro nobis? Per quod ineffabilem suam caritatem nobis ostendit, juxta *Joann.* III, 16. illud Joannis : Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ideo ad Romanos ait Apo- *Rom.* V, 8, 9. stolus : Commendat caritatem suam in nobis Deus, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.

Ex hoc quoque quod Deus Pater dedit nobis Filium suum, innotescit quam para- C tus sit nobis dare gratiæ suæ charismata, *Ibid.* VIII, 32. Paulo dicente : Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam omnia nobis cum illo donavit? Insuper, si consideremus quanta Filius Dei pro nobis assumpsit, fecit atque perpessus est, dubitare non possumus quin Deus paratissimus sit nobis indulgere, succurrere, gratiam et salutem impendere.

Imo Deus legatos suos mittit ad homines impios, ingratos, pravissimos, exhortans, D invitans, exorans ut convertantur, et beatitudinem consequantur. Legati etenim Dei sunt angeli sancti, et boni prælati ac prædicatores, per quos Deus hortatur peccatores ad pœnitentiam salutarem.

Cur ergo negligimus? Cur non attendimus viscera infinitæ misericordiæ Dei nostri super nos? Et certe quam ineffabiliter pius est nunc, tam ineffabiliter justus et *Ibid.* XI, 22. rigorosus, imo, secundum Apostolum, et severus est post vitam præsentem. Quod ex hoc solo clarissime constat, quia pro uno mortali peccato tam cito peracto æternam infligit damnationem ac pœnam tam diram, tam indicibiliter gravem. Unde hunc divinæ rigorem justitiæ vocant sancti Prophetæ furorem, quia per modum furiosi tranquillissimus Deus se habet, tam acerbissime puniendo iniquos.

Deinde, si rex aut princeps terrenus pius ac præpotens, graviter esset a subditis suis offensus, quibus nunquam forefecisset, sed semper benefecisset, quos etiam, si vellet, posset ad libitum trucidare, et nihilo minus ex sola sua pietate et caritate, destinaret aliquos sapientes et virtuosos sibi præcaros ad illos, hortando illos per missos a se, ad emendationem, reconciliationem et pacem ; nonne valde pius et bonus diceretur hujusmodi princeps? Et si subditi ejus nec sic cessarent ab injuriis et perversitatibus suis, nonne ab omnibus pessimi et omni punitione dignissimi judicarentur? Quanto benignior est Dominus Deus noster, tanto et deteriores nos sumus. Ecce tam bonus, sanctus et pius est Deus, tanta bona largitus est nobis et indesinenter largitur, tamdiu sustinuit impietates atque injurias nostras: et nihilo minus mittit quotidie nobis suos legatos, hortans nos ad emendationem, ad conversionem, ad pacem cum ipso. Per se ipsum quoque occultis instinctibus et inspirationibus incitat nos ad bona, quos uno nutu posset æternaliter condemnare et in nihilum redigere : et tamen repellimus eum, negligimus nosmetipsos, et in nostris perseveramus sceleribus.

Quid ergo meremur? Quid imminet nobis? Quid fiet de nobis, quum omnipotens Deus secundum suam nos cœperit justitiam judicare, et secundum opera nostra, imo et secundum omissiones et negligentias nostras, retribuere nobis? Timeamus ergo justum judicium Dei, qui terribilis est in consiliis suis super filios *Ps.* LXV, 5. hominum. Qui et per Salomonem testatur : Quia vocavi, et renuistis, despexistis *Prov.* I, 24-27. omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, quum vobis quod timebatis evenerit, quum irruerit repentina calamitas. Hinc etiam prædixit *Ps.* II, 4, 5. Propheta : Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos ; tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Insuper, sicut prædictum est, omne mortale peccatum impedit hominem ab infusione, inhabitatione et gratiosa præsentia Spiritus Sancti. In præsenti quoque evangelio tangitur unum impedimentum susceptionis Spiritus Sancti, quod est amor carnalis. Ubi summa cum diligentia oportet advertere, quod quamvis Dominus noster Jesus Christus fuerat Sanctus Sanctorum, et ab omni labe peccati prorsus purissimus, ejusque caro mundissima fuit, utputa ex purissimis sacratissimæ Virginis sumpta sanguinibus, sine peccato concepta, et a Spiritu Sancto formata, et una cum anima sua Verbo æterno unita ; nihilo minus Apostoli inepti fuerunt ad plenam susceptionem Spiritus Sancti, propter hoc quod eorum ad Christum dilectio fuerat aliqualiter sensualis sive carnalis. Quantum ergo amor carnalis ad homines peccatores aut peccatrices, in peccatis conceptos, fragiles atque defectibus plenos, impedit mentem humanam ab infusione et donis Spiritus Sancti? Amor quippe carnalis et spiritualis contrariantur ad invicem, nec se mutuo compatiuntur; sed *Is.* XXVIII, 20. ut Isaias fatetur, Coangustatum est stratum, ut utrumque simul capere nequeat.

Si ergo a Spiritu Sancto visitari, impleri et inhabitari desideramus, purgemus cor nostrum ab omni carnali amore, ut neque nos ipsos nec alios carnaliter, sed spiritualiter diligamus, desiderando nobis ac aliis gratiam Dei, virtutes ac dona Spiritus Sancti, profectum in vita virtuosa, et post hanc vitam gaudia sempiterna, non autem carnales delectationes, divitias temporales, honores humanos, sed necessaria vitæ. Sic ergo et conjugati amare se obligantur, et si se nimis carnaliter ament, Spiritus Sancti inhabitatione privantur ; sic quoque sobolem suam tenentur diligere, et dum peccat, diligenter corripere, ne simul cum sua sobole pereant. Amor iste carnalis, mirabiliter, imo et lamentabiliter ac damnabiliter inficit, fallit, vincit et obtenebrat mentem : idcirco cum suis effectibus, qui sunt lascivi contactus, amplexus, deosculationes, et libidinosi adspectus et affatus, est omnino vitandus.

Præterea, ab infusione et omni gratioso charismate Spiritus Sancti, præcipue impedit hominem detestabilis illa superbia, coram Deo et hominibus odibilis ac spernenda. *Eccli.* X, 7. Sola namque superbia destruit omnia, si comitetur. Et hujus sunt plurimæ rationes. Prima, quoniam homo qui gratiam Spiritus Sancti recepit, seu recipere petit, habet se tanquam mendicans, et Deus qui Spiritus Sancti dona infundit, habet se sicut pater et dominus ac paterfamilias, eleemosynam tribuens et pauperem ditans. Mendicum autem et pauperem oportet se humiliare, si a divite aliquid petat, vel recipere eleemosynam debeat : si enim intumescat et humiliter petere dedignetur, nec propriam paupertatem penset ac fateatur, juste omnino despicitur. Quum ergo superbia sit quædam inflatio mentis adversus Deum, et tumor animi se ipsum magnificantis, efficit hominem omni gratia Spiritus Sancti valde indignum.

Secunda ratio est, quia ad hoc quod homo Spiritum Sanctum accipiat, oportet ut se Deo applicet et substernat sive subjiciat. Superbia vero directe elongat a Deo et ei repugnat : imo superbus voluntatem suam divinæ voluntati præponit, ac divinis jussionibus superponit, nec vult subjici Deo. Ideo ait Scriptura : Deus superbis resistit. *Jacob.* IV, 6. Et per Isaiam Dominus loquitur : Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum? *Cf. Is.* LXVI, 1, 2; LVII, 15. Beatissima quoque virgo Maria ait de Deo : Dispersit superbos mente cordis sui. *Luc.* I, 51. Oportet ergo ut homo se ipsum vere humiliet, proprias vilitates, defectuositates, iniquitates et culpas perpendat, intueatur ac ponderet, si

Spiritum Sanctum debet suscipere aut inhabitatorem tenere ; et quanto profundius se subjicit Deo, tanto gratiosius visitatur Eccli. vii, 19. a Spiritu Sancto. Ideo scriptum est : Humilia valde spiritum tuum ; et, Humiliamini sub potenti manu Dei. I Petr. v, 6.

Tertia ratio est, quia superbia abstrahit Deo quod ei debetur. Nam Deo debetur honor et gloria : et hæc sibi usurpat superbus, quoniam cupit se in se ab aliis honorari et glorificari, quasi bona habeat a se ipso. Estque ingratissimus Deo, qui de beneficiis ejus superbit, non gratias B Eccli. x, 9. agit. Ideo scriptum est : Quid superbit terra et cinis ? Itaque, Quid habes quod non I Cor. iv, 7. accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Quarta, quoniam superbia omnium vitiorum est origo, caput, radix, regina. Ideo maxime impedit hominem ab omni gratiæ dono, trahit quoque eum ad gravissima innumerabiliaque peccata : sicque constituit hominem ad Spiritus Sancti susceptionem indispositis- Job xv, 13, 12. simum. Ideo scriptum est apud Job : Quid tumet contra Deum spiritus tuus ? Quid te C elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos ? Quinta, quoniam A in superbia est magis evidenter contemptus Dei. Superbia quoque est diabolicum vitium, et homines mutat in dæmones.

Verum, ne sermo iste nimium extendatur, qualiter cetera peccata mortalia Spiritus Sancti susceptionem et inhabitationem impediant, sequenti reservatur sermoni.

II Mach. v, 21 ; ix, 4 et seq. Legitur de Antiocho rege in libro Machabæorum, quod superbissimus fuit, in tantum quod æstimavit se terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum. Et hujus superbiam Deus in vita hac terribiliter plagavit et humiliavit. Quum enim sederet in curru, et juberet currum agitari ut persequeretur populum Dei, cecidit repente de curru, et toto corpore conquassatus est ; atque tam intolerabili viscerum dolore intus a Deo percussus, quod vermes de suo corpore eruperunt, tantusque fœtor, quod nec ipsemet nec alii ejus fœtorem poterant sustinere. Sicque miserabili ac amarissima morte decessit, et de pœnis vitæ præsentis ductus est ad sempiternas pœnas inferni. Hoc ergo exemplo terreantur superbi, et humilient semetipsos antequam humilientur a Deo.

SERMO TERTIUS

QUALITER INVIDIA, LUXURIA, AVARITIA, CETERAQUE MORTALIA PECCATA IMPEDIANT INFUSIONEM AC TOLLANT INHABITATIONEM SPIRITUS SANCTI.

Q*UI facit peccatum, ex diabolo est.* D I Joann. iii, 8.

Quicumque in mortali peccato est, membrum est et minister diaboli. Idcirco qui peccat mortaliter, ex diabolo est, non per creationem, sed per imitationem, et quia diabolicæ suggestioni consentit, atque ad diabolum pertinet. Quod tamen de superbis et invidis præcipue veritatem sortitur. Sap. ii, 24, 25. Verum in libro Sapientiæ habetur : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

Itaque invidia propter speciales rationes impedit infusionem Spiritus Sancti, et gratiam ejus tollit. Primo, quia præ ceteris contrariatur Spiritui Sancto, qui per appropriationem caritas appellatur. Ideo præsertim elongat mentem a Spiritu Sancto, et facit eam illi displicentem, difformem, odibilem, atque a luce gratiæ penitus vacuam. Propter quod in prima sua epistola scribit Joannes apostolus : I *Joann.* II, 11. Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Secunda ratio est, quia invidia directe contrariatur summæ virtuti theologicæ ac infusæ, videlicet caritati, sine qua nulla virtus est Deo accepta aut meritoria. Ideo, sicut per caritatem maxime homo conjungitur Deo, ita per invidiam maxime separatur et elongatur ab eo. Tertia, quia sicut invidia de aliorum prosperitate et gratia contristatur, ita homo per eam meretur ut Spiritus Sanctus nullam ei virtutem et gratiam faveat aut impendat, sed spiritualiter pauperem miserrimumque relinquat. Nam, sicut homo se habet circa proximum suum, ita meretur et justum est ut circa ipsum se habeat Deus. Quum ergo invidus specialiter cupiat aliis malum, atque diffaveat eis bonum, specialiter promeretur ut Deus omni eum spoliet gratia, et deserat ac contemnat.

Abjiciamus igitur diabolicum hoc venenum, quod etiam in præsenti, suo possessori facit infernum. In ceteris quippe peccatis communiter delectatio quædam est, in invidia vero afflictio infernalis. Nam ut asserit Augustinus, Invidi color pallore perfunditur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Qui ergo livoris peste plene carere desiderat, cœlestem hereditatem diligat, quam coheredum numerus non angustat. Nam tanto quisque invidet alteri bona præsentia, quanto minus ea contempserit. Hieronymus quoque : Oro te, inquit, quid delectationis præstat invido sua invidia, quem quibusdam conscientiæ ungulis livor ipse discerpit, et aliena prosperitas ejus tormentum est? Est demum valde notabile quod ait Chrysostomus : Quemadmodum columna si recta fuerit, accepto supra se pondere amplius confirmatur, et firmius stat; si autem modice obliquata fuerit, non solum non confirmatur, sed incurvatur, et amplius tendit ad latus : ita cor hominis si fuerit rectum et justum, videns opera viri justi, audiensque doctrinam sapientiæ ejus, amplius confirmatur; si vero perversum cor fuerit, non solum inde non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, et magis pervertitur. Ideo Sapiens ait : *Sap.* VI, 25. Neque cum tabescente invidia communicabo. Et iterum Salomon : *Prov.* XIV, 30. Putredo (inquit) ossium, invidia. Est enim putredo ossium animæ, hoc est virtutum quibus anima consolidatur ; est quoque putredo ossium corporis, quoniam corporali vitæ et complexioni maxime nocet : sicque corpus occidit et animam.

Præterea, Spiritus Sancti infusionem ac inhabitationem valde specialiter aufert luxuria. Primo, quoniam puritati Sancti Spiritus præcipue contrariatur. Est enim in vitio hoc specialiter magna turpitudo, inhonestas et fœditas. Idcirco, secundum Apostolum, I *Cor.* VI, 18. Qui fornicatur, in proprium corpus peccat, quoniam illud dehonestat. Et crimen hoc non animam tantum, ut cetera vitia, sed corpus simul cum anima inquinat. Secundo, quia luxuria specialiter ingerit homini fastidium divinarum ac spiritualium rerum, et deprimit mentem, obtusamque efficit : sicque omnino constituit eam ineptam atque indignam ad Spiritus Sancti infusionem ac gratiosam præsentiam. Tertio, quia in luxuria maxime vigent amor carnalis et delectatio sensualis, quæ spirituali amori et consolationi Spiritus Sancti penitus opponuntur. Ideo dicit Gregorius : Tanto quisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. Quarto, quia per inquinamenta luxuriæ homo brutis æquatur, et omnino caro efficitur : sicque a spiritualitate et Spiritus Sancti deificatione ac elevatione vehementissime impeditur ac elongatur. Unde in Genesi Dominus ait : *Gen.* VI, 3. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Unde, quanto plus per vitia carnis afficitur homo, et delectatur in rebus creatis ac vilibus, tanto per ea tenacius creaturis inhæret; et quanto tenacius creaturis inhæret, tanto plus a

Creatoris impeditur amore, et amplius elongatur a Spiritus Sancti infusione, difficiliusque convertitur. Oportet ergo hoc bestiale ac fœdum abjicere vitium, eum qui vult Spiritus Sancti esse aut fieri templum.

Insuper, avaritia specialiter impedit infusionem et gratiam Spiritus Sancti. Primo, quoniam valde fortiter alligat cordis affectum rebus caducis : nam quanto avarus plura acquirit, tanto plura desiderat. *Coloss.* III, 5. Secundo, quia secundum Apostolum, Avaritia est servitus idolorum, id est idololatriæ similis. Nam, sicut idololatra, vero Deo relicto, idola colit, ita avarus, summo, infinito atque incommutabili bono deserto, terrenis totaliter inhiat, et magis quam Deum ea cogitat, amat et colit. Tertio, *Eccli.* X, 10. quia ut in Ecclesiastico scriptum est, Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Nam amator pecuniæ animam suam habet venalem, quam pro nummo subdit diabolo. Quarto, quia ex avaritia oriuntur peccata multa gravissima, ut rapinæ, furta, sacrilegia, mendacia, doli, perjuria, etc.

Conformiter potest ostendi de ceteris peccatis mortalibus, cur a Spiritus Sancti infusione et gratia impediant hominem. Nam de ira, hoc in expositione et sermone epistolæ hujus dominicæ est ostensum. De gula quoque facile est pensare, quia et ipsa bestiale est vitium, gravatque mentem, et pigram efficit ad divina, luxuriæ quoque incentivum atque materiam exhibet. Similiter acedia quum sit torpor et tædium mentis ad ea quæ Dei sunt, caritati et fervori Spiritus Sancti repugnat, et omnium divinorum transgressionem præceptorum inducit.

Præterea advertendum, quod si unumquodque mortale peccatum tam vehementer ac multipliciter ineptum constituit hominem et indignum ad infusionem et gratiam Spiritus Sancti, quam inæstimabiliter A inepti sunt et indigni visitatione Spiritus Sancti, qui multis aut omnibus mortalibus sordent, subduntur replenturque vitiis, et quotidie crimina addunt criminibus, et absque freno ac numero peccant? Siquidem peccatum mortale quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud. Ideo quanto quis sæpius peccat, tanto pronior est ad peccandum, et tanto ineptior ad conversionem. Talibus ergo clamat Isaias propheta : Redite, prævaricatores, ad cor ; et *Is.* XLVI, 8. B Paulus apostolus, Resipiscant a laqueis *II Tim.* II, 26. diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. O quam turpes et fœtidæ coram Deo sunt hujusmodi animæ! Ait namque S. Gregorius : Si videremus quantum per unumquodque peccatum mortale anima deturpatur, usque ad mortem resisteremus peccato. Quam incomprehensibiliter ergo turpes et fœtentes sunt animæ innumerabilibus mortalibus vitiis plenæ? Vehementissime plane condolendum est eis, et indesinenter orandum pro ipsis. Nempe quid C sunt hujusmodi animæ, nisi diabolorum cloacæ?

Nec tamen de eis est desperandum. Nam et S. Guillelmus confessor, qui fuit dux, fuit peccator gravissimus et tyrannus, tribusque annis sedit in adulterio incestuoso cum uxore proprii fratris, quasi alter Herodes. Et tamen postmodum per S. Bernardum conversus est, et pœnitentiam egit condignam, quia ad nudum corpus suum portavit loricam, et septem annis jacebat in fovea seu spelunca, die ac nocte lacri- D mosissime sua deplorans peccata. Visitavit etiam Terram sanctam et Christi sepulcrum, et rigorosissimas abstinentias fecit, longo deinceps tempore in magna sanctitate Deo deserviens, ac beato fine vitam hanc terminans. Ejus ergo exemplo, convertantur ac satisfaciant, qui vitiorum molibus sunt oppressi.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE EXCELLENTIA, MUNIFICENTIA ET EFFECTIBUS DEI.

O*MNE datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Jacob. I, 17. A

Quum Deum super omnia toto corde jubeamur diligere, nec tamen valeamus id adimplere, imo neque incipere, nisi eum aliquo modo intelligamus et cognoscamus, quia quod prorsus ignotum est, nec appeti potest nec diligi; hinc Domini Dei nostri cognitio aliqualis nobis in primis necessaria perhibetur. Imo in perfecta Dei cognitione beatitudo nostra a Fonte beatitudinis *Joann.* XVII, 3. constituta asseritur, ipso dicente : Hæc est B vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. Et ipse Deus per Jeremiam ait prophetam: *Jer.* IX, 23, 24. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus Deus. Merito igitur, *Sap.* XIII, 1. juxta Scripturam, Vani sunt omnes homines quibus non subest scientia Dei. Si ergo in visione Dei nostra consistit *Ps.* LXXIX, 4. felicitas (juxta illud : Ostende faciem tuam, et salvi erimus; *I Joann.* III, 2. et alibi, Similes ei C erimus, utpute perfecte beati, quia videbimus eum sicuti est), constat quod quanto nunc in Dei cognitione proficimus, tanto futuræ beatitudini amplius propinquamus, atque in isto exsilio quodammodo beatiores efficimur. Quod tamen non de quacumque Dei cognitione intelligo, sed de ea quæ doni sapientiæ actus est, et contemplatio dici meretur, ac formata, non informis, vocatur. Hæc formata et amorosa Deitatis cognitio et ejus dilectio inseparabiles sunt, atque se invicem fulciunt ac perornant; et quo magis in una, eo plus et in alia crescimus. Sapientia namque quæ donum est, et caritas, simul et æque crescere et decrescere nunc censentur.

Ut ergo summi Dei amore validius accendamur, in ejus contemplativa cognitione perfici enitamur. Quod ut fiat, nunc aliquid de Dei essentia, omnipotentia, sapientia, invariabilitate, perfectione, munificentia, operatione, quantum ipse præstiterit, referetur. Idque in primis patescit, quemadmodum Deus sublimis et benedictus de suo nomine a Moyse interrogatus, responderit : Ego sum qui sum; hæc dices filiis *Exod.* III, 14. Israel, Qui est, misit me ad vos. Unde concluditur, quod primum et proprium Dei nomen est Esse, seu Qui est, in tantum ut ipse solus esse dicatur. *Job* XIV, 4. Cujus comparatione esse aliorum est tanquam non esse, propter infinitam excellentiam esse divini : quemadmodum respectu increatæ et infinitæ sapientiæ Dei, sapientia omnis mentis creatæ nullius momenti est; et omnis lux atque potestas creaturarum, ad immensitatem lucis ac omnipotentiæ Creatoris adorandi relata, obscuritas infirmitasque ostenditur. Esse ergo est primum et proprium Dei nomen, quoniam esse, tanquam pelagus infinitum, cetera quæ Deo adscribuntur, teste Damasceno, includit. Propter quod bene disseruit sanctus pater Bernardus, Dei electus : Quid est Deus? Qui est, seu ipsum esse. Nil enim competentius est æternitati, quæ est Deus. Si bonum, si magnum, si sapientem, si beatum, si omnipotentem, vel quidquid A tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, Qui est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse, et si centum aut mille talia addas, non recessisti ab esse ; si ea dixeris, nihil divino esse addidisti ; si ea non dixeris, nihil ei diminuisti. Itaque Deus excelsus et gloriosus est ipsum esse, utputa esse primum, independens, imparticipatum, interminatum, non coarctatum, non receptum, sed in se ipso subsistens, separatum, perfectum, in quo omnis essendi nobilitas, perfectio, beatitudo, cum B infinita excellentia ac plenitudine, absque omni prorsus mensura et fine simplicissime continetur et est : ita quod ipsum esse divinum, in extrema simplicitate est omne istud ; et omnia ista quæ uno nomine exprimere non valemus, sunt ipsum purissimum et supersimplicissimum esse Dei, et ipse Deus, in quo penitus idem sunt quod est et quod habet, quantum ad absoluta. Hinc solus Deus est ens per essentiam. De quo B. Hilarius subtiliter dixit : Esse non est accidens Deo, sed subsistens, C veritas manens, et naturalis proprietas.

Deinde, sicut esse, quod in se communissimum est, in sua plenitudine sumptum, est primum et proprium Dei nomen ; sic convertibilia entis, videlicet verum, unum, bonum, in sua plenitudine sumpta, verissime ac propriissime competunt Deo altissimo, ita ut ipse sit primum verum, primum unum, primum bonum, imo veritas prima, unitas summa, bonitas infinita. Deinceps, quidquid, absolute loquendo, dignius et melius est D inesse, adesse sive haberi, quam deesse, hoc vere et infinite competit Deo et est in eo, et ipsemet illud est. Idcirco in eo est, et ipse est, sapientia infinita, potestas immensa, beatitudo æterna ; suæ pulchritudinis, suæ dulcedinis, suæ amabilitatis nullus est finis ; opulentia et libertas, misericordia, justitia et liberalitas ejus nullo usquam termino clauduntur ; voluptas et gloria, securitas, incommutabilitas et supersufficientia ejus circumscribi, comprehendi, coarctari nullatenus queunt. Et breviter, ab ejus condigno præconio, ab ejus pleno obsequio, ab ejus cognitione plenaria deficimus in immensum ; et hoc ipsum quod verbis de eo proferimus, mente capere, prout ipse in se ipso est, nequaquam valemus. Ideo ei cum profundissima humiliatione, summa reverentia, decenti admiratione, indesinenti et maxima diligentia, subdi, servire, adstare debemus, sincera quoque contemplatione ferventissimoque amore ei intendere ac uniri ; nec tamen quidquam condigni nos ei exhibere humillime fateamur.

Præterea, sicut in epistola hodierna Jacobus tangit apostolus, apud ipsum non *Jacob.* I, 17. est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Hæc namque imperfectionem includunt. Unde et Aristoteles subtilissime atque certissime in sua Metaphysica post longissimam inquisitionem probavit : Deus est purus actus, id est natura in se absolute perfecta, cujus est omnia movere, mutare, perficere, et a nullo moveri, mutari aut perfici, utputa sibi in se et per se summe et infinite sufficiens, nulloque indigens, quo cetera indigent universa : ideo movet, mutat et perficit ea, tanquam cunctorum principium et omnium finis, in quo nulla est potentia passiva limitans, nulla differentia contrahens, nulla materia coarctans. Idcirco vere et perfecte æternus est, incomprehensibilis et ignotus, utpote causam non habens, et in se invariabiliter, felicissime incircumscriptibiliterque consistens, in quo nulla est vicissitudinis *Ibidem.* obumbratio, id est nulla præteritio, nulla successio, nulla alternatio, ejus puritatem, invariabilitatem, perfectionem, beatitudinem aliquo modo obnubilans, violans seu obumbrans. Imo ipse solus habet immortalitatem, I *Tim.* VI, 16. id est omnimodam incommutabilitatem, quum in ipso nulla sit volendi aut intelligendi successio, nullus actus recens, inceptio sive desitio ; sed ipse tanquam superhonoratissimus intellectus, se ipsum et cetera cuncta uno, æterno ac simplicissimo videt et cognoscit intuitu, et uno volendi actu vult omnia, nec actio sua a sua diversificatur essentia.

Postremo, quum ipse sit primum ens, solum perfectum et infinitum, ab ipso universa fluxerunt, incessabiliterque dependent : imo eatenus indigent conservatione ipsius, quod nec ad momentum sine ejus manutenentia possint consistere aut durare. Ab ipso ergo manavit omne bonum naturæ, omne donum gratiæ, a quo solo omne donum gloriæ derivatur; ab ipso est ordo rerum et consistentia universi ; ipse universa gubernat et omne sæculum administrat, omnia intuetur, et cuncta rectissime judicat. Cujus providentiam plenam et omnia distinctissime complectentem qui negaverunt, stulti facti sunt in sapientia sua; et eorum sapientia, stultitia maxima fuit. Sapientissimus Augustinus optime dixit : Deus est in se ipso sicut Alpha et Omega, in mundo sicut rector et auctor, in angelis sicut sapor et decor, in Ecclesia sicut paterfamilias in domo, in anima sicut sponsus in thalamo, in justis sicut adjutor et protector, in A reprobis pavor et horror. Ab ipso averti est cadere, ad ipsum converti, resurgere ; in quo manere est vivere, a quo exire est mori ; in quem redire est reviviscere, in quo habitare est perdurare. De quo et sanctus concionatur Bernardus : Quam dives es in misericordia, quam magnificus es in justitia, quam munificus in gratia, Domine Deus noster ! Non est similis tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, liberator piissime.

Igitur, juxta præhabita, Deum B superdignissimum contemplemur, in ipso aciem mentis figere studeamus. Et quum tam incomparabiliter et immense ipse præ omnibus bonus, amabilis, speciosus, suavis, dives, pius, sanctus, felix et perfectus consistat, a quo etiam omne bonum profluxit, et quidquid habemus et sumus, accepimus, ipsum super omnia ferventer et incomparabiliter diligamus, omne bonum ei attribuamus, ipsum totis viribus colere, venerari, laudare nunquam cessemus, in ipso stabiliri, roborari atque immobiles C fieri semper conemur.

SERMO QUINTUS

DE MODERAMINE IN LOQUENDO ET OBSERVATIONE SILENTII.

S*IT autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram.* Jacob. i, 19.

Inter præcipua ad quæ in libris Sapientialibus admonemur et erudimur, est ut linguam suam unusquisque refrenet, et non nisi utilia suo loco ac tempore moderanter loquatur. Quemadmodum enim ex linguæ irrefrenatione innumerabilia et enormia mala sequuntur, ita ex linguæ coercitione et moderatione loquelæ, bona sequuntur innumera, magna et valde salubria. Nec solum cavenda sunt verba illicita, pungitiva, detractoria, turbativa, mendosa, sed etiam certis ex causis, quibusdam in locis et determinatis temporibus a bonis D abstinendum est verbis, juxta illud Psalmi : Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis. *Ps.* xxxviii, 3. In Ecclesiastico quoque habetur : Ubi non est auditus, non effundas sermonem. *Eccli.* xxxii, 6. Denique, sicut loquacitas stultitiæ signum est, Salomone dicente, Stultus verba multiplicat; *Eccle.* x, 14. et, Totum spiritum suum profert stultus : *Prov.* xxix, 11. sic taciturnitas circumspecta, magnæ sapientiæ exstat indicium, quemadmodum conscriptum est, Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. *Ibid.* x, 19. Unde sanctus Job loquacioribus dixit : Utinam *Job* xiii, 5.

taceretis, ut putaremini sapientes. Merito A ergo in hodierna epistola beatissimus Jacobus monet apostolus ut ad loquendum tardus sit omnis homo. Nam et Salomon *Prov.* XXIX, 20. loquitur : Vidisti aliquem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quam illius correctio. Præterea, tanta virtus est linguam reprimere moderateque *Matth.* XII, 37. loqui, ut in Evangelio dicat Salvator : Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis. Hoc est quod Salomon ait : *Prov.* XII, 14. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis.

Quæ omnia quum ita se habeant, rationabilissime ac saluberrime sancti Patres instituerunt ut religiosi servent silentium, nec sine licentia audeant loqui etiam verba utilia. Statuerunt quoque observationem silentii, inter regulares observantias post tria vota inter præcipuas unam. Nec fractionem silentii, modicam culpam seu inordinationem aut transgressionem reputaverunt : quod hinc potissimum innotescit, quoniam fractionem silentii tam specialiter puniendam esse sanxerunt, ut scilicet fractor silentii culpam suam in proximo clamet capitulo, detractisque ex humero vestibus, prostratus suscipiat disciplinam ; quum utique non nisi pro gravibus valde sceleribus soleant rei in sæculo taliter flagellari, nec pro aliis passim culpis, quamvis in religione notabiliter magnis, ita determinatæ sunt a sanctis Patribus communiter pœnæ, aut pœnæ tam magnæ. Fuit itaque beatorum intentio Patrum nostrorum, ut observationi silentii diligentem ac fervidam impendamus custodiam.

Hinc in Regula ait Benedictus : Faciamus quod ait Propheta : *Ps.* XXXVIII, 2. Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, etc. Si ergo a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet taceri? Ergo, quamvis de bonis et sanctis ædificationum eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia, quoniam scriptum est : In multiloquio *Prov.* X, 19. non effugies peccatum ; et iterum, Mors et vita in manibus linguæ. *Ibid.* XVIII, 21. Nam loqui et docere decet magistrum, tacere et audire discipulo convenit. Ecce quemadmodum, secundum doctrinam sanctissimi Benedicti, rara loquendi licentia danda est etiam perfectis discipulis, quamvis non nisi de sanctis et ædificatoriis velint loqui. Nam ipsa loquacitas et collocutio Fratrum frequens, religionis derogat gravitati. Hinc rursus in Regula : Omni (inquit) tempore B silentio debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis et post Completorium. Quod si inventus quis fuerit prævaricari taciturnitatis hanc regulam, graviori vindictæ subjaceat, nisi forte abbas alicui aliquid jusserit : quod tamen cum summa gravitate et moderatione honestissime fiat.

Insuper gloriosus Hieronymus dicit in Regula sua : Religio sancta in loquacibus esse non potest. Ex hoc enim sancti Patres in eremo edocti, summa cum diligentia observant sancta silentia, tanquam sanctæ C contemplationi necessaria. Plures me reperisse non ambigo, qui per septennium nullum prorsus verbum alteri fuderant. Propterea volo ut in conventu vestro ter aut pluries in hebdomada, exceptis festivitatibus, loqui omnino, nisi urgente causa perutili ac necessaria, nullatenus liceat, nec simul nec cum aliis extra. Diebus vero quibus pro remedio et salute loqui conceditur, non singulis horis vacandum est verbis, quæ sine peccato proferri vix possunt. Sed hæc inviolabilis observatio vi- D geat, quod singulis noctibus post peractam Completorii horam usque post Missam, et a Tertiis usque ad Nonam, sacra observentur silentia, quibus et linguæ Deum laudandi concedatur opportunitas, et inutilia verba penitus abscindantur. In choro autem, dormitorio, cœnaculo et capitulo omni tempore loqui non liceat, nisi ea ad quæ ordinata sunt loca in laudibus Dei, ut jam et tempus et locus vestræ religionis prædicent sanctitatem, atque loquacibus ingerant compunctionem, aliosque inflamment ad intrandum vestram religionem. A

Deinceps de observantia et commendatione silentii, de loquacitatis vituperio, de culpa fractionis silentii plura hic possent commemorari, quæ infra congruis locis, Deo agente, introducentur.

Præterea, quam tardi esse debemus ad loquendum, tam prompti et veloces esse debemus ad audiendum verba salutis, præsertim a superioribus, sapientioribus et melioribus. Siquidem auditio diligens verbi Dei intellectum illuminat, voluntatem accendit, animum roborat, et reficit mentem, et purgat a vitiis animum ; estque signum probabile prædestinationis divinæ. Cordis quoque duritiam frangit ; et signum est indolis bonæ et humilis, studiosæ ac docilis animæ, quum scriptum *Eccli.* III, 31. sit in Ecclesiastico : Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Unde in *Jacob.* I, 21. epistola ista Jacobus loquitur : Abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. C

Postremo, juxta doctrinam sancti hujus Apostoli, simus tardi ad iram, præsertim quum ira ex suo genere inter mortalia collocetur peccata. Ira namque mentem obtenebrat, confundit, perturbat, et hominem stulto ac furenti similem reddit. Unde et Salomon ait : *Eccle.* VII, 10. Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Job* V, 2. In libro Job quoque asseritur : Virum stultum interficit iracundia. Ira etiam sociali ac pacificæ conversationi contrariatur, redditque hominem fratribus gravem et ad portandum difficilem, Salomone testante : Spiritum ad irascendum facilem *Prov.* XVIII, 14. quis poterit sustinere? Itemque : Ira non *Ibid.* XXVII, 4. habet misericordiam, nec erumpens furor ; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit ? Passionem ergo tam pessimam refrenemus : quod cholericis summe est necessarium. Qui Deum jugiter invocando, Christi passionem, patientiam, mansuetudinem intuendo, Scripturarum doctrinam B considerando, discant iræ commotionem reprimere ; et ne appareat in facie, nec per verba erumpat, et maxime ne diu duret aut in ultionem procedat.

Itaque ex prædictis studeat religiosus, in observatione silentii esse custoditus ac diligens, sciens quod vir linguosus non diri- *Ps.* CXXXIX, 12. getur in terra, et quod qui multis utitur *Eccli.* XX, 8. verbis, lædit animam suam ; et quum loquendi datur licentia, nihilo minus se ab omni illicito refrenet sermone. Hinc consuetudo pravissima faciliter et sine necessitate ac utilitate loquendi verba pauca, prorsus abjiciatur, quum omnis oratio intelligibilem habens sensum, sine licentia dicta, fractio judicetur silentii, ut si dicatur, Quis est ille ? quamvis necessitas frangat legem ; sed quæ sit vera sufficiensque necessitas, rite pensetur.

Verum de ista materia, in sermone circa dominicæ sequentis epistolam diffusior erit declaratio hujus, et exhortatio circa ista.

SERMO SEXTUS

QUALITER SPIRITUS SANCTUS PER PATRES ARGUIT NEGLIGENTES RELIGIOSOS.

PARACLETUS arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. Joann. XVI, 8. D

Quemadmodum paracletus Spiritus Sanctus, protinus ut infusus est in die Pentecostes beatis Apostolis, cœpit per eos mundum arguere, et homines peccatores in mundo hoc habitantes increpare de peccato quod committendo aut omittendo in- A currerunt, et de justitia quam facere neglexerunt, id est de contemptu et omissione atque de falsa et ficta eorum justitia, et de judicio eorum temerario, præsumptuoso, mendoso ; sic Spiritus Sanctus, qui verus est Deus, quum spiritualium patrum religiosis præsidentium, zelum Dei sincere habentium, impleverit corda, mox per eos increpat Fratres negligentes, carnales, dissolutos, de eorum peccatis. Qui non regu- *Ephes.* IV, 3. lariter conversantur, nec inveniuntur solliciti servare unitatem spiritus in vinculo B *Coloss.* I, 10. pacis, nec satagunt digne Deo ambulare juxta suæ exigentiam vocationis. Qui in divinis sunt somnolenti, pigri, vocibus suis parcentes, se ipsos palpantes, in angelorum præsentia, in conventus adspectu, imo in divinæ et summæ majestatis intuitu se irreverenter, intimorate, indevote habentes. Qui utinam rite perpenderent *Jer.* XLVIII, 10. illud propheticum : Maledictus qui facit opus Dei negligenter.

Consideremus quam attoniti et attenti, quam solertes ac reverentes stant coram C regibus principibusque terrenis eorum ministri et milites, quam profunde inclinant, quam prompte, facete, ordinate deserviunt, quam custodite et compte loquuntur. Quantam ergo irreverentiam exhibemus Deo, infinitæ excellentiæ regi, quum in ejus laudibus et obsequiis, in cantu et psalmodia ac Horis, in loco tam sancto, in Sacramenti præsentia, tam remisse, frigide et superficialiter nos habemus, oculos cordis ad Creatoris sublimitatem intuendam ac debite honorandam non elevantes? Heu, D quanta est ista perversitas! Nonne carnalis magis quam spiritualis amor abundat in his qui in colloquio, in refectorio, in spatiamento fortes et alacres sunt ad fabulandum, ad comedendum, ad externa solatia, in divinis vero se habent quasi essent inuncti infirmi, et penitus impotentes? Videant sibi qualiter suam mereantur annonam. Verumtamen ultra posse Deus nil exigit ; sed multa possumus in confortante nos Domino, quæ sine gratia non valemus. Si esset in nobis spiritualis fervor, sancta devotio, vigilantia cordis, confidentia divini auxilii, experiremur quam facilia et jucunda nobis exsisterent quæ nobis jam impossibilia arbitramur. Excutiamus ergo torporem, pusillanimitatem et vanam formidinem, invocemusque Dominum ; et quod in nobis est faciamus, atque in ceteris religiosis observantiis simus ferventes. Ipsas quoque increpationes quas per Patres nostros facit nobis Spiritus Sanctus, patienter, gratanter et cum ingenti advertentia suscipiamus, et quilibet efficaciter se emendet : quoniam teste Scriptura, Qui acquiescit *Prov.* XV, 32. increpationibus, possessor est cordis ; qui autem abjicit disciplinam, despicit animam suam. Et rursus in Ecclesiastico scriptum est : Quam bonum est arguere, quam *Eccli.* XX, 1, 4. irasci ! Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! Sic enim effugiet peccatum.

Eccle. VII, 21. Præterea, quoniam non est homo super terram qui faciat bonum et non peccet, *Jacob.* III, 2. sed in multis offendimus omnes, et justus *Prov.* XXIV, 16. septies cadit in die, imo universæ nostræ *Is.* LXIV, 6. justitiæ sunt quasi pannus menstruatæ : ideo spiritualis pater nemini parcat, neminem palpet ; nec quisquam se irreprehensibilem arbitretur, aut de increpatione sua aliquatenus indignetur, quia hoc pessimum esset, et magnæ imperfectionis indicium, magnæ impatientiæ et insipientiæ signum, quum Salomon protestetur : Ar- *Prov.* IX, 8. gue sapientem, et diliget te. Ecclesiasticus quoque fatetur : Qui odit correptionem, *Eccli.* XXI, 7. vestigium est peccatoris ; qui autem timet Deum, convertetur ad cor suum, hoc est, propriam fragilitatem, defectuositatem et vocationem suam attendit, nec indignabitur corripienti, sed gratias aget. Verum sunt aliqui non illuminati, sed privato amore potius excæcati, simulatorie justi, occulte superbi, qui dum corripiuntur, volunt quasi honorem suum defendere, quia in aliorum cordibus verentur vilescere, et defectuosi ac contemptibiles renuunt apparere : sicque se ipsos excusant, jactant, justificant, clamorose, impatienter, arroganter respondent, non attendentes, miserrimi, quod taliter sese habendo, non solum Deo et angelis, sed et spirituali patri ac Fratribus cunctis vilescant, coram quibus vitiositatem et stoliditatem suam tam evidenter demonstrant. Qui si patienter, sapienter et humiliter responderent, seque modeste, si innoxii essent, causa vitandi scandali excusarent, aut si culpa modica esset, dissimularent, crescerent utique in audientium corde, et vere honorabiles reputarentur. Hi igitur se emendent, atque in vera humilitate, et fractione propriæ voluntatis, ac exstirpatione privati amoris, totam suam conversa- *Matth.* vii, 24, 26. tionem stabiliter fundent, ut assimilentur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram, non stulto qui ædificavit super arenam.

Insuper Spiritus Sanctus per superiores nostros arguit nos de justitia quam implere neglеximus. Nam Deo honorem, proximis ædificationem, nobis ipsis custodiam jugem tenemur. Si ergo prælatus viderit quempiam coram aliis inexemplariter se habentem, pusillos scandalizantem, non recta ac regia via pergentem, protinus contra illum, imo pro eo, zelo accendatur justitiæ, et arguat eum, informet, hortetur, *Rom.* xiv, 19. ut juxta apostolica documenta, quæ pacis sunt sectetur, et quæ ædificationis sunt diligenter custodiat, memor sententiæ Sal- *Matth.* xviii, 7, 6. vatoris : Væ homini per quem scandalum venit; et qui scandalizaverit unum de pusillis, expedit ei ut alligato ipsius collo saxo mergatur. Quod si tam damnabile est unum scandalizare pusillum, quam damnabile et enorme est coram communitate agere scandalose ac plurimos scandalizare? Qui ergo publice ac graviter peccat, manifeste et acriter arguatur; et nisi emendaverit, durius castigetur.

Denique, juxta Bernardum, tribus exsistimus debitores, videlicet superiori, æquali, inferiori. Superiori reverentiam et obedientiam, æquali, utputa proximis, consilium atque auxilium, inferiori disciplinam custodiamque tenemur. Superiori ergo, A puta prælato, reverentiam cordis ac corporis et obedientiam caritativam ac promptam exhibeamus; confratribus consilium et auxilium præbeamus, verbis dum licet loqui hortando et instruendo, oratione juvando, seu alias modo possibili ministerium exhibendo. Quocirca ait Bernardus : Nullum ego consilium arbitror melius quam si exemplo tuo fratrem tuum docere studeas quæ oporteat et quæ non oporteat fieri, provocans eum ad meliora et consulens non verbo neque lingua, sed B opere et veritate; sed neque efficacius auxilium est quam ut ores devote pro eo, ut non dissimules redarguere culpas ejus, ut nullum ei offendiculum ponas, et quantum prævales, sollicitus sis, tanquam angelus pacis, scandala tollere et occasiones scandalorum penitus removere. Si talem te fratri tuo consiliarium et auxiliarium exhibes, reddis ei quod debes, nec habet unde causetur. Porro qui alicui præest, disciplinam ei tenetur atque custodiam, quia de manu ejus, pereuntis subditi exquiritur C sanguis, si quod sui est officii illi neglexerit exhibere. Si vero aliis non præsis, proprio corpori, sensualitati et sensibus tuis disciplinam custodiamque impende, ut corpus tuum castiges, in servitutem animæ redigas, ne regnet in eo peccatum; sensualitas quoque dometur, et sensitivus appetitus rationi subdatur; et exteriores sensus custodiantur, ne circa sua inordinate oblectentur, evagentur lasciviantque objecta.

Præterea diligentissime perpendamus D quod in præsenti evangelio ait Salvator Apostolis : Si non abiero, Paracletus non *Joann.* xvi, 7. veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Cujus rei, secundum doctores, una fuit causa : quia Apostolorum ad Christum cum eis corporaliter conversantem affectio fuit aliqualiter sensualis, non penitus spiritualis. Idcirco, stante hujusmodi affectione et causa ipsius, capaces non erant Spiritus Sancti in tanta plenitudine, in quanta eum post Christi acceperunt recessum. Si ergo sensualis affectio

A ad Unigenitum Dei, ad verum Deum carne indutum, ad Agnum sine macula, ad carnem mundissimam ex purissimis sanctæ Virginis sanguinibus sumptam et Spiritu Sancto formatam, impeditiva fuit spiritualis perfectionis et plenæ susceptionis Spiritus Sancti, quam ineffabiliter carnalis et sensualis affectio ad fragiles defectuososque homines, ad sordidum corpus in peccatis conceptum, natum, nutritum, spiritualem tollit profectum, et omnem impedit perfectionem ? Mirabiliter quippe carnalis affectio trahit atque obnubilat mentem. B Propterea esse solliciti caveamus, et omnem ipsius occasionem et causam vitemus, incautum fugiendo adspectum et tactum, amplexus et oscula, lateralem assessionem, et universam hujusmodi provocationem, ex quibus etiam de facili mortalis oritur culpa, præsertim dum serpens tenetur et fovetur in gremio. Unde omnia talia religiosis sunt summe vitanda, qui non solum ad meliorem, sed demum ad securiorem obligati sunt viam : idcirco nequaquam discrimini se committant. C

Postremo, immensam pietatem et liberalitatem Spiritus Sancti instanter ac fervide deprecemur, ut sua nos unctione in omnibus edocere, dirigere, conservare dignetur, quum tot casus, tot involutiones, tot ambiguitates, difficultates et tentamenta indesinenter nobis occurrant, ut absque ipsius speciali eruditione, directione, subventione, evadere, prævalere atque salvari nullatenus valeamus. Ideo ait vir sapiens : Quis hominum poterit scire consilium Dei? *Sap.* IX, 13. aut quis poterit cogitare quid velit Deus ? Cogitationes enim mortalium timidæ, et *Ibid.* 14, 17. incertæ sunt providentiæ nostræ. Sensum autem tuum, Domine, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de cœlis ? Denique, quid oremus *Rom.* VIII, 26. sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulantes nos facit idoneos. Nec aliquis I *Cor.* XII, 3. potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Nec sufficientes sumus cogi- II *Cor.* III, 5. tare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Ecce quam infinita est indigentia, impotentia, defectuositas nostra. Humiliemur igitur sub I *Petr.* V, 6. potenti manu Dei, et ejus benignissimo indesinentissimoque subsidio incessabiliter innitamur. Ad laudem et gloriam ejus. Amen.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA

ENARRATIO IN EPISTOLAM

ESTOTE FACTORES VERBI, ET NON AUDITORES TANTUM, FALLENTES VOSMETIPSOS. Jacob. I, 22-27.

BEATUS apostolus Jacobus in tota epistola ista hortatur nos ad divinorum observantiam præceptorum, ne quis putet solam fidem sufficere, aut solam notitiam agendorum. *Estote factores verbi,* id est divini præcepti, *et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos :* quia qui audiunt tantum, nec faciunt quæ jubentur quum possint et debeant, se ipsos decipiunt, quia eorum negligentia fallit eos. Hinc ad Romanos Rom. II, 13. loquitur Paulus : Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Christus quoque quum Luc. XI, 28. dixisset, Beati qui audiunt verbum Dei, addidit, Et custodiunt illud. Et Joannes in Apoc. I, 3. Apocalypsi : Beatus (inquit) qui legit et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. Imo de scientibus et non facientibus loquitur Christus : Luc. XII, 47, 48. Servus qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit, plagis vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Unde et idem iste Jacob. IV, 17. Jacobus ait : Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi.

Quia si quis auditor est verbi divinæ jussionis, *et non factor,* id est præcepti impletor, *hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ,* id est faciem suam corporalem in qua natus est, *in speculo. Consideravit enim se* in sua imagine, in speculo resultante, *et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit :* quia imago in speculo habet debile esse, utputa A intentionale potius quam reale. Ideo non facit fortem impressionem, nec diuturna est memoria ex illa impressione ac consideratione relicta. Quemadmodum ergo consideratio illa vultus in speculo est infructuosa, ita auditio verbi Dei carens effectu.

Qui autem perspexerit, hoc est, perfecte et profunde consideraverit, *in lege perfectæ libertatis,* id est in evangelica lege, pensando ejus præcepta. Dicitur autem lex evangelica, lex perfectæ libertatis : Pri- B mo, quia est lex caritatis et gratiæ, per quam homo sponte et libere ac delectabiliter servit Deo. Porro lex vetus fuit lex timoris, nec gratiam continebat, sed transgressores suos jussit occidi : sicque timore pœnarum, non amore justitiæ, induxit ad bonum. Propterea dicit apostolus Paulus : Nihil ad perfectum adduxit lex; et rursus, Hebr. VII, 19. Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptio- Rom. VIII, 15. nis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater). Lex autem evangelica dicitur gratiam C continere, quoniam sacramenta novæ legis gratiam continent et dant. — Secundo, quia per eam liberamur ab obligatione servandi veterem legem, quæ fuit grave et importabile onus. Unde in Actibus, quum beatissimus princeps Apostolorum dixisset, Quid tentatis cervicibus discipulorum Act. XV, 10, 11. imponere jugum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? protinus addidit : Sed per gratiam Domini nostri

Jesu Christi credimus salvari. — Tertio, quia per ejus impletionem eripimur a servitute peccati et jugo diaboli. De qua libertate ait Salvator : Si Filius vos liberavit, vere liberi estis. *Joann.* VIII, 36. Hæc est spiritualis libertas de qua asserit Paulus : Ubi spiritus Domini, ibi libertas. II *Cor.* III, 17. — *Et permanserit in ea,* perseverando in bonis usque in finem, *non auditor obliviosus factus, sed factor operis* quod lex evangelica fieri jubet : *hic beatus in facto suo erit,* id est, merito operis sui et obedientiæ beatitudinem consequetur ; et jam beatus est in merito et spe, postea erit beatus in præmio et re. Idcirco Christus testatur : Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. *Joann.* XIII, 17.

Denique non sufficit corde credere et facto parere, sed oportet et linguam frenare. Ideo subditur : *Si quis autem putat se religiosum esse,* id est Dei ministrum et ejus cultui deditum, utputa veraciter christianum, *non refrenans linguam suam* a verbis mendosis, perjuris, detractoriis, pungitivis, seu alias contra caritatem sive justitiam exsistentibus, *sed seducens cor suum,* id est propria loquacitate et culpa mentem suam excæcans et luce gratiæ privans, ita quod ea quæ propriæ salutis sunt, efficaciter non perpendit, *hujus vana est religio,* id est, fides seu lex, sive Christianitatis suæ professio, est inanis : non quod lex aut fides in se ipsa sit vana, sed quoniam ei non cooperatur ad salutem, nec ad ultimum finem perducit, sicut et medicina fertur inanis, quæ sanitatem non confert.

Præterea advertendum, quia ut scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione octogesima prima, Religio dicitur a relegendo, quoniam ea quæ ad divinum pertinent cultum, frequenter sunt relegenda et animo revolvenda. Vel dicitur religio a reeligendo, quoniam Deum quem peccando reliquimus, per eam reeligimus nobis ; vel a religando, quia per religionem ab exterioribus rebus nos religamus seu sequestramus, atque divino cultui mancipamus. Sicque religio ordinat hominem ad Deum, A estque idem quod latria, utputa virtus Deo cultum ac cærimoniam exhibens. Et habet religio duplices actus, videlicet : proprios quos elicit, ut sunt adorare, sacrificare, vovere ; et secundarios quos non elicit, sed imperat, qui procedunt a virtutibus quibus religio tanquam principalior præcipit. De quibus actibus subditur, Religio munda et immaculata, etc.

Albertus quoque hic ait : Religiosus idem designat quod religatus. Sed religatio ista potest attendi : Primo, quantum B ad observantiam mandatorum articulorumque fidei : et sic omnes Christiani dicuntur religiosi. Unde Constantinus Magnus, Theodosius et Carolus rex vocati sunt religiosissimi, id est christianissimi ac devotissimi imperatores. Secundo potest attendi quantum ad observantiam evangelicorum consiliorum : et ita claustrales qui se divinis per solennem adstrinxerunt professionem obsequiis, antonomastice religiosi vocantur, quasi divinis totaliter mancipati. Ad quos etiam specialiter pertinet C refrenatio linguæ, quia ad observantiam obligantur silentii : quod si facile frangunt et loquaces consistunt, vana et vituperanda censetur eorum religio, id est professio qua Ordinem suum servare voverunt, nec suæ satisfaciunt professioni, proficiendo quotidie sicut monastica requirit professio. — Unde quod dictum est, « Si quis putat se religiosum esse », etc., sic potest appropriate exponi : « religiosum », id est latriæ actibus deditum, seu divino obsequio mancipatum, aut mona- D sticam vitam professum, « non refrenans linguam suam, hujus vana est religio », id est, virtutem latriæ non habet veraciter, vel non habet eam formatam, hoc est caritate et actibus bonis ornatam : ideo vana est ei, id est, frustra eam sortitur.

Deinceps ostendit apostolus Jacobus quæ opera ad religiosum pertineant, loquendo de religione extense seu primo modo. *Religio munda,* id est sincera quantum ad rectam intentionem, *et immaculata apud Deum et Patrem,* id est in exsecutione a peccato mortali immunis. Et potest per religionem intelligi latria seu christianæ legis professio, non autem monastica professio proprie, in hoc loco, ut sequentia verba ostendunt. Nam subditur : *Hæc est : Visitare pupillos,* id est patrum solatio destitutos, *et viduas,* maritorum carentes præsidio, *in tribulatione eorum,* succurrendo eis in cunctis pro posse, quia miserabiles sunt personæ, et specialiter egent juvamine. Et per istud intelligenda sunt alia opera misericordiæ, quæ ad Christianos potissimum pertinent, quoniam lex Christi est lex totius caritatis et pietatis. Quæ etiam opera pietatis tam grata sunt Christo, ut quæ suis pauperibus exhibentur, sibi exhibita *Matth.* xxv, 40. arbitretur ac fateatur, dicendo : Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo,* id est vitia sæcularium hominum præcavere, neque ea quæ mundi sunt inordinate appetere, nec aliquem scandalizare, sed omnes potius ædificare. Unde et Paulus hortatur : Exite de medio eorum, et immundum ne tetigeritis; *II Cor.* vi, 17. itemque, Nolite (inquit) *Rom.* xii, 2; conformari huic sæculo, sed reformamini *Ephes.* iv, 23. spiritu mentis vestræ. Et per istud intelliguntur omnia exercitia virtuosa, quibus homo perficitur in bona vita circa se ipsum.

Postremo, secundum Bedam, in auctoritate hac pulchre additur, « apud Deum et Patrem », quia sunt qui hominibus religiosi videntur, quum a Deo habeantur profani. Unde et Salomon fassus est : Est via *Prov.* xiv, 12. quæ videtur homini bona; novissima vero ejus deducunt ad mortem. De talibus ait Salvator : Vos estis qui justificatis vos *Luc.* xvi, 15. coram hominibus; Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.

SERMO PRIMUS

DE LEGE CHRISTI SERVANDA, LINGUA COHIBENDA, ET CARITATE PROXIMIS IMPENDENDA.

N*ON omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.* Matth. vii, 21.

Hæc sunt verba Christi. Ex quibus patet, quod Deum verbis laudare et operibus inhonorare non sufficit ad salutem; nec sufficit nuda Dei cognitio, sed exigitur obedientialis subjectio, hoc est divinorum impletio præceptorum, sicut ait Salvator : *Matth.* xix, 17. Si vis intrare ad vitam, serva mandata. Imo scientia absque virtutibus est magis stultitia quam scientia appellanda. Hinc ait Gregorius Nazianzenus : Prima sapientia, est vita laudabilis et pura mens apud Deum; et illa sapientia vera et clara est, non quæ in verbis volat, sed quæ in virtutibus constat. Hinc quoque in Job habe- *Job* xxviii, 28. tur : Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia. In Ecclesiastico quoque : Plenitudo sapien- *Eccli.* i, 20. tiæ, timere Deum. Quæ de filiali timore sunt accipienda : non quod sapientia sit essentialiter timor Domini filialis, castus et sanctus; sed inseparabiliter ei conjungitur, loquendo de sapientia salutari, quæ est unum de septem donis Spiritus Sancti. Salubriter ergo hortatur apostolus Jacobus, ut simus factores verbi divini, et non au- *Jacob.* i, 22. ditores dumtaxat. Sed, heu ! multi sunt vani et stolidi qui cupiunt multa scire, non ut virtuose vivant et Deo complaceant, sed ut hominibus videantur sapientes et docti, et honorentur, ac temporalia lucra acquirant, ac delicatius vivant. Isti sunt miseri vehementer, perversi et excæcati, quos propria inflat et excæcat scientia, nec intuentur neque advertunt sua pericula. Quorum unicuique apud Isaiam A *Is.* XLVII, 10. dicitur : Sapientia tua et scientia tua decepit te. Ideo dicit Gregorius Papa : Summa cura providendum est, ne accepta sapientia dum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, et jam esse sapientia nequeat, quæ etsi locutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat.

Præterea, juxta beati Jacobi documen- *Jacob.* I, 25. ta, qui in evangelica lege perseveranter obediens manserit, in suis beatus erit ope- *Ps.* LXI, 13. ribus. Nam Deus reddit unicuique juxta B opera sua. Christiani autem præ ceteris populis ad evangelicæ legis fidelem observantiam obligantur : Primo, ex parte legislatoris. Videmus enim in sæculo isto, quod quanto præceptor et legislator est major ac dignior, tanto diligentius oportet ejus præceptum seu legem implere, imo et tanto gravius est ejus jussionem contemnere aut violare. Magis namque enorme est non obedire regi, quam ballivo. Quum ergo præceptor ac legislator Christianorum, a quo evangelica lex immediate collata est, C sit Christus unigenitus Filius Dei Patris, verus incarnatusque Deus (cujus auctoritas et dignitas secundum quod Deus est, est penitus infinita; auctoritas quoque et dignitas ejus creata, omnium ceterorum auctoritatem et dignitatem vehementer transcendit), constat quod Christiani valde diligenter teneantur implere evangelicam legem et Christi præcepta, etiam amplius quam tenebantur Judæi in veteri lege, legem Moysis observare. Quamvis enim lex illa fuit a Deo, non tamen collata D atque proposita est populo Israelitico immediate ab eo; sed per angelos data est Moysi, et per Moysen populo. Unde et in *Act.* VII, 53. Actibus S. Stephanus dixit Judæis : Accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis. Hinc ad Hebræos scribit *Hebr.* X, 28, 29. Apostolus : Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione, duobus aut tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Hinc quoque Sarraceni despiciunt Christianos, et dicunt eos pravissimos, eo quod legem a Christo summo propheta acceperint, nec tamen custodiunt eam. Et revera malorum Christianorum pœna est gravissima in inferno, multoque gravior quam infidelium pœna.

Secundo, tenentur Christiani ad tam diligentem evangelicæ legis observantiam, ex parte ipsius legis, quæ multo facilius potest impleri quam poterat lex Moysis, præsertim quoniam jugum Christi suave est *Matth.* XI, 30. et onus ejus leve, ut ipsemet asserit. Evangelica quoque lex gratiam confert per ecclesiastica sacramenta : et sic multa habet atque impendit subsidia ad observantiam sui. Sed et tempore isto Deus specialiter promptus est gratiam copiosam tribuere : unde tempus evangelicæ legis, tempus gratiæ appellatur. Hinc quanto hæc lex facilius potest impleri, tanto damnabilius violatur.

Tertio, tenentur Christiani ad hoc ex parte beneficiorum Dei, quæ eis a Christo et per Christum impensa sunt. Jam enim pro eis unigenitus Filius Dei incarnatus, in mundo hoc conversatus ac crucifixus est; ecclesiastica sacramenta eis largitus est, potissimum Eucharistiæ sacramentum, Spiritus Sancti charismata liberalissime dedit, innumerabilia quoque miracula per se ac suos ministros peregit. Tot ergo et tantis beneficiis esse ingratum, enormiter auget culpam inobedientiæ Christianorum.

Quarto, tenentur ad idem, saltem de congruo, ex parte præmii observantiæ hujus legis, quæ suis perfectis observatoribus, statim dum egrediuntur de corpore, dat felicitatem æternam, a qua sancti veteris Testamenti, et qui ante fuerunt, diu retardabantur. Hinc itaque ferventes, diligentes ac timorati simus ad custodiendum legem et præcepta Domini nostri Jesu Christi.

Insuper, juxta doctrinam apostoli Jacobi, studeat unusquisque Christianus lin- *Jacob.* I, 26.

guam suam a verbis illicitis refrenare : A *I Cor.* xv, 33. quia ut ait Apostolus, Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Nempe, quam necessaria sit ista refrenatio linguæ, constat *Matth.* xii, 36. ex eo quod de omni verbo otioso reddituri sunt homines rationem in die judicii. Salomon *Eccle.* x, 14. quoque ait : Stultus verba multiplicat. Unde constat quod fatuum sit verba sine rationabili causa multiplicare. Hinc *Prov.* xxi, 23. iterum loquitur : Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam *Ibid.* x, 19. suam; et, Qui moderatur labia sua, *Eccli.* xx, 8. prudentissimus est. Qui autem multis utitur verbis, lædit animam suam, ut in Ecclesiastico legitur. Psalmista quoque fatetur *Ps.* cxxxix, 12. : Vir linguosus non dirigetur in terra. Denique ex incustodia linguæ incidit homo in infinita ac gravia valde peccata. Unde *Jacob.* iii, 6. Jacobus : Universitas (inquit) iniquitatis lingua constituitur in membris nostris. Propter quod Hugo de S. Victore notabiliter loquitur : Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo; labitur et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias; uno ictu multos percutit atque interficit; blanda est et subdola, lata et parata ad exhaurienda bona, miscendaque *Prov.* xiii, 3. mala. Hinc Sapiens fatur : Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Non ergo absque præmeditatione sagaci loquamur, quum et Christus in Evangelio *Matth.* xii, 37. protestetur : Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

Postremo, juxta doctrinam apostoli Jacobi, proni simus ad opera misericordiæ, tam spiritualia quam corporalia, quantum valemus, faciendo proximis prout nobis fieri volumus, aut vellemus, si in eorum statu aut necessitate essemus. Summa etenim christianæ religionis in misericordia et pietate consistit, secundum Ambrosium. Christus quoque : Beati (inquit) misericordes, *Matth.* v, 7. quoniam ipsi misericordiam consequentur. Potissimum vero subveniendum est desolatis, egenis miserabilibusque personis, sicut mendicis, orphanis, pupillis, et viduis ac oppressis. Ad quod etiam prælati et judices præcipue obligantur, juxta illud in Psalmo : Judicate egeno et pupillo, *Ps.* lxxxi, 3, 4. humilem et pauperem justificate; eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate. Unde de injustis judicibus B Deus per Isaiam conqueritur, dicens : Egeno *Is.* i, 23. non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos. Amplius, custodiamus nos *Jacob.* i, 27. ab hoc sæculo immaculatos, et prava vitemus consortia, vana spectacula, choreas, tabernas, jocos, ludos et risus superfluos, ne cum perversis pervertamur, neque cum *Ps.* xvii, 27. pereuntibus pereamus.

Legitur de S. Hugone episcopo Lincolniensi, qui fuit Cartusiensis, quod ab infantia cœpit Deo servire, et omnes sæculi vanitates vitavit; atque in tanta permansit C innocentia, quod creditur nunquam peccasse mortaliter, nec gaudia mundi expertus est. Et tamen in magnis abstinentiis vixit; et semper quando evigilavit in lecto, absque mora surrexit, orationibus meditationibusque vacavit. Quumque episcopus factus, interesset interdum conviviis regis Angliæ ac magnatum, et essent ibi cantores ac musicis instrumentis ludentes, tunc specialissime mentem suam recollegit in Deo et custodivit, atque ab exterioribus cor retraxit, ne in aliquo D delectaretur inaniter; nec aliquid dixit, nisi quod ædificatorium fuit. Ejus ergo pro posse sectemur vestigia; et prætacta Apostoli impleamus stabiliter saluberrima documenta, quoniam qui perseveraverit in *Matth.* xxiv, 13. bonis usque in finem, hic salvus erit.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

AMEN, AMEN DICO VOBIS, SI QUID PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO,
DABIT VOBIS. Joann. XVI, 23-30.

HODIERNO in evangelio Christus specialiter hortatur fideles ad invocandum Patrem cœlestem; et convenienter promisit discipulis quod Pater cœlestis eorum preces exaudiret, si in nomine Filii ejus eum orarent, ut sic discipuli de Christi recessu tunc imminenti valde dolentes, consolationem acciperent. *Dixit* ergo *Jesus discipulis suis,* id est Apostolis, in sermone post Cœnam : *Amen, amen dico vobis,* id est, vere, vere vobis affirmo : et repetitio, confirmationis ac certitudinis signum est; *si quid petieritis Patrem,* id est, si aliquid dignum et salutare a Patre æterno instanter atque fideliter postulaveritis, *in nomine meo,* id est per me mediatorem Dei ac hominum, per meritum et virtutem passionis meæ, imo totius conversationis meæ in sæculo isto, et per omnia quæ pro hominum salute assumpsi, feci ac pertuli; vel, « si quid petieritis Patrem in nomine meo », id est aliquid pertinens ad salutem (nomen etenim Filii Dei est Jesus, quod interpretatur salvator : ideo in nomine Filii deprecatur, qui quod ad salutem pertinet, orando impetrare conatur); *dabit vobis,* vel statim, vel tempore opportuno. Et interdum Deus largitur, non quidem quod petitur, sed melius aliquid.

Denique ad exaudibilitatem orationis, primo requiritur ut vere salutaria postulentur. Oratio namque, secundum Damascenum, est petitio decentium, id est rerum quas decet peti, a Deo. Secundo, ut perseveranter oretur, sicut ait Salvator : *Luc.* XVIII, 1. Oportet semper orare, et non deficere; et Apostolus : Sine intermissione (inquit) orate. *I Thess.* V, 17. Tertio, ut integra fide et cum bona spe postuletur, secundum illud Jacobi : Postulet in fide, nihil hæsitans; qui autem hæsitat, similis est fluctui maris : non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Deo. *Jacob.* I, 6, 7. Spes quippe seu certitudo exauditionis debet esse ex consideratione bonitatis et misericordiæ Dei : certum est namque, quod ex parte ipsius non erit defectus. Quarto, ut oret homo pro se. Quod dico, non quasi homo non debeat orare pro aliis, quum dicat apostolus Jacobus, Orate pro invicem, ut salvemini; *Ibid.* V, 16. sed quia oratio justi, etiam salutaris atque assidua, interdum non exauditur pro aliis, propter indignitatem et incapacitatem illorum, quoniam indesinenter ponunt obicem gratiæ Dei. Hinc Deus dixit ad Jeremiam de pessimo populo Judæorum : Non assumas laudem et orationem pro eis; si Moyses et Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. *Jer.* VII, 16; XV, 1. Quinto quoque requiritur conversatio Deo placens, quia ut Salomon contestatur, Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. *Prov.* XXVIII, 9. Apud Joannem quoque habetur : Peccatores Deus non audit; sed si quis cultor est Dei et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Joann.* IX, 31. Istud tamen intelligendum videtur de peccatore in peccandi proposito permanente. Si vero aliquis in mortali sit culpa, et peccatum suum displiceat sibi, cupiatque illud deserere, et pugnet adversus illud, et videns se sine Dei gratioso auxilio prævalere non posse contra consuetudinem vitiosam seu pronitatem iniquam, invocet Dei subsidium, talem peccatorem cito exaudiet Deus. Et quamvis aliquis sit omnino iniquus, nihilo minus consulendum est ei ut oret, quoniam Deus ex sua infinita misericordia A interdum indignissimis subvenit.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Apostoli ante hanc horam frequenter orasse creduntur. Nam et Orationem dominicam didicerunt a Christo. In Joann. xiv, 8. hoc quoque sermone oravit Philippus : Domine, ostende nobis Patrem. Quomodo ergo hucusque nil petierunt in nomine Christi ? Respondendum, quod nullus rite petit in nomine Christi, nisi qui bene sentit per fidem de eo. Apostoli autem usque ad horam hanc non habuerunt satis explicitam B fidem de Christi majestate ac deitate, et qualiter esset Dei ac hominum mediator, quemadmodum etiam Augustinus hic tangit. *Petite* in nomine meo indesinenter in Luc. xi, 10. fide et spe, *et accipietis* quod petitis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Idcirco Propheta Ps. ix, 11. loquitur Deo : Sperent in te qui noverunt nomen tuum, hoc est tuam puram infinitamque bonitatem, pietatem et caritatem, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. In Ecclesiastico quoque C asseritur Eccli. ii, 12. : Quis invocavit eum, et despexit illum ? Ad hoc ergo oretis, *ut gaudium vestrum sit plenum,* id est, perfectam æternæ felicitatis jucunditatem obtineatis, quatenus gaudium spirituale quod habetur in vita præsenti imperfecte, et in quodam prægustu ac spe, perficiatur in vobis in cœlis.

Hæc in proverbiis locutus sum vobis, hoc est in similitudine parabolica, et cum quadam obscuritate. Nam paulo ante posuit similitudinem feminæ parientis, et D parabolice loqui solitus fuit. *Venit hora,* id est, tempus jam imminet, *quum jam non in proverbiis loquar vobis,* id est obscure ut consuevi. Quamvis autem Christus ante passionem suam loquebatur communiter discipulis suis obscure, nihilo minus exposuit eis sensum. Propter quod ait ad Luc. viii, 10. eos : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis. Unde Marc. iv, 34. et Marcus evangelista, Seorsum (inquit) discipulis suis omnia disserebat : verumtamen non tam clare ut post resurrectionem. Ideo subditur : *sed palam de Patre meo annuntiabo vobis,* id est, clariorem quam ante dabo vobis notitiam Dei Patris. Quod in die Pentecostes impletum est, quando Apostoli, suscepto Spiritu Sancto, limpida quadam acie mentis intellexerunt de Patre totaque superbeatissima Trinitate, quæ ante passionem audierunt a Filio, sed parum aut nihil intellexerunt. Porro, quod ait, « palam », etc., non est intelligendum de visione Dei clara et immediata per speciem, sed singulariter evidenti per fidem : de qua fatur Apostolus, Nos autem II Cor. iii, 18. revelata facie gloriam Domini speculantes. Denique, etiam ante diem Pentecostes docuit Christus proprio ore discipulos de divinis, quando aperuit illis sensum, ut Luc. xxiv, 45. intelligerent Scripturas, et insufflavit in Joann. xx, 22. eos, Accipite, inquiens, Spiritum Sanctum. *In illo die in nomine meo petetis,* id est, Patrem per Filium invocabitis, quia tunc omnino fideliter Filium cognoscetis, qualiter sit mundi redemptor et inter Deum et homines mediator, per quem et cujus virtute ac merito, gratiarum charismata dantur hominibus, juxta illud Joannis : De Ibid. i, 16. plenitudine ejus nos omnes accepimus.

Quidam exponunt hunc locum ab illo verbo, « Venit hora quum jam non in proverbiis loquar vobis », de illustratione et beatifica visione Sanctorum in patria, ubi omnia vident in Verbo, et palam, non per I Cor. xiii, 12. speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, Deum conspiciunt. Quam expositionem reprobat Augustinus, quia subjungitur : « In illo die in nomine meo petetis. » Sancti autem in patria non petunt, ut dicit, quum petitio sit alicujus indigentiæ, quæ in patria locum non habet. Sed ad hoc respondere quis posset, quod orant pro aliis, atque pro certis punctis ad præmium accidentale spectantibus.

Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis, id est pro vobis. Quomodo intelligendum est hoc, quum supra in hoc ipso sermone dixerit Christus Apostolis, Joann. xiv, 16. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis ? Et sine mediatore Christo A nullus habet accessum ad Patrem, nec aliquid promeremur aut exaudimur, nisi virtute et merito Christi, quum ipse dicat : *Joann.* XIV, 6. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ad hoc quidam respondent, quod Christus rogat ut homo, et non rogat ut Deus. Quod licet sit verum, non tamen satisfacere videtur proposito, quoniam Christus assignans causam cur non rogaret pro Apostolis Patrem, adjecit : Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis. Insuper, paulo post, in hoc ipso sermone, Christus B *Ibid.* XVII, 11. pro Apostolis deprecatus est Patrem : Pater, inquiens, serva eos in nomine tuo; et *Ibid.* 17. iterum, Pater, sanctifica eos in veritate. Non ergo voluit dicere, quod nequaquam oraret pro eis, sed quod tantæ perfectionis et gratiæ erant futuri post missionem Spiritus Sancti, quod non indigerent de cetero Deo reconciliari ut ante, sed amantissimi atque gratissimi ei mox essent, nec post Spiritus Sancti susceptionem mortaliter peccaturi, utpote confirmati in gratia, nec indigentes subsidio reconciliatoriæ inter- C cessionis. Ideo ait :

Ipse enim Pater amat vos amore æterno, *quia,* id est cujus amoris signum seu causa a posteriori, est quod *vos me amastis* actu caritatis infusæ. Certum est quod increatus æternusque amor Dei prævenit nos, et causa est totius gratiæ ac meriti nostri, omnisque boni quod habemus et sumus, ut divinus Dionysius docet. Ideo amor Christianorum ad Christum non est causa a priori quod Pater diligit eos, sed signum, quum sit effectus et donum in- D creati amoris Dei Patris seu Trinitatis ad eos. Ideo in prima Joannis Canonica habe- *I Joann.* IV, 19. tur : Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Itaque, quoniam Pater primo amavit nos, ideo dedit nobis gratiam diligendi unicum Filium ejus. Unde *Joann.* XV, 16. et alio loco Filius Dei ait Apostolis : Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Amor quippe est primum donum gratuitum, in quo omnia dona cetera condonantur. *Et credidistis quia,* id est quod, *a Deo exivi,* id est, a Patre æternaliter natus sum, sicque exivi ab eo emanatione immanente, sicut egreditur notitia intellectualis a mente, et verbum mentale ab intelligente. Vel, « exivi », id est, in mundum directus et missus sum, secundum quod homo, a Deo Trinitate, cujus voluntate et operatione incarnatus atque in mundum missus sum.

Exivi a Patre : secundum illud Ecclesiastici, Ego ex ore Altissimi prodivi, pri- *Eccli.* XXIV, 5. mogenita ante omnem creaturam; *et veni in mundum* per humanæ naturæ assumptionem, qui ut Deus impleo cœlum et *Jer.* XXIII, 24. terram. *Iterum relinquo mundum,* id est, quantum ad corporalem atque sensibilem præsentiam desero mundum, ascendendo in cœlos; *et vado ad Patrem,* id est, secundum assumptam humanitatem ascendo ad cœlum empyreum : in quo Deus Pater specialiter esse et habitare censetur, quoniam ibi excellentius operatur, seque clarius manifestat, quamvis secundum se nullam habeat habitudinem aut determinationem ad locum, sed in se ipso invariabiliter æternaliterque subsistat, tanquam ens vere incircumscriptum, atque simpliciter ac perfectionaliter infinitum.

Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, dicendo quod Pater nos amet quia amavimus te, etc., *et proverbium nullum dicis,* loquendo de exitu tuo a Patre et adventu in mundum, sed veritatem evidenter pronuntias. Christus namque ante passionem non semper parabolice loquebatur discipulis : et licet paulo ante jam dixerit, « Venit hora quum jam non in proverbiis loquar vobis » (quod ad tempus post resurrectionem relatum est); non tamen negavit quin etiam ante passionem loqueretur eis quædam de Deo sine proverbiis. *Nunc scimus* per fidem et experientiam quamdam, *quia scis omnia.* Hoc dixerunt, quoniam Christus prævenit interrogationem eorum, qua eum interrogare proposuerunt, et cogitationes eorum se scire monstravit. *Et non opus est tibi,* id est, ad hoc quod respondeas non oportet nec indiges, *ut quis te interroget,* quia tu nosti dubitationes atque proposita cordium : ideo non oportet tibi aliquid notificari, quum omnia scias. *In hoc credimus quia,* id est quod, *a Deo existi* per generationem æternam, ita quod omnia scias sicut et Pater, sisque Deus : quoniam omnia noscere modo præfato, Deo est proprium. Verumtamen, secundum Augustinum, Apostoli non intellexerunt verba Christi quibus se dixit exisse a Patre, sed putabant se intellexisse quod non intellexerunt. Attamen certum est quod credebant eum exisse a Patre, ita quod divinitus directus seu missus esset in mundum; sed an verba inducta de exitu generationis æternæ acceperint, non est adeo certum.

SERMO SECUNDUS

QUALITER INVOCANDUS SIT DEUS, ET DE PIETATE AC PRONITATE EJUS AD EXAUDIENDUM.

HÆC *est fiducia quam habemus ad* Deum, *quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* I Joann. v, **14**.

Fiducia qua unus confidit de alio, ex tribus procedit. Primo, ex cognitione bonitatis et dilectionis ejus in quo confidit : ut si aliquis sciat alium esse pium, virtuosum et caritativum. Sic Paulus in epistola *Philem.* 21. ad Philemonem scribit se confidere quod Philemon faceret sicut rogavit eum. Secundo oritur ista fiducia ex assertione alterius : ut si dicat se paratum succurrere et omnia sibi possibilia pro alio agere; tunc ille cui hoc dicit, confidit in eo. Sic II *Reg.* xix, 37-40. filius Berzellai confidebat in David, ut patet secundo Regum. Tertio, ex beneficiis jam impensis, hoc est ex quadam experientia caritatis et pietatis alterius circa se. Sic filii Israel confidebant in Juda Machabæo, quia tam sæpe eis subvenit. Verumtamen fiducia ista in hominibus, interdum decipit confidentem. Nam, quamvis is in quo quis confidit, sit in se bonus, fidelis et caritativus, potest tamen contingere quod male informetur secrete et avertatur ab eo qui in ipso confidit : quemadmodum *Ibid.* xvi, 3, 4. Siba avertit David regem a Miphiboseth filio Jonathæ, ut secundo Regum describitur. Item accidere potest quod homo qui dixit se alteri benefacturum, mutetur et mentiatur : quemadmodum Saul promisit filio suo Jonathæ non inferre malum ipsi David, et tamen pro posse oppositum fecit. I *Reg.* xix, 6. Rursus evenire potest ut qui alteri sæpius benefecit, proponat hoc ultra non facere, et facultatem faciendi hoc perdat : sicut primo Machabæorum legitur de Antiocho rege, I *Mach.* iii, 28-30. quod ad tempus larga manu dedit stipendia militibus suis, sed paulo post, evacuato ærario seu thesauro, continuare non potuit.

Deinceps, his tribus modis habere debemus plenam, summam certissimamque fiduciam in Domino Deo. Primo quidem, quia cognoscimus quod infinita sit bonitas et pietas Dei, et magna prorsus dilectio ejus ad homines, quum Paulus testetur : Propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, Deus Pater Filium suum misit in mundum. *Ephes.* ii, 4; *Galat.* iv, 4. Secundo, quoniam Deus tam in veteri quam in novo Testamento frequenter valde asseruit se paratum succurrere, exaudire, ignoscere, et sperantem in se non deserere. Ait namque per Jeremiam : Clama ad me, et exaudiam te. *Jer.* xxxiii, 3. Atque in Psalmo : Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum; clamabit ad me, et exaudiam eum. *Ps.* xc, 14, 15. Hinc in Ecclesiastico habetur : Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, *Eccli.* ii, 11, 12.

et confusus est; aut quis invocavit eum, et A despexit illum? In Evangelio quoque loquitur *Marc.* xi, 24. Christus : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et fient *Luc.* xi, 13. vobis; itemque, Si vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se? Tertio, quoniam tam multa et magna beneficia contulit nobis, ut dubitari non queat quin deinceps exaudire et dare paratus sit. Pater enim dedit nobis Unigenitum suum in pretium nostræ *Is.* ix, 6. redemptionis, sicut loquitur Isaias : Puer B *Rom.* viii, 32. natus est nobis, filius datus est nobis. Quomodo etiam non omnia nobis cum illo donavit? Dedit demum nobis Spiritum Sanctum in pignus et arrham hereditatis supernæ, atque inhabitatorem et rectorem animarum nostrarum, dicente Apo*Ibid.* v, 5. stolo : Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Insuper deputavit unicuique homini sanctum angelum pro custode; totque gratiarum charismata donavit hominibus, et toties ac tamdiu nobis pepercit. C

Ex quibus certissime innotescit quam paratissimus sit preces nostras suscipere, fiduciam nostram implere, peccatis ignoscere, gratiam et salutem præstare : potissimum quum ipsemet toties in Scripturis invitet ac moneat nos ad orandum, ut confidamus in eo, atque in omni tribulatione et angustia confugiamus ad ipsum. Hujus quoque est alia ratio : nam ea quæ Deus nobis præcepit, et quæ requirit a nobis, adimplere non possumus absque auxilio gratiæ ejus, saltem eo modo quo D vult ea impleri, puta ex caritate et pura intentione ad gloriam et honorem ipsius. Si ergo non esset paratus nobis gratiam impertiri, præciperet et requireret impossibilia quædam a nobis : quod impium est suspicari de pio et supersapientissimo Deo.

Deinceps fiducia ista in Deo, utpote spes formata, confidentem non potest decipere, quoniam Deum nullus potest sinistre informare, nec ipse mutari potest neque mentiri, neque opulentia ejus minuitur beneficia erogando. Cum omni ergo fiducia Deum devote ac jugiter invocemus. Ad quod primo inducere et movere nos debet, quod Deus est tam pius, liberalis, caritativus et promptus ad exaudiendum, ut dictum est. Siquidem abundantia pietatis suæ, preces supplicum excedit et vota. Ideo loquitur Augustinus : Erubescat humana pigritia, plus vult Deus dare, quam homo accipere. Unde apud Jeremiam loquitur Deus animæ peccatrici : Tu forni- *Jer.* iii, 1. cata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus. Secundo, ad idem movere nos debet indigentia nostra, quia spiritualiter ex nobis ipsis infirmissimi atque pauperrimi sumus, et ad omnia peccata proclives, errantes et in errorem trahentes. Ideo incessabiliter Dei adjutorio, illuminatione, conservatione, et gratia magna ac multa ineffabiliter indigemus. Nempe, ut ait Apostolus, Insuffi- II *Cor.* iii, 5. cientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis. Ideo consulit idem Apostolus : Sine intermissione orate. I *Thess.* v, 17.

Tertio, ad hoc movere nos debet importunitas, fortitudo, multitudo, crudelitas hostium nostræ salutis, videlicet dæmonum, qui nobis ultra quam capere possumus, insidiantur, inimicantur, et fortiores ac callidiores sunt, crudelissimique consistunt, aliud prorsus non sitientes nisi damnationem nostram æternam. Unde ait Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus *Ephes.* vi, 12. carnem et sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus, hoc est dæmones. Quibus verbis, quasi pro consilio atque remedio, protinus addidit Apostolus : Orate omni tempore in spiritu, *Ibid.* 18. vigilantes in omni instantia et obsecratione. Jugiter itaque cum omni attentione et fervore Deum precemur, ut ab invisibilibus hostibus istis nos tueatur, et contra eos nos roborare ac armare dignetur, virtutes et dona Spiritus Sancti dando, conservando ac perficiendo in nobis. Quarto, ad idem nos debet inducere immensitas nostri periculi. Si enim succumbimus hostibus istis, si a Deo non adjuvamur, si incustoditi et intimorati fuerimus, ecce damnum est irremediabile, irrecuperabile et immensum, quia non solum æternam beatitudinem perdimus, sed perpetuam quoque damnationem infernalemque pœnam incurrimus. Quum itaque in laqueorum medio ambulemus, simus semper solliciti, ne ab infernalibus latronibus atque raptoribus trucidemur, et in gehennam trahamur. Quinto, ad idem nos moveat, quod tanta est vis devotæ orationis, et tanta dignitas ejus. Nam ab angelo sancto suscipitur ac Deo offertur, estque potens ad impetrandum quod postulat : ideo valde ineffabiliter magnum est lucrum ejus, et copiosissimus fructus ipsius.

Præterea considerandum est qualiter exorandus sit Deus. Est itaque invocandus: Primo, cum magno caritatis fervore, tanquam piissimus pater. Nam ab hominibus pater vocari dignatur, et potius vult amari ut pater, quam formidari ut dominus. Unde Orationem dominicam Christus ita
Matth. VI, 9. incepit : Pater noster, qui es in cœlis. Dum ergo Deum vocamus patrem, curemus esse boni ac obedientes filii ejus, non rebelles ac injuriosi. Secundo, exorandus est Deus cum omni fiducia, ut satis jam dictum est. Tertio, cum grandi reverentia, tanquam rex majestatis et excellentiæ infinitæ, hoc est cum ingenti cordis custodia et advertentia, ac prævia animi præparatione, distractiones abjiciendo et mentem ad Deum levando, quemadmodum in Eccle-
Eccli. XVIII, 23. siastico scriptum est : Ante orationem præpara animam tuam. Christus quoque dis-
Joann. IV, 23, 24. seruit : Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate ; nam et Pater tales quærit. Spiritus est Deus ; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet. Quarto, cum vitæ consonantia, ut orationi conversatio sit concordans, vel saltem ad hoc orans absque mora conetur. Qui enim a Deo misericordiam petit, et tamen peccare non cessat, nec se emendare proponit ac nititur, ita se habet ac si aliquis forefactor offensorque regis terreni ab ipso veniam precaretur, nec tamen cessaret ei contumeliam irrogare. Hinc in prima sua Canonica ait Joannes apostolus :
Carissimi, si cor nostrum non reprehen- I *Joann.* III, 21, 22.
derit nos, fiduciam habemus ad Deum ; et quidquid petierimus, accipiemus.

Quinto, petendum est cum profunda et maxima humilitate, considerando et intime confitendo proprias defectuositates, iniquitates, fragilitates, miserias. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Oratio humiliantis *Eccli.* XXXV, 21.
se nubes penetrabit. Sexto, cum indesinenti constantia, ita ut quantumcumque videamur a Deo repelli ac despici, non frangamur, nec desperemus, neque cessemus : imo cum sancto Job ex corde dicamus,
Etiam si occiderit me, in eum sperabo. *Job* XIII, 15.
Itaque juxta hunc modum Deum fideliter invocemus. Sed quia taliter non oramus, sed sine reverentia et affectu, ex consuetudine quadam, nec damus nos ad emendationem pro posse, faciendo quod in nobis est ; idcirco a benignissimo Patre cœlesti non exaudimur.

Legitur de B. Leone Papa, qui fuit natione Romanus, ac nobilissimus juvenis, utpote patricii filius, quod dum adhuc adolescens fuit, subjacuit incontinentiæ vitio, ad quod ex naturalibus suis erat multum proclivis. Sed multum displicuit sibi immunditia sua, oravitque Deum pro gratia castitatis ; singulariter vero invocavit piissimam Christi Matrem, Virginem benedictam, ut pro ipso rogaret Filium suum. Quumque quotidie oraret intente, post breve tempus apparuit ei beatissima virgo Maria, et dixit ad eum : Rogavi pro te, et gratiam castitatis impetravi tibi ; et hoc tibi prædico, quod etiam ad apostolicæ Sedis dignitatem sis promovendus. Quo dicto, dulcissima Virgo disparuit. Et deinceps Leo castissime vixit, atque, auxiliante Domina nostra, Papa effectus est ; et in papatu sancte se habuit, ac maximum in Ecclesia fecit fructum.

SERMO TERTIUS

DE PLENO GAUDIO BEATORUM, ET DE MEDIIS QUIBUS PERVENITUR AD ILLUD.

PETITE ut gaudium vestrum sit plenum. Joann. XVI, 24.

Dominus noster Jesus Christus sciens Matth. VII, 14. arctam esse viam salutis quam docuit, et difficile esse omnia quæ præcepit implere, frequenter suis cultoribus ac ministris promisit gaudium spirituale, id est : consolationem internam in præsenti, quæ dici potest gaudium semiplenum et non purum, quia imperfectum est, tribulationibus tristitiisque permixtum; et consolationem beatificam ac perfectam, quæ est gaudium plenum ac purum in cœlo, cui gaudio nulla unquam miscetur tristitia. De Ibid. XI, 28. gaudio semipleno ait in Matthæo : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Sed et alibi quum dixisset, Ibid. V, 11, 12. Beati estis quum maledixerint vobis homines, de gaudio isto subjecit : Gaudete et exsultate in illa hora, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Est etiam alia ratio cur Christus suis ministris gaudium hoc promisit, videlicet: quoniam naturale est homini gaudere gaudiumque appetere. Ne ergo gaudium acceptaret carnale, promisit gaudium spirituale. Et in præsenti miseria, devotissimos suos ministros carnalia oblectamenta amore Dei spernentes, spiritualiter consolatur gratiose, frequenter et multipliciter valde, II Cor. I, 3, 4. sicut fatetur Apostolus, dicens : Benedictus Deus et Pater misericordiarum, Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Itaque, juxta Christi doctrinam, ad hoc omnia opera nostra bona, omnes orationes atque sinceras affectiones nostras ordinare debemus, ut plenum gaudium, æternam beatitudinem, beatificæ fruitionis jucunditatem adipiscamur. Quod gaudium A dicitur plenum, quia totaliter implet et satiat desiderium mentis humanæ, juxta illud in Psalmo : Adimplebis me lætitia Ps. XV, 11. cum vultu tuo; itemque, Satiabor quum Ps. XVI, 15. apparuerit gloria tua. Hoc saluberrimum gaudium Beatorum, est diffusio, dilatatio et exhilaratio cordis eorum ex clara intuitione et immediata fruitione divini vultus, divinæ essentiæ, primæ et increatæ veritatis, summæ, immensæ et incommutabilis bonitatis.

Denique, quam ineffabiliter magna, plena B ac dulcis sit gloria Beatorum, considerari potest ex multis : Primo, et valde profunde ac excellenter, ex hoc quod dum genus humanum propter originale peccatum privatum fuisset hoc gaudio, nulla pura creatura digna fuit hominibus recuperare ac promereri hoc gaudium, seu felicitatem gaudiosam cœlestem : ideo misit I Joann. IV, 14. Deus Pater Unigenitum suum mundo salvatorem. Quum enim beatitudo illa cœlestis sit summi et invariabilis boni immediata fruitio, est quodammodo dignitatis C immensæ : ideo infinitæ dignitatis redemptor necessarius fuit. Unde secundum antiquam translationem dictum fuit per Isaiam : Non angelus, non legatus, sed Is. XXXIII, 22. ipsemet veniet, et salvos nos faciet.

Secundo, idem potest perpendi ex hoc quod ipse unigenitus Filius Dei, pro hac beatitudine hominibus recuperanda, tanta assumpsit, fecit ac pertulit. Siquidem homo factus est, et inter homines conversatus, laboravit ac lassatus est, et amarissimam tandem pro hac re pertulit mortem : D sicque eam pretiosissime emit, videlicet proprio sanguine suo, imo se ipso, quia ut Isaias prædixit, pro hac re tradidit in mortem Ibid. LIII, 12. animam suam; et ipsemet loquitur :

A *Joann.* x, 15. Animam meam pono pro ovibus meis. Unde et *I Petr.* I, 18, 19. princeps Apostolorum : Non corruptibilibus (inquit) argento vel auro redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati, Jesu Christi. Paulus quoque testatur : *I Cor.* VI, 20. Empti estis pretio magno. Tertio, ex hoc quod ultra hoc quod Christus beatitudinem istam tam care suis emit, et tanta egit pro ea et pertulit, nihilo minus sancti et electi beatitudinem istam difficulter et care emunt ac obtinent; sicque a Deo valde care venditur eis : quia ut ait Apostolus, *II Tim.* II, 5. Non coronatur nisi qui legitime certaverit; et, *Act.* XIV, 21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Christo quoque testante, *Matth.* VII, 14. Arcta est via vitæ, et angusta porta salutis. Nec potest quis beatitudinem illam acquirere, nisi fuerit totaliter expurgatus et ab omni reatu immunis.

Quarto, perpendi potest pulchritudo et gloria Beatorum ex pulchritudine naturalium et artificialium rerum. Videmus enim magnum decorem non solum in sole, luna, planetis, stellis ac orbibus, sed in infimis etiam rebus, ut rosis et liliis, pratis ac floribus, plantis, arboribus, quæ tempore æstivali variis fulciuntur ornatibus. Unde ait Salvator : *Ibid.* VI, 28, 29. Considerate lilia agri, quomodo crescunt; dico vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua opertus est sicut unum ex istis. Videmus quoque quod ligna, saxa, metalla, ex se parvam pulchritudinem habentia, ita formantur arte humana, quod miram ac delectabilem speciositatem suscipiunt, ut patet in castris, picturis, sculpturis ac templis. Quam ineffabilem ergo pulchritudinem artifex summus, Deus omnipotens, dat animabus, et in fine mundi dabit corporibus quæ templa ejus fuerunt, et ei fideliter servierunt? Unde Salvator testatur : *Ibid.* XIII, 43. Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.

Quinto, ex hoc quod Beati, quantum ad animam assimilantur Deo similitudine gloriæ, sicut ait Joannes : *I Joann.* III, 2. Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et quantum ad corpus, assimilabuntur claritati et gloriæ corporis Christi, qui testante Apostolo, *Philipp.* III, 21. reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Sexto, ex dignitate objecti. Quum enim gaudium oriatur ex unione potentiæ cum objecto convenienti, et ipse Deus sit objectum dignitatis ac excellentiæ infinitæ, constat quod ex unione mentis humanæ cum incomparabili hoc objecto, summa et incomparabilis oriatur lætitia ac dulcedo in anima. Idem patet ex nobilitate potentiæ quæ Deo beatifice copulatur, videlicet B intellectus, qui est suprema vis animæ. Si ergo sensus tam valide delectantur in objectis suis carnalibus, quam inæstimabiliter delectatur mens in increato superpræstantissimo suo objecto? Idcirco Propheta loquitur Deo de viro electo : *Ps.* XX, 7. Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Et S. Bernardus : Revera (inquit) illud est verum et summum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur. Quod quum possederis, nemo tollet a te. Cui comparata, omnis aliunde jucunditas mœ- C ror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne delectabile aliud est molestum.

Septimo, patet magnitudo gloriæ Beatorum ex testimoniis sacræ Scripturæ, et Sanctorum quibus Deus hoc revelavit. Ait quippe Apostolus : *I Cor.* II, 9. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se; itemque, *Rom.* VIII, 18. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Et Psalmista loquitur D Deo : *Ps.* XXXV, 9, 10. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos : quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Octavo, ex honore et gloria quibus Deus in vita hac ornat Sanctorum reliquias, quas multis miraculis atque fidelium visitationibus, ac aliis diversis modis honorat. Quomodo igitur animas sanctas honorat, beatificat et sublimat?

Alia insuper multa possent assignari, ex quibus patet ineffabilis magnitudo gloriæ

Beatorum, videlicet : ex jucundissima eorum mutua societate et caritate, qua gaudium unius redundat in alium; item, ex cœlestis paradisi amœnitate, ex intuitu quoque humanitatis Christi et Virginis gloriosæ, et ex consideratione infernalium tormentorum quæ evaserunt, ac miseriarum vitæ præsentis a quibus sunt liberati.

Præterea, quamvis ad tantam beatitudinem mereatur homo perduci per omnem actum ex caritate Dei procedentem, nihil tamen ita facit hominem appropinquare beatitudini illi ut ipsa actualis ac fervida dilectio Dei, qua Deus propter sui ipsius puram bonitatem sincere diligitur. Insuper patientia in adversis et meditatio dominicæ passionis, Deum quoque devote laudare et affectuose orare, sunt alæ quibus volatur in cœlum. Mundemus nos ergo ab omni inquinamento peccati, ab omni amore carnali, a cogitationibus pravis, a verbis illicitis, ut Deo sanctitatis immensæ valeamus conjungi, qui non nisi purgatissimis cernitur mentibus. Postremo, omnium hominum salutem ferventer appetere, commune bonum diligere, universalem reformationem Ecclesiæ desiderare, et summe optare ut Deus gloriosus et sanctus ab universis et singulis diligatur et honoretur, atque de ejus inhonoratione cordialiter contristari, pro omnibus fidelibus defunctis orare, isti sunt virtuosissimi, præclarissimi et Deo acceptissimi actus quibus
A ad cœlestis beatitudinis gaudia maxime propinquatur, et in illorum adeptione perficitur. Talibus ergo exercitemus et occupemus nos actibus, et in omni virtute et gratia quotidie crescere studeamus.

Legitur in libro de Viris illustribus Ordinis Cisterciensis, quod quidam monachus valde devotus, post mortem suam, Deo concedente, apparuit cuidam monacho adhuc viventi, qui sibi ante specialiter carus familiarisque exstitit. A quo interrogatus qualiter secum esset, respondit se esse in
B purgatorii pœnis. Super quo monachus ille vivens, admirans, dixit : Quomodo potest hoc esse, quoniam sanctus Ordo noster adhuc tam stricte servatur? Tu quoque diligens in observantiis Ordinis nostri eras; et in extremis datur nobis ex gratia speciali absolutio a pœna et culpa. Respondit monachus ille defunctus : O quam puram esse oportet mentem quæ Deo beatifice conjungetur et luce divina fruetur, quoniam et a minimis culpis oportet eam esse sufficienter purgatam! Deinde anima
C illius defuncti pro se petiit exorari, moxque disparuit. Ecce quam graviter puniuntur post vitam hanc etiam culpæ minores, quæ in vita ista a nobis vix culpæ putantur. Vitemus ergo cum diligenti cordis custodia non solum mortalia, sed venialia quoque peccata, quia nisi venialia diligenter vitentur, cito quisque in mortalia labitur. Ideo coram Deo oportet nos sollicite ambulare. *Mich.* VI, 8.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE REFORMATIONE ET MODERATIONE LINGUÆ.

Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Jacob. I, 26.

D Hoc compendiosissimo ac saluberrimo verbo beatissimus frater Christi, apostolus Jacobus, loquacitatem, verbositatem, dissolutionem et incustodiam nostram percutit, reprehendit, compescit, imo et sanat, A id est, medicinale apponit remedium. His etenim verbis nos commonet ut discutiamus nos ipsos, an vere simus religiosi; et si non, pœniteamus, et loquacitatem atque silentii fractionem vitantes, vere religiosi efficiamur. Nempe, quam periculosum membrum sit lingua, quanta vitia oriantur ex ea, nisi frenetur et clausa teneatur atque dometur, pandit in sua Canonica idem *Jacob.* III, 6, 8. iste apostolus Jacobus : Lingua (inquiens) nostra ignis est; universitas iniquitatis lingua (id est per linguam irrefrenatam) con- B stituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus nostrum, inflammata a gehenna, id est a diabolo; inquietum malum, plenum veneno mortifero. Hinc Hugo de S. Victore : Lingua dicitur, quoniam lingit adulando; mordet detrahendo, occidit mentiendo; ligat, et ligari vix potest; labilis est et teneri vix valet, sed labitur et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias; uno ictu multos percutit ac interficit; blanda est et subdo- C la, lata, et parata ad exhaurienda bona commiscendaque mala. — Quum ergo tam periculosa pars corporis lingua sit, sapientissime sancti Patres instituerunt silentium stricte a religiosis esse servandum, ejusque fractionem esse acriter puniendam, potissimum si in usum vertatur.

Hinc in Regula sua gloriosus ait Hieronymus : Nequaquam Jacobus apostolus experientiam religionis poneret in refrenatione *Prov.* XVIII, 21. linguæ, nisi certo sciret judicio quod mors et vita est in manibus linguæ. Unde post D *Jacob.* I, 26, 25. multa conclusit : Quicumque refrenat linguam suam, hic beatus in facto suo erit. Ecce quod in refrenatione linguæ beatitudo ponitur, ut detur intelligi quod in multiloquio Deus, qui est beatitudo nostra, haberi et contemplari non potest. Refrenatio linguæ est quum lingua, quæ ex sui vitio semper prompta est ad verba vana, illicita et mendosa, silentio coarctatur, ne in Dei displicentiam prorumpere audeat, vel ad bona exercetur, ut divinas laudes exsolvat. Idcirco, carissimi, temporibus quibus loquendi præstatur licentia, ut beati esse possitis, linguas domate, ne convertantur ad lites, ne jurgia, contentiones, rixas et scandala resonent, ne mendacia, juramenta, opprobria, aut aliorum displicentia prodant. Quod si ex instinctu diaboli, qui semper discordias seminat, inter conventuales levis dissensio fuerit orta, penitus statim per præsidentem nequitia elidatur in semine, ita ut sole occidente, in sancta domo non inveniatur iracundia, et ne ira convertatur in odium, etc., et domus pacis jam ebriosorum efficiatur taberna. Mendacia vero tanquam infernum expellite. Semper aut divina Officia, aut sacrorum codicum verba, tam inter vos quam inter advenientes deducantur in medium. Si otiosum insonuerit verbum, mox frangatur verbo salubri; et sermo nocivus divino cedat eloquio. Quod si loquens a verbis pravis non cesset, fugiatur ab eo; et velox fuga vestram sanctitatem testetur intrinsecam. Nihil per exteriora corporis intrans, cogitationibus gravet mentem quæ divinæ contemplationi exponitur. Raro cogitatur in mente quod exteriores sensus non mittunt. Hæ fenestræ, hæc ostia, *Jer.* IX, 21. quæ si clausa non fuerint, morti patent introitus, et non nisi funeste ingreditur. Hæc Hieronymus. Cujus omnia verba jam introducta, sunt diligentissime attendenda et efficaciter adimplenda.

Insuper, sanctus præsul Basilius ait in Regula sua, respondens ad quæstionem qua quæritur an liceat penitus tacere : Silentium et taciturnitas bona sunt, quum ad personas vel ad tempus aptantur; et necessaria est taciturnitas, quousque linguæ vitia reprimantur, et discamus opportune ac tempore suo utiliter loqui, quemadmodum scriptum est : Sermo ve- *Coloss.* IV, 6; *Ephes.* IV, 29. ster semper conditus sit sale sapientiæ, ut det gratiam audienti.

Porro, de multiloquio, et fugibilitate pravitateque ejus, Climacus protestatur : Multiloquium est vanæ gloriæ cathedra, per quod se ipsam manifestare atque pompatice propalare ex sua natura solet. Multiloquium est insipientiæ argumentum, detractionis porta, manuductor scurrilitatis, minister mendacii, compunctionis resolutio, acuitatis intelligentiæ dispersor, acediæ vocator et conditor, somni præcursor, dissipatio boni mœroris, custodiæ interioris exterminatio, fervoris atque caloris frigefactio, orationis obscuratio. Ecce quam horribilia et pene innumerabilia vitia multiloquium parit. Deinde de religioso silentio subdit : Silentium in scientia (id est discretum silentium) est mater orationis, a captivitate seu distractione revocatio, ignis amoris custodia, episcopus cogitationum, intentio pugnatorum, colligatio luctus, amicitia lacrimarum, amicitiæ * mortis operator, æternæ pœnæ depictor, divini judicii diligens inquisitor, mœstitiæ bonæ minister, confidentiæ propriæ inimicitia, tranquillitas convictus, scientiæ additamentum, verborum Dei productor, non apparens profectus, latens ascensus. Qui propria cognoscit ac pensat delicta, continet linguam; multiloquus vero nondum cognovit se ipsum sicut oportet. Amicus silentii Deo propinquat, et latenter colloquens Deo, illuminatur ab eo. Silentium Jesu Christi inflexit et avertit Pilatum. Melius est in terram cadere ab altitudine, quam a lingua. Multiloquium ex ventris repletione et vana gloria oritur. Sollicitus de exitu ab hoc mundo, suos circumcidit ac moderatur sermones ; et qui luctum animæ possidet, quasi ignem avertit a se et fugit multiloquium. Os suum recludit, qui quietem solitudinis diligit; qui autem incessus et hominum facta libenter videt, a propria passione de cella excutitur. Qui multiloquus est, sibi similium quærit consortium. Ecce ex verbis iis hujus profundi et illuminatissimi Climaci, merito incitari debemus ad sacram observationem silentii salutaris tam fructuosi, atque ad detestationem loquacitatis et multiloquii tam nocivi et vitiosi.

* memoriæ

Amplius, de hac ipsa materia multa loquitur Augustinus in sermone quodam ad A Fratres in eremo : quæ, ut vitetur prolixitas, alteri reservo sermoni. Verumtamen quod in statutis Ordinis Cartusiensis habetur commemorabo. Itaque dicitur ibi : Soli degentes, signa cœnobiorum aut nulla aut pauca novimus, sufficere arbitrantes solam linguam non etiam alios artus reatibus implicare loquendi. Et ideo si tanta necessitas urget, uno vel duobus aut paucissimis verbis quod res postulat malumus indicari. Qui vero aliter silentium fregerit, culpam suam clamet et disciplinam B accipiat in capitulo proximo; et si assuetus fuerit in frangendo, pœna puniatur majori. Quod autem in verbis iis continetur, Si tanta necessitas urget, etc., a præfati Ordinis Patribus ita exponitur : Si notabile inconveniens aut periculum seu negligentia sequeretur, si locutio usque ad proximum differretur colloquium, vel ad opportunam horam petendi licentiam. Qui autem ex levitate aut affabilitate, aut alia causa insufficienti loquitur verba quamvis paucissima, dummodo ex se C intelligibilem pariant sensum per modum complexi, non excusatur a fractione silentii. Ex quibus etiam, salvo meliori judicio, sequi videtur, quod alii religiosi signis utentes, si ex levitate et irrationabili causa signis utantur, aut eis superflue sint utentes, velut fractionis silentii rei reddantur, nec excusentur a culpa, quum inordinata atque superflua, et quæ ex culpabili procedunt radice, non careant culpa; nec intentio Patrum fuit signorum usum admittere, nisi ex rationabili causa et D temperate.

Præterea, quicumque cordis sui diligens custos est, cui propositum et conatus ac consuetudo est mente semper loqui cum Deo aut interne exerceri coram eo, non solum agnoscit, sed certissime experitur quantum fractio silentii, loquacitas, multiloquium, superfluitas quoque signorum inficiant, inquietent indisponantque mentem, quæ facile inertia quadam percutitur. Qui autem ad tantam insensibilitatem atque duritiam cordis dilabitur, quod propriam læsionem in fractione silentii, loquacitate aliisque prætactis nascentem non sentit, male stat, si tamen stat, et nescio si simpliciter vivat. Hinc ad chorum eundum et de choro redeundum est cum ingenti maturitate et taciturnitate. Et qui promptulus est ad loquacitatem et silentii fractionem, sæpe fit aliis consimilis culpæ occasio, et eorum devotionem conturbat, orationem interrumpit, ac pravum intuentibus dat exemplum; extraneos quoque graviter scandalizat si eis absque licentia loqui præsumpserit, quum illis innotescat ipsum sine licentia loqui non posse.

Postremo, juxta doctrinam sancti apostoli Jacobi, *Jacob.* I, 22. simus factores verbi, et non auditores tantum. Quotidie legimus et audimus verba cœlestia, divina præcepta, monastica instituta, saluberrima documenta, quæ nisi debita cum diligentia fuerimus opere adimplentes, gravioris damnationis obnoxii erimus. Et quia ad veram *Ibid.* 27. spectat religionem immaculatum se ab A hoc sæculo custodire, nequaquam huic mundo in maligno posito conformemur; I *Joann.* V, 19. nulla mundana affectio, nulla actio vana, nullus amor carnalis in nobis habeat locum, sed prorsus spirituales ac divini efficiamur, quia ut Climacus ait, Monachus est qui solum quæ Dei sunt agit, cogitat et loquitur, Christo unitus omni tempore, loco et negotio. Et discamus linguam compescere, sapienter et ædificatorie loqui, memores quod abbas Agathon, in conversionis suæ exordio, tribus annis lapidem B tulit in ore, quousque tacere addisceret: propter quod ab abbate Pastore meruit tunc abbas vocari. Quumque quidam abbati Pastori dixisset, Abba, ille adhuc juvenis est, cur eum abbatem appellas? respondit: Os ejus fecit eum abbatem vocari. Porro, ut Hugo fatetur, Vanus sermo, vanæ conscientiæ index est. Mores hominis lingua pandit; et qualis sermo effunditur, talis animus comprobatur, quia ex abundantia cordis os loquitur, *Matth.* XII, 34. prout Dominus ipse testatur.

SERMO QUINTUS

DE ORATIONIS NECESSITATE AC UTILITATE, SI DEBITE FIAT.

D*IXIT Jesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joann. XVI, 23.

Quam necessaria nobis sit fervens incessabilisque oratio, docent nos infirmitas propria ad meritorie operandum, magnitudo irremediabilium periculorum quibus expositi sumus, crudelitas et potestas hostium nostræ salutis, impotentia nostra ad resistendum prævalendumque eis, excellentia bonorum quæ orationibus acquiruntur. Porro deprecandi et obtinendi fiduciam præstant consideratio infinitæ bonitatis, caritatis, misericordiæ et munificentiæ C Dei ad homines, abundantia beneficiorum quæ jamdudum etiam non petentibus, ingratis aversisque contulit: præsertim quod Deus Pater Unigenitum suum voluit propter nos incarnari, in mundo hoc conversari et crucifigi; quod item Filius Dei corpus suum et sanguinem quotidie nobis in Sacramento largitur; quod item ipsemet Deus toties ad orandum nos invitat, provocat et hortatur; quod etiam Veritas ipsa, quæ nec falli potest nec fallere, in evangelio hodierno multisque aliis sancti D Evangelii locis exauditionem orantibus pollicetur, dummodo salutaria cum perseverantia postulentur. Nam, ut ait

Luc. XVIII, 1. Salvator, Oportet semper orare, et non A deficere.

Quod quamvis ad omnem pertineat Christianum, potissimum tamen ad religiosos, quorum præcipuum opus est indesinentem, puram ac fervidam Deo orationem offerre. Imo, ut asserit Climacus, Sicut canum proprium est latrare, sic monachorum orare. Atque ut recitat Cassianus, sancti monachi in Ægypto nec in exterioribus suis operibus ab oratione cessabant. Manducando quoque et cetera corpori necessaria faciendo, mentem ad Deum B per orationes internas ubertim levare debemus : quia ut fideliter ait Chrysostomus, Nunquam oranti beneficia denegat, qui ut orantes non deficiant, sua pietate instigat. Denique ipsa oratio est actus nobilis et præclarus, actus felix, perutilis ac divinus. Propter quod ait Chrysostomus : Considera quanta sit tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare. Semper ergo orationem quasi C clypeum habeamus ad manum. Sed quum hæc ita se habeant, quid est quod die ac nocte psallendo, Horas persolvendo, celebrando, et ultra hæc alia multa legendo, assidue orare videmur, et tamen in nostris defectuositatibus, paupertatibus, fæcibus et passionibus permanemus? Imo multi ita agentes, deficere magis quam proficere conspiciuntur : isti indubitanter non ita orant sicut oportet. Audiamus in primis quod beatissimus Moyses in Deuteronomio *Deut.* IV, 29. protestatur : Quum quæsieris (inquit) Do- D minum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde et tota tribulatione animæ tuæ quæsieris eum.

Qualiter autem orandus sit Deus, hoc est cum quanta humiliatione, contritione, custodia, instantia et fervore, facile est pensare ex his quæ inter homines fiunt. Ecce qualiter stat reus coram judice temporali a quo misericordiam adipisci confidit, cum quali subjectione, affectione, pavore, tremore, promptitudine, attentione, inspectione ibi subsistit, seque judici repræsentat; qualiter etiam stant famuli coram rege terreno, et mendicantes coram divitibus, vulnerati quoque coram medicis, maxime his a quibus sola prece petunt curari. Quum ergo cœlestem Judicem in multis offenderimus omnes, defectuosi- *Jacob.* III, 2. que simus, vitiis ac passionibus læsi, si de nostris peccatis vere et digne dolemus, si veniam consequi, gratiam adipisci spiritualiterque curari ex corde appetimus, tunc juxta prætactas similitudines Deo in oratione nos præsentemus, et coram ipso stare nosque habere non negligamus. Considerando Deum ut benignissimum, opulentissimum ac liberalissimum patrem, ipsum cum omni filiali affectu atque fiducia invocemus, ut necessaria et accommoda vitæ gratiæ conferre nobis dignetur, videlicet gratiam et virtutes, conservationem continuumque profectum in eis. Considerando Deum ut districtum, justissimum, infallibilem, metuendissimum judicem, non temporalem dumtaxat, sed æternam ac infernalem mortem et pœnam infligentem, nec aliquid mali impunitum deserentem, cum grandi formidine et tremore, cum omni contritione et humiliatione ipsum implorare non desistamus, ne meminerit *Ps.* LXXVIII, 8. iniquitatum nostrarum antiquarum, neque quotidianarum culparum, nec secundum peccata nostra faciat nobis, sed cito anticipent nos misericordiæ ejus. Porro, Deum considerando ut omnipotentem, immensum et altissimum regem ac dominum universorum, cum summa reverentia et custodia atque decentia, cum indesinenti attentione et circumspectione exoremus eumdem, ne nos tanquam sibi negligenter servientes reputet maledictos. Ipsum autem considerando ut piissimum medicum animarum, vulnera, læsiones, cicatrices, paupertates, inopias, indigentias nostras ei plenissime detegamus, peccata nostra universa et singula plenarie confitendo, nil temere excusando aut alleviando. Si ergo his modis invocaverimus Deum instanter, non dubium quin copiosissime exaudiemur ; curabit, ditabit, roborabit, illuminabit, accendet, custodiet et perficiet corda nostra adorandus misericordissimusque Creator, qui nostram quærit salutem, nec dando amittit.

Denique de hac re multa devota atque subtilia Climacus scribit : Oratio, inquit, est ei qui vere orat sententiæ et condemnationis curia, auditorium judicii et tribunalis Dei ante futurum tribunal. Dicitur autem oratio ei qui vere et devote orat curia sententiæ et condemnationis, vel quia in ea orans se ipsum accusando profert contra semetipsum sententiam, et damnatione reum se profitetur, vel quia sententiam Dei contra reos attendit, et qualiter iniquos condemnet, considerat. Sic quoque oratio appellatur auditorium judicii et tribunalis Dei ante futurum tribunal, quia in ea perpendit homo rigorem divini judicii, et quam metuendum sit divino tribu-
Hebr. x, 31. nali præsentari, sicut ait Apostolus : Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Et ista considerat ante futurum tribunal, id est ante particulare judicium, quod fit in morte, et ante generale judicium, quatenus interim se ipsum accusando, damnando ac puniendo, divinæ evadat condemnationis
I *Cor.* xi, 31. sententiam, juxta illud Apostoli : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Unde dixit abbas Elias : Ego tres res timeo : unam, quando egressurus sum de corpore ; secundam, quando occursurus sum Deo ; tertiam, quando de me proferetur sententia.

Iterum Climacus ait : Si ante visibilem judicem aliquando ut reus stetisti, alterius typo, id est similitudine seu figura, in orationis tuæ adsistentia non egebis, id est, tunc ex temetipso potes perpendere qualiter in orando te debeas coram Deo habere, recordando videlicet quam formidolose et attente atque humiliter coram judice terreno stabas et veniam implorabas. Si vero non adstitisti, neque exactos pœnis vidisti, saltem ex supplicatione infirmorum ad medicos, quando ab eis exuri et incidi debent, disce et tu taliter facere co-
A ram Christo. Quorum intellectus verborum patet ex introductis.

Insuper de orationis efficacia et effectibus ait : Oratio est mundi consistentia, id est, per sanctorum et devotorum orationes ac merita mundus manet in esse ; ornatus collectio, id est interioris decoris congregatio ; Dei reconciliatio, lacrimarum mater et filia (nam lacrimas provocat, et ex lacrimis innovatur ac iteratur), peccatorum propitiatio, pons tentationum, tribulationum medius murus, præliorum contritio,
B angelorum opus, incorporeorum omnium alimentum, futura jucunditas, infinita (id est incessabilis) operatio, virtutum fons, charismatum conciliatrix, invisibilis profectus, deliciæ animæ, mentis illuminatio, desperationis securis, demonstratio spei, tristitiæ dissolutio, divitiæ monachorum et thesaurus quiescentium, furoris diminutio, speculum profectus, declaratio mensurarum. Hæc et alia multa perutilia scribit de oratione hic Climacus.

Dicitur autem oratio speculum profectus
C et declaratio mensurarum, quia ex modo et qualitate suæ orationis potest homo considerare et probabiliter scire quantum profecit, et ad qualem mensuram seu gradum virtutum devenit : quia secundum quod in orationibus suis stabilior, ferventior, frequentior, elevatior, humilior, lacrimosior, fiducialior fuerit, secundum hoc magis aut minus se profecisse potest et debet advertere. Nam, quamvis etiam viri perfecti quotidie aut frequenter pro suorum remissione peccatorum humillime depre-
D centur, sicut de sanctissimo fertur Hieronymo, quod quotidie pro venialibus et minutissimis suis culpis tam lacrimose oravit, tam dire se flagellavit, et in lamentis atque gemitibus se ita affecit quasi homicidium perpetrasset ; tamen communiter et frequenter juxta diversitatem statuum et mensuram profectuum est diversa qualitas orationum. Propter quod ait S. Bernardus : Quatuor mihi videtur orandi modos exprimere Apostolus, dicens : Volo I *Tim.* ii, 1.
primum omnium fieri obsecrationes, ora-

tiones, postulationes, gratiarum actiones. A Sunt enim quos adhuc peccati conscientia terret atque excruciat, nondum accepta resistendi virtute, tunc scilicet quum ipsos in vitiorum cœno jacentes Spiritus veritatis primo irradiat, et excitans erubescere facit et timere dum vident immanitatem criminum suorum, exiguitatem meritorum; et velut ardentem coram se expavescentes gehennam, quoniam in se ipsis boni nihil inveniunt, aliunde apprehendunt unde juventur. Nam, quoniam timent per se ipsos accedere, student quasi per alios supplicare B : sicut dum dicimus, Sancte Petre, ora pro nobis. Vel si per se accedunt, ea commemorant per quæ exaudiantur, ut fit in obsecratione dum dicitur, Per passionem tuam libera nos, Domine. Porro, resistendi et continendi virtute accepta, per se accedit, præteritorum delictorum veniam quærens; et oratione sua loquitur Deo, in Is. xxxviii, 15. lamentis pœnitentiæ se affligens, et annos suos in amaritudine animæ suæ recogitans. Deinde per hæc, hilaritate quadam et indulgentiæ concepta fiducia, accedit ad postulationem, qua jam quasi in gratiam Domini sui receptus, etiam pro suis conservis intercedere audet. Post postulationem gratiarum actio sequitur : dum quis se exauditum experitur et optatam consecutum gratiam, pro se ipso aut aliis gratulatur ac regratiatur.

Igitur juxta prædicta Dominum exoremus, laudemus, et in psallendo, celebrando, Horasque persolvendo, nos habeamus : singula verba distincte proferentes, sensum singulorum verborum pensantes, et in Deum cor erigentes ac defigentes. Et quilibet pro gratiis sibi necessarioribus oret, ut a passionibus et peccatis ad quæ se procliviorem noscit, curetur, proficiatque in virtutibus illis oppositis. Omnes vero oremus, ut indesinenter in omni virtute et gratia concrescamus, Deo quotidie propinquiores, complacentiores, devotiores et gratiores efficiamur.

SERMO SEXTUS

DE ORATIONE ; ET QUOMODO AD EAM REQUIRATUR ACTUALIS INTENTIO, ET QUALITER FIAT AD IMPETRANDUM IDONEA ; ET AN DEBEAT ESSE DIUTURNA ET PLURIBUS UTENS VERBIS.

PETITE, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Joann. xvi, 24. C

Qualiter sit orandum, sanctus pater Benedictus in Regula sua compendiosissime docet, dicendo : Si dum hominibus potentibus aliqua volumus suggerere, non præsumimus hoc nisi cum humilitate et reverentia agere, quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et devotionis puritate est supplicandum? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudiri sciamus : ideo brevis et pura debet esse D oratio. Circa quæ beatissimi Benedicti verba sciendum, quod quædam sunt orationes et preces ab Ecclesia seu ab Ordine institutæ et determinatæ, quas immutare non possumus, nec augere nec minorare; aliæ sunt orationes arbitrariæ, peculiares, spontaneæ et privatæ, quas pro libitu suo potest quis protrahere sive præscindere.

Porro ad quæstionem qua quæritur an attentio requiratur ad orationem, S. Thomas respondens : Necessarium (inquit) est id sine quo res suum finem vel effectum consequi nequit. Est autem triplex orationis effectus. Primus est, promereri vitam æternam : qui effectus communis est omni actioni factæ ex caritate. Et hunc effectum sortitur oratio, si in principio adsit attentio : nam, quamvis in prosecutione A seu continuatione orationis mens evagetur, tamen vis primæ attentionis totam orationem meritoriam facit, sicut in aliis actibus caritatis informatis. Secundus et proprius orationis effectus est, impetrare quod petitur. Ad quem etiam sufficit vis primæ attentionis, quoniam illam Deus principaliter adspicit. Quod si illa defuerit, oratio nec meritoria nec impetrativa consistit, quum dicat Basilius : Divinum auxilium, non remisse, nec mente huc illucque evagante est implorandum, B quoniam talis oratio non solum non impetrabit, sed Deum plus irritabit. Unde *Joann.* IV, 24. ait Salvator : Spiritus est Deus; et eos qui adorant, in spiritu et veritate oportet adorare. Tertius orationis effectus, quem et præsentialiter facit, est quædam dulcis refectio mentis, quam devote orans sentit orando : et ad hunc de necessitate requiritur actualis attentio. Propter quod ait Apo- I *Cor.* XIV, 14. stolus : Si orem lingua, mens mea sine *Eccle.* X, 1. fructu est. Et Salomon : Muscæ (inquit) morientes perdunt suavitatem unguenti. C Muscæ etenim morientes, sunt extraneæ cogitationes quæ suavitatem perdunt unguenti, id est, orationis impediunt experimentalem dulcedinem. Est autem triplex attentio orationis vocalis : prima, qua homo attendit verba orationis, ne erret in eis; secunda, qua sensum attendit verborum; tertia, qua finem suæ orationis, videlicet Deum et id quod petit et cupit ab eo adipisci, attendit. Et hæc attentio tertia est magis necessaria, et idiotis quoque possibilis; atque in tantum interdum au- D getur et superabundat, quod omnium aliorum obliviscitur orans, mente sua Deo vehementer intenta. — Itaque evagatio quæ præter propositum accidit animæ ex humana instabilitate, fructum orationis non tollit. Ait namque Basilius : Si debilitatus a peccato, fixe orare non potes, quantum vales te ipsum cohibeas; et Deus ignoscit, quoniam non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes ut oportet adsistere coram Deo. Hæc Thomas.

Circa quæ aliqua sunt addenda. Primo, quod quamvis ad duos primos orationis effectus dicatur actualis attentio in principio habita sufficere, ita quod evagatio subsequens illos non impedit, nihilo minus certum est quod evagatio facit orationem ad duos primos effectus minus idoneam, utpote minus meritoriam et minus impetrativam. Et quanto est ferventior productiorque attentio, tanto oratio meritoria et impetrativa magis consistit; nec homo meretur gloriæ augmentum, nisi crescat in caritate, quum caritatis intentioni essentiale correspondeat præmium. Rursus sciendum, quod si ex fragilitate aut negligentia veniali desit actualis attentio in orationis principio, et tamen in prosecutione orationis redeat homo ad cor et fiat attentus, adhuc oratio meritoria erit et impetrativa, quoniam caritate informatur, et mens se refert ad Deum. Est itaque valde nobis conandum ut actualis attentio in oratione continuetur, fervescat et perseveret. Tanto plus ad hoc niti debemus, quanto plus adversarius nostræ salutis orationum attentionem impedire conatur : scit enim, per orationis instantiam ac fervorem se maxime supplantari. Hinc abbas Agathon interrogatus quæ virtus in conversatione plus haberet laboris, respondit : Puto non esse alium talem laborem, qualis est orare Deum. Dum enim voluerit homo orare, semper dæmones festinant interrumpere per evagationem ejus orationem, scientes quod ex nulla re nisi per orationem ad Deum fusam vincantur. Siquidem in omni alio labore quem homo positus in conversatione religiosa assumpserit, quamvis instanter et toleranter agat, habet tamen aliquam requiem; in oratione autem, usque ad ultimam exhalationem opus est semper magni certaminis studio.

Præterea, in Regula S. Basilii quæritur, quomodo obtinere quis poterit ut in oratione mens ejus non evagetur. Ad quod respondet Basilius : Si certus sit se adsistere ante conspectum Dei. Si enim homo principem et judicem suum terrenum videns et alloquens, non sibi licitum credit A oculis vagari et aliorsum adspicere, quanto magis qui accedit ad Dominum, nusquam ad alia debet movere oculum cordis, sed intentus esse in eum qui scrutatur corda et renes, ut impleatur quod ait Apo- I *Tim.* II, 8. stolus, Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione ?

Rursus in eadem quæritur Regula, si possibile est hominem obtinere ut in omni loco et tempore non vagetur mens ejus, et quomodo id fieri potest. Respondet ma- B gnus Basilius : Quod possibile sit, ostendit *Ps.* XXIV, 15. qui dixit : Oculi mei semper ad Domi- *Ps.* XV, 8. num ; et iterum, Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Quomodo autem possibile sit jam diximus, utpote, si non demus otium animæ nostræ, sed in omni tempore de Deo et de operibus, donis et beneficiis ejus cogitemus, eademque cum confessione et gratiarum actione semper volvamus in mente.

Ps. XLVI, 8. Iterum quæritur ibi, quid est, Psallite C sapienter. Respondet Basilius : Quod est in cibis corporeus gustus, unumquemque cibum cujus sit saporis discernens, hoc est in verbis sacræ Scripturæ sapientiæ sensus. Si quis ergo sic intellectum suum intendat in verba singula psalmodiæ, sicut gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum, iste complet quod dictum est, Psallite sapienter.

Nunc videndum, an oratio esse debeat diuturna et verbis prolixa. Et videtur quod non, quum in Evangelio Christus testetur : D *Matth.* VI, 7. Orantes, nolite multum loqui. Et Climacus scribit : Ne coneris multum loqui in oratione, ut non ad quæsitionem verborum mens tua dissipetur. Unum verbum publicani Deum ad misericordiam flexit, et unum verbum fidele salvum fecit latro- II *Reg.* XII, 13. nem ; David quoque dicendo, Peccavi Domino, Deum sibi reconciliavit. Multiloquium plerumque in oratione pereffudit mentem et phantasticavit. Ad hæc S. Thomas respondet : Quantitas rei suo fini debet esse proportionata, sicut quantitas medicinæ sanitati. Finis autem orationis vocalis, est interiorem cordis fervorem accendere : ideo convenit orationem tamdiu durare ut utile est ad inflammationem interni affectus in Deo. Quumque oratio sine fatigatione et tædio continuari non potest, est finienda. Nam mentis attentio et sancta affectio non est cito rumpenda quando potest durare. Protendenda igitur est oratio, non aridis verbis, sed continuato affectu. Unde et Christus in oratione pernoctasse, *Luc.* VI, 12. et passione instante prolixius orasse ad *Ibid.* XXII, 43. nostram eruditionem describitur. Interdum quoque, orans gratiose a Deo prævenitur, illustratur, accenditur, roboratur, ita ut orationem multis continuet horis, etiam quasi absque difficultate, imo cum ingenti jucunditate : quemadmodum legitur de abbate Arsenio, quod a vespere sabbati extendebat manus suas ad cœlum orans, donec mane die dominicæ ascendens sol illustraret faciem ejus, et sic residebat. Abbas quoque Dulas de beatissimo abbate Bessarione narravit : Veni aliquando in cellam Patris mei, et inveni eum stantem ad orationem, et manus ejus erant extensæ in cœlum ; permansitque hoc faciens jugiter per quatuordecim dies.

Igitur juxta præhabita discamus et assuescamus orationibus sanctis insistere, et ante orationem ad eam nos præparare per mentis recollectionem et salutarium rerum meditationem. Actualem quoque attentionem continuare atque intendere seu augere, et magis ac magis inflammare conemur, infinitam Dei bonitatem, caritatem, pietatem, justitiam et excellentiam intuendo, proprias etiam calamitates, culpas, defectuositates, pericula ponderando. Et quoties nos evagari sentimus, mentem ad Deum protinus revocemus, et de ipsa distractione pœniteamus, ac recentem concipiamus fervorem ; atque in fine paululum meditemur dum vacat, veniamque de distractionibus et defectuositatibus in oratione habitis postulemus.

Postremo, quamvis quatuor ponantur

partes seu species orationis, interdum tamen plures earum, et non raro omnes, in una oratione concurrunt admiscenturque. Et talis oratio quæ obsecrationem, gratiarum actionem et laudem Dei includit, efficacissima est ad impetrandum. Præstantissima item est illa oratio quæ ex puro Dei amore et zelo boni communis procedit, A dum scilicet Dominum exoramus ut gratiam suam super omnes effundat, generalem et plenam reformationem efficiat, vivis mortuisque succurrat, quatenus ipse in omnibus et ab omnibus super omnia honoretur. Ideo talibus precibus insistamus assidue, ad laudem et gloriam ejus.

DOMINICA

POST ASCENSIONEM DOMINI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

ESTOTE PRUDENTES, ET VIGILATE IN ORATIONIBUS. I Petr. IV, 7-11.

BEATUS Archiapostolus in præsenti epistola instruit et hortatur nos ad veram discretionem, ad diligentiam sanctam, ad orationem instantem, ad caritatem continuam, ad sermonis utilitatem, ad gratiarum actionem. Itaque ait :

Estote prudentes, id est discreti ac providi, oculum considerationis internæ circumducentes longe lateque, præterita rememorando, præsentia perpendendo, et prævidendo futura, ut in omnibus habeatis vos ordinate. Prudentia quippe est virtutum auriga ac moderatrix atque magistra. *Rom.* XII, 17. Hoc est quod ad Romanos dicitur : Estote providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. *Et vigilate,* hoc est, diligentes ac attenti estote, *in orationibus :* quia non sufficit humana prudentia, nisi directio adsit divina, *Prov.* XVI, 9. juxta illud Sapientis, Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus ejus. Ideo cum Psalmista orandum est : *Ps.* CXVIII, 133. Gressus meos dirige, Domine, secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia. Hoc ipsum docet et Salvator : *Luc.* XXI, 36. Vigilate, inquiens, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia mala quæ ventura sunt, et stare ante Filium hominis. Ait hic Beda : Bene in orationibus vigilare jubemur, ut dum oramus, omnis cogitatio carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam tunc cogitet animus præter id quod precatur. Subrepit namque frequenter hostis antiquus et subtiliter fallens preces nostras, a Deo cor avocat, ut aliud habeamus in corde et aliud proferamus in voce, quum tamen intentione sincera debeat Deum, non sonus vocis, sed animi sensus, orare.

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes. Caritas enim est summa et maxime necessaria virtus, forma, vita, motrix ac imperatrix virtutum. Ideo summe debemus esse solliciti ut in vera et spirituali stemus, perseveremus proficiamusque caritate, sine qua nihil est meritorium, nil Deo acceptum. Hinc ad caritatis profectum cetera sunt virtutum exercitia ordinanda. Porro, quod ait, « ante », non est intelligendum de prioritate temporis, sed ordinis seu naturæ. Virtutes enim connexæ sunt, nec caritas in vita hac ante fidem et spem valet haberi; sed principalissime quærenda et conservanda est caritas. Unde ad Colossenses scriptum est : Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. *Coloss.* III, 14. *Quia caritas operit multitudinem peccatorum.* Dum enim infunditur caritas, universa quæ inerant peccata delentur, quoniam simul esse non possunt caritas et mortale peccatum. Per actum vero caritatis dimittitur culpa quantum ad pœnam, A ita quod quanto major est ardor caritatis in Deum et proximum, præsertim in Deum, tanto plus de peccati pœna dimittitur; potestque fervor caritatis sic crescere, quod tota dimittatur pœna peccati. Hic etenim ardor est spiritualis ignis quo consumuntur peccata quantum ad culpam et pœnam. Propter quod de beatissima Maria *Luc.* VII, 47. Magdalene loquitur Christus : Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. In eo quoque qui circa proximorum conversionem, correptionem et correctionem B sollicitus est, caritas operit, tegit et tollit multitudinem peccatorum, ita ut non videantur, id est, non imputentur a Deo ad *Ps.* L, 11. puniendum, sicut orat Propheta : Averte faciem tuam a peccatis meis. Unde denuo *Ps.* XXXI, 1. ait : Beati quorum tecta sunt peccata. Hinc *Jacob.* V, 20. Jacobus ait : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

Hospitales invicem estote *sine murmuratione,* ut peregrinos et pauperes propter C Deum hilariter suscipiatis, bene tractetis, caritative repausetis. Hinc ad Hebræos dicitur : *Hebr.* XIII, 1, 2. Caritas fraternitatis maneat vobiscum, et hospitalitatem nolite oblivisci. Non enim sufficit caritatem intus habere, nisi tempore opportuno exhibeatur in opere. Idcirco, sicut proximos amare tenemur, ita et opera caritatis ac misericordiæ eis impendere obligamur, juxta exigentiam loci ac temporis. Idcirco in Canonica *I Joann.* III, 18. Joannis scriptum est : Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et verita- D te. Caritas siquidem otiosa non est : ideo signum dilectionis, est exhibitio operis. *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes,* hoc est, quilibet gratiam sibi collatam communicet proximis, impendendo eis consilium sive auxilium loco et tempore congruo, *I Cor.* XIII, 5. quantum potest. Caritas enim non quærit quæ sua sunt tantum, sed et quæ aliorum. *Apoc.* XXII, 17. Hinc in Apocalypsi dicitur : Qui audit, dicat, Veni. *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei,* id est donis gratiæ cœlestis bene et fructuose utentes, erogando et exhibendo ea in proximos. Dicitur autem gratia multiformis, quia multiplices habet effectus et species, ramificaturque in habitus virtutum atque donorum. Hinc ait Christus in Evangelio : Negotiamini *Luc.* XIX, 13. dum venio. Et fructum requirit ex talentis quæ dedit.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei, id est, verba salubria proferat et divina ad Dei honorem et audientium ædificationem, sicut et Paulus ait apostolus : Omnis ser- *Ephes.* IV, 29. mo malus ex ore vestro non procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. Vitanda sunt itaque verba inania, quibus cordis puritas inquinatur, tranquillitas impeditur, et mens vaga ac dissoluta efficitur. Vel, Quasi sermones Dei, hoc est, non sibi, sed Deo adscribat bonum quod dicit, ut verba sua reputet non sua, sed Dei, in quantum sunt bona, quemadmodum ait Salvator : Non enim *Matth.* X, 20. vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Imo, secundum Apostolum, Nemo potest dicere, Do- *I Cor.* XII, 3. minus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. *Si quis ministrat,* Deo debite serviendo, vel proximis necessaria exhibendo, *tanquam ex virtute quam administrat Deus,* id est, hoc se facere arbitretur, non propriis viribus, sed Dei auxilio et virtute desuper data, quum asserat Christus : Sine me nihil *Joann.* XV, 5. potestis facere. Unde, secundum apostolum Paulum, Deus est qui operatur in nobis *Philipp.* II, 13. velle et perficere, pro bona voluntate, hoc est ex sua voluntate piissima. Deinceps, quid habes quod non accepisti? Propterea *I Cor.* IV, 7. Joannes Baptista ait : Non potest homo ac- *Joann.* III, 27. cipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cœlo. Tanto ergo humilius impendat quisque proximo suo bonum omne quod potest, quanto certius novit se a se ipso non habere quod impendit. Hinc omnis vanitas atque præsumptio sunt spernendæ, dicente Apostolo : Si accepisti, quid gloriaris *I Cor.* IV, 7. quasi non acceperis? Itemque : Qui glo- *Ibid.* I, 31. riatur, in Domino glorietur.

Ut in omnibus rebus et factis *honorificetur,* A hoc est, verbis et factis laudetur et honoretur, *Deus,* dum ei de omni bono gratiæ referuntur, et ipse reverenter ab omnibus colitur : hinc et Christus apud *Matth.* v, 16. Matthæum, Videant (inquit) opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est ; *per Jesum Christum* tanquam *I Tim.* II, 5. per mediatorem Dei et hominum, quia per *Ephes.* II, 18. ipsum habemus accessum ad Deum, et per ejus doctrinæ ac legis observantiam, Deo Patri, imo superbeatissimæ Trinitati honorificentiam debitam exhibemus. Ideo B *I Cor.* x, 31. Paulus hortatur : Omnia in gloriam Dei facite. *Cui,* videlicet Christo, *est* honor et *gloria,* quia a bonis omnibus honoratur, tanquam summe virtuosus ac omnibus præsidens (honor namque debetur virtuti ac potestati præsidentiali ; ei quoque est gloria, hoc est beatitudo, lætitia ac forma clarissima), *et imperium,* quoniam omnibus præest et imperat. Et ista debentur sive conveniunt Christo secundum utramque suam naturam. Siquidem etiam secundum suam humanitatem, data est ei *Matth.* XXVIII, 18. omnis potestas in cœlo et in terra, sedetque in potioribus bonis Patris, et per totum mundum clarificatum est nomen ejus. Potissimum autem conveniunt ista Christo secundum suam divinitatem. Imo toti supergloriosissimæ Trinitati convenit et debetur unus et summus honor, tanquam uni omnium regi ac domino prorsus altissimo, unaque gloria et unum imperium, dicente Apostolo : Soli Deo honor et gloria. *I Tim.* I, 17. Unde per Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo. *Is.* XLII, 8. Ideo ait Psalmista : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Ps.* CXIII, 1, sec. Hebr. De omni etenim bono debetur principalis et ultima laus Deo. *In sæcula sæculorum,* id est æternaliter.

SERMO PRIMUS

DE PRUDENTIA, DISCRETIONE, ORATIONE, CARITATE ET HOSPITALITATE, CHRISTIANO NECESSARIIS.

D*IC sapientiæ, Soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam.* Prov. VII, 4.

Inter sapientiam atque prudentiam hoc interest, quod sapientia proprie est amorosa seu affectiva cognitio divinorum, prudentia vero est efficax cognitio agendorum et vitandorum, hoc est, quid agendum sit, quid vitandum. Sapientia ergo dignior est quam prudentia : idcirco debemus sapientiam singularius adamare, et sororem vocare. Prudentia quoque necessaria est, et amica vocanda.

In primis ergo docet nos gloriosissimus apostolici ordinis princeps, in præsenti epistola, ut simus prudentes, sicut et Chri- *Matth.* x, 16. stus in Evangelio loquitur : Estote pru- C dentes sicut serpentes ; et iterum, Habete in vobis sal, id est discretionem. *Marc.* IX, 49. Prudentia etenim docet non solum quid agere debeamus, sed etiam ubi et quando, et qualiter, utpote apto loco et congruo tempore, atque cum moderamine. Et istud servare, et in agendis ordinate procedere, maxime confert et adjuvat ad proficiendum celeriter in omni virtute. Propter quod ait Apostolus : Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. *I Cor.* XIV, 40. Unde, tempore Missæ ac divini Officii, debemus Deo cum omni D cordis custodia esse intenti, et de salute animarum nostrarum sollicite cogitare, peccata deflere, pro gratia exorare, omnes cogitationes carnales, curas mundanas, animi dissolutiones, cordis ac sensuum evagationes prorsus abjicere. Unde prudentia convenienter designatur per sal. Primo, quoniam cibaria communiter absque sale insipida sunt, ita aliarum virtutum actus absque prudentiæ directione interno carent sapore. Ideo ait Bernardus : Prudentia semper necessaria est, quia justitia dum modum excedit, crudelitatem gignit, et dissolutionem nimia pietas parit, sæpeque vitium est, quod virtus putatur. Secundo, quoniam sicut per sal carnes a putrefactione præservantur, ita per prudentiam seu discretionem virtutes ceteræ conservantur, ne a vitiis sibi oppositis corrumpantur. Per prudentiam equidem vitat homo occasiones et causas gulæ, luxuriæ, etc. Hinc ait Isidorus : Quidquid boni sine discretione feceris, vitium est; quidquid cum discretione feceris, virtus est. Imo, ut scribit Bernardus, sicut discretio absque caritatis fervore jacet, sic fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Idcirco laudabilis est qui habet utrumque, quatenus fervor discretionem erigat, atque fervorem discretio regat. Et certe quo in aliquo exstat zelus ferventior, spiritus vehementior, caritasque profusior, eo majori indiget discretione, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet caritatem.

Præterea, juxta Archiapostoli documenta, I *Petr.* IV, 7 et seq. simus in orationibus vigilantes : et de hoc in multis jam sermonibus plurima sunt inducta. Specialiter vero ad orationes continuas ac ferventes animare nos debet quod devotus ac dulcis ait Bernardus : Rogo (inquiens) vos, fratres, ut semper habeatis ad manum tutissimum orationis refugium. Nemo vestrum parvi pendat orationem suam. Dico enim vobis, quoniam Deus quem oramus, eam non parvi pendit. Priusquam egressa sit ab ore nostro, scribi eam jubet in libro suo; et unum ex duobus indubitanter sperare debemus, quia aut dabit quod petimus, aut quod nobis novit utilius. Ideo infructuosa non erit oratio, quandoquidem tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties quæris quod tibi utile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud dono utiliori. Verumtamen ut oratio sit tam fructuosa, oportet ut fiat cum diligentia et affectu. Unde in epistola hodierna apertissime dicit beatissimus Petrus ut in orationibus vigilemus, hoc est, attenti diligentesque simus. De hoc rursus dicit Bernardus : Illud breviter dico, quosdam in oratione quamdam mentis ariditatem ac hebetudinem experiri, ut labiis tantum orantes, non satis attendant neque quæ proferunt neque cui loquuntur, pro eo quod, velut ex consuetudine quadam, cum minus digna reverentia et sollicitudine accesserunt. In cunctis ergo actibus nostris multa opus est animi vigilantia, præcipue in oratione. Quamvis enim semper videamur a Deo, in oratione tamen etiam præsentamus et ostendimus nosmetipsos ei, quasi facie ad faciem loquentes cum eo. Sic ergo oret qui orat; sic se ipsum consideret et attendat, tanquam præsentatus sit Domino majestatis. Credimus angelos sanctos adstare orantibus, offerre Deo preces votaque hominum, ubi tamen levari puras manus perspexerint.

Insuper, juxta apostolica documenta, habeamus in nobis indesinenter mutuam caritatem continuam, ut unusquisque diligat omnem proximum suum (omnem videlicet hominem in hoc mundo viventem, felicitatis capacem, communione naturæ specificæ sibi proximum) sicut se ipsum, desiderando illius salutem, et benefaciendo eidem, prout vera requirit dilectio. Ait namque Paulus apostolus : Plenitudo legis, est dilectio. *Rom.* XIII, 8-10. Et : Qui diligit proximum suum, legem implevit : nam, non adulterabis, non perjurabis, non falsum testimonium dices, non fornicaberis, non occides; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Præterea, qualiter caritatem plus potuit commendare S. Joannes apostolus, quam in eo quo dixit, I *Joann.* IV, 16. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo? Ideo Paulus hortatur : *Ephes.* V, 1, 2. Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Et utique quam desideranda et conservanda nobis est caritas, tam detestanda ac fugienda est nobis maledicta invidia, quæ est diaboli proles et omnium mors virtutum. Porro desideranda semper est caritas, quoniam operit multitudinem peccatorum. Caritas namque movet et incitat hominem ad ignoscendum proximo suo et ad deprecandum pro eo; et plus dolet de proximi culpa quam de injuria propria, maxime vero de inhonoratione Dei et ejus offensa. Sed sicut homo se habet circa proximos suos, ita meretur, et dignum est, ut circa ipsum se habeat Deus; sicut et Christus testatur : *Matth.* VII, 2. Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quemadmodum ergo per caritatem homo indulget injuriatoribus suis, ita per caritatem eamdem meretur ut Deus sibi indulgeat, et peccata ejus operiat, hoc est, ad puniendum non videat. Ideo Christus *Luc.* VI, 37. ait : Dimittite, et dimittemini.

Amplius, juxta præsentis doctrinam epistolæ, debent Christiani hospitales consistere, et Christum in suis membris, hoc est peregrinis pauperibusque, suscipere. *Matth.* XXV, 35. Ipse etenim ait : Hospes fui, et collegistis me. Nam quod propter eum suis impenditur membris, tam acceptum est ei ac si suæ exhiberetur personæ. Christiani namque ad pietatis opera potissimum obligantur, pro posse suo agendo. Nec solum debent eleemosynam, hoc est aliquid cibi, dare, sed et cetera misericordiæ opera exercere, videlicet nudos vestire, peregrinos et pauperes hospitari, etc., et proximis facere ut sibi fieri vellent, si indigerent. Sed, heu! pauci hoc implent. Imo multi tam avari atque injusti sunt, et ab omni Dei timore ac proximi caritate tam alieni, ut peregrinis et egenis faciant fraudem in vendendo sumptusque computando. O quam vitiosi sunt isti! Habent enim animas suas venales, et diabolo vendunt eas. *Eccli.* X, 10.

Præterea unusquisque dona sibi a Deo concessa gratis, et caritative et liberaliter suis communicet proximis cum omni humilitate et recta intentione, ut si quid melius novit, si quid amplius potest, si in virtutibus plus abundat, proximos exhortetur, informet, corripiat; et sicut ipse a Deo misericordiam consecutus est, sic misericordiam proximis suis impendat et a Deo impendi peroptet. Valde complacet Deo, habere cor pietatis visceribus affluens, liberalitate et caritate abundans; talique homini Deus copiosa largitur gratiarum charismata. Siquidem sicut ille se habet circa proximos suos, ita et Deus se habet circa illum.

Postremo, quum apostolus Paulus dixisset, Hospitalitatem nolite oblivisci, adjecit : Per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio susceptis. *Hebr.* XIII, 2. Cujus verbi iste est sensus, quia sicut in Genesi legitur, *Gen.* XVIII, XIX. Abraham patriarcha, qui fuit hospitalitati valde intentus, dum quadam die sedisset in ostio tabernaculi sui, vidit tres venerabiles personas, quas homines esse putavit, occurritque eis, rogans ut ad suum declinarent hospitium; et fuerunt tres angeli in humana specie apparentes, et transierunt cum Abraham ad suum hospitium. Deinde duo angeli ex illis, relicto Abraham, ingressi sunt Sodomam; et ibi Lot, nepos Abrahæ, accepit eos hospitio, putans quod homines essent. Unde, quoniam Abraham et Lot hospitales fuerunt, angeli sancti ad eos divertere dignabantur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM VENERIT PARACLETUS, QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE, SPIRITUM VERITATIS, ETC. Joann. XV, 26, 27; XVI, 1-4.

QUONIAM modo instat solennitas Pentecostes, in qua Dominus noster Jesus Christus misit Apostolis Spiritum Sanctum, sicut ante passionem et etiam post resurrectionem suam eis frequenter prædixit; idcirco in dominica ista quæ præfatæ sacratissimæ solennitati est proxima, convenienter legitur evangelium præsens, in quo recitatur qualiter Christus missionem ac operationem Spiritus Sancti Apostolis prænuntiavit atque promisit. Et sumptum est evangelium istud ex sermone Christi post Cœnam. In quo quum Christus declarasset obstinationem et infidelitatem Judæorum, inter cetera dicens : Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo, quia odio habuerunt me gratis; his verbis Christus protinus addit verba evangelii hujus : *Joann.* XV, 22, 25.

Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Hoc completum fuit in die Pentecostes, in quo sancti Apostoli, accepto Spiritu Sancto, et ex ejus illuminatione et gratia impleti, intellectum totius sacræ Scripturæ, omnium quoque linguarum adepti notitiam, exeuntes de cœnaculo et conclavi in quo Spiritum Sanctum acceperunt, ingressique templum Jerusalem, cœperunt prædicare de Christo et omnium gentium linguis loqui, atque per veteris Testamenti scripturas probare quod Jesus Nazarenus esset Messias in lege promissus. Specialiter vero beatissimus Petrus, tanquam Apostolorum prælatus et caput, apertissime ac virtuosissime loquebatur. Sicque per eum Spiritus Sanctus tale testimonium perhibuit Christo, quod Judæi qui paulo ante blasphemaverunt Christum, compuncti sunt corde et pœnituerunt, ac credere cœperunt in eum quem occiderunt, quemadmodum etiam ante passionem suam Christus eis prædixit : Quum exaltaveritis (inquit), id est, cruce suspenderitis, Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. *Joann.* VIII, 28. Unde, die Pentecostes, conversa ac baptizata fuerunt tria millia Judæorum. *Act.* II, 41.

Itaque ait Salvator : « Quum venerit », non locum mutando, sed in signo visibili de novo apparendo ac operando, et gratiam maximam infundendo, « Paracletus », id est Spiritus Sanctus : qui dicitur Paracletus, id est consolator, quia spem veniæ dando lætificat pœnitentem, atque divinorum gratiosam contemplationem infundendo caritatemque accendendo exhilarat mentem; « quem ego mittam vobis », dando et influendo cordibus vestris charismata gratiarum ipsius. Per hoc demum quod Christus dixit, Quem ego mittam vobis, insinuat quod Spiritus Sanctus ab ipso vere procedat : quoniam uni divinæ Personæ non competit mittere aliam secundum naturam divinam, nisi ratione originis seu auctoritatis ad illam. Unde nunquam legitur Pater missus a Filio vel Spiritu Sancto. Filius vero legitur missus a Spiritu Sancto, sicut ait per Isaiam : Et nunc Dominus misit me, et spiritus ejus. *Is.* XLVIII, 16. Itemque : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me; evangelizare pauperibus misit me. *Ibid.* LXI, 1. Quæ verba apud Lucam de se prædicta fatetur Christus. *Luc.* IV, 18. Sed hoc convenit Christo ex parte humanitatis assumptæ.

Porro, quod addit, « a Patre », exponi potest dupliciter. Primo sic : Quem mittam vobis a Patre, tanquam a fonte de quo Spiritus Sanctus procedit. Secundo sic : Quem mittam vobis a Patre, id est virtute divina quam per generationem æternam accepi a Patre. Filius namque habet a Patre quod Spiritus Sanctus a se æternaliter procedit, ac temporaliter mittitur.

« Spiritum veritatis », id est Spiritum meum, qui sum veritas et sapientia Patris. Unde de Spiritu Sancto dicitur ad Romanos : Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Rom.* VIII, 9. Dicitur quoque Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis, quia et ipse est essentialiter veritas; est etiam examen et doctor totius veritatis. « Qui a Patre procedit ». Hoc non ait Filius per sui exclusionem, sed ne videretur insinuasse quod Spiritus Sanctus a se, et non a Patre, procederet, eo quod dixit : Quem ego mittam vobis. Quemadmodum equidem totus mundus a tribus Personis creatus est, non in quantum sunt tres distinctæ personæ, sed unus Deus et unum fontale principium, in quo est una essentia et una potentia; sic Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, non secundum quod sunt distinctæ personæ, sed in quantum sunt unum, videlicet prout in ambobus est una essentia et una voluntas. « Ille testimonium perhibebit de me », sicut modo expositum est.

Et vos testimonium perhibebitis de me, prædicando, miracula faciendo, omnium gentium linguis loquendo. Hinc quum Petrus claudum a nativitate curasset, dixit *Act.* III, 13. Judæis : Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum quem occidistis. *Ibid.* IV, 4. Et tunc ex prædicatione Petri conversa fuerunt quinque millia Judæorum. Quumque principes sacerdotum jussissent Apostolis non prædicare magis de Christo Jesu, Petrus, qui tempore passionis ejus, interrogatione ancillæ conterritus, Christum negavit, et Joannes, qui cum ceteris Apostolis fugit, ingenti auctoritate atque constantia *Ibid.* V, 29. responderunt : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Quia ab initio mecum* A *estis,* id est, ab exordio prædicationis meæ, mihi stabiliter adhæsistis, et audistis verba mea, et opera mea ac miracula conspexistis : ideo estis idonei testes. Hinc Joannes in exordio primæ suæ Canonicæ, certitudinem apostolicæ prædicationis seu contestationis insinuans, ait : Quod audivimus, I *Joann.* I, 1, 3. quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ, quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis.

Sed *hæc locutus sum vobis* de adventu B Spiritus Sancti, et aliis multis, *ut non scandalizemini,* id est, ut non cadatis a fide et justitia tempore persecutionis, sed firmi sitis et patientes in omni adversitate, ex promissionibus et consolationibus istis quas facio vobis. Verumtamen post hæc verba scandalizati fuerunt Apostoli ad modicum tempus, in triduo mortis Christi; sed, Spiritu Sancto accepto, manserunt fortissimi.

Absque synagogis facient vos, id est, tanquam excommunicatos ac perfidos C abjicient vos infideles Judæi a sua societate et communione, et a suis materialibus synagogis, prout in Actibus Apostolorum *Act.* XIII, XIV. Paulo et Barnabæ legitur accidisse. *Sed venit hora,* id est, tempus jam prope est, *ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo,* id est, tam pessimos vos esse putabunt, ut Deo gratum reputent vos necare, quia judicabunt vos esse seductores atque hypocritas. Sed quoniam teste Ambrosio, intentio imprimit operi speciem; estque commune dictum, D quod bonum est opus, si finis sit bonus, et recta intentio : videtur quod persecutores Apostolorum et martyrum bene egerunt, quia arbitrabantur se Deum honorare in occisione Apostolorum et martyrum. Dicendum, quod duplex est finis, videlicet finis operis, et finis operantis. Finis operis, est finis operationi proportionatus et congruus; finis autem operantis, est finis quem operans sibi præfigit, adinvenit seu confingit, quum tamen non sit operi suo proportionatus et consonus : ut si quis ho-

A stem suum propria auctoritate occidat, quatenus illo occiso, possit pacifice vivere. Verbum ergo Ambrosii intelligendum est de fine seu intentione operis. Hinc patet error periculumque multorum, qui mala quædam agendo, se ipsos excusant justificantque, dicentes, Nil mali intendimus, etc., quum tamen opus eorum sit tale ut bono nequeat fieri fine, vel factum non sit ab eis fine sibi proportionato. Persecutores quoque Apostolorum ac martyrum tot fidei argumenta viderunt, utpote tot et tanta miracula, saltem communiter, quod B credere debuerunt ac tenebantur, nec per suam ignorantiam excusantur.

Et hæc mala *facient vobis, quia non noverunt Patrem* secundum proprietatem relativam. Non enim noverunt generationem æternam, nec emanationem divinarum Personarum ad intra. Vel, « non noverunt Patrem » cognitione formata, quæ caritate ornatur et bonis operibus comprobatur. *Neque me* Unigenitum Patris, secundum naturam meam divinam, neque secundum meam humanitatem ut a Verbo assumptam, quamvis facilem de me notitiam habuerint sensitivam. Pater enim et Filius relative dicuntur ad invicem, quorum unum definitur per reliquum : idcirco qui unum ignorat, reliquum nescit. Verumtamen ignorantia ista illos non excusavit, quoniam affectata fuit, et ignorantia juris, procedens ex obstinatione et perversitate qua veritatem recipere contempserunt.

Sed hæc locutus sum vobis de vestra persecutione futura, vos præmonendo ac præmuniendo, *ut quum venerit hora eorum,* id est tempus persecutionis quam inferent vobis, *reminiscamini quia,* id est quod, *ego dixi vobis* ista antequam facta sunt, idque recolendo confortetur cor vestrum in fide, et talia non tanquam inopinata et improvisa vos obruant, sed velut diu præcognita æquanimiter tolerentur : quia jacula prævisa minus ferire dicuntur, dum contra ea homo patientiæ clypeo præmunitur.

SERMO SECUNDUS

DE ARGUMENTIS TESTIMONIISQUE FIDEI CHRISTIANÆ.

C DOMINUM *Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est, fide et spe.* I Petr. III, 15.

In his verbis hortatur nos gloriosus princeps Apostolorum ad duo. Primo, ut in cordibus nostris Christum sanctificemus, id est, sanctum esse noscamus ac intueamur, atque in sanctitate et justitia ipsum mente recolamus, de ipso sinceriter cogitando, eum ferventer amando, ejus bonitatem ac beneficia firmiter recolendo, D et totum cor nostrum ei plene subdendo, *Ps.* IX, 2. quemadmodum scriptum est : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Secundo, ut parati simus ad reddendam rationem fidei nostræ ac spei cuicumque id postulanti, hoc est, quare credamus ac speremus ea quæ credimus ac speramus.

Ut enim dicunt doctores, quicumque habet caritatem, habet et septem dona Spiritus Sancti secundum aliquem gradum; et quanto homo plus crescit in caritate, tanto plus crescit in donis istis. Porro horum donorum unum vocatur intellectus, per quod illuminatur anima a Spiritu Sancto ad cognoscendum rationes credendorum seu argumenta fidei christianæ. Quamvis enim ea quæ fidei sunt naturalem rationem valde transcendant, nihilo A minus fides christiana dicitur habere rationes et argumenta, non quibus veritates fidei seu ejus articuli in se ipsis sufficienter probentur, ita ut evidenter patescant sicut probantur et evidenter patescunt veritates naturalium scientiarum, sed quibus clare ac sufficienter ostenditur quod fides ista a Deo sit et ei complaceat, atque ab ipso testimonium habeat, et confirmationem ab eo sortita sit, juxta illud ad Hebræos : *Hebr.* II, 1. Abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus, id est credere et implere quæ Christus docuit esse credenda ac implenda. *Ibid.* 3, 4. Et subdit ibi Apostolus : Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus? Itaque quicumque fidelis in caritate exsistens, sicut habet donum intellectus secundum aliquem gradum, ita habet et scit aliquam rationem propter quam credit et sperat ea quæ credit et sperat, utputa, quod a Deo sunt revelata, C vel per miracula confirmata, vel a Prophetis prænuntiata, aut propter consimiles rationes.

Sed quanto quisque excellentius illuminatur a Deo, magisque perficitur in caritate et omni virtute, tanto plus confirmatur in fide, et plures rationes credendorum seu articulorum fidei noscit. Hinc viri heroici seu perfecti dicuntur habere fidem cum rationibus credendorum, et purificatæ intelligentia mentis. Ad hos ergo potissimum pertinet assignare rationes eorum D quæ credimus et speramus, seu fidei nostræ ac spei. Quod etiam ad sacerdotes, præcipue prælatos, pastores, doctores prædicatoresque spectat, juxta illud Malachiæ: *Malach.* II, 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirent. Horum equidem est subjectos ac simplices informare, contra infideles fidei veritatem defendere, infidelibus quoque posse persuadere ea quæ fidei sunt, et eos ad fidem pro posse inducere.

Denique Albertus super septem Canonicas ait : Quamvis in primitiva Ecclesia quilibet tenebatur omni poscenti reddere rationem fidei suæ, propter credentium paucitatem, non tamen modo ad hoc omnes tenentur, sed maxime ad hoc tenentur sacerdotes et qui populo præsunt. Insuper Venerabilis Beda dicit : Duobus modis de fide et spe nostra poscentibus reddere rationem debemus : primo, rectas causas nostræ fidei ac spei omnibus insinuando, sive fideliter sive infideliter quærant; B secundo, ipsam fidei et spei nostræ professionem illibatam inviolabilemque servando etiam inter adversitates et persecutiones, per patientiam demonstrando quam rationabiliter et constanter eam servandam didicimus, pro cujus amore nec adversa pati nec mortem subire veremur.

Præterea, ad hoc quod aliquis sciat rationes assignare fidei nostræ ac spei, multum valet humana instructio, et studium Scripturarum, seu lectio ecclesiasticorum librorum. Sed, ut in præfato themate sanctus innuit Archiapostolus, iste est rectus salubrisque ordo, ut primo Christum in nostris cordibus sanctificemus, hoc est, sincero corde ei adhæreamus : beati enim *Matth.* V, 8. mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; deinde parati simus reddere rationem fidei nostræ ac spei, quia scientia absque bona vita Deo non placet, nec proficit ad salutem, sed potius auget damnationem.

Nunc ergo videndum est quæ sint rationes fidei ac spei Christianorum. Propter quas rationes Psalmista loquitur Deo : *Ps.* XCII, 5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Itaque prima ratio fidei et spei præfatæ est operatio miraculosa, præsertim quæ non nisi a Deo fieri queat, ut suscitatio mortuorum. Unde tot sunt fidei et spei nostræ rationes et argumenta, quot tam ab ipsomet Domino Jesu Christo quam ab universis ejus discipulis ac ministris facta exstant miracula, in testimonium quod a Deo sint fides ista et spes. Porro miracula Christi in Evangelio describuntur, quamvis omnia nequaquam descripta sint. A Hæc autem miracula sunt, trium mortuorum suscitatio, illuminatio cæci nati, curatio paralytici, pastio quinque millium virorum, exceptis mulieribus et pueris, ex quinque panibus et duobus pisciculis, ita quod superfuerunt duodecim cophini fragmentorum, pastio quoque quatuor millium ex septem panibus, mundatio leprosorum, et alia prorsus innumera. Nam et cordium cognovit secreta, et universa sibi aliisque ventura. Ad hoc genus testimonii, seu rationis et argumenti fidei ac spei B Christianorum, pertinent mirabilia quæ in Christi passione fiebant, videlicet : obscuratio solis, luna plena exsistente (in qua eclipsi multa valde miraculosa, solique Deo possibilia, contingebant, prout divinus *Cf.* t. XVI, p. 524. Dionysius in epistola ad S. Polycarpum verissime refert), quod item tunc multa sanctorum corpora qui dormierant surrexerunt. De hac fidei ratione ait Salvator : *Joann.* v, 36. Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, testimonium perhibent de me, quia *Ibid.* xv, 24. Pater me misit; atque alibi, Si opera non C fecissem in eis, videlicet inter Judæos, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent.

Deinceps, sicut Christus ante passionem *Ibid.* xiv, 12. prædixit, Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado; ita post resurrectionem suam implevit, quia Apostoli ejus majora fecerunt miracula in nomine ejus quam ipse. De Christo etenim legitur, quod tres mortuos suscitavit, et quod omnes infirmi qui fimbriam vesti- D menti ejus tangebant, plenarie sanabantur. Joannes autem apostolus quatuor mortuos suscitavit, quorum duo suscitati fuerunt per hoc quod tunica S. Joannis super eos posita fuit. Et de beatissimo Petro apostolo legitur, quod super quos venit umbra corporis sui, mox curabantur. Nec potest quis opinari quod ista et similia miracula non sint facta : quomodo enim aliter potuisset totus mundus ad tam incomprehensibilem fidem ac arduissimam legem converti? Imo, ut sancti Patres et subtilissimi dicunt doctores, inter omnia divinæ virtutis miracula potissimum mirabilissimumque videtur totius mundi conversio ad christianam fidem et evangelicam legem tam incomprehensibilissimam ac districtam : et hoc per paucos Christi discipulos, qui pene omnes fuerunt idiotæ et simplices, absque armorum potentia, absque humana eloquentia, sine calliditate et magica arte, quæ Christianis maxime prohibetur et a perfectis Christianis summe vitatur, sicut nos Christiani certissime scimus, quidquid infideles fatue suspicentur. Quoniam itaque per ista miracula contestatus est Deus Pater veram esse catholicam fidem, ideo in prima sua epistola scribit Joannes apostolus : Qui non credit Filio, I *Joann.* v, 10. mendacem facit Patrem, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. Quemadmodum enim rex terrenus approbat litteras aliquas, suum eis appendendo sigillum aut proprio eas annulo consignando, sic Rex regum et Dominus universorum, evangelicæ legis ac fidei approbavit doctrinam, pro ejus confirmatione tot et tanta faciendo miracula, quæ tanquam propria sigilla ei affixit copiosissime prorsus et innumerabiliter.

Præterea, unusquisque fidelis debet pro posse suo testimonium Christo ac legi evangelicæ perhibere, conversando tam virtuose coram Deo, tamque exemplariter coram hominibus, hoc est tam timorate et juste, tam humiliter, patienter et caste, tam caritative et pie, ut quicumque viderit conversationem ipsius, cogatur fateri bonam et sanctam esse legem quæ talem præcipit vitam. Unde in primitiva Ecclesia, multi gentilium fuerunt ad Christum conversi ex consideratione virtuosæ ac piissimæ vitæ Christianorum. Postremo, juxta mensuram et eminentiam incomprehensibilitatis fidei christianæ, hoc est eorum quæ credimus, sic Deus supercopiosissime, clarissime et eminentissime roboravit et approbavit hanc fidem. Et quanto copiosius fecit hoc, tanto virtuosius juxta hanc fidem conversari debemus, et, juxta A Eccle. ix, 10. Salomonis exhortationem, quidquid possumus boni instanter operari, I Cor. xv, 58. certi quod labor noster non erit inanis in Domino, Sap. iii, 15. sed quod bonorum operum gloriosus est fructus, et quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam Rom. viii, 18. quæ revelabitur in nobis. Idcirco ferventes atque indeficientes simus in bonis operibus, ad gloriam Salvatoris.

SERMO TERTIUS

DE FIDEI VERITATE ET LEGE EVANGELICA.

CHRISTO *omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Act. x, 43. Hæc sunt verba gloriosi principis Apostolorum.

Sicut videmus in sæculo isto, quod reges et principes dum magnum atque præcipuum operari quid volunt, id ipsum prænuntiant, præludia agunt, sicque hominum animos excitant et invitant ad accurrendum, ad inspiciendum, ad collaudandum; ita Deus omnipotens, qui essentialiter est ipsa sapientia æternalis et infinita, nil a casu aut fortuitu agens, imo secundum certam et infallibilem suæ providentiæ dispositionem cuncta efficiens, volens in ultima mundi ætate præclarissima et incomprehensibilia opera perpetrare, videlicet Verbo æterno unigenito Filio naturam humanam unire, atque per ipsum Unigenitum incarnatum, genus salvare humanum, christianam fidem proponere, evangelicam dare legem, innumerabilia ac præclarissima operari miracula, totum mundum convertere, copiosissima quoque ac piissima gratiarum charismata conferre hominibus, omnia ista ab exordio mundi cœpit per angelos sanctos, per Patriarchas et Prophetas prædicere, atque ad omnium horum fidem certissimam corda hominum præparare, per cœlestia oracula, per diversa præsagia, per vaticinia innumerabilia, per miracula varia denuntians ac præsignans omnia illa esse futura, quæ jam credimus esse impleta. Ideo in Actibus Act. iii, 24. loquitur S. Petrus : Omnes Prophetæ B a Samuele et deinceps annuntiaverunt dies istos; et rursus, Deus prænuntiavit per Act. iii, 18. os omnium Prophetarum pati Christum. Hinc ipsemet Christus post resurrectionem suam apparens discipulis, dixit ad eos : Oportet impleri omnia quæ scripta sunt Luc. xxiv, 44. in lege Moysis, et Prophetis, et Psalmis de me. Hinc quoque Hebræorum doctores fatentur, quod omnes Prophetæ non sunt locuti nisi super dies Messiæ. Istud ergo est secundum argumentum fidei christianæ, seu ratio secunda ejus quæ in nobis est, C fidei et spei : secundum (inquam) argumentum in genere; verum in specie continet argumentum hoc innumerabilia argumenta, utpote tot quot sunt de Christo ac ejus mysteriis Prophetarum oracula seu vaticinia.

Præterea, inter omnia mirabilia atque insignia opera Dei, excellentissimum dignissimumque censetur incarnatio Filii Dei, deinde liberatio generis humani per passionem ipsius. Hinc de his duobus potissimum prænuntiaverunt sancti Prophe- D tæ. Nempe de Christi incarnatione et nativitate Isaias clarissime prophetavit : Puer Is. ix, 6. (inquiens) natus est nobis, et filius datus est nobis; et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. In qua divinissima auctoritate, Christi majestas, et duplex ejus natura, puta divina et humana, unitasque personæ in ipso, evidenter tanguntur. Unde rursus loquitur Isaias :

Is. vii, 14; *Matth.* i, 23. Ecce virgo concipiet et pariet filium, et A vocabitur nomen ejus Emmanuel (quod interpretatur nobiscum Deus). Iterum apud *Is.* lii, 6. Isaiam prædixit Deus : Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. *Ibid.* xxx, 20. Et denuo asserit Isaias : Erunt oculi tui *Ibid.* xxxiii, 22. videntes præceptorem tuum; item, Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos. Porro, de Christi generatione humana ex Virgine, et de generatione ejus æterna ex Patre, Michæas propheta clare prædixit: B *Mich.* v, 2, 4. Et tu, Bethlehem, ex te egredietur dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis; et magnificabitur in medio universæ terræ. De Christi quoque nativitate miraculosa ex Virgine Jeremias *Jer.* xxxi, 22. locutus est : Novum faciet Dominus super terram : mulier circumdabit virum.

Insuper de Christi passione sancti Prophetæ apertissime prædixerunt. Imo per Isaiam, passio Christi tam diffuse et clare fuit prænuntiata, inveniturque præscripta, ut potius videatur historia, id est narratio C rei gestæ, quam prophetia, hoc est prænuntiatio rei fiendæ. Sic equidem legitur *Is.* liii, 2, 4. 5. ibi : Non est ei species neque decor, et vidimus eum, et non erat adspectus; vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Multaque alia ibi de hoc conscripta sunt. In multis etiam psalmis passio, resurrectio, ascensio Christi describitur. Verum in psalmo cujus exordium est, Deus, Deus meus, respice D in me, taliter passio Christi legitur prophetata, qualiter præallegato Isaiæ capitu- *Ps.* xxi, 7, 8. lo : Ego, inquit, sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis; omnes videntes me, deriserunt me. Et reliqua quæ ibi lucidissime subsequuntur.

Amplius, tempus primi adventus Christi, passionemque ejus, et Judæorum transgressionem in ipsum, atque finalem eorum reprobationem, derelictionem, vastitatem et excæcationem, Daniel propheta luce clarius prophetavit, Gabriele angelo ad eum loquente : Septuaginta hebdomades abbre- *Dan.* ix, 24, 26, 27. viatæ sunt super populum tuum, et super urbem tuam sanctam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum; et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio. Multa possent similia introduci de Christo testimonia ex Prophetis.

Insuper, tertium christianæ fidei argumentum, est sanctitas vitæ quam evangelica Christi docet doctrina, et ad quam perducit lex Christi eos qui eam perfecte observant. Hinc observatoribus legis hujus perfectis, certissime et quasi experimentaliter innotescit veritas fidei ac sanctitas evangelicæ legis. Quotidie namque experiuntur qualia desuper fiant in eis, quales visitationes gratiosæ, consolationes internæ, illuminationes divinæ, et inflammationes deificæ; experiuntur quam fragiles, pigri, infirmi et defectuosi sint ex se ipsis, quam ferventes autem, fortes et alacres ex adjutorio Creatoris. Sciunt se omnem artem magicam detestari; sciunt se aliud nihil quam Dei honorem et gloriam finaliter affectare, seque divinitus exaudiri, et omne fœdus cum dæmonibus in infinitum abominari. Idcirco certissimi sunt in fide. Et hoc est quod asserit Christus : Si quis *Joann.* vii, 17, 18. voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina an ex Deo sit. Quibus verbis mox addidit : Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam Dei, hic verax est.

Denique, sicut Aristoteles ait, Virtus uniuscujusque pensatur penes maximum in quod potest. Si ergo volumus scire qualis et quantus sit vigor et valor, virtus et sanctitas evangelicæ legis ac fidei, consideremus maximum in quod potest, hoc est, qualem efficiat suum observatorem A perfectum, quam item exaudibilem ac potentem faciat eum apud Altissimum. Hoc certe in primis constat, quod perfectio, virtus et sanctitas mentis humanæ consistit in conversione sua sincera et amorosa ad proprium creatorem, Deum verum ac Dominum universorum. Hæc autem conversio fit tanto sincerior atque ferventior, quanto plus avertitur homo ab omnium creaturarum, potissime carnalium et terrenorum, inordinato ac sensuali amore, ac superflua cogitatione et inspectione. Et B quanto lex aliqua perfectius docet, jubet aut consulit talis perfectæ conversionis ad Deum impedimenta vitare, totaliterque in Deum converti, tanto divinior rite vocatur. Hoc autem lex evangelica perfectissime agit per præcepta sua atque consilia. Præcipit namque actus virtutum, et prohibet vitia; consulitque carnalia et terrena cuncta relinquere, se ipsum quoque per votum obedientiæ abnegare, ac divino se cultui plenissime mancipare, omnem privatum amorem et proprii commodi affectionem C funditus exstirpare, sicque Deum purissime ac intensissime toto corde diligere.

Denique, quam exaudibiles et potentes, quam grati et familiares, quam cari, accepti et placentissimi isti sint apud Deum, ipse superoptimus et supermisericordissimus Deus innumerabilibus vicibus demonstravit. Nam preces illorum, etiam in maximis et difficillimis rebus, promptissime exaudivit, ad illorum instantiam mortuos suscitando, cæcos et claudos a nativitate curando, leprosos mundando, imo et bruta animalia mortua reducendo ad vitam, solem in cœlo a solito motu impediendo, jubens ut vel staret ad tempus immotus, aut certe rediret per viam quam percurrit, et multa agendo similia, quæ in libris satis authenticis, imo et in Scripturis canonicis diffuse leguntur.

Postremo, sicut in evangelio hodierno Christus prædixit, paracletus Spiritus Sanctus, quem in die Pentecostes misit discipulis, testimonium sibi perhibuit. Quod qualiter factum sit, in epistola et evangelio sequentis dominicæ et sacratissimæ solennitatis prætactæ plenius exprimetur.

Quoniam ergo tam virtuosa, perfecta et sancta est lex evangelica a Christo collata, atque tam certa et vera est fides christiana, studeamus omnes concorditer Deo nostro irreprehensibiliter ministrare, omnem superbiam, iram, invidiam, avaritiam, gulam et incontinentiam prorsus vitare, omnem quoque humilitatem, mansuetudinem, caritatem, liberalitatem, continentiam, sobrietatem amplecti, custodire, et usque in finem cum quotidiano profectu in eis viriliter conversari.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE PRUDENTIA, ET QUÆ AD EAM NECESSARIA REQUIRUNTUR.

ESTOTE prudentes, et vigilate in orationibus. I Petr. IV, 7. D

Inter virtutes morales, primatum quædam sortiuntur virtutes cardinales, inter quas S. Thomas prudentiam sentit esse nobiliorem ac digniorem. Ejus namque est alias virtutes in actionibus earum dirigere, considerando media fini virtutum accommoda, et de illorum exsecutionibus A disponendo. Prudentiæ quippe est inter bonum et malum discernere, modum et formam tenere, congruum locum aptumque tempus, et qualitatem negotii considerare et observare. Hinc, secundum Augustinum, prudentia est cognitio rerum appetendarum ac fugiendarum; et juxta Philosophum, est recta ratio agibilium. Unde, secundum Isidorum, prudens dicitur quasi procul videns. Nam prudens considerat ea quæ procul sunt, id est præterita per memoriam, et futura per providentiam, B in quantum ex talium consideratione instruitur et juvatur in his quæ præsentialiter sunt agenda. Porro, quod prudentia dicitur rerum appetendarum et fugiendarum cognitio, non de quacumque cognitione est intelligendum, quia non de nuda et informi ac speculativa cognitione, quæ potest esse in vitiosis hominibus, sed de cognitione formata et practica approbativaque boni, quæ solis bonis inest hominibus, ut sexto Ethicorum probat Philosophus. Prudentiæ namque est bene C judicare de mediis ad finem salubrem, et de eorum exsecutione disponere : quod a malis hominibus bene fieri nequit, quia in eis per passiones et vitia rationis judicium pervertitur, excæcatur, corrumpitur; et quamvis habeant quamdam astutiam aut naturalem industriam, non tamen veram prudentiam. Insuper prudentiæ est applicare considerationem communem ad certa determinataque opera : idcirco prudentia est singularium cognoscitiva per quamdam reflexionem. Quum ergo prudentia D sit virtus tam nobilis, intellectum perficiens voluntatemque dirigens, atque ubique moderamen faciens observari, recte hortatur nos gloriosissimus apostolici ordinis princeps, in hodierna epistola, ut simus prudentes, id est circumspecti, providi et discreti.

Circa quod quæri potest, an prudentia sit necessaria ad salutem, id est, an sit in cunctis hominibus caritatem habentibus, qui sunt in statu salutis. Et videtur quod non, quia multi idiotæ et valde simplices sunt in caritate et statu salutis, in quibus non videtur esse prudentia : præsertim quum teste Philosopho, prudentia experimento ac tempore indigeat. Unde et ait, quod in juvenibus non est prudentia, quia sunt inexperti. Ideo dicitur : In antiquis *Job* XII, 12. est sapientia, et in multo tempore est prudentia. Et respondendum, quod quum discretio seu prudentia sit omni homini summe necessaria, non dubium quin vera et infusa prudentia cunctis in gratia exsistentibus insit, quum et virtutes sibi connexæ dicantur. Aristoteles vero de prudentia loquitur acquisita. Nempe quum ad prudentiam spectet industria de agendis, quid scilicet sit agendum, quid cavendum, ista industria omnibus bonis inest secundum aliquem gradum, ut scilicet sciant, aut certe ab aliis sibi inquirendum advertant, quid agere debeant, quid vitare. Idcirco de omnibus gratiam gratum facientem habentibus ait Joannes evangelista, Unctio I *Joann.* II, 27. docet vos de omnibus, scilicet ad salutem requisitis.

Insuper, juxta morales, ad prudentiæ perfectionem multa pertinent et concurrunt. Primum est consideratio præteritorum, quæ vocatur memoria, per quam conjicit homo quid expediat modo, et de futuris cavet periculis. — Idcirco secundo ad prudentiam pertinet consideratio futurorum, videlicet commodorum et incommodorum seu periculorum quæ possunt accidere, si hoc aut illud agatur aut omittatur. Quæ consideratio, non ex præteritis tantum, sed et ex præsentibus sumitur. Idcirco prudentia dicitur præsens notio tractans futurorum eventum. Et Seneca ait : Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone; nihil tibi subitum improvisumque sit, sed totum ante prospicias. Qui prudens est, non dicit : Non putavi hoc fieri. — Tertio ad prudentiam spectat intelligentia, id est præsentium operabilium notitia, quid et quale sit quod instat. Et quia prudentia est circa particularia operabilia, in quibus sunt tot varietates A et circumstantiæ ac mutabilitates, quod nec in brevi, neque de facili queunt ab uno omnes considerari; idcirco in his circa quæ versatur prudentia, maxime indiget homo ab aliis informari, præsertim a senioribus et expertis, et a sapientioribus ac magis illuminatis, et desuper unctis. Propter quod sexto Ethicorum dicit Philosophus, quod oportet attendere et esse intentum enuntiationibus et æstimationibus seniorum et expertorum, tanquam quibusdam demonstrationibus in moralibus. B

Quum ergo ad docibilitatem pertineat ut per eam sit homo disciplinæ et instructionis bene ac prompte susceptivus, hinc quarto ad prudentiam spectat docilitas, per quam homo mentem suam sollicite, reverenter atque assidue applicat documentis et directionibus majorum et seniorum ac doctiorum, nec negligens ea per ignaviam, neque contemnens per superbiam : quod in junioribus et inexpertioribus maxime vituperabile perhibetur. C Nam quamvis ad omnes, tamen præcipue ad eos docilitas pertinet. — Quinto ad prudentiam pertinet circumspectio, per quam prudens considerat bonitatem prudentiæ, non solum secundum se, sed etiam secundum circumstantias debitas. In operabilibus namque particularibus circa quæ versatur prudentia, potest esse aliquod bonum secundum se, quod tamen ex circumstantia non est bonum : quemadmodum in se bonum est dilecto amicitiæ signa ostendere, quod tamen ex circumstantia bonum D non esset, nec ad finem caritatis conveniens, ut si ex tali ostensione nasceretur dilecto adulationis suspicio aut quædam elatio. Indigemus igitur circumspectione, qua oculum mentis late circumducamus, considerando an illud quod intendimus seu optamus, aut in finem aliquem ordinamus, sit expediens, omnibus circumstantiis bene pensatis. — Et quia in operabilibus circa quæ versatur prudentia, sæpe bonis et veris admixta sunt mala et falsa, ideo sexto ad prudentiam pertinet cautio, qua bona sic acceptentur quod mala vitentur. Alia quoque aliqua ad prudentiam pertinent, ut bene consiliari, et consiliata congrue exsequi.

Et juxta ista quæ ad prudentiam pertinent, diversa sunt vitia quæ prudentiæ opponuntur, videlicet : imprudentia, præcipitatio aut temeritas (quæ præcipitatio contrariatur rectæ consiliationi), inconsideratio, inconstantia, indocilitas, negligentia. Quæ omnia vitare omnino debemus, et esse ordinati, circumspecti, maturi ac diligentes in omnibus, tanto utique magis, quanto graviora nobis instant pericula. Quo enim majora dispendia imminent, eo majori diligentia ac providentia indigemus. Nec dubium quin æternæ damnationis pericula sint incomparabiliter magna et irremediabilia mala. Hinc circumspectissimi ac bona sollicitudine pleni esse debemus, præsertim divinum subsidium jugiter invocando, quum propriis viribus nec meritorie operari possumus, nec imminentia præcavere pericula, nec callidissimis ac atrocissimis nostræ salutis adversariis prævalere. Idcirco in præsenti epistola admonemur in orationibus vigilare, quoniam I *Petr.* v, 8, 9. hostis noster diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret : cui nos oportet resistere forti et infrangibili fide, quæ est bonorum omnium fundamentum. Resistamus ergo diabolo, id est multitudinibus dæmonum nos undique ambientium et impugnantium. Quibus resistendum est, in Deo fortiter confidendo, ejus auxilium ferventer ac jugiter invocando, dominicam passionem assidue ac intime recolendo, otia fugiendo, quatuor novissima meditando, orationibus ac psalmodiis vacando, et semper aliquid boni agendo, Virginem quoque gloriosam et Sanctos ac angelos nostros custodes fiducialiter invocando.

Insuper nos hortatur summus Apostolus, ut ante omnia mutuam in nobis caritatem *Ibid.* iv, 8. habeamus continuam, utpote dilectionem sanctam ac spiritualem Dei ac proximorum : quoniam caritas universarum virtutum A est vita, vertex, forma, imperatrix et finis. Ipsa quoque est ignis spiritualis peccata consumens. Dum enim infunditur, præterita peccata delentur; et per caritatis fervorem quotidiana consumuntur peccata. Quanto etiam major est fervor dilectionis, tanto plus de pœna peccati dimittitur. Unde de beatissima Maria Magdalene *Luc.* vii, 47. loquens Salvator : Dimissa sunt (inquit) ei peccata multa, quoniam dilexit *Prov.* x, 12. multum. Et Salomon loquitur : Universa delicta operit caritas. Et quia diligere, est B dilecto bonum velle, idcirco fraterna requirit dilectio ut bona proximis optemus ac impendamus pro loco et tempore opportuno. Hinc in præsenti epistola princeps *I Petr.* iv, 10. docet Apostolorum, ut unusquisque dona gratiæ sibi collata communicet aliis. Propter quod consulendo, auxiliando, docendo, corripiendo, hortando, consolando, juvando, obsequendo, debemus mutuo bona nobis desuper impertita communicare. *Ibid.* 11. Et si quis loquitur alteri, non vana et frivola, sed quasi sermones Dei, videlicet C verba ædificatoria, utilia, necessaria, virtuosa, loquatur. Quod utinam in nostris bene servaremus colloquiis. De his autem pertranseo, quia in præinductis paulo ante sermonibus multa de eis sunt commemorata.

Itaque, juxta compendiosissimæ hujus epistolæ documentum, sit semper in nobis vera prudentia, cum prætactis quæ ad eam pertinent et concurrunt, ne facile decipiamur, nec incaute omni credamus spiritui, nec unquam simus inconsiderati aut indiscreti. Nam et Seneca protestatur : Prudentis proprium est examinare consilia, et non cito facili credulitate ad falsa labi, in dubiis non definire, sed suspensam tenere sententiam. Iterum ait : Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris, et prout rerum temporumque varietas exigit, ita te exhibebis, et pericula multa evades. Ideo loquitur Augustinus : Ubi fuerit prudentia, frustrantur contraria; ubi vero defuerit, dominabuntur adversa. Hinc ait et Christus, Estote prudentes sicut serpentes, *Matth.* x, 16. et simplices sicut columbæ : ut scilicet serpentinam astutiam columbina simplicitas temperet, et columbinam simplicitatem serpentina prudentia ornet ac dirigat.

SERMO QUINTUS

DE MYSTERIIS CHRISTIANÆ FIDEI, ET QUID EADEM OPERARI IN VERIS DEBEAT RELIGIOSIS.

QUUM venerit Paracletus, quem ego D *mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Joann. xv, 26.

Omnia quæ sunt fidei christianæ, rationem transcendunt humanam; et ipsa lex Christi, lex evangelica, tota est supernaturalis. Habuit quidem hæc fides et lex ista adversarios multos a suæ prædicationis exordio : primo Judæos, qui persecutione ac violentia, et scripturarum veteris Testamenti allegatione eam multipliciter impugnaverunt; deinde philosophos principesque terrenos, imperatores Romanorum atque Persarum, aliarumque gentium; sed et hæretici eam atrociter impugnare et suppeditare moliti sunt. Sed mentita est *Ps.* xxvi, 12. iniquitas eis; et Deus omnipotens, qui tam supernaturalem præstitit legem, tam incomprehensibilem dedit fidem, per supernaturalia argumenta, per innumerabilia sibi soli possibilia conservare eam dignatus est signa. Quorum hoc erat non minimum, quod in hodierno tangitur evangelio, quod Salvator in sermone post Cœnam A Apostolis facto prædixit. Siquidem in sermone illo altissimo, sapientissimo et vere pulcherrimo innotescit excellentia Christi, eminentia sapientiæ ejus, plenitudo gratiæ prophetiæ qua fulsit, et veritas fidei christianæ. In illo quippe sermone Dominus et Salvator omnia sibi Apostolisque ventura prænuntiavit, et evangelicæ legis divulgationem, mundi conversionem, et multa secreta prædixit, suam videlicet tunc instantem captionem, passionem, crucifixionem, sepulturam, resurrectionem, apparitionem, B ascensionem, Paracleti missionem, Apostolorum illuminationem, confortationem, inflammationem, prædicationem. Quod totum, sicut prædixit, effectus ostendit.

Verum his immorari non est fori præsentis : infinita enim est certitudo fidei christianæ et firmitas. Verum idcirco hæc tetigi, ut supernaturali altitudini legis ac fidei nobis de cœlo per Filium Dei collatæ, correspondeat conversationis nostræ sublimitas in omni spiritualitate et perfectione, in ardenti amore, in contempla- C tiva oratione, in amorosa contemplatione, ut Deo altissimo et rebus spiritualibus et internis, cœlestibus ac divinis, tam valide adhæreamus, immoremur, afficiamur, quod de terrenis, transitoriis atque carnalibus, salva necessitate, nil curemus; necessaria quoque corpori magis cum tædio et mœrore quam cum voluptate et dissolutione accipiamus, in solo Creatore consolationem, quietem et occupationem quæramus.

Ecce quam amorose, quam gratiose ac dignantissime, quam liberaliter, superna- D turaliter ac supermisericordissime tota supergloriosissima Trinitas egit nobiscum. Siquidem Deus Pater unigenitum Filium suum sibi consubstantialem, coæqualem, consempiternum, simillimum, complacentissimum et supercarissimum misit ad nos, contulit nobis; fecit eum fratrem nostrum, et per ipsum fecit nos filios suos; voluit eum incarnari, fecit eum tot annis cum hominibus conversari, atque per ipsum redemit nos, et tot bona nobis largitus est. Porro, Filius Dei vere ac copiose nobis ostendit quod deliciæ ejus sint esse *Prov.* VIII, 31. cum filiis hominum. Nam, quum dilexisset *Joann.* XIII, 1. suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos; tradiditque se ipsum *Ephes.* V, 2. pro eis oblationem et hostiam Patri, in odorem suavitatis. Et quidquid de nostro accepit, nobis liberalissime mirabiliterque rependit. Misit quoque, infudit et dedit hominibus Spiritum Sanctum; et Spiritus Sanctus Patri ac Filio consubstantialis, humanorum cordium esse instructor, inhabitator, impletor dignatus est.

Ecce quomodo magnificavit Deus Trinitas *Ps.* CXXV, 3. operari nobiscum, quam magnifice et gratiose agit cum electis suis quotidie. Nonne corda pauperculorum suorum visitare, inhabitare, excitare, instruere, accendere ac tueri incessanter dignatur ? Frequenter prævenit eos piissime, implet uberrime, loquitur intus, mentem præstringit, sibi conjungit, rapit, absorbet, amplectitur, osculatur. Et agit hæc omnia ubi vult, quando vult, quantum vult et quomodo vult; ita ut interdum dum rogatur, et homo ad talia obtinenda conatur, non faciat, quandoque autem non rogatus hæc operetur, sicque præveniat, præoccupet, superimpleat animam, ut ipsa, quamvis velit effugere, nequeat : quatenus ex hoc intelligamus propriam infirmitatem, defectuositatem, inopiam, ac benignissimi Dei liberalitatem, caritatem, dignationem et libertatem, sicque tota spes nostra in ipso figatur. Experientia namque donorum Dei spem parit, et fidei certitudinem gignit. Quumque hoc modo Spiritus Sanctus nostra impleverit corda, et hospitaverit in eisdem, reddit testimonium nostro spiritui *Rom.* VIII, 16. quod filii simus Dei.

Ad prætactam ergo gratiosissimam ac munificentissimam Spiritus Sancti in cordibus nostris susceptionem ac demorationem disponamus assidue animas nostras, præsertim hoc tempore, appropinquante Spiritus Sancti solennitate, per regularem, fructuosam et exemplarem in omnibus conversationem, per orationes internas, meditationes salubres, per psalmorum laudationes. A Omnem pigritiam, negligentiam, dissolutionem, iram, impatientiam, crapulam, elationem, cum ceteris passionibus et peccatis, abjiciamus, detestemur, suppeditemus, *Is.* LXVI, 2. quoniam super quietum et humilem, super pauperculum et contritum, ac Dei sermones trementem, moratur ac conquiescit Spiritus Sanctus. Cujus quum sit munificentia, opulentia, benignitas infinita, suæ abundantia pietatis vota nostra excedens et merita, tanto mentes nostras gratiosius visitabit, copiosius illustrabit, B amorosius inflammabit, unget, perficiet, quanto interim ab omni carnali affectione, ab omni privato amore, ab omni negligentia et torpore purgaverimus eas, quanto etiam avidioribus adspirationibus in eum movemur, ejusque gratiosum adventum precamur, et quanto sollicitius coram ipso ac custoditius conversamur.

Sint igitur oculi nostri semper ad Dominum, et omne opus Dei quotidie perfectius facere enitamur. Nullam particulam temporis infructuose pertranseamus ; oculos, linguam, ventrem cum moderamine reprimamus, et omni custodia cor nostrum custodiamus. Non simus immemores prætactarum caritatis, dignationis, liberalitatis et beneficentiæ Dei ad nos, nec ingrati simus eisdem ; sed cum Psalmista, benedicamus *Ps.* XXXIII, 2. Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore nostro. Nec verbis tantum, sed et veritate et opere pro viribus vicissitudinem rependamus, totum quod sumus, habemus et possumus, summæ majestatis cultui jugiter mancipantes.

SERMO SEXTUS

DE ORATIONE ET DEVOTIONE AD CONTEMPLATIONEM MYSTICAMQUE THEOLOGIAM PERTINENTE.

C *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Cant. III, 1.

Oratio et contemplatio sunt duæ alæ veloces quibus ad Altissimum fertur, ascendit et volat anima nostra. Contemplatio tamen est ala velocior atque nobilior : oratione etenim quæritur Deus, contemplatione invenitur ; oratione ad ipsum ascenditur, contemplatione ipse apprehenditur. Imo, quum Deum sinceriter contemplari, *Rom.* IX, 16. non sit volentis neque currentis, sed donum Dei id concedentis, oratio ad contemplationem disponit, et oratione contemplationis D gratia obtinetur. Deinceps, quia non solum interiori intuitione atque interna appetitione, sed et piorum operum exsecutione et divini cultus exercitatione ad beatitudinis scanditur fontem, ideo et devotio ala est mentis, qua scandit ad Deum, psalmodia quoque, et alia quævis laudatio Dei.

Imo, quum sine caritate nulla virtus virtutisve actio mentem creatam Deo absolute conjungat, ipsa caritatis actualis dilectio propriissime ala cordis asseritur, qua ad Deum volare censetur. Dilectio etenim, spiritualis est ignis volans in altum, et caritas tendit sursum. Nam ubi *Matth.* VI, 21. thesaurus, ibi et cor ; et ubi amor, ibi et oculus, in tantum ut anima verius esse dicatur ubi amat, quam ubi animat. Et secundum Augustinum, quod in corporibus est pondus, hoc in spiritualibus substantiis amor : nam sicut pondus trahit corpora ad sua loca, sic amor mentem ad sua objecta, id est ad ea quæ diligit. Vide ergo ad quid magis trahatur cor tuum, ad quid amplius inclinetur, ad quid fortius afficiatur, quia hoc intensius amare probaris. Et sicut blada in humo relicta putrescunt, et in solario posita reservantur :

sic cor tuum terrenis et carnalibus rebus (cogitando et appetendo) inhærens ac immorans, mox putrescit, spiritualiterque corrumpitur; sed in cœlis fixum, ad spiritualia elevatum, ad Deum erectum, viget et conservatur. Hinc loquitur Augustinus : Non putrescit cor tuum si levetur ad Deum. Frumentum tuum si in inferioribus collocatum haberes, illud ne putresceret ad superiora levares. Frumento tuo aptum quæris locum, et in terra putrescere permittis cor tuum? Frumentum tuum levas ad superiora, et mentem tuam leva ad cœlestia ac divina. Et quomodo, inquis, possum? Quæ funes, quæ scalæ, quæ machinæ requiruntur? Affectus tuus, gradus est; iter tuum, bona voluntas est. Amando ascendis, negligendo descendis; stans in terra, in cœlo es, si diligis Deum.

Ecce ex his colligere possumus alas sex quibus ad summum universorum volatur, Deum sublimem. Prima est oratio; secunda, devotio; tertia, meditatio; quarta, laudatio; quinta, contemplatio; sexta, dilectio. De quibus intelligi potest, quod Isaias sex alas se in Seraphim vidisse fatetur : *Is.* VI, 2. Seraphim (inquiens) stabant super illud; sex alæ uni, et sex alæ alteri. Nunc autem de duabus harum alarum, videlicet oratione et devotione, prout ad contemplativam animam ac mysticam spectant theologiam, p. 41 Cels. dicendum est. Superius etenim dictum est, quemadmodum juxta spiritualis profectus mensuram competit personis devotis sublimius puriusque orare. Oratio autem est petitio decentium a Deo. Unusquisque autem a Deo petere debet ea quibus amplius indiget et quorum capacior est, et quæ Deus ab ipso magis requirit, atque ad quæ per studium spirituale et exercitia virtuosa magis disposuit semetipsum. Constat autem quod religiosi ad perfectionem tendere obligentur; et qui jam viriliter profecerunt, contemplandique gratiam sunt sortiti, quotidie nihilo minus ad altiora proficisci debent charismata, exemplo illius magni qui protestatur : *Philipp.* III, 13. Ego me non arbitror apprehendisse; unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, in anteriora extendo me ipsum.

Hinc oratio ad contemplationem pertinens, a communium oratione in duobus differre videtur. Primo, quoniam contemplativi tranquilliori stabiliorique mente orant, ita quod exorando, quasi in latitudine cordis cum Deo deambulant, et amicabiliter familiariterque loquuntur cum ipso, atque ipsius bonitatem, pietatem, excellentiam speculantur : quod vocatur contemplative orare. Ad quod requiritur tranquillitas mentis. Unde quidam senum dixerunt : Sicut impossibile est ut videat quis in aqua turbida faciem suam, sic et anima, nisi purgata fuerit a cogitationibus alienis, contemplative Deum orare non potest. Ad hanc ergo orationem necessaria est recollectio mentis. Secundo, oratio contemplativorum ab aliorum differt oratione, quoniam contemplativi perfectiora et secretiora gratiarum charismata petunt, Deum orando ut mentes eorum ab omni etiam veniali culpa expurget et præservet, insuper eas assidue magis ac magis illuminet et accendat, impleat, roboret, et eas intimius sibi adstringat, gratas placitasque efficiat, et ita se ipsum eis benignissime applicet, amorose conjungat, gratiose infundat, quatenus ipsi valeant sibi quotidie reverentialius ac perfectius deservire, omne opus Dei diligentius adimplere, ei assidue plenius complacere, stabilius adhærere, propinquius couniri. Ad hanc itaque contemplativam orationem ascendere, pervenire, et in ea proficere ac firmari conemur.

Præterea devotio tripliciter definitur. Siquidem S. Thomas affirmat, quod devotio sit promptitudo voluntatis ad ea quæ Dei sunt exsequenda, hoc est alacritas adimplendi ea quæ ad divinum pertinent cultum. Hugo autem disserit, quod devotio sit fervor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis manifestat indiciis. Alii vero : Devotio, inquiunt, est teneritudo cordis qua quis de facili in fletum resolvitur. Harum definitionum prima dari videtur per essentiam, secunda per A causam, tertia per effectum. Devotio namque essentialiter est promptitudo prætacta, et ex caritatis fervore causatur, et teneritudinem cordis ad lacrimandum producit. Devotio ergo essentialiter est promptitudo voluntatis tradendi se ad ea quæ divinum concernunt obsequium. Estque devotio ista latriæ actus : latria namque est virtus Deo cultum cærimoniamque impendens.

Deus vero est causa exterior devotionis, quæ a virtute latriæ immediate procedit, B formaliter et elicitive. Caritas quoque dicitur causa devotionis, non solum imperative (juxta quem modum causa est cujuslibet actus virtuosi), sed etiam speciali propinquiorique modo, quia ex caritatis affectu, prædicta promptitudo ad ea quæ Dei sunt, valde de propinquo progreditur. Porro meditatio, seu contemplatio, sive cognitio, est causa devotionis, tanquam iter ad eam et directrix ipsius. Quum enim devotio sit voluntatis actio, necesse est ut ex prævio aliquo intellectus actu procedat, C quum voluntas ipsa de se cæca dicatur, et ejus objectum sit bonum intellectum, id est per intellectivam potentiam apprehensum, seu intellectualiter cognitum.

Quocirca sciendum, quod quum cognitio seu contemplatio sit causa devotionis, et item dilectio, idcirco quo aliqua sunt digniora et diviniora seu meliora, eo, quantum in se est, majorem facere possunt devotionem, et eam plus excitare ac inflammare. Hinc summæ Trinitatis ac veræ Deitatis contemplatio, devotionem maxime D potest accendere ex sua natura. Verumtamen ex parte nostri frequenter contingit oppositum, quoniam sensibilium manuductione, qua ad divina elevemur, egemus. Idcirco ex consideratione passionis Christi et eorum quæ ad suam spectant humanitatem, sæpius plus ad devotionem movemur, quum tamen devotio principaliter circa Deitatem consistat, ex cujus consideratione viri perfecti ad devotionem præcipue incitantur. Deitas namque quum sit excellentiæ infinitæ, bonitasque prorsus immensa, incomparabiliter ad sui cultum ac venerationem nos debet inducere; et devotio ex Deitatis contemplatione ac dilectione concepta, est altior, dignior atque divinior.

Insuper, quum caritas devotionis sit causa, juxta triplicem caritatis gradum, triplex est gradus devotionis. Quo enim caritas fuerit ferventior, eo alacrior ad divinum cultum promptitudo ex ea causatur. Illa ergo devotio dicitur a quibusdam desideriosa, qua quis cum ingenti aviditate et affectione fertur ad divina; voluptuosa vero, quando devotioni conjuncta est delectatio ingens; furiosa autem, quando tam vehemens est, et tam impetuose erumpit, mentem corpusque concutit, ut reprimi nequeat, et hominem furioso quodammodo faciat similem. Quæ ad viros perfectos et contemplativos, ac mysticam theologiam, potissimum pertinere videtur. Ad quam devotionem sic tendere nos oportet, quomodo ad caritatis perfectionem tendere obligamur.

Ad hanc ergo devotionem nos demus, præparemus, extendamus, in caritate et dono sapientiæ ac divinorum affectuosa cognitione proficiendo. Ad quam etiam dominicæ passionis meditatio, et ceterorum Dei beneficiorum intenta consideratio, multum disponit : ideo ea consideremus assidue, atque ad Dei amorem purissimum et reverentialem ac cordialem eadem ordinemus ac referamus, qui est super omnia benedictus. Amen.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES

ENARRATIO IN EPISTOLAM

DUM COMPLERENTUR DIES PENTECOSTES, ETC. Act. II, 1-11.

APUD Judæos, in veteri Testamento, fuit paschalis solennitas, similiter solennitas Pentecostes, sicut nunc apud Christianos : verumtamen non eisdem diebus, nec causis eisdem. Siquidem apud Judæos paschalis solennitas cœpit vespere feria quinta, luna quartadecima; et agebatur in commemorationem liberationis filiorum Israel ab Ægypto, hoc est a servitute Pharaonis regis Ægypti. Deinde quinquagesimo die a die præfata, fuit apud Judæos solennitas Pentecostes, in commemorationem dationis ac susceptionis legis antiquæ a Deo per Moysen in monte Sinai. Porro, apud Christianos semper die dominica celebratur paschalis solennitas, in commemorationem, in honorem resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, qui per suam passionem liberavit genus humanum a servitute peccati, a jugo diaboli, a pœna inferni, ab impedimento ingressus regni cœlestis, a reatu peccati originalis. Hinc Matth. I, 21. angelus dixit ad Joseph : Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Quinquagesimo quoque die a solennitate paschali, agitur solennitas Pentecostes, in commemorationem missionis Spiritus Sancti, et in honorem Paracleti. Itaque ait beatus Lucas evangelista :

Dum complerentur dies Pentecostes, hoc est, decurrerent et durarent, quia solennitas illa apud Judæos duravit septem diebus, sicut paschalis solennitas. Sicque dies in quo missus est Spiritus Sanctus, fuit quartus vel tertius dies solennitatis Pentecostes, juxta ritum et computum Judæorum, quorum et paschalis festivitas, hanc præcedens, cœperat feria quinta de vespere. Sed juxta ritum et computationem Ecclesiæ, et prout in evangelica lege hæc observatur solennitas, missus est Spiritus Sanctus prima die ipsius, videlicet quinquagesimo die a Christi resurrectione. Porro Pentecoste dicitur a πέντε, quod est quinque, et κοστή, quod est decem, quasi quinquies decem, quæ faciunt quinquaginta. *Erant omnes discipuli,* id est Apostoli et alii multi discipuli Christi, *pariter in eodem loco,* videlicet in cœnaculo, in quo Christus cum Apostolis Cœnam fecit novissimam. Quum enim Christus in die ascensionis appareret discipulis in monte Oliveti, antequam ascendit in cœlum, dixit eisdem : Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto; et ego mittam Luc. XXIV, 49. promissum Patris mei in vos, id est Spiritum Sanctum procedentem a Patre, quem et Pater per me vobis promisit. Quumque Christus coram discipulis ascendisset, reversi sunt Jerosolymam cum gaudio magno, et præfatum introierunt cœnaculum. Erant quoque cum eis Virgo gloriosa et aliæ feminæ sanctæ quæ Christum ante passionem fuerunt secutæ, juxta illud : Quum introissent in cœnaculum, hi omnes erant perseverantes unanimiter in ora- Act. I, 13, 14. tione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus, id est cognatis : quia A non solum aliqui Apostolorum, sed et aliorum discipulorum nonnulli fuerant consanguinei Christi.

Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, hoc est instar venti impetuosi et grandis tonitrui, ita quod sonus ille fuit magnus fragor similis sono validi venti sive tonitrui. Vel sic, « factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis », id est talis sonus qualem decuit esse sonum illum qui majestatem Spiritus B Sancti advenientis et velocitatem suæ operationis declaravit atque signavit. Siquidem per ea quæ foris fiebant, invisibilis Spiritus Sancti majestas, virtus et actio significabantur. Juxta hunc modum Ezechiel propheta loquitur : Audiebam sonum, quasi sonum aquarum multarum, quasi vocem sublimis Dei. *Ezech.* I, 24. Deinceps Spiritus Sanctus dicitur Spiritus vehemens, id est in operatione maxime velox, et mentem valde accendens, concutiens et immutans; vel, « vehemens », hoc est væ demens, C quia in præsenti aufert væ culpæ, et liberat a væ infernalis miseriæ. Quod vero dictum est « de cœlo », intelligi potest dupliciter : primo, quoniam sonus ille fiebat virtute cœlesti et miraculose, utpote ministerio angeli; secundo, quia fiebat in cœlo aerio, hoc est in aere. Unde et aves in aere volitantes, aves cœli vocantur. Fiebat enim in aere, circa cœnaculum istud. Ad hoc quoque fiebat sonus ille tam vehemens, ut per eum corda discipulorum ad reverentialem Dei concuterentur timorem, D sicque profundiori humiliatione disponerentur ad Spiritus Sancti infusionem. *Et replevit* sonus ille *totam domum ubi erant sedentes,* hoc est in qua manebant.

Et apparuerunt illis, id est Apostolis ac ceteris eis adjunctis (qui omnes simul erant circiter centum viginti, secundum illud : Erat autem turba hominum simul fere centum viginti), *Act.* I, 15. *dispertitæ linguæ tanquam ignis,* hoc est igneæ linguæ diversimode inter se divisæ, *seditque supra singulos eorum,* id est, Spiritus Sanctus in linguis istis apparens, super unumquemque discipulorum quievit. Per quod designavit quod corda eorum gratiosissime adimplevit. Sic et super Christum in baptismo in forma columbæ descendit et mansit. *Matth.* III, 16. Postremo duplex est missio Spiritus Sancti : una spiritualis et invisibilis, qua absque sensibili signo infunditur mentibus; alia visibilis, dum datur in signo sensibili, ad innuendum quod earum rerum in quarum forma apparet, proprietates et actus spiritualiter operatur in cordibus quibus præstatur. Hinc nunc in igneis linguis apparuit, hoc est in igne et linguis : ita quod ignis habuit speciem linguæ, et linguæ videbantur igneæ, sic quod æquivalenter fuit duplex signum sensibile. In linguarum itaque specie apparebat, ad innuendum quod omnium linguarum notitiam, facultatem et usum eis infudit; secundo, quia cunctis gentibus erant prædicaturi; tertio, quoniam linguis prædicantium gratia Spiritus Sancti præcipue necessaria est. Hæ quoque linguæ igneæ erant, ad designandum quod verba ferventia proferre et igneam legem docere deberent. Siquidem lex evangelica recte lex ignea nuncupatur, quum sit lex amoris, de quo ait Salvator : Ignem veni mittere in terram. *Luc.* XII, 49. De qua lege scriptum est in Deuteronomio : In dextera Dei ignea lex. *Deut.* XXXIII, 2. Item, quod intus igne divini succenderentur amoris. Itaque Deus per hoc quod foris exhibuit, ostendit quod intus gessit : qui enim discipulos caritate succensos, et verbo atque sapientia eruditos, intus constituit, foris igneas linguas monstravit.

Insuper, convenienter quinquagesimo die a Pascha, sic datus est Spiritus Sanctus. Primo, ad declarandam veteris ac evangelicæ consonantiam legis. Nam vetus lex quinquagesimo die a Pascha Judæorum collata est : sic et Spiritus Sanctus, per quem evangelica lex in discipulorum cordibus est firmata, quinquagesimo die a Pascha credentibus est infusus. Secundo, quoniam quinquagesimus numerus remissionem et quietem designat : unde in lege veteri annus quinquagesimus dictus est jubilæus, id est annus remissionis. Quum ergo Spiritus Sanctus peccata dimittat, veramque tribuat pacem, et ad æternam perducat quietem, quinquagesimo die datus est congruenter. Ad litteram quoque, Apostoli infra hos decem dies ab Ascensione convenienter se valebant disponere ad tam copiosissimam susceptionem Spiritus Sancti. Quo etiam numero mystice designatur, quod per observantiam decem præceptorum, ad incrementa donorum Spiritus Sancti pertingitur.

Præterea, quia in textu habetur, « apparuerunt illis », quidam opinati sunt quod apparitio illa imaginaria fuit. Hinc secundo de Trinitate asserit Augustinus, quod littera hæc quæstionem habet an igneæ linguæ corporaliter visæ sint eis, an imaginarie tantum. Tenendum tamen est absolute, et communiter sic tenetur, quod vere ab extra realiter apparebant, sicut columba super Christum.

Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Quemadmodum enim domus in qua sedebant repleta fuit sono et igneis linguis, ita et corda eorum illustratione, inflammatione variisque charismatibus Spiritus Sancti. Et utique ante hanc horam, habuerunt gratiam Spiritus Sancti, etiam in abundantia quadam, præsertim quum Christus per insufflationem eis Spiritum Sanctum infudit; sed nunc in præexcellenti plenitudine Spiritum Sanctum adepti sunt. Sunt autem plures gradus quibus electi Dei Spiritu Sancto pleni sunt, seu repleti dicuntur; nec Apostoli sic modo repleti Spiritu Sancto fuerunt, quin ab hac die usque ad finem vitæ suæ, in donis et gratia Spiritus Sancti omni die eminenter profecerint. Insuper, repleti Spiritu Sancto jam describuntur, non solum quantum ad dona gratiæ gratum facientis, sed etiam quoad dona gratiæ gratis datæ, quæ ad aliorum utilitatem præstantur. Jam enim data sunt eis gratia miraculorum magis quam ante, et spiritus prophetiæ, donum linguarum, discretio spirituum, sermo A sapientiæ, sermo scientiæ. In tanta quoque plenitudine Spiritum Sanctum quoad dona gratum facientis gratiæ susceperunt, quod confirmati fuerunt in gratia, nec postea peccaverunt mortaliter.

Et cœperunt loqui variis linguis, hoc est diversis uti loquelis, *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Omnium enim gentium idiomata proferre et intelligere potuerunt : imo, quod mirabilius est, secundum Glossam et expositores communiter, uno eorum aliquam proferente B loquelam, omnes qui aderant, quantumlibet idiomatum consisterent diversorum, loquelam illam tanquam proprium idioma audierunt ac intellexerunt, divina id operante potentia.

Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, hoc est devoti. Religio namque uno modo est idem quod latria, quæ est virtus Deo cultum cærimoniamque impendens. Qualiter autem religio pluribus modis sumatur, et quomodo dupliciter religiosi dicantur, in expositione C epistolæ præcedentis dominicæ dictum est. p. 26 D et s. *Ex omni natione quæ sub cœlo est.* Hoc per hyperbolen dictum est, quia non absolute ex omnibus mundi provinciis, sed ex multis et valde diversis quidam Judæi ad Jerusalem confluxerunt, et ex devotione ibi manserunt, tanquam in urbe præcipua cultus divini, in qua templum exstitit : qui erant ex eorum posteritate quos Assyrii et Chaldæi ac Græci per diversa vendiderant atque disperserant loca. Unde in libro Esther refertur, quemadmodum in *Esther* III, 8. D diversis Assueri regis provinciis plurimi morabantur Judæi; et quamvis a Cyro rege Persarum habuerunt redeundi licentiam, multi tamen non redierunt.

Facta autem hac voce, hoc est, locutione Apostolorum tam mirabiliter resonante, quando cœperunt loqui variis linguis, *convenit multitudo,* hoc est, plurimi Judæorum accurrebant. Quidam vero per vocem hanc factam, intelligunt sonum præfatum, tanquam advenientis spiritus vehementis : quem dicunt ab habitatoribus Jerusalem circa templum fuisse auditum ; propter A quod mox illuc concurrerunt. *Et mente confusa est,* hoc est plurimum admirata ac conturbata, *quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Ex quo elicitur, quod singuli unam cujuslibet Apostolorum loquelam intellexerunt : quod fuit magnum et inauditum miraculum, omnes illos in stuporem convertens, quemadmodum subditur :

Stupebant autem omnes. Stupor ex ingenti admiratione causatur. *Et mirabantur, ad invicem dicentes : Nonne ecce isti omnes* B *qui loquuntur,* puta Apostoli, *Galilæi sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus ?* videlicet : *Parthi, et Medi, et Elamitæ,* ex regione nomine Elam, *et qui habitant Mesopotamiam, Judæam.* Judæa hic sumitur pro terra duarum tribuum, scilicet Juda et Benjamin, ad distinctionem (ut ait Beda) Samariæ, Galilææ, Decapoleos et aliarum in eadem provincia regionum. Quæ omnes licet una loquerentur lingua Hebræa, tamen in loquendo aliqualiter differebant, C sicut et modo diversi Teutonici. Hinc Petro in passione Christi objectum est quod fuerit Galilæus. *Marc.* XIV, 70. *Et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam.* Asiæ minoris provinciæ fuerunt Phrygia et Pamphylia, Cilicia, Lycaonia, et aliæ multæ. *Ægyptum, et partes Libyæ quæ est circa Cyrenen.* Libya regio est circa Ægyptum, et protenditur usque in Cyrenen. *Et advenæ Romani,* qui de Italia ad Jerusalem venerant. *Judæi quoque* natura, *et proselyti.* Sicut in novo Testamento vocantur neophyti, qui de infidelitate ad evangelicam legem de novo conversi sunt; ita in veteri Testamento dicebantur proselyti, qui de gentilitate ad legem convertebantur Mosaicam. *Cretes et Arabes,* hoc est de Creta et Arabia. Arabia vero plurimas habet gentes, videlicet Moabitas, Ammonitas, Idumæos et Sarracenos, pluresque alias.

Audivimus eos loquentes nostris linguis, secundum modum prætactum, *magnalia Dei,* videlicet Christi resurrectionem, ascensionem, Paracleti missionem, et quomodo Deus per Christi passionem mundum redemit. Præterea, uno Apostolorum loquente, atque tacentibus ceteris, unus ille non nisi unius idiomatis simul protulit verba; singulis tamen videbatur quod suæ loquelæ verba proferret : et virtualiter, non formaliter ita fuit, sicut et manna cunctorum ciborum saporem continuit, juxta illud libri Sapientiæ : Panem de cœlo præstitisti eis, Domine, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem ; *Sap.* XVI, 20, 21. deserviens enim uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. Hoc tamen in bonis Israelitis contigisse dumtaxat aliqui dicunt : nam mali dixerunt, Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. *Num.* XXI, 5.

SERMO PRIMUS

QUOMODO SPIRITUS SANCTUS PERHIBUIT APOSTOLIS ET ELECTIS TESTIMONIUM DE CHRISTO, ET DE CAUTELIS SERVANDIS IN LOQUENDO.

R*EPLETI sunt omnes Spiritu Sancto.* D Act. II, 4.

Quemadmodum Dominus noster Jesus Christus in sermone suo post Cœnam prædixit Apostolis, ita hoc die copiose ac gloriosissime adimplevit. Tunc enim promisit eis Spiritum Sanctum, et inter cetera dixit : Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me. *Joann.* XV, 26. Hoc itaque Christus Filius Dei hoc die adimplevit. A Nam mane, utpote tertia hora diei (eo modo computandi quo Christus dicitur *Marc.* xv, 25. hora tertia a Pilato præside judicatus), dum beatissimi Apostoli, et qui cum eis erant, orationibus et meditationibus sanctis devotissime erant intenti, repente factus est sonus magnus quasi tonitruum circa domum in qua consederunt, et descendit super eos Spiritus Sanctus, implevitque corda eorum multiplici gratia, omnium linguarum notitia et totius sacræ Scripturæ intelligentia, sanctæ quoque caritatis admirando B fervore, et maxima mentis constantia : ita quod ipsi beati Apostoli ceterique discipuli, qui usque ad tempus illud formidabant Judæos nec Christum publice confiteri audebant, subito excellentissime illuminati, ardentissime inflammati, invictissime confortati, velut examen apum eruperunt de illo in quo sedebant cœnaculo, et ingressi sunt templum ; atque ibidem, in omnium præsentia Judæorum, videlicet multorum sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum et seniorum, ac vulgi, Christum cœperunt C absque omni formidine prædicare, protestando et per Scripturas sacras probando, quod ipse Dominus Jesus Nazarenus sit verus Christus, rex Israel et Messias in lege promissus, Salvator mundi ac Filius Dei. Tunc itaque Spiritus Sanctus perhibuit testimonium de Christo per os Apostolorum.

Multipliciter autem perhibuit testimonium Christo. Primo, per hoc quod Christi promissionem de sua missione tam gratiose ac miraculose implevit, utpote, D per hoc quod ipsis Apostolis et congregatis cum eis, simplicibus et idiotis, repente sapientiam tantam infudit, tam ardentissimam caritatem Dei et proximi contulit, tantam animi fortitudinem indidit, omnium linguarum notitiam et usum concessit : ita quod sancti Apostoli, qui a Christo adhuc vivente et capto fugerunt, jam eum post suam crucifixionem tam imperterrite ac constantissime prædicaverunt ; et sacratissimus princeps Apostolorum Petrus, qui ad interrogationem ancillæ negaverat Christum, jam præ ceteris universis coram universo populo prædicavit eumdem, nec propter pontificum prohibitionem nec propter flagellationem cessavit. Tam miraculosa ergo et gratiosa operatio Spiritus Sancti, fuit testimonium præclarissimum quod Jesus sit verus Christus et Filius Dei.

Secundo, Spiritus Sanctus perhibuit testimonium Jesu Christo, per Apostolorum ora tam miraculose loquendo, quod uno Apostolo unum idioma loquente, universi qui aderant, diversarum valde exsistentes linguarum, illud intellexerunt, et quasi proprium idioma unicuique sonuit illud : cujus similitudo præcessit in manna, quod licet in sua natura non habuerit nisi unum saporem, tamen unicuique filiorum Israel *Sap.* xvi, 21. fideli et bono sapuit ut volebat.

Tertio, per hoc quod ex illuminatione ejus, Apostoli verba Prophetarum abundantissime allegaverunt de Christo, probando ex illis quod Jesus sit rex Messias, prout infra in speciali dicetur sermone.

Quarto, prædicationem Apostolorum per multa miracula confirmando. Nempe ex hoc die cœperunt Apostoli solito valde abundantius in nomine Christi miracula operari ; nec solum Apostoli, sed ceteri quoque discipuli, quia de S. Stephano B. Lucas testatur, quod faciebat signa et *Act.* vi, 8. prodigia magna in populo. Omnes namque infirmos qui præsentabantur Apostolis, protinus gloriosi curaverunt Apostoli : ita quod civitates circa Jerusalem situatæ concurrebant, et ægros quamplurimos secum in Jerusalem ad Apostolos deportaverunt ; sanabanturque omnes, in tantum quod etiam infideles Judæi erant valde perterriti, nec audebant se admiscere credentibus. Hinc in Actibus asserit B. Lucas : Fiebat *Ibid.* ii, 43. autem omni animæ timor ; multa quoque prodigia et signa per Apostolos fiebant in Jerusalem, et metus erat magnus in universis. Ceterorum etiam nullus audebat se *Ibid.* v, 13. conjungere illis ; sed beatificabat eos populus. Ista revera fuerunt mirabilia magna nimis et mirabilissima valde, atque mutatio *Ps.* lxxvi, 11.

dexteræ Excelsi. Tantus etenim gratiæ fulgor, tantus potestatis vigor, tamque Omnipotentis magnifica operatio in Apostolis ceterisque discipulis resplenduerunt, quod adversarii veritatis formidare coacti sunt, præsertim propter tam magna et innumerabilia quæ videbant omni die miracula.

Quinto, Spiritus Sanctus testimonium perhibuit Christo, per hoc quod tot millia Judæorum convertit ad eum. Judæi namque, qui paulo ante blasphemaverunt crucifixeruntque Christum, nec in eum credere voluerunt, cujus miracula quotidie perceperunt seu conspexerunt, a quo et mortuos noverant suscitatos; die isto et deinceps, visis tot mirabilibus, et ex prædicatione beatissimi principis Apostolorum *Act.* II, 37. perterriti, compuncti sunt corde, et eum adorare cœperunt, quem (ut dixi) ante perpaucos dies blasphemare ac crucifigere ausi fuerunt. His itaque modis perhibuit Spiritus Sanctus hoc die testimonium Domino Jesu Christo.

Præterea, circa textum hodiernæ epistolæ advertendum, quod a principio creationis primorum parentum, videlicet Adæ et Evæ, usque ad diluvium, imo et post hoc usque ad ædificationem turris Babylonicæ, fuit unum omnium hominum idioma, utpote lingua Hebræa, cujus notitiam Deus primis parentibus a principio creationis eorum infudit; et lingua hac utebantur in paradiso, deinde et extra paradisum, omnesque posteri eorum boni et mali. Hinc lingua Hebræa est prima ac nobilissima lingua. Signum quoque quod omnium erat una loquela, et quod hæc ipsa fuit Hebræa, hoc est quod omnium hominum nomina quæ ponuntur in Genesi, usque ad descriptionem constructionis turris Babel, exstant Hebræa. Quumque post diluvium cœpissent homines multiplicari, convenerunt, *Gen.* XI, 4-9. concorditerque dixerunt : Venite, et construamus turrim cujus altitudo pertingat usque ad cœlos; et celebremus nomen nostrum antequam ab invicem dividamur in universa terra. Quum ergo cœpissent hoc agere, confudit Deus loque- A lam eorum, ita quod diversi diversis uti et loqui cœperunt : propter quod unus alium non intellexit. Sicque ædificare cessabant, et divisi sunt ab invicem per universam terram, sicut in Genesi plenius scribitur. Itaque, sicut propter superbiam et rebellionem filiorum Adæ divisæ sunt linguæ, ita per humilitatem et obedientiam discipulorum Christi, operante Spiritu Sancto, unitæ sunt : primo, per hoc quod in quolibet Apostolorum fuit omnium linguarum notitia et facultas; se- B cundo, per hoc quod omnium linguarum nationes ac gentes in Christo per fidem et caritatem sunt adunatæ, juxta illud Danielis : Omnes populi, tribus et linguæ *Dan.* VII, 14. servient ei.

Insuper, sicut Apostoli Spiritum Sanctum acceperunt dum simul sederunt, et jejuniis atque orationibus inhæserunt; ita si nos desideramus Spiritu Sancto impleri, oportet nos pariter esse, hoc est in Ecclesia Dei per caritatem conjungi, et in pace pectoris repausari, omni dissensione, lite, C aversione, perturbatione exclusis, quatenus, juxta Apostolum, unanimes, uno ore *Rom.* XV, 6. Deum honorificemus. Idcirco oportet nos caritative, mansuete et patienter ad invicem conversari in vera ac stabili humilitate, quoniam Deus superbis resistit, humilibus *Jacob.* IV, 6. autem dat gratiam. Et apud Isaiam loquitur Deus : Ad quem respiciam, nisi *Is.* LXVI, 2. ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Ubi alia habet translatio : Super quem requiescet spiritus meus, nisi super quietum et hu- D milem?

Postremo, per hoc quod ait Scriptura, quod Apostoli cœperunt loqui prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, docemur et nos qualiter habere debemus nos in loquendo. In quo sunt quinque attendenda. Primo considerare debemus quid loquimur, ut scilicet non nisi utilia et ædificatoria verba loquamur. Secundo considerare debemus ubi loquendum sit, quia non est in ecclesia fabulandum, nec quilibet locus aptus est ad loquendum; inter sapientiores quoque, majores ac seniores aut nihil A aut parcius est loquendum. Tertio, quando *Eccle.* III,7. loquendum sit, quia ut Salomon docet, Est tempus loquendi, et tempus tacendi. Tempus loquendi est dum rationabilis causa exigit loqui, videlicet propter propriam aut proximorum utilitatem, vel ad Dei honorem. Quarto, cui loquendum sit, utpote ei a quo possimus ædificari seu adjuvari, vel quem ædificare aut adjuvare possimus. Quinto, qualiter sit loquendum, videlicet humiliter ac modeste, et non nimis prolixe, quia ut Salomon ait, Stultus verba *Eccle.* X,14. multiplicat. In hac ergo sanctissima solennitate simus specialiter devoti ac custoditi in omnibus, ne Spiritum Sanctum offendamus, sed in ejus gratia crescamus quotidie et proficiamus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SI QUIS DILIGIT ME, SERMONEM MEUM SERVABIT, ETC. Joann. XIV, 23-31.

EVANGELIUM præsentis diei in san- B ctissima solennitate hac congruentissime legitur, quia quod Christus in sermone post Cœnam de Spiritus Sancti missione et operatione promisit, atque hodierno die complevit, in evangelio isto describitur. Ait ergo Salvator discipulis suis, puta Apostolis, quibus in sermone post Cœnam hæc dixit :

Si quis diligit me dilectione supernaturali, gratuita et infusa, quæ est theologica virtus, *sermonem meum servabit,* hoc est, evangelicam doctrinam memoriter re- C tinebit, præceptis meis obediet, testimoniis meis credet. Qui enim sincere diligit alium, voluntatem suam conformat rationabili voluntati ejus quem diligit, quoniam amicorum est idem velle et nolle, secundum Philosophum : idcirco qui vere et spiritualiter diligit Christum, approbat quæ approbat Christus, odit quæ reprobat ille, facit quod Christo placet, vitat quod dis- *Ps.* CXVIII, 11. plicet illi, sicut dicit Psalmista : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Veruntamen naturali dilectione po- D test quis Deum diligere, nec tamen ejus præcepta implere : nam multi iniqui ac reprobi, imo et infideles sic diligunt Deum; angeli quoque apostatæ ante suam ruinam dilexerunt taliter Deum, etiam plus quam se ipsos, secundum Thomam et Scotum, imo secundum Augustinum, dicentem quod intellectualis creatura naturali dilectione Deum plus diligit quam se ipsam (aliter aliquid pure naturale esset inordinatum, quum tamen peccatum non sit nisi recessus ab eo quod est secundum naturam, vel etiam recessus ab ordine, secundum divinum Dionysium). Omni ergo cum diligentia divina sunt observanda præcepta, juxta illud Proverbiorum : Serva mandata *Prov.* VII,2. et legem quasi pupillam oculi tui. Hinc, teste Gregorio, signum dilectionis est exhibitio operis. Et S. Joannes apostolus ait : Non diligamus verbo neque lingua, sed I *Joann.* III, 18. opere et veritate.

Et Pater meus diliget eum. Qui enim diligit unam divinam et increatam Personam, diligit totam superbeatissimam Trinitatem, et qui ab una divina Persona amatur, a tribus diligitur. Imo sicut nos una et eadem dilectione diligimus Trinitatem, ita a singulis divinis Personis eadem caritate amamur : nam, ut ait Psalmista, Dominus diligit justos; atque, ut *Ps.* CXLV, 8. Aristoteles loquitur, vir contemplativus et virtuosus, est amantissimus Deo. Hanc eamdem sententiam Christus paulo ante hæc verba expressit, dicendo : Qui habet man- *Joann.* XIV, 21. data mea et facit ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur a Patre A meo. Diligere namque, est alicui bonum velle : amatoribus autem Christi Deus Pater dona gratiæ suæ vult atque largitur; et si perseveraverint usque in finem, dona gloriæ sortientur a Patre. Deinceps, quia dilectio Patris ac supergloriosissimæ Trinitatis ad homines, est æterna, idcirco per omnem differentiam temporis designatur, quoniam omne tempus comprehendit sive includit æternitas. Hinc apud Joannem per *Joann.* III, 16. verbum præteriti temporis dicitur : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum B unigenitum daret. *Ephes.* II, 4. Et Paulus : Propter nimiam (inquit) caritatem qua dilexit nos Pater, Filium suum misit. Alibi quoque per verbum præsentis dicitur temporis : *Joann.* XVI, 27. Pater amat vos. Et nunc verbo futuri temporis dictum est : Diligetur a Patre meo; et, Pater meus diliget eum.

Omnes autem prædestinatos diligit Deus æternaliter atque simpliciter, etiam tunc quando non diligunt Christum : vult enim eis bona gratiæ in præsenti, et bona gloriæ in futuro. Diligit, inquam, eos secundum C suæ æternæ prædestinationis intuitum. Quum vero convertuntur et diligunt, impendit suæ dilectionis effectum, quem plene finaliterque impendit dum eis æternam felicitatem largitur. Non prædestinatos autem nunquam diligit absolute, quia non vult eis simpliciter gloriam beatitudinis æternæ; sed dum diligunt Deum, et in statu salutis sunt, diligit eos secundum præsentem justitiam. Quum itaque ait Salvator, Qui diligit me, diligetur a Patre meo, seu, Pater meus diliget eum, intelligi D potest de electis qui perseverant et consummantur in bono : hi quippe a Patre æternaliter atque simpliciter diligentur, a quo plenam beatitudinem consequentur; vel de præscitis qui ad tempus diligunt Christum, et pro tunc diliguntur a Patre secundum præsentem justitiam : sicque diligentur ab eo quamdiu diligent Filium ejus. Verumtamen Pater in se ipso invariabilis permanet, et diversitas ista ex parte creaturæ accipitur.

Et ad eum veniemus, ego et Pater; haud dubium quin et Spiritus Sanctus, quoniam opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Veniemus itaque, non per loci mutationem, aut corporalem accessum, sed per caritatis et gratiæ augmentationem, per spiritualium donorum multiplicationem. Istud etenim intelligendum est, non de primo adventu Patris et Filii ad amantem, quum nemo diligat Deum sive obediat ei, nisi primo tota Trinitas eum gratiose prævenerit, atque per caritatis et gratiæ infusionem mentem ejus pie intraverit. Sed qui diligit Christum, gratiis potioribus adimpletur, sicut ait Salvator : Habenti dabitur, et abundabit. *Matth.* XIII, 12; XXV, 29. Amor quoque facit omnia esse communia : ideo quanto ardentius Deum amamus, eo bona sua liberalius nobis communicat et infundit. Et si timentibus Deum nil deest, quid poterit *Ps.* XXXIII, 10. deesse Deum amantibus? Vel quid Deus suo poterit denegare fervido amatori, quum dicat Apostolus, Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo? I *Cor.* VI, 17. Porro, si aliquid negat oranti, hoc facit ex caritate, quia illi non expedit, vel quia dilatio utilis ei consistit.

Et mansionem apud eum faciemus, hoc est, mentem ejus gratiose et pie inhabitabimus. Quum enim juxta Apostolum, corpora devotorum templum sint Spiritus *Ibid.* 19. Sancti, quanto magis mentes eorum? Et si debemus Deum glorificare et portare in *Ibid.* 20. corpore nostro, multo plus glorificare eum debemus in animabus nostris per contemplationem sinceram, per ferventem amorem, per jugem recordationem ipsius, quemadmodum hortatur Deus in Canticis : Pone *Cant.* VIII, 6. me (inquit) ut signaculum super cor tuum. Quamvis autem incircumscriptibilis Deus sit in omnibus per essentiam, potentiam atque præsentiam, illos tamen dumtaxat inhabitare asseritur in quibus est per dona gratiæ gratum facientis. Ideo in Proverbiis dicitur : Longe est Dominus *Prov.* XV, 29. ab impiis. Et in Apocalypsi de justis inducitur : Ecce tabernaculum Dei cum ho- *Apoc.* XXI, 3. minibus, et habitabit cum eis.

Qui non diligit me, sermones meos non A *servat,* id est, opere non adimplet. Quidam tamen vani et scioli servant memoriter verba Christi, ut prædicando, loquendo, docendo aut disputando, docti appareant, et honorem aut lucrum acquirant. Quibus II *Petr.* II, 21. melius esset viam justitiæ ignorasse. *Et sermonem quem audistis* ex ore meo, *non est meus,* secundum quod homo sum, tanquam principalis doctoris et locutoris, *sed ejus qui misit me Patris,* qui per me lo- *Is.* IX, 6, juxta LXX. quitur tanquam per legatum et magni consilii angelum, secundum quod homo sum. B *Joann.* VII, 16. Hinc alio loco Christus disseruit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Augustinus quoque et Gregorius sic exponunt : Quoniam Christus est verbum et sermo Patris, ideo sermo quem protulit Christus, non est Christi, sed Patris sui. Hoc autem verum est de Verbo increato et sermone æterno, non de sonanti aut transitorio. Christus vero nunc potissimum loquitur de sermone suo vocali, qui aures discipulorum objectaliter immutavit. Persona demum loquens non auditur per se, C et tanquam objectum auditus, sed sono mediante.

Hæc locutus sum vobis, apud vos manens corporaliter ac visibiliter. *Paracletus autem Spiritus Sanctus.* Qui vocatur Paracletus, id est consolator, quia spem veniæ tribuendo, et futurorum contemplationem atque prægustum aliquem infundendo, animam recreat et delectat. Dicitur etiam advocatus, non quod Patre et Filio minor sit, sed quoniam eos quos replet Deum invocare fervide facit, prout ait Aposto- D *Rom.* VIII, 26. lus : Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, postulare nos taliter facit. At vero, quum quælibet divina Persona sit spiritus et utique essentialiter sanctus, dum tertia Persona in divinis dicitur proprio nomine Spiritus Sanctus, hoc quod dicitur, Spiritus Sanctus, pro una dictione accipitur. *Quem mittet Pater :* non missione locali aut motu corporali, quum Spiritus Sanctus sit Deus immensus, omnia implens, nec loco, nec tempore, nec actione mutabilis; sed missione spirituali, per infusionem donorum Paracleti, ut mitti dicatur ratione sui effectus quem Patre volente causat in rationali creatura. Propter quem etiam effectum dicitur in rationali creatura de novo esse et habitare. *In nomine meo,* hoc est in me, per me et propter me. Pater enim omnia operatur per Filium secundum ejus divinam naturam (juxta illud Joannis : Omnia per ipsum facta sunt); et per ac *Joann.* I, 3. propter Filium secundum ejus humanitatem, id est, per merita unigeniti Filii sui, dat nobis dona Spiritus Sancti. *Ille vos docebit omnia,* non simpliciter omnia, sed omnia de quibus subjungitur, *et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis :* hoc est, quæ vobis modo propono sive proposui, quæ propter eorum profunditatem ac vestri ingenii tarditatem nunc intelligere non potestis, præsertim quum sitis pleni dolore, tristitia et timore, ideo Spiritus Sanctus suggeret vobis ea, hoc est, ad memoriam reducet : quia et id quod intellexerunt tempore hujus sermonis, obliti fuerunt; sed in die Pentecostes Spiritus Sanctus omnia eis inspiravit.

Pacem relinquo vobis, hoc est, pacem spiritualem vobis habendam ac custodiendam committo, ut sitis quieti in Deo, per caritatem quiescentes in eo. *Pacem meam,* hoc est veram mentis tranquillitatem, *do vobis* jam inchoative, quam dabo vobis in patria consummate. Et quamvis Apostoli non fuerunt bene capaces hujus pacis, quando Christus hæc protulit statim post Cœnam, tamen post resurrectionem, dum eis apparuit, dicens, Pax vobis, capacio- *Ibid.* XX, 19, 21, 26. res effecti sunt, atque ex tunc verba ista impleri cœperunt. Vel sic : « Pacem » gratiæ « relinquo vobis » in via, pro dono præcipuo; « pacem » gloriæ « do vobis » pro præmio in futuro. Hinc enim, secundum Augustinum, dicendo, Pacem relinquo vobis, non addidit, Meam, quia pax electorum in via, est multis tribulationibus defectibusque admixta, et talis non fuit pax Christi, qui caruit omni culpa. Sed dicendo, Pacem do vobis, addidit, A Meam, quoniam pax Sanctorum in patria, perfecte assimilatur paci Christi, nam caret omni malo culpæ ac pœnæ. Tunc nempe perfecte implebitur quod per Isaiam *Is.* xxxii, 18. Dominus pollicetur : Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Non quomodo mundus dat, hoc est non pacem carnalem et sæcularem, qualem dant et procurant sæculi hujus vanissimi amatores, *ego do vobis.* Illa etenim pax, est quieta quædam fruitio temporalium B divitiarum, carnalium deliciarum, et ceterorum hujus mundi bonorum, qualem habet anima vitiosa cum propria carne, dum ejus concupiscentiis acquiescit, qualem item habuit Adam cum Eva, dum ad ejus suggestionem divinum violavit præceptum. De qua apud Matthæum ait Salvator : *Matth.* x, 34. Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Huic malæ paci opponitur *Act.* xxiii, 6, 7. bona discordia : quam inter Pharisæos et Sadducæos misit apostolus Paulus. De hac inordinata inquinataque pace, quæ est consensus C aliquorum in malo, seu quietatio animi in re prava, ait Psalmista : *Ps.* lxxii, 3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

Porro de pace ordinata jam dicta, quam *Galat.* v, 22. ad Galatas ponit Apostolus inter fructus Spiritus, *Is.* xlviii, 22; lvii, 21. scriptum est apud Isaiam : Non est pax impiis, dicit Dominus. Hæc etenim pax procedit ex caritate, quoniam caritas ordinat et concordat hominem ad Deum ac proximum, et sic facit pacem atque concordiam. Propter quod Propheta loquitur Deo : *Ps.* cxviii, 165. Pax multa diligentibus legem D tuam. Denique pax ista præcipue appetenda et custodienda est Christianis, quia ut asserit Christus, *Matth.* v, 9. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et juxta Apostolum, *I Cor.* vii, 15. In pace vocavit nos Deus. Unde hortatur : *Ephes.* iv, 3. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ista pax pectoris, quæ est tranquillitas ordinis, consistit in hoc quod caro obedit spiritui, sensualitas rationi, et ratio Deo. Idcirco dum anima ab inquietudine passionum est libera, ac legi divinæ rite subjecta, pacem habet in se et cum Deo, imo et cum proximis, quantum in se est : non enim contra aliquem passionibus agitatur, non invidia stimulatur, non ira turbatur. Interdum tamen proximus cum homine tam pacato atque pacifico pacem non habet, ex sua perversitate. Hinc ad Romanos dicitur : *Rom.* xii, 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Sed non debemus proximis concordare nisi in bono.

Non turbetur cor vestrum, id est, non immoderate afficiatur, ita ut pacem perdat internam, *neque formidet* humano et carnali timore : de quo scriptum est, *Matth.* x, 28. Nolite timere eos qui corpus occidunt; et Salomon, *Prov.* xxviii, 1. Justus (inquit) quasi leo confidens, absque terrore erit. Est autem alius timor bonus et virtuosus, quo homo veretur Deum offendere et separari ab eo : de quo rursus Salomon, *Ibid.* 14. Beatus homo qui semper est pavidus. Apostoli autem habuerunt inordinatum timorem : metuebant namque Judæos, ne Christum et ipsos occiderent. Admonet igitur eos Christus ad fortem et inconcussam mentis constantiam.

Insuper, cur ex sua passione turbari non debeant nec pavere, Christus subjungit. *Audistis quia ego dixi vobis : Vado,* id est, per passionem a vobis recedo secundum humanitatem meam, ad modicum tempus, *et venio ad vos,* id est, cito post resurrectionem vos denuo visitabo. *Si diligeretis me* dilectione pure spirituali et perfecta, non sensuali, qualis adhuc est affectio vestra ad me, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem,* id est, congratulamini mihi propter glorificationem corporis mei et accidentalem mercedem quam acquiro per mortem, quoniam moriendo ex caritate et obedientia pro mundi salute, mereor statim resurgere et glorificari in corpore, ad cœlos ascendere, ad Patris dexteram residere. Quamvis ergo de passione Christi secundum se accepta, non fuit gaudendum, tamen in quantum fuit tam fructuosa et salutaris, fuit et est causa materiaque gaudendi : et ad amicitiam pertinet, ut de bono dilecti et de prosperitate ipsius glorietur amator. *Quia Pater major me est* secundum quod homo sum, prout mori competit mihi : idcirco ad Patrem eundo, juxta modum jam tactum glorificor. Non tamen Filius Dei est pura creatura, ut sceleratissimus Arius finxit, sed verus Deus et secundum suam divinitatem *Philipp.* II, 6, 7. Patri vere æqualis, juxta illud : Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.

Et nunc dixi vobis quod mihi futurum B est in passione, resurrectione et ascensione, *priusquam fiat, ut quum factum fuerit, credatis* quod ego sum Christus Filius Dei, quem me esse protestor : quoniam ista de futura mea passione, resurrectione et ascensione non possem tam certe prædicere, nisi Christus exsisterem.

Jam non multa loquar vobiscum ante passionem meam in carne ista passibili. Cujus causa subjungitur : *venit enim princeps mundi hujus,* id est diabolus, princeps hominum impiorum ac mundano- C rum, qui dæmonibus serviunt. Dicitur autem diabolus princeps mundi hujus, non quod mundum creavit, vel hominum causa sit quantum ad esse eorum, sed quantum ad pravitatem ipsorum, ratione cujus subjecti sunt ei et capti ab eo tenentur vinculis vitiorum. Hinc de diabolo *Job* XLI, 25. scriptum est : Ipse est rex super universos filios superbiæ. Et de ipsis dæmonibus *Ephes.* VI, 12. scribit Apostolus : Non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus D principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, contra mundi rectores tenebrarum harum. Nempe, *II Petr.* II, 19. ut beatissimus Petrus testatur, a quo quis superatus est, hujus et servus est. Quum ergo iniqui a diabolo victi sint et victi permaneant, ejus servi censentur. Venit ergo diabolus quando Christus hæc protulit : jam enim instigaverat Judam ut traderet Christum, et Judæos ut eum occiderent. Venit quoque (ut reor) ad tentandum Jesum an esset Christus et an posset A eum ad peccatum inducere. Nondum enim diabolus certus fuit de hoc : aliter non instigasset Judæos ad Christi occisionem. Quod autem diabolus post tentationem *Matth.* IV, 1 et seq. Christi factam in deserto, in pinnaculo et in monte excelso, redierit ad tentandum Jesum, elici potest ex eo quod apud Lucam scriptum est : Consummata omni tentatio- *Luc.* IV, 13. ne, diabolus recessit ab eo ad tempus.

Et in me non habet quidquam, hoc est nihil culpæ, nec aliquid juris aut potestatis, quia nil pœnæ aut nocumenti mihi inferre B potest per se aut suos ministros, nisi quantum sponte permisero. De Christo etenim scriptum est : Iniquitatem non fecit, *Is.* LIII, 9. nec inventus est dolus in ore ejus ; et rursus, Tradidit in mortem animam suam ; *Ibid.* 12. itemque, Oblatus est quia voluit. *Ibid.* 7. Unde et ipsemet ait : Nemo tollit animam meam a *Joann.* X, 18. me, sed ego pono eam.

Verum quia ex iis dubitari posset cur Christus pati voluerit, qui culpam non habuit, addidit : *sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem,* id est, ideo pati volo, C ut innotescat hominibus quantum diligo Patrem æternum, propter cujus honorem recuperandum mori pro hominibus volo, ut redempti, Patrem æternum seu totam superbeatissimam Trinitatem laudent et honorent in præsenti sæculo et futuro. Denique Christus secundum quod Deus, diligit Patrem amore superæstuanti atque simpliciter infinito ; secundum naturam quoque humanam, diligit eum ineffabiliter nimis præ universis et singulis. *Et sicut mandatum dedit mihi* secundum quod homo sum, D *Pater* æternus vel Trinitas Deus, *sic facio,* et ei in cunctis obedio. Præcepit equidem Deus Christo homini, ut omnia illa faceret, prædicaret ac consummaret, per quæ Deus ab æterno decrevit genus salvare humanum. Cui præcepto Christus ut homo plenissime atque promptissime obedivit, fa- *Philipp.* II, 8. ctus obediens usque ad mortem, secundum Apostolum. Hinc divinus Dionysius operationem Christi appellat theandricam, id est deivirilem, quoniam quidquid fecit ut homo, fecit quasi Divinitatis instrumentum.

SERMO SECUNDUS

DE PRÆDICATIONE APOSTOLORUM IN DIE SACRATISSIMO PENTECOSTES.

STANS *Petrus cum undecim, levavit* A *vocem suam.* Act. II, **14**.

In epistola solennitatis præsentis, et in sermone circa epistolam præinducto, narratum est qualiter Spiritus Sanctus die hoc missus fuit sanctis Apostolis, et qualiter eos replevit caritate, sapientia et linguarum notitia, omnique virtute et gratia; item, qualiter Apostoli aliique discipuli mox tunc ingressi sunt templum Jerusalem, et prædicaverunt ibidem publice resurrectionem et gloriam Christi, atque ab omnibus qui aderant diversorum B valde idiomatum hominibus intelligebantur : propter quod homines illi admirati sunt vehementer. Nunc ergo prosequendum est plenius, quid prædicaverunt, quid profecerunt, et quid deinceps egerunt. Et quamvis Lucas in generali scribat prædicasse Apostolos, non tamen in speciali prosequitur, neque describit prædicationem ullius Apostoli, nisi beatissimi Petri, qui tanquam princeps et capitaneus Apostolorum loquebatur pro omnibus.

Itaque, prout Lucas evangelista fidelissime C refert, quum pene omnes Judæi tunc præsentes, visis tot mirabilibus, stuperent et mirarentur, dicentes, Quidnam vult hoc esse? quidam mirabiliter obstinati ac perfidi irriserunt, dicentes : Quia musto, id est novo vino, pleni sunt isti. Ecce quanta fuit horum perversitas Judæorum, qui ex tot mirabilibus non sunt compuncti, sed pejores effecti, tamque miraculosa opera Spiritus Sancti vinolentiæ adscripserunt et gulæ, quasi mustum hoc facere posset quod omnem naturalem transcendit potentiam. D Verumtamen spiritualiter ebrii fuerunt sancti Apostoli, quoniam fervor amoris, sapientiæ sapor, gaudiorum excessus, exuberantia gratiarum inebriaverunt mentes eorum, biberuntque vinum quod *Prov.* IX, 5. Christus sapientia Patris miscuit eis. Et impletum fuit in eis quod Propheta ait ad Dominum : Inebriabuntur ab ubertate domus *Ps.* XXXV, 9. tuæ, et torrente voluptatis potabis eos; et quod Sponsus cœlestis dicit electis : Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, *Cant.* V, 1. carissimi.

Quum ergo induratissimi illi Judæi dixissent, Musto pleni sunt isti, protinus beatissimus Petrus stans cum undecim Apostolis, tanquam imperterritus pugil veritatis et ferventissimus testis Christi, elevavit vocem suam : quia ex maxima caritate loqui incepit voce tubali ut audiretur ab universis, et ne opera Spiritus Sancti adscriberentur Beelzebub principi dæmoniorum. Et dixit : Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, scitote quod non sunt, sicut aliqui vestrum putant, hi Apostoli, quorum unus ego sum, ebrii, quum sit hora diei tertia, id est mane; et tam mane non solent homines inebriari. Sed istud quod cernitis, est quod Deus per Joelem prophetam prænuntiavit, dicendo : Erit in novissimis diebus (id est tempore *Joel* II, 28. evangelicæ legis, quod ultima mundi ætas vocatur), effundam Spiritum meum super omnem carnem, id est super quosdam de omni genere hominum; et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, id est discipuli atque discipulæ Christi. Quumque B. Petrus probasset hanc prophetiam in Apostolis adimpletam, et eos Spiritu Sancto, non musto, esse impletos, adjecit : Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus et prodigiis et signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis, hunc per manus iniquorum crucifixistis et occidistis; quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos omnes testes sumus. Quumque gloriosus Apostolorum princeps per plures sacræ Scripturæ auctoritates Christi resurrectionem probasset, adjecit, quod Christus Dei virtute a morte suscitatus, et super cœlos levatus, effudit hoc donum quod videtis atque auditis, id est, gratiam istam, sapientiam, et linguarum notitiam, ac virtutum constantiam largitus est nobis.

His auditis, compuncti sunt corde : non omnes, sed plurimi Judæorum qui aderant. In quibus impletum est quod Christus ante passionem prædixit Judæis : Quum exaltaveritis Filium hominis, id est, postquam crucifixeritis me, tunc cognoscetis quia ego sum. Siquidem tot allegationibus Scripturarum et tantis prodigiis sunt convicti, et Spiritus Sanctus eos quos elegit interius tetigit. Et dixerunt ad Petrum et ad Apostolos alios : Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero dixit ad eos : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum suorum; et accipietis donum Spiritus Sancti, id est, non solum remissionem peccatorum, sed etiam donum sapientiæ ac linguarum, quod in nobis miramini. Tunc namque baptizatis dabatur communiter Spiritus Sanctus in signo sensibili per impositionem manuum Apostolorum, ita quod baptizati loquebantur variis linguis, sicut Apostoli. Sicque Spiritus Sanctus replevit corda illorum fervida caritate atque multiplici virtute ac gratia.

Joann. VIII, 28.

Insuper aliis multis verbis hortabatur eos S. Petrus : Salvamini (inquiens) a generatione hac prava, id est, ab infidelibus et obstinatis Judæis abstrahite vos. His dictis, tria millia Judæorum mox crediderunt; et baptizabantur, ac Spiritu Sancto copiose ac misericordissime implebantur. Perseverabant quoque in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, id est perceptione Sacramenti altaris, et orationibus, ac laudibus Dei. Omnia A etiam erant eis communia. Et perdurabant quotidie unanimiter in templo, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem; sumpseruntque cibum cum exsultatione spirituali et cordis simplicitate. Et multi convertebantur quotidie, in tantum quod multa turba sacerdotum et Pharisæorum convertebatur ad Christum. Ecce ista fuit prædicatio ac operatio Apostolorum hoc die.

Act. III, 1 et seq.

Porro, alio quodam die, Petrus et Joannes intraverunt templum; et quidam ex B nativitate claudus petiit eleemosynam ab eis. Cui Petrus respondit : Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do : in nomine Jesu Christi surge, et ambula. Qui protinus exsiliens, stetit et ambulavit; intravit quoque cum Petro et Joanne in templum, ambulans et exsiliens, laudansque Deum. Viso autem tam ingenti miraculo, conversa sunt quinque millia Judæorum.

Itaque, sicut Judæi hoc die ab Apostolis ad Christum conversi, perseveraverunt in C Apostolorum doctrina, et Sacramenti perceptione, et orationibus, ac laudibus Dei, ita nos Christiani agamus. Teneamus memoriter verba sacræ Scripturæ, et secundum ea vivamus. Nec sermones qui fiunt aliquis tradat oblivioni, sed cordi suo unusquisque imprimat eos pro posse, ut omne tempus suum fructuose expendat, turpes et vanas cogitationes atque illicitas affectiones de corde suo expellat : quia per Jeremiam prophetam loquitur Deus, Usquequo morabuntur apud te cogitationes D noxiæ? et per prophetam Michæam, Væ vobis qui cogitatis inutile. Nam spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Cogitationes quippe et actiones sunt velut picturæ quædam mentis. Quemadmodum ergo stercora et aliæ sordes atque putredines maculant ea quibus superponuntur, ut ligna, saxa, terram, parietem; ita, imo incomparabiliter plus, pravæ et vanæ cogitationes affectionesque animæ mentem deturpant et inquinant, sic quod

Jer. IV, 14.
Mich. II, 1.
Sap. I, 5.

Deus sanctissimus eam abominatur ac despicit. Ideo cupiens Deo placere, cor suum a talibus purget et custodire non cesset.

Præterea, etsi non communicat Christianus quotidie sacramentaliter, corpus Christi realiter suscipiendo, spiritualiter tamen quotidie debet quilibet Christifidelis communicare, videlicet per fidem et caritatem conjungendo se Christo, et eum intra se per sancta desideria amplectendo. Decet tamen ut Christianus in hac sanctissima solennitate, præparatione præmissa, A communicet. Postremo, quotidie, et præsertim in his sacris diebus, in orationibus et laudibus Dei occupemur, ac Spiritum Sanctum paracletum totis viribus veneremur; ejus caritati, pietati ac liberalitati cordialiter regratiemur, solliciti ne ejus gratiosam perdamus præsentiam per loquacitates, comessationes, potationes, choreas, aut ceteras vanitates ac culpas; jugiter gratias referamus Deo Patri, qui Filium suum nobis misit ac dedit in redemptionem, et Spiritum Sanctum nobis misit ac B dedit in sanctificationem.

SERMO TERTIUS

DE CARITATE, PIETATE ET LIBERALITATE DEI CIRCA HOMINES, ATQUE DE NEGLIGENTIA, INGRATITUDINE PERVERSITATEQUE HOMINUM ERGA DEUM.

CARITAS Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Rom. v, 5.

Quemadmodum divinus Dionysius dicit, De Divin. nom. c. iv. amor Dei non reliquit eum sine germine esse. Et S. Augustinus fatetur, quod bonitas Dei est prima causa creationis rerum et omnis entis creati. Aristoteles quoque testatur, quod bonum est sui ipsius diffusivum seu propriæ bonitatis communicativum. Porro propriam bonitatem communicare, seque diffundere aliis, est actus amoris in substantiis intellectualis naturæ. Quum ergo Deus sit pura infinitaque bonitas et intellectualis substantia, idcirco summe et infinite communicativus seu diffusivus est suæ bonitatis : et communicatio ista Dei ad extra, qua scilicet creaturis dona sua communicat, aut eas in esse producit, potest adscribi bonitati Dei, quia proprietas boni est se communicare; et etiam caritati, quoniam caritas est virtus per quam aliquis vult alteri bonum : amare enim, est alicui bonum velle. Itaque amor Dei, quem habuit ad creaturas antequam eas produceret, non reliquit eum C sine germine esse, id est, ad creationem rerum eum induxit, quia voluit eis bonitatem suam communicare, videlicet esse, vivere, intelligere.

Denique bonitatem, caritatem et liberalitatem suam ad homines ostendit Deus tripliciter. Primo, dando eis bona naturæ seu naturalia bona, videlicet corpus et animam cum suis membris ac viribus, et omnia ad naturalem hanc vitam necessaria. Nam solem suum facit oriri super bonos et malos, pluitque super justos et injustos. *Matth.* v, 45. D Omnia quoque elementa creavit in commodum et obsequium hominum, et volucres aeris, piscesque maris, ac bestias terræ in usum et utilitatem eorum produxit ac eis subjecit, sicut testatur Psalmista, alloquens Dominum : Omnia subjecisti sub pedibus ejus (videlicet hominis), oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli, et pisces maris. *Ps.* viii, 8, 9. Nec solum hæc inferiora, ut elementa et elementata seu mixta, sed et cœlestia corpora creavit Dominus Deus omnipotens in ministerium, profectum et commodum hominum, prout A in Deuteronomio Moyses ait : Ne oculis Deut. IV, 19. elevatis in cœlum, adores solem et lunam, et omnia astra cœli, quæ Dominus Deus tuus creavit in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.

Insuper in hoc Deus specialiter bonitatem, caritatem ac munificentiam suam monstravit in hominis creatione, quod eum præ ceteris inferioribus creaturis ad imaginem et similitudinem suam creavit, dando ei rationem qua Creatorem suum posset cognoscere, et voluntatem qua ipsum B posset diligere, atque intellectualem memoriam qua eum posset jugiter retinere et ad mentem reducere, sicque in illius notitia ac amore firmiter figi. Hinc dixit Gen. I, 26. Dominus Deus : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit volatilibus cœli, et bestiis terræ, ac piscibus maris. Hinc Hugo de S. Victore scribit : Vide, o homo, dicit mundus, quomodo amat te qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te, ut servias illi qui fecit me et te : me propter C te, et te propter se. Si sentis officium, redde debitum; si accipis benignitatem, redde Creatori tuo dilectionem, pro beneficiis gratias age. Itaque pro his naturalibus donis ac beneficiis Dei gratias semper reddamus ; nec his quæ contulit nobis, in contumeliam atque offensam ejus utamur, sed corpore et anima, totisque viribus ei jugiter obsequamur.

Secundo ostendit Deus bonitatem, caritatem et munificentiam suam circa homines, dando eis dona gratiæ et supernatura- D lia beneficia sua in vita hac. Siquidem in exordio mundi, non solum creavit hominem in donis naturæ, sed mox supernaturalia dona ei adjecit, quia in originali justitia condidit eum. In paradiso quoque terrestri eum locavit; et omnem ejus posteritatem in paradiso conservasset, si primus homo præceptum observasset divinum. Quod quum fuisset transgressus, et ipsum de paradiso mox ejecisset, rursus misertus est ejus, pœnitenti ignoscens, et humanum genus liberare proponens. Unde a tempore illo semper dedit quibusdam electis hominibus dona diversa gratiæ suæ, Patriarchas et Prophetas constituens, per quos Christi incarnationem, adventum et passionem prænuntiavit ac præfiguravit. Specialiter quoque in veteri Testamento, diversa et copiosa munera gratiarum dedit hominibus. Deinde tempore evangelicæ legis omnem solitæ benignitatis modum excessit, et gratiarum charismata ineffabiliter copiose universis gentibus est largitus, et non uni dumtaxat populo, sicut in veteri Testamento.

Præterea in hoc præclarissime Deus caritatem, bonitatem et munificentiam suam demonstravit hominibus, quod eis non solum dona creata impendit, sed Pater æternus etiam unigenitum Filium suum nobis donavit, sicut Isaias profatur : Puer natus Is. IX, 6. est nobis, filius datus est nobis. Et S. Joannes apostolus in sua prima testatur Canonica : In hoc apparuit caritas Dei in I Joann. IV, 9. nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. Pater quoque et Filius, non solum dona Spiritus Sancti, sed et ipsummet Spiritum Sanctum nobis miserunt atque dederunt. Per hoc enim Persona divina mitti et dari hominibus perhibetur, quod novo modo in eis incipit esse et operari : quod fit, dum gratia gratum faciens ipsis infunditur, aut infusa perficitur seu augetur. Denique, per hoc quod gratia ista seu caritas infunditur homini, ipsemet Spiritus Sanctus dicitur homini infundi ac dari, et habitare in eo, ita quod est hominis ipsum habentis : quod enim alicui datur, est ejus cui datur. Deus vero seu Spiritus Sanctus est hominis, prout homo libere fruitur eo, et quiescit in eo ac utitur donis ipsius : quod esse non valet sine caritate et gratia gratificante. Unde et Deus Pater quamvis non mittatur hominibus, quia de nullo procedit, dat tamen se ipsum hominibus, in quantum se eis communicat ad fruendum. Quæ omnia Thomas in prima parte Summæ suæ magis declarat.

Tertio Deus ostendit caritatem, bonitatem et liberalitatem suam circa homines, dando eis dona gloriæ in futuro, hoc est felicitatem æternam in cœlo, ubi electi inamissibiliter et plene ad libitum Deo jucundissime perfruuntur, et possident eum possessione prorsus secura, beatissima et completa.

Prima ostensio bonitatis, caritatis et munificentiæ Dei circa homines, est magna; secunda major; tertia maxima. Quamvis etenim Deus nihil majus possit conferre hominibus quam se ipsum seu Spiritum Sanctum, tamen in regno cœlesti exuberantius dat Deus se ipsum Beatis ad perfruendum, quam in præsenti exsilio. Ecce quam incomprehensibilis est bonitas, caritas et munificentia Dei circa homines, quam ineffabilis quoque est dignitas hominum virtuosorum et Deo gratorum, quorum inhabitator, possessor, hospes, rector et doctor est Spiritus Sanctus.

Sed ecce quanta est negligentia, ingratitudo atque perversitas impiorum, qui tot beneficiis Creatoris sunt ingrati, et pro tot bonis injuriam et contumeliam reddunt; qui tanta dignitate se privant, et contempto Spiritu Sancto, spiritum diabolicum cordium suorum habitatorem, dominum et rectorem suscipiunt, atque Spiritui Sancto ac præstantissimis spiritualibus donis ejus ista præponunt carnalia ac caduca. De quibus apud Zachariam conqueritur Deus : *Zach.* VII, 11, 12. Noluerunt attendere, et averterunt scapulas recedentes, et aures suas aggravaverunt ne audirent legem; cor suum posuerunt ut adamantem, ne obedirent præceptis. Tales sunt omnes intimorati, superbi et iracundi, qui nolunt discere lectionem illam a Christo, quam omni proposuit Christiano : *Matth.* XI, 29. Discite (inquiens) a me, quia mitis sum et humilis corde. Tales quoque sunt omnes avari, qui Christi despiciunt paupertatem, *Ibid.* VIII, 20; *Luc.* IX, 58. nec pensant quod ait : Volucres cœli nidos habent, et vulpes terræ foveas; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Philipp.* III, 19. Tales demum sunt omnes gulosi et luxuriosi, quorum (secundum Apostolum) deus venter est, et qui turpitudinem suam puritati præponunt Spiritus Sancti. In quibus omnia sunt perversa, quoniam sensualitas dominatur in eis rationi, caro spiritui, diabolus menti. Tales sunt ceteri vitiosi, videlicet invidi, acediosi, fraudulenti, simulatores et callidi, et omnes qui ita non faciunt proximis ut fieri volunt sibimetipsis. Abjiciamus igitur universa hæc vitia, et cordis nostri hospitium Spiritui Sancto inviolatum, fidele ac pulchrum custodiamus.

Num. XV, 32-35. Legitur quod quum filii Israel essent in deserto, et invenissent quemdam ex eis ligna sabbato colligentem, obtulerunt eum Moysi. Qui reclusit eum in carcere, quousque Deus sibi revelaret quid agendum esset cum homine illo; jussitque Deus illum lapidibus obrui et occidi. Insuper *Ibid.* 37-39; *Deut.* XXII, 12. Deus præcepit per Moysen filiis Israel ut facerent sibi fimbrias quatuor per quatuor angulos palliorum, ponerentque in eis vittas hyacinthinas, ut eas videndo, recordarentur jugiter omnium mandatorum Domini, nec sequerentur cogitationes et oculos per res varias fornicantes. Iterum Moyses *Deut.* VI, 6-9. præcepit Israelitico populo : Erunt verba Domini in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis ea sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens; et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et in ostiis domus tuæ.

Ecce ex his innotescit quam sollicite, ferventer et integre sint observanda divina præcepta, et quam reverenter atque devote celebrandi sint dies festivi. Quid ergo fiet de his qui absque timore perpetrant mala, et lætantur quum impie fece- *Prov.* II, 14. rint, qui hos sacros dies ac ceteros dies festivos vitiose expendunt, loquacitatibus, risibus, jocis, choreis vacantes, imo et graviora agentes, vani, gulosi, lascivi, invidi, acediosi, et ceteris vitiis inquinati? De quibus beatissimus Moyses ait : Gens *Deut.* XXXII, 28, 29. absque consilio est et sine prudentia : utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.

Impleat ergo quilibet nostrum quod in A Ecclesiastico scriptum est : In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Hæc quippe novissima, sunt mors, judicium Dei, pœna inferni, gloria cœli. Quæ si sagaciter quis perpendat, timoratus erit et coram Altissimo custoditus. Eccli. VII, 40.

SERMO QUARTUS

DE EFFECTIBUS SPIRITUS SANCTI IN CORDE FIDELIUM ; QUALITERQUE SI IN NOBIS SPIRITUM SANCTUM, CARITATEM EJUS AC GRATIAM HABEAMUS, NOSSE POSSIMUS.

I*PSE Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus.* Rom. VIII, 16.

Quum nihil periculosius sit in vita præsenti quam non esse in caritate et gratia Spiritus Sancti, quoniam qui in illa non est, in mortali est culpa, et servus est diaboli, non filius Dei (de adultis loquendo) ; idcirco homines boni maxime curant esse in caritate : quod est esse in statu salutis, sicut esse in peccato mortali, est esse in statu damnationis. Sed quia esse in caritate non contentaret eos nec consolaretur, C nisi hoc aliquo modo scirent, idcirco, ne in desolatione sint nimia et anxietate continua, superpiissimus Spiritus Sanctus dat eis aliqualem notitiam quod in caritate exsistant, quia interius protestatur secrete animæ nostræ, quod filii Dei adoptivi sumus caritatem habendo.

Præterea, quicumque veraciter cupit Deo placere, debet esse diligens considerator proprii cordis, an scilicet Spiritus Sanctus commoretur in eo : quatenus si cognoverit quod non, protinus doleat, seque emendare D conetur, et Spiritus Sancti gratiam impetrare nitatur ; si vero cognoverit quantum potest, quod Spiritum Sanctum habeat in se habitantem, gratias agat, seque custodiat, et proficere nullatenus pigritetur. De hac re S. Bernardus multum devote atque subtiliter scribit, dicendo : Venit et vadit Spiritus Sanctus prout vult, et nemo facile scit unde veniat aut quo vadat. Et Joann. III, 8. B istud forsan sine detrimento salutis licet nescire. Ceterum, quando veniat et quomodo vadat, periculosissime ignoratur. Dum enim hæ dispensatoriæ vicissitudines Spiritus Sancti circa nos non vigilantissime observantur, fit ut nec absentem desideres, nec præsentem glorifices. Nempe qui idcirco recedit ut avidius requiratur, quomodo requiritur si abesse nescitur ? Et rursum, qui ad hoc dignanter redit ut hominem consoletur, qualiter digne pro sua majestate suscipitur si nec adesse sentitur ? Vigilandum est ergo omni hora, quia nescimus qua hora Spiritus Sanctus venturus sit seu iterum recessurus.

Quum ergo tam necessarium sit diligenter examinare se ipsum, et aliqualiter scire an Spiritus Sanctus per caritatem et gratiam adsit, atque inhabitet mentem, videndum nunc est qualiter hoc noscere valeamus. Et quidem de hoc, in sermonibus præinductis, hinc inde diversa sunt tacta et posita signa ac probabilia argumenta, utpote : libenter audire verbum Dei, libenter loqui et cogitare de Deo, libenter visitare ecclesiam, observare præcepta, alacriter moveri ad ea quæ Dei sunt. Porro dominus Guillelmus, Antisiodorensis episcopus, in Summa sua ponit de hoc tria signa. Primum est spiritualis jucunditas mentis ; secundum, bona desideria ; tertium, bona opera. Verumtamen signa ista non videntur certitudinem magnam adducere. Jacobus quoque de Voragine, archiepiscopus

Januensis, ponit in sermone de solennitate A hac, etiam tria signa caritatis et gratiosæ præsentiæ Spiritus Sancti. Primum est abundantia lacrimarum; secundum, dimissio injuriarum; tertium est desiderium supernorum. Quæ signa non videntur tribus præfatis signis certiora, prout facile posset probari, præsertim quum multi vere devoti, corporales habere vix valeant lacrimas, quas aliquando habent qui tamen omne mortale peccatum deserere non pro-
Num. XXIII, 10. ponunt. Balaam quoque desideravit mori morte justorum : nec tamen veraciter ju- B stus fuit, sed impius. Sunt itaque signa alia certiora.

Unde qui cordialiter cupit agnoscere an sit in caritate et gratia, sic procedat : loco et tempore opportuno vigilanter discutiat conscientiam suam, et vitam suam scrutetur, an sibi de aliqua mortali sit conscius culpa, de qua non pœnituerit confessionemque fecerit et satisfecerit; et si invenerit se in aliquo tali reum peccato, mox doleat juxta mensuram delicti, et confiteri ac satisfacere seque in omnibus emendare C absque dilatione proponat. Isto peracto, confidat se esse in caritate et gratia, quia
Ezech. XVIII, 21, 22. ut per Ezechielem Deus locutus est, quacumque hora taliter ingemiscit peccator, omnium iniquitatum ejus non memorabitur amplius. Denique in libro Job habe-
Job XXXIV, 14. tur : Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Sed qui ita conscientiam suam examinat et de vitiis suis dolet, confessionem, satisfactionem emendationemque integram indilate proponens, et exsequi inchoans, D dirigit cor suum ad Deum : ergo Deus spiritum ejus protinus ad se trahet per caritatem et gratiam. Ad hoc probandum possent multæ auctoritates Scripturæ adduci,
Jer. XXX, 21. ut illud Jeremiæ : Quis est iste qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? ait Do-
Zach. I, 3. minus; et illud Zachariæ : Convertimini ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum; et quod Jacobus scribit apo-
Jacob. IV, 8. stolus : Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Unde communiter dicitur, quod homine faciente quod in se est, Deus gratiam mox largitur.

Aliud signum est, si homo odit, detestatur ac fugit omne peccatum mortale ex zelo justitiæ, in quantum est Dei offensivum, et non ex solo servili timore, hoc est non solum nec principaliter ex formidine damnationis ac pœnæ. Nec sine isto sufficit primum signum : imo nec aliquis veraciter pœnitet de peccatis, nec veram emendationem proponit, quamdiu ex solo servili id agit timore. Discutiat ergo homo se ipsum, an ex corde odiat, detestetur ac fugiat superbiam, acediam, invidiam, gulam, avaritiam, iram, luxuriam, et cetera peccata mortalia; an etiam virtutes vitiis istis contrarias cordialiter amet et habeat, puta humilitatem, caritatem, mansuetudinem, sobrietatem, continentiam, liberalitatem et devotionem, id est promptitudinem animi ad ea quæ sunt divini obsequii.

Tertium signum est, prompte et delectabiliter implere præcepta, actibus virtutum insistere, et in orationibus Deique laudibus libenter se occupare; item, habere cordialem affectum inhærendi Domino Deo et honorandi eum in omnibus, et timere offensam ipsius; atque de imperfectionibus et defectuositatibus propriis quotidie contristari, et niti ad meliora pro posse; Dei quoque auxilium fideliter invocare, et in ipso spem figere, omne bonum ei adscribere; omnium salutem intime affectare, bonum commune appetere, idque potissimum desiderare ut Deus ab omnibus honoretur; et de temporalibus rebus non amplius cupere quam necessarium et utile est, juxta exigentiam proprii status, ad spiritualem profectum et ad Dei obsequium.

Ista videntur multum probabilia caritatis et gratiæ signa, præsertim dum homo repente et quasi inopinate et valide inflammatur, compungitur, in fletum resolvitur, ita quod totus ad Deum afficitur et cuncta carnalia ac temporalia aspernatur, nec aliud quærit nisi Deo placere, oratque eum intente ut se misericorditer juvet, dirigat et indesinenter conservet. Verumtamen sensibilis illa devotio et dulcis alacritas ad divina, non sunt necessariæ ad hoc quod homo in caritate sit. Et quamvis illa dispensative homini abstrahantur a Deo, ita ut homo se tardum et frigidum, et quasi tædio quodam affectum experiatur, ex hoc non sequitur quod habitum caritatis amiserit : ideo non debet pusillanimis aut impatiens fieri, sed fortiter ad spiritualem conari profectum et Dei implorare subsidium, nec carnales consolationes admittere, sed Sponso fidem servare cœlesti. Hinc ait Bernardus : Qui in spiritu ambulat, nequaquam in uno permanet statu, nec eadem semper facilitate proficit; sed prout Spiritus Sanctus ei dispensat ac moderatur, nunc segnius, nunc alacrius peragit bona. Ergo quum te torpore, acedia aut tædio affici sentis, noli propterea diffidere aut differre a studio spirituali, sed Dei quære auxilium ; et dum gratiam sentis, non immoderanter securus sis quasi hanc perdere nequeas.

Præterea, quoniam Spiritui Sancto appropriantur amor, pietas et dulcedo, idcirco ejus effectus in homine, sunt inflammatio mentis in caritate, torporis, pusillanimitatis tædiique expulsio, spiritualis consolatio, alacritas ad divina, affectio pia ac dulcis ad proximos. Si itaque hos effectus desideramus adipisci a Spiritu Sancto, discutiamus conscientias nostras quotidie. Nec solum mortalia vitia, sed venialia quoque diligenter vitemus, quum Salomon protestetur : Qui timet Deum, nihil negligit. Venialia namque ad mortalia disponunt peccata : idcirco qui venialia non satagit evitare, in mortalia miserabiliter ruit. Sensuales voluptates, iram, invidiam, omnem fraudulentiam, detractionem, cum ceteris iniquitatibus, jugiter fugiamus; et juxta apostolica documenta, simus invicem caritativi, misericordes, humiles, patientes, ad laudem et gloriam superbenedictissimi paracleti Spiritus Sancti, et Patris, ac Filii.

Eccle. VII, 19.

Legitur de S. Basilio episcopo, quod in magna humilitate et abstinentia vixit. Unde et sapientiam præcipuam Spiritus Sanctus ei infudit, eratque caritate Dei ac proximorum vehementer accensus. Et hoc ipsum Deus revelavit cuidam sancto eremitæ nomine Ephrem. Qui surgens perrexit ad S. Basilium, ut tantum virum conspiceret. Introductus autem ad S. Basilium, vidit igneam linguam in ore ejus loquentem. Quo viso, S. Ephrem clamavit : Vere magnus Basilius, vere columna ignis Basilius, vere Spiritus Sanctus loquitur per os ejus. Deinde Ephrem dixit B. Basilio : Obsecro, domine, impetra mihi a Spiritu Sancto ut Græce loquar. Cui Basilius : Rem (inquit) difficilem postulasti. Orante autem S. Basilio, statim cœpit Ephrem Græce loqui. Ex quibus apparet quanta sit pietas ac potestas Spiritus Sancti in suis electis.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE EMINENTIA SACROSANCTISSIMÆ SOLENNITATIS SPIRITUS SANCTI, ET DE OBSERVANDIS IN LOQUENDO.

R*EPLETI sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Act. II, 4.

Quamvis Deus a mundi exordio semper pronus fuit et liberalis ad dandum gratiarum charismata invocantibus eum, A tamen postquam humanam assumpsit naturam in unitatem suppositi, factus veraciter homo, præ solito liberalissimus et gratiosissimus fuit hominibus, et mirabiliter decoravit ac sublimavit eosdem : imo et deificavit per supernaturalia munera gratiarum, tam gratiæ gratum facientis quam gratiæ gratis datæ dona copiosissime eis dando. Et hoc in die hac celeberrima eminenter innotuit et excellenter inceptum est, in qua tam exuberanter præ solito data sunt Christi discipulis gratia- B rum charismata, et in eis ipsemet fons gratiæ omnis, Spiritus Sanctus, ut evangelista Joannes testatus sit : *Joann.* VII, 39. Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

Denique, quo benignissimus adorandus paracletus Spiritus Sanctus die hoc gratiosius egit nobiscum, et magis dignanter, amorose ac munificenter se habuit circa nos, eo in solennitate præsenti, imo et semper, magis devote, custodite et reverenter, magis affectuose et grataner circa C ipsum nos habere debemus, et exhibere nos munda receptacula ac digna habitacula ejus, ut in ipsius caritate, donis ac gratiis indesinenter proficiamus. Itaque in divinis simus ferventes, solliciti, diligentes ; in refectorio sobrii et sacris lectionibus digne intenti ; in colloquio moderati in verbis ac moribus ; in cellis nostris devoti et fructuosi, puri in cogitationibus atque affectibus ; in omni loco, tempore, actu, otio et negotio coram Deo sinceri et laudabiliter occupati. Magna omnino est præ- D sens solennitas, et devotissime expendenda. Nempe si grandis est quævis Virginis gloriosæ, aut Michaelis archangeli, aut principis Apostolorum solennitas, quanto præclarior ista est de Spiritu Sancto, qui essentialiter et incircumscriptibiliter sanctus est et omnis sanctitatis collator, a quo omnes Sancti sanctitatem suam sortiti sunt?

Præterea, si optamus ut Spiritus Sanctus corda nostra visitet et illustret, et intra nos loquatur, et audiamus quid loquatur in nobis, vitemus prava colloquia, otiosa, stulta, illicita verba, verba plane scurrilia et in risum moventia, a beatissimo Benedicto anathematizata ac ebannita. Omnis sermo malus, pungitivus, provoca- *Ephes.* IV, 29. tivus, mendax, irrisorius, detractorius, discordiæ seminativus, ex nostro nequaquam ore procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. Non simus præcipites ad loquendum, nec veloces ad garriendum, sed cum Propheta oremus : Pone, Domine, custodiam ori meo, et osti- *Ps.* CXL, 3. um circumstantiæ labiis meis. Impleamus quoque quod in Ecclesiastico jubetur : Ori *Eccli.* XXVIII, 28. tuo facito ostia et seras. Quod vir sapiens necessarium sibi esse cognoscens, dixit : Quis dabit ori meo custodiam, et super *Ibid.* XXII, 33. labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea me perdat ? Ecce quam necessariam judicavit vir sapiens linguæ refrenationem ac moderationem. In qua sanctus apostolus Jacobus perfectionem constituens : Si quis (inquit) *Jacob.* III, 2. in verbo non offendit, hic perfectus est vir. In quo et alter beatitudinem ponens, dixit : Beatus vir qui non est lapsus in *Eccli.* XIV, 1. verbo ex ore suo. O quam perfectus et felix fuit sanctissimus abbas Pambo, qui moriens ait, Ex quo factus sum monachus, non pœnituit me verbi quod locutus sum ! Qui etiam rogatus a Fratribus loqui verbum ædificationis archiepiscopo eos visitanti, respondit : Si non ædificatur in silentio meo, non ædificabitur in verbo meo.

Præterea, ut loquamur et taceamus prout Spiritus Sanctus dat loqui atque tacere, multa sunt attendenda. Nam sicut in operibus justitiæ oportet primo a malis operibus discedere et cessare, deinde bonum accedere et continuare, juxta quod scriptum est, Declina a malo, et fac bonum ; *Ps.* XXXVI, 27. sic in refrenatione ac regimine linguæ oportet primo verba vitiosa, illicita, otiosa vitare, quum dicat Apostolus : Corrum- I *Cor.* XV, 33. punt mores bonos colloquia mala ; et rursus, Sermo (inquit) vaniloquorum ut can- II *Tim.* II, 17. cer serpit. Religiosum ergo qui morum conversionem Deo promisit, et ad reformationem tenetur suorum affectuum, summe oportet prava, vana et stolida devitare colloquia, nec ita loquentibus attendere, applaudere, consentire.

Secundo observare necesse est ut de bonis, licitis, ædificatoriis simus loquentes, I *Petr.* IV, 11. sicut princeps ait Apostolorum : Si quis loquitur, quasi sermones Dei; et Paulus, *Coloss.* IV, 6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, id est discretione ornatus. Qui autem ad loquendum est indiscretus, verbis fatuis quasi quibusdam vermibus scaturit ac putrescit.

Insuper, quia ad actum virtutis non sufficit agere bonum, nisi et hoc bene agatur, utpote cum circumstantiis debitis, suo scilicet loco et tempore, etc., hinc tertio observandum est congruum aut debitum *Eccle.* III, 7. tempus, quia ut Salomon fassus est, Tempus est loquendi, et tempus tacendi. Siquidem dum ex locutione nulla oritur aut speratur utilitas aut profectus, nec honor Dei, tempus tacendi est; dum vero fructus probabiliter ex sermone sequi speratur, aut rationabilis causa seu necessitas exigit loqui, tempus est loquendi. Hinc in Eccle- *Eccli.* XX, 7. siastico legitur : Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem et imprudens non servabit tempus. Salomon quoque *Prov.* XVIII, 13. protestatur : Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum. O quoties unus nostrum verba alterius, imo interdum et præsidentis aut senioris et sapientioris, insipienter interrumpit!

Quarto observandus est congruus locus, ut non in ecclesia nec prohibitis locis loquamur. Quod contra aliqui nostrum etiam in choro et circa altaria ad quamdam loquacitatem sunt proni, et in paucis verbis multum excedunt; similiter in refectorio atque capitulo. Isti sunt homines intimorati, et si non malitiosi, tamen leves, pueriles ac dissoluti : ideo fortiter se emendent.

Quinto servanda est mensura in verbis, ne loquendo excedamus et effluamus, aliosque gravemus, et eorum qui fructuosius A nobis loqui possunt sermonem impediamus, aut verba protrahendo superflue, alios a melioribus actibus impedire, præpedire inveniamur. Ideo Salomone testante : To- *Prov.* XXIX, 11. tum spiritum suum profert stultus; sapiens autem differt et reservat in posterum. Et, Qui moderatur labia sua, prudentissi- *Ibid.* X, 19. mus est; et item, Stultus verba multiplicat. *Eccle.* X, 14. Quum enim in multiloquio non desit *Prov.* X, 19. peccatum, insipientiæ et cordis intimorati est esse verbosum. Propter quod in Job habetur : Numquid vir verbosus justifica- *Job* XI, 2. B bitur? Hinc in Ecclesiastico asseritur : Verba sapientium statera ponderabuntur. *Eccli.* XXI, 28.

Sexto pensandum est cui loquamur, quatenus capacitati, conditioni et qualitati audientium verba nostra aptemus ac proportionemus, ne præsumamus sapientiorem docere, seniorem et virtuosiorem increpare, vanum laudare, inexpertum consulere, obstinatum corripere, contemptorem instruere, illusorem monere, simplicioribus alta proponere, coram insipientibus loqui, vel inter sapientiores sermocinari. Hinc in C Ecclesiastico scriptum est : In medio ma- *Ibid.* XXXII, 13. gnatum non præsumas loqui; et ubi sunt senes, non multum loquaris. Et, Ubi non *Ibid.* 6. est auditus, non effundas sermonem. Itemque : Adolescens, loquere in causa tua *Ibid.* 10, 11. vix; si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. Quo constat, quod Fratres juniores et simpliciores debent ad loquendum esse tardiores, et in loquendo etiam breviores : alioqui frontosi apparebunt et inverecundi. Deinde Salomone testante : Qui erudit derisorem, ipse sibi *Prov.* IX, 7. D injuriam facit; et qui illusor est, non au- *Ibid.* XIII, 1. dit quum corripitur. Propterea denuo ait : In auribus insipientium ne loquaris, ne *Ibid.* XXIII, 9. forte despiciant doctrinam eloquii tui. Pro talibus ergo magis orandum est. Verumtamen quadam benevolentia interdum sunt præveniendi, et ita cum industria admonendi : quod ad præsidentes constat specialiter pertinere.

Septimo est pensandum qualiter sit loquendum, videlicet mansuete, modeste, suaviter et distincte, interdum etiam rigorose, dum cum pietate non proficit loquens. Hinc iterum in Proverbiis dicitur : *Prov.* xv, 1. Responsio mollis frangit iram ; sermo durus suscitat furorem. Et in Ecclesiastico : *Eccli.* vi, 5. Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos ; et lingua eucharis in bono homine abundabit. Iterum quoque ait Scriptura : *Prov.* xvi, 21. Dulcis eloquio, possidebit majora. Sed et in Ecclesiastico legitur : *Eccli.* xl, 21. Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis.

Octavo pensare debemus cur loquamur, quo scilicet fine, qua intentione. Generalis autem, ultimatus et supremus finis esse debet jugiter honor Dei. Deinde sunt alii fines secundarii et proximi ac diversi, videlicet ut instruamur ab alio vel eum instruamus, vel causa bonæ recreationis aut prudentis explorationis. Unde secundum qualitatem finis intenti considerare debemus an is cum quo loqui intendimus, sit A talis quod ex colloquio secum habendo, finem intentum obtinere possimus.

Hæc itaque in loquendo, quantum fragilitati nostræ possibile est, observemus, ut non delinquamus in lingua nostra. Imo non confidamus nos propriis viribus posse hæc omnia jugiter observare, sed in Deo sit tota spes nostra, et ejus directionem, auxilium, protectionem assidue invocemus, quatenus juxta prædicta nos dirigat in loquendo atque tacendo : quia in Proverbiis scribitur, *Prov.* xvi, 1. Hominis est animum B præparare, sed Domini est gubernare linguam. Ipse igitur linguam nostram semper gubernare dignetur, maxime istis colloquiorum, minutionum, laborum diebus, ne excedamus, sed in morum ornatu, in cordis munditia, in gratia Spiritus Sancti incessanter crescamus, et dies hos sacratissimos cum devotione expendamus condigna.

SERMO SEXTUS

QUAM SIT SALUBRE, FRUCTUOSUM AC MERITORIUM, VERBUM DEI NEDUM AUDIRE VEL SCIRE, SED OPERE QUOQUE ADIMPLERE.

S*I quis diligit me, sermonem meum servabit.* Joann. xiv, 23.

Eccle. ix, 1. Quamvis juxta Salomonis eloquium, nesciat homo certo an amore an odio dignus sit, multa tamen probabilia signa in Scripturis tanguntur, per quæ verisimiliter scire valemus an simus in caritate et gratia. Quorum unum est istud quod in exordio hujus evangelii tangit Salvator, dicendo : Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Sermo Christi est evangelica sua doctrina ac jussio. Qui ergo vult probabiliter noscere an vere ac spiritualiter diligat Christum, interiora sua sincere discutiat ; diligenter ac frequenter examinet an quidquid præcepit Christus adimpleat, et quidquid prohibuit vitet ; an omne C mortale peccatum cordialiter detestetur, vitet, et semper vitare proponat ; an vere sit humilis, mansuetus, caritativus, exemplaris, sobrius, timoratus ; præcepta quoque observet Ecclesiæ ; nec quempiam velit contristare, perturbare, gravare : imo quod sibi non vult fieri nemini faciat, et quod sibi fieri cupit exhibeat aliis. Qui talem se invenit, confidat se Deum diligere. Qui autem ad indignandum, ad irascendum et ulciscendum, ad animositates, contentiones, detractiones, et similes passiones D ac culpas se invenit pronum, timeat vehementer, præsertim si religiosus exsistat, et maxime quum animositas, ira, crapula, detractio, contentio, ex suo genere mortalia sint peccata, et religiosus ex sua vocatione ac professione ad quotidianum teneatur profectum.

Insuper, quam salubre, fructuosum, meritorium sit Christi sermones servare, id est opere adimplere memoriterque tenere, ipse in evangelio hodierno pandit, dicendo : *Joann.* XIV, 23. Et Pater meus diliget eum ; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Ecce quid gloriosius, quid desiderabilius potest excogitari ? Numquid parum est ab æterno Patre amari, a Patre et Filio (haud dubium quin et a Spiritu Sancto) visitari, a tota supergloriosissima Trinitate inhabitari ? In palatiis imperatorum et regum sæculi hujus, non mediocriter magnum putatur esse amicum et familiarem imperatoris aut regis, visitari et affari ab illo, atque in eodem cum illo contubernio demorari, epulari, quiescere. Unde quum affectuosissima mater sanctissimi Astionis monachi ac martyris audisset filium suum in palatio summi Regis consistere, mox sciscitabatur an bene haberetur a rege suo. Et quum beatissimus Joannes eremita prædixisset principi militiæ imperatoris Theodosii certam victoriam de tyranno, hoc quoque prænuntiabat eidem, quod carus et acceptus futurus esset imperatori. Quid ergo est Regi sæculorum immortali, invisibili, Deo majestatis immensæ, dignitatis et excellentiæ penitus infinitæ, esse carum, familiarem ac intimum, a supergloriosissima Trinitate visitari, et eam proprii cordis inhabitatricem habere ? Qui potest capere capiat, quia res ista videtur mihi tantæ gratiositatis, dignitatis et desiderabilitatis, ut plene comprehendi non queat, nec exprimi digne. Tantæ igitur dignitatis et gratiæ, tantæ sublimationis ac felicitatis amore, intuitu et effectu, servemus Christi sermones, frangamus, vincamus atque viriliter mortificemus nos ipsos : regnum enim cœlorum diripiunt violenti.

Denique in his verbis confertur consolatio magna religiosis. Si namque omnem Christifidelem Christi mandata servantem diligit Deus Pater, et ad eum veniunt Pater A et Filius ac Spiritus Sanctus, quanto magis vere religiosos non solum mandata, sed et evangelica Christi consilia strenue observantes, regulariter conversantes, diligit Pater, et ad tales dignantissime venit, eosque gratiosissime inhabitat, adoranda, superbenedicta æternaque Trinitas ; et potissimum eos qui verbis aut exemplis etiam alios ad Dei sermones implendos inducunt, ad meliora inflammant, qui sua alacritate, devotione, fervore, humilitate, mansuetudine, exemplaritate, sobrietate, B diligentia, aliorum pigritiam excitant, indevotionem confundunt, torporem accendunt, elationem humiliant, iram exstinguunt, scandalositatem reformant, crapulam reprimunt, negligentiamque corrigunt. Unicuique talium dici potest quod Saul dixit ad Samuelem : *I Reg.* XV, 13. Benedictus tu Domino ; et David ad prudentem Abigail, *Ibid.* XXV, 32. Benedictus sermo oris tui ; quod item Jacobus ait apostolus, *Jacob.* V, 20. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum. C

Præterea, quemadmodum teste Bernardo, Christus maximam persecutionem patitur ab his qui pravis exemplis, suggestione pestifera, persuasione maligna, animas suo sanguine liberatas ab ipso avertunt ; sic summam honorationem habet ab his qui virtuosis exemplaribusque operibus, sanctis exhortationibus, errantes ad ipsum reducunt, stantes confirmant, et universos, quantum est in ipsis, ædificant. Simus igitur mutuo exemplares, consilio et auxilio D omni quo possumus nos invicem adjuvemus, divinæ majestatis honorificentiam totis viribus exquiramus, procuremus, promoveamus. Et sicut de beatissimo patre Antonio legitur, quod egregio viro illa semper flamma arsit in corde, ne in quacumque virtute alicui inveniretur secundus sive inferior ; ita et quilibet nostrum unumquemque studeat in omni virtute præcedere, in omni humilitate, patientia, diligentia superare. Studeat unusquisque præ ceteris exemplarior, obsequiosior, devotior, ferventior, temperantior, alacrior A inveniri. Hujusmodi namque zelus, flamma seu appetitus non ex aliqua procedit elatione, sed ex divino ac fraterno spirituali amore, quo quis Deum totis viribus appetit honorare, et proximos ædificare, quibus et negligentior, indevotior, carnalior, imperfectior inveniri sapientialiter erubescit.

Præterea, sicut Salvator dixit Apostolis, *Joann.* XIV, 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; sic dum ipse et Pater et Spiritus Sanctus mentem visitant atque inhabitant, B pacem internam et tanquam continuam quamdam serenitatem causant in ea, facientes eam in se quiescere et gaudere. Unde hujusmodi homo veraciter virtuosus, pace abundat interiori et gaudio spirituali; estque alacer in divinis et jucundus in Domino, cum mentali lætitia serviens Deo, et in hilaritate agens quæ ad laudem et gloriam facit altissimi summique Dei omnipotentis. Qui autem caret hac pace interna, quæ est quies seu tranquillitas cordis in Deo, passionum quidem suarum C aculeis frequenter mordetur, inquietudinibus agitatur, ira, impatientia et aliis motibus inordinatis affligitur. Talibus solitudo est gravis, et tempus longum, discursio solatiosa, fabulatio grata : nam quia intus non gloriantur in Domino, foris quærunt consolari cum mundo. Redeant ergo ad cor. Bonitatem, suavitatem, misericordiam, excellentiam, beatitudinem Dei considerent; etiam Christi passionem et sua novissima meditentur; in psallendo, orando laudandoque Deum discant gaudere : sic- D que paulatim vacent, gustent et videant quam dulcis est Dominus, coram quo interiora sua quotidie bene discutiant atque custodiant; omnique otio pulso semper se utiliter occupent, et ad Deum ubique adspirare, ad ipsum mentem suam ubertim levare assuescant. Et tunc utique cito supernæ consolationis fient participes, in tantum quod ex sententia fatebuntur : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, *Ps.* XXX, 20. Domine!

Postremo, quoniam teste S. Leone Papa, nihil tam utile Ecclesiæ, tam necessarium Christianis, tam salubre fidelibus, sicut pacem istam internam habere, unitatem diligere, concordiam observare; studeamus semper pacifice pariter conversari, imo et cum his qui odiunt pacem pacati et tranquilli consistere, discordantes pacificare. Beati namque pacifici, quoniam *Matth.* V, 9. filii Dei vocabuntur. Turbatores vero, contentiosi, detractores, seminatores discordiæ, litigatores, pungitivi, mordaces, cujus nisi diaboli filii comprobantur? Nam sicut in pace factus est locus Dei, ita in pertur- *Ps.* LXXV, 3. batione, contentione, divisione, est locus diaboli. Qui sicut nulla re tantum affligitur sicut caritate, concordia et spirituali jucunditate servorum Dei, ita de nullo tantum lætatur ut de aversione, discordia, contentione et inordinata tristitia eorumdem. Propterea, quod ille in nobis magis persequitur et auferre conatur, vigilantius custodiamus; et juxta Zachariæ oraculum, pacem et veritatem jugiter diligamus. Te- *Zach.* VIII, 19. ste equidem Augustino, tale ac tantum est bonum pacis, ut in rebus creatis nil pretiosius audiatur, nil avidius concupiscatur, nil carius possideatur.

Hanc igitur pacem mentalem non amittamus, quantumlibet forinsecus impugnemur. Nullius improbitate, persecutione aut exercitatione, ad turbulentiam iræ, impatientiæ, tristitiæ, aut similis passionis seu vitii moveamur; sed in Domino stet inflexibilis animus noster, caritate, mititate, patientia, fortitudine, sapientia, discretione, ceterisque virtutibus undique confortatus, armatus, munitus et constipatus, sicut rex stans in medio sui exercitus ipsum protegentis ac ambientis ne vulneretur. Hoc nobis benignissimus, adorandus, omnipotens Spiritus Sanctus conferre dignetur, qui cum Patre et Filio unus est Deus super omnia benedictus.

SERMO SEPTIMUS

QUALITER SPIRITUI SANCTO PER VIRTUTES ET DONA SANCTAQUE OPERA ASSIMILARI DEBEMUS.

PARACLETUS Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, docebit vos omnia. Joann. XIV, 26.

Quædam in superbeatissima Trinitate sunt propria, quædam appropriata Personis. Quemadmodum enim Filio, quum sit emanatio intellectus, appropriantur veritas, sapientia, ars, exemplar, pulchritudo seu species; sic Spiritui Sancto, quum sit emanatio voluntatis, appropriantur caritas, amor, pax, tranquillitas, suavitas, benignitas, munificentia, usus, communio, jucunditas, nexus, osculum et amplexus. Multa quoque Spiritus Sanctus nomina habet sibi appropriata, propter effectus sibi appropriatos : nam appellatur paracletus, ignis, unctio, digitus Dei. Porro donum dicitur proprium nomen Spiritus Sancti, secundum quod donum accipitur per habitudinem ad eum cujus est ratione originis, et a quo datur.

Ex his elici potest, qualiter et in quibus adorando paracleto Spiritui Sancto assimilari possimus ac debeamus. Primo namque et maxime ei assimilamur per caritatem supernaturalem infusam, qua Deum proximumque meritorie, pure et irreflexe diligimus. Hæc etenim caritas est quædam supernaturalis similitudo, imago atque expressio increati ac spirati amoris, videlicet Spiritus Sancti : et hoc per appropriationem. Realiter namque caritas est communis totius superessentialis Trinitatis effectus, et increati amoris, absolute dicti (qui est divina essentia), supernaturalis similitudo, expressio seu imago. Itaque, quo in caritate purissima ferventiores et perfectiores efficimur, eo Spiritui Sancto similiores amabilioresque reddimur.

Caritas autem unionem facit, zelum et A ecstasim, quia amantem non solum conjungit amato, sed et transponit et transformat eum in illum. Quod fit per ecstasim, quæ est extrapositio qua amans in amatum tendendo, quasi extra se ponitur et in illum transfertur. Unde, secundum divinum Dionysium, divinus amor seu caritas non sinit amantes esse sui ipsorum, sed facit eos esse eorum quos amant, quibus per caritatem se ipsos præbent, exhibent atque communicant, et non sua dumtaxat: sicut et Spiritus Sanctus, qui essentialiter B caritas nuncupatur, non solum gratiæ suæ charismata, sed et se ipsum electis suis ad habendum, possidendum ac fruendum se largitur. Nec caritas solum hanc ecstasim facit, sed et amantem amato indissolubiliter nectit ac colligat, dicente Apostolo : Quis separabit nos a caritate Christi ? Et istud agi fertur per zelum, quæ est vehemens valde affectio.

De Divin. nom. c. IV.

Rom. VIII, 35.

Primum horum effectuum, scilicet unionem, facit caritas in universis eam habentibus : et pertinet unio illa simpliciter C dicta ad incipientes. Transpositio vero in amatum, spectat ad proficientes, qui dilecto super omnia Deo quotidie magis propinquare nituntur, ferventius diligendo, ac per hoc fortius in ipsum tendendo, et in ipsum se transponendo atque quodammodo transformando, utpote quæ Dei sunt magis ac magis agendo. Unumquodque equidem dicitur illi præcipue assimilari et conformari, et in illud transformari, cujus operationes et proprietates magis sectatur, exercet et complet : quemadmo- D dum callidi dicuntur vulpini; gulosi, lupini; audaces, leonini. Contemplativi vero ac fervidi, caritativi rite ac divini vocantur. Porro tertius caritatis effectus, videlicet insolubilis ille nexus seu colligatio, A pertinet ad perfectos, qui mille mortes mallent perpeti quam a Deo averti aut in ipsum prævaricari.

Deinceps hos tres caritatis effectus seu actus habere debemus, primo circa Deum, deinde circa proximos omnes. Debemus ergo primum esse Deo per caritatem uniti, ut ei super omnia ut summo bono et ultimo fini adhæreamus, afficiamur, atque ad ejus honorem et dilectionem nos ipsos ac cetera omnia ordinemus, ita quod nihil contra ordinem caritatis optemus aut ope- B remur. Secundo debemus per caritatem esse in Deum transpositi, translati et transformati, per hoc quod ad ejus intensiorem dilectionem nos assidue excitamus, extendimus, elevamus, et ipsum sincerius contemplari enitimur, virtutumque opera instantius exercemus, Deum orando, laudando, pietatis ac justitiæ opera prosequendo : per quæ omnia Deo præcipue assimilamur, et in ipsum transformamur, cui proprium est misereri ac parcere, et Ps. x, 8. qui justus est, et justos ac justitias diligit. C Tertio debemus Deo indissolubiliter esse conjuncti et colligati, eum intra nos continue ac ferventissime amplectentes ; et ei plenarie conformati, omne id quod suæ caritatis quoquomodo læsivum est, aut sancti fervoris minorativum, cordialissime detestantes ac fugientes, non solum graviora, sed et minima quæque abominantes peccata ; sicque habituati, radicati ac roborati in Deitatis amore, ut quantum in hac fragili carne ac labili vita fieri valet, dici possimus in caritate perfecti, et D inavertibiles ab eadem.

Insuper et ad proximos hos caritatis actus habere nos congruit : ut spirituali dilectionis vinculo cunctis viatoribus conjungamur, eorum desiderando salutem ut propriam ; et in fraterna caritate proficiendo, transformemur in eos, ut unum cum eis simus in Deo, et zelo salutis eorum simus accensi, faciendo pro eorum salute quod possumus ; atque in his tantum et tamdiu exercitemus nos ipsos, ut tam valide radicemur ac inflammati perseveremus in eorum spirituali amore, ut ab eis averti non valeamus, sed indissolubiliter colligati simus eisdem : ita ut quidquid injuriæ, persecutionis, molestiæ, invidentiæ, ingratitudinis nobis intulerint, non cessemus a perfecto eorum amore, sed compatiamur et deprecemur pro eis, vincentes quantum in nobis est, malum in bono. Cujus perfectissimæ caritatis exemplum Christus ostendit in cruce, pro crucifixoribus exorando; et Stephanus, pro suis lapidatoribus flexis genibus precem fundendo; Paulus quoque, qui tanquam indulgentissimus pater, tanto plus adversariis suis condoluit, quanto graviora ab eis patiebatur adversa.

Præterea constat ad hanc caritatis perfectionem et ad hos tres actus ipsius nequaquam nos posse pertingere, nisi a privato et carnali amore penitus expurgemur, ab omni quoque animositate, ambitione, ira, impatientia, cupiditate ceterisque passionum immoderantiis plene simus mundati, alienati et reformati, atque in sancta humilitate, mansuetudine, patientia, aliis quoque virtutibus moralibus stabiliti. Quum ergo hoc modo fuerimus in caritate perfecti, viscera caritatis induti, in bonitatis et sanctitatis affectum omnino conversi, tunc Spiritui Sancto sublimiter conformabimur, a pravis suspicionibus et omni malitia penitus alienati. Tunc insuper in nobis erit pax interna tam stabilis, tanta tranquillitas mentis, tanta cordis dulcedo, tanta ad universos benignitas, tanta munificentia, liberalitas atque communio, tanta lætitia cordis in Domino, quod etiam per omnia ista abundantiamque eorum assimilabimur mente paracleto Spiritui Sancto, cui prædicta hæc omnia appropriantur, et essentialiter sunt quod est ipse.

Simus ergo omnino caritativi, non quærentes quod nostrum est tantum. Imo nos ipsos et quidquid possumus et habemus proximis liberalissime impendamus, nil nobis proprium reservantes, sed omnem gratiam nobis communicatam eis toto affectu et omni modo nobis possibili impertientes. A Quidquid consolationis, quidquid informationis, quidquid consilii et auxilii possumus, cunctis pro viribus impendamus, et ultra quam possumus facere cupiamus. Et quod effectu non possumus, faciamus affectu, ut sic unusquisque nostrum suo modo paracletus dici queat; et advocatus ac digitus Dei, alios dirigendo; et ignis, ipsos inflammando; unctio quoque, dona nobis collata in ipsos administrando.

Ecce ad hæc obtinenda et exsequenda conemur, tendamus, adspiremus et accendamur B : suavissimi Spiritus Sancti immensam pietatem fideliter, instanter indeficienterque rogantes, ut propter sui ipsius bonitatem immensam, connaturalem benignitatem, immensam dulcedinem, opulentiam, munificentiam infinitam, caritatem æternam, et propter emanationem suam a Patre et Filio, omnemque mutuam dulcedinem inter ipsum et Patrem ac Filium, nobis hæc omnia dignetur conferre, per Virginem gloriosam, omniumque Sanctorum preces ac merita; mala quoque his bonis contraria incessanter tollat a nobis : in primis privatum illum amorem, omnium vitiorum originem; deinde omnem elationem, cupiditatem, concupiscentiam, omnem iram, invidiam, acediam, crapulam, ex improbo illo ad se reflexo privato amore nascentes. Nec solum ab his magnis, grossis et horribilibus malis nos abstinere oportet et fugere, sed item omnem cogitationem inutilem, omne verbum illicitum, omnem inordinatam affectionem abjicere, nullam temporis horulam infructuose transire, sed meditando, orando, psallendo, contemplando, suspirando, fervendo, indesinenter ferri in Deum, super omnia benedictum, unum et trinum. Amen.

DOMINICA SS. TRINITATIS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

VIDI OSTIUM APERTUM. Apoc. IV, 1-10.

QUONIAM hodie in Ecclesia, summæ et A supergloriosissimæ Trinitatis solennitas agitur, recte lectio ista ex Apocalypsi sumpta, loco epistolæ legitur, quia in ea adorandæ Trinitatis mysterium tangitur. Ait ergo Joannes apostolus : *Vidi,* visione imaginaria et intellectuali, quales communiter fuerunt propheticæ visiones. Hæc ergo visio imaginaria fuit, quia per corporalium rerum imaginarias ac materiales formas seu species, in interiori sensu angelico ministerio formatas, fiebat. Fuit et intellectualis, quia per illuminationem an- B gelicam intellexit Joannes quid illæ similitudines designarent : alias non fuisset *Dan.* x, 1. propheta, quia ut in Daniele scribitur, Intelligentia est opus, id est principale, in visione. Itaque vidi *ostium apertum in cœlo.* Per ostium expositores communiter *Joann.* x, 9. intelligunt Christum, qui ait : Ego sum ostium ovium; per me si quis introierit, salvabitur. Quod apertum asseritur, quoniam Christus notitiam sui aperuit mundo, et suo ore aperto docuit per se ipsum ho- *Ibid.* xix, 34. mines. In passione quoque unus militum C lancea latus ejus aperuit. Insuper, Christus omnibus ad se venientibus gremium offert clementiæ, et misericordiæ suæ ape- *Matth.* xi, 28. rit januam, secundum quod ait : Venite ad me, omnes qui laboratis; et rursus, *Joann.* vi, 37. Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Hoc ostium apertum est in cœlo, id est in militanti Ecclesia, quam Christus in Evangelio frequenter regnum cœlorum appellat, dicendo : Simile est regnum cœlorum *Matth.* xiii, 47. sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti; et item, Simile est *Ibid.* xxv, 1, 2. regnum cœlorum decem virginibus, quarum quinque stultæ fuerunt.

Aliqui vero dicunt, quod Joannes in isto loco describit majestatem Dei. Et primo describit majestatem ipsius quantum ad eminentiam throni seu loci quo residet. Sicque per verba hæc, « vidi ostium apertum », datur intelligi, quod Joanni in visione imaginaria apparebat quod janua quædam aperiretur in cœlo, ut sibi omnipotentis Dei ostenderetur majestas sub corporalium similitudinibus rerum, atque ad innuendum quod desuper sibi revelaretur status militantis Ecclesiæ. Juxta quem modum in Ezechiele habetur : Aperti sunt *Ezech.* i, 1. cœli, et vidi visiones Dei. Et in eodem capitulo describitur thronus supra firma- *Ibid.* 26. mentum, et super similitudinem throni similitudo quasi adspectus hominis desuper. Per quod Deus altissimus omnibus præsidens designatur, sicut ibidem plenius scripsi.

Et vox prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc. Per vocem istam tubalem, quæ prima fuit in visione hac, quidam intelligunt vetus Testamentum seu doctrinam propheticam, quam per illuminationem supernam audivit interiori auditu Joannes, quæ admonuit eum ascendere huc, id est ad Christum spiritualemque intellectum. Hæc autem expositio nimis spiritualis *Act.* ii, 1-4. videtur, præsertim quia in die Pentecostes, veniente super Apostolos Spiritu Sancto, infusa fuit Joanni excellens notitia legis ac Prophetarum. Alii ergo per vocem istam intelligunt inspirationem divinam. Sed quoniam Deus ista non docuit Joannem immediate per se ipsum, imo nec immediate per Christum, sed per angelum in Christi persona apparentem (quemadmodum *Apoc.* i, 13. in Apocalypsi ait Joannes : Vidi quasi similem filio hominis; et iterum, *Ibid.* xxii, 16. Ego Jesus misi angelum meum testificari hæc in Ecclesia), hinc potius arbitror, quod per vocem hanc intelligenda sit angelica allocutio, seu ipsemet angelus Joannem interius alloquens. Cujus vox quasi vox tubæ vocatur, ad insinuandum virtutem et efficaciam angelicæ allocutionis. De hac voce dixit Joannes in eodem Apocalypsis *Ibid.* i, 12. libro, Conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum : intelligendo per vocem, vocis prolatorem. Denique divino De Cœlest. hier. c. iv et xv. Dionysio contestante, propheticæ revelationes per angelos factæ sunt.

Itaque ait : « vox prima » : quasi dicat, Eadem quam jam ante audivi. Nam quod præcessit, primum vocamus. Verumtamen * Berengaudus Berengandus * per primam vocem intelligit Joannem Baptistam, qui loquitur de se *Joann.* i, 23. ipso : Ego vox clamantis in deserto. « Ascende huc », id est, ad contemplationem te erige : de spirituali quippe ascensu, non de corporali, hoc dictum est. « Et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc », id est statum, processum ac tribulationes militantis Ecclesiæ, quæ ex hoc tempore usque ad finem mundi decurrent.

Et statim fui in spiritu, id est alienatus ab exteriorum sensuum usu et actu, atque in ecstasi mentis, per diligentissimam considerationem eorum quæ mihi ostendebantur. *Et ecce sedes posita erat in cœlo.* Si per cœlum intelligamus militantem Ecclesiam, sedes in ea posita, est congregatio quævis devota, seu corda fidelium Dei amore succensa, in quibus A Deus regnat, residet et quiescit, dicente Apostolo : Templum Dei sanctum est, quod I *Cor.* iii, 17. estis vos. Nam anima justi, sedes est sapientiæ. Unde Scriptura fatetur, Justitia et *Ps.* lxxxviii, 15. judicium præparatio sedis tuæ : quia videlicet per justitiæ exsecutionem et judicii discretionem, disponitur anima ut Deus residere dignetur in ea. Si vero per cœlum intelligatur patria Beatorum, seu triumphans Ecclesia, per sedem in ea positam intelliguntur angelicæ potestates, omnesque mentes Deo beatifice perfruentes, qui- B bus Deus sublimiter præsidens, interius cuncta disponit. Rursus, per sedem hanc, auctoritas et potestas Dei Ecclesiam gubernantis exprimitur. Deus etenim nullibi verius quam in se ipso esse et quiescere perhibetur. Postremo, quia et ipsa Ecclesia sedes est Dei, sedes in cœlo est posita, quia Ecclesia militans, quamvis adhuc in carne versetur, mente tamen cœlum inhabitat, dicente Apostolo : Nostra conver- *Philipp.* iii, 20. satio in cœlis est.

Et supra sedem sedens, scilicet Deus C unus et trinus omnibus dominans, de quo fertur in Psalmo : Dominus in cœlo sedes *Ps.* x, 5. ejus ; et, Dominus sedet super sedem san- *Ps.* xlvi, 9. ctam suam. Porro immensus et incircumscriptibilis Deus, in divinitatis natura nequaquam corporaliter sedet nec clauditur loco, sed illocalis, intemporalis immaterialisque invariabiliter permanet. Sed quoniam visio ista imaginaria fuit, Deus in forma visibili, situaliter residenti, monstrabatur Joanni. Juxta quem modum loquitur Isaias : Vidi (inquiens) Dominum *Is.* vi, 1. D sedentem super solium excelsum et elevatum. Daniel quoque propheta : Adspicie- *Dan.* vii, 9. bam, inquit, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit, utpote Pater æternus. Sicque in imaginaria visione apparebat Joanni similitudo sedis corporalis, in qua Deus residens videbatur. Quidam autem per sedentem, specialiter intelligunt Christum, Deum et hominem, de quo scriptum est : Dominus quidem Jesus post- *Marc.* xvi, 19. quam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.

Et qui sedebat, similis erat adspectui lapidis jaspidis et sardii. Per adspectum jaspidis et sardii, color eorum exprimitur. Jaspis autem viridis est coloris : qui color visum oblectat atque confortat. Sardius vero rubeum habet colorem. Hinc Berengandus et Haymo, per jaspidis viriditatem intelligunt Christi divinitatem, quæ interiorem visum summe oblectat, dulcissime reficit, insuperabiliter roborat; per sardii vero rubedinem, intelligunt ejus humanitatem pro nobis sanguine sacro perfusam,
Is. LXIII, 2. secundum illud Isaiæ : Quare rubrum est indumentum tuum? Insuper, quoniam jaspis apparentiam aquæ habet, sardius vero ignis, hinc Christus omnium judex, secundum Bedam, per hæc designatur : quia jam judicium per aquam exercuit, diluvio mundum submergens, aliud in fine sæculi per ignem exercebit. Albertus Magnus, per jaspidis virorem intelligit immarcescibilem felicitatis coronam, quam Christus præstat electis; per sardii ruborem, æterni ignis incendium, quod reprobis irrogat. Alii, qui per sedentem intelligunt Deum unum ac trinum, dicunt quod imaginariæ illæ visiones propheticæ fiunt secundum congruentiam ad id quod per imagines designatur ac revelatur. Deus autem in visione ista apparuit ut militantis Ecclesiæ gubernator, ad quam se habet ut pius consolator et ut caritatis inflammator : quorum primum designat viriditas jaspidis; secundum, sardii rubor.

Ezech. I, 26, 27. Præterea in visione Ezechielis, Deus sedens in throno, visus est in similitudine electri velut adspectus ignis. Et ibi per splendorem electri, quod aurei igneique coloris est, Dei providentia ac sapientia designatur. Hinc quoque hoc loco per sardii igniformem ruborem, divina sapientia; per jaspidis autem virorem, pulchritudo, dignitas et incommutabilitas divinæ naturæ, quæ æternaliter ejusdem vigoris est, vel decor assumptæ humanitatis Christi, quæ in resurrectione refloruit, intelligi potest.

Et iris erat in circuitu sedis. In Genesi legitur Deus dixisse ad Noe : Arcum meum ponam in nubibus cœli, et *Gen.* IX, 13.
erit signum fœderis inter me et terram. Itaque per arcum seu iridem, clementia fœdusque amicitiæ Dei ad Ecclesiam insinuatur : sic enim dilexit mundum, ut *Joann.* III, 16.
unigenitum Filium suum daret ei et pro eo. Itaque « iris erat in circuitu sedis », id est Ecclesiæ, quoniam misericordia Dei et pactum amicitiæ ejus circumdat, tuetur ac munit Ecclesiam. Unde Christus promisit Ecclesiæ : Ecce ego vobiscum sum cunctis *Matth.* XXVIII, 20.
diebus usque ad consummationem sæculi. *Similis visioni smaragdinæ.* Smaragdus est lapis majoris ac clarioris viriditatis quam jaspis. Est equidem nimiæ atque gratissimæ viriditatis, in tantum ut intuentium animos in admirationem convertat. Quod ergo iris, in qua tripartitus color apparet, visioni seu colori smaragdi assimilatur, designat quod caritas, misericordia et gratia Dei ad Ecclesiam, sit electis valde miranda, summe accepta, clarissime cognita, consolatoria et confortativa eorum. Rursus, per iridem designatur quod Deus omnibus elementis, eorumque impressionibus ac alterationibus dominetur.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos, id est supra viginti quatuor sedilia ista, erant *viginti quatuor seniores sedentes.* Quidam per viginti quatuor sedilia, intelligunt viginti quatuor libros veteris Testamenti; et per totidem seniores, intelligunt patres legis antiquæ, qui in præfatorum librorum lectione ac meditatione, quasi in sedibus, a curis atque laboribus sæculi quiescebant. Alii per seniores viginti quatuor, intelligunt sanctos patres novi ac veteris Testamenti, propter duodecim Apostolos ac duodecim Patriarchas, quibus omnibus judiciaria potestas aliquo modo communicatur. Aliqui vero per viginti quatuor sedes, intelligunt universas evangelicæ legis cathedrales ecclesias, et per totidem seniores, earum episcopos : et hoc, propter concordantiam novi Testamenti cum veteri, in quo, sicut primo Paralipomenon legitur, sanctus rex I *Par.* XXIV.

David cultum cupiens augere divinum, constituit viginti quatuor sacerdotes, successive in templo suis hebdomadibus ministrantes. Sed quia ii viginti quatuor sacerdotes instituti a David, non fuerunt pontifices, imo subjecti uni suo pontifici : videtur quod per eos congruentius designetur universitas sacerdotum evangelicæ legis ; per sedes autem, eorum potestas, virtus et gratia, ac merita eis collata, in quibus velut in sedibus spiritualiter conquiescunt. Dicuntur demum ista sedilia et eorum sessores esse in circuitu sedis, id est Ecclesiæ, quoniam sacerdotum et prælatorum est alios ab hoste antiquo tueri, illosque roborare ac custo- *Ezech.* XL, 5. dire. Unde in ultima Ezechielis visione, templum, quo designatur Ecclesia, legitur triplici muro circumdatum. Per quod triplex Ecclesiæ significatur custodia : nam custoditur a Christo, ab angelis sanctis, et a prælatis.

Circumamicti stolis albis, id est puritate et honestate undique adornati, et virtutibus decorati. Unde in Apocalypsi loquitur *Apoc.* III, 5. Christus : Qui vicerit, vestietur vestimentis albis. De iis albis stolis ait Ecclesia per *Is.* LXI, 10. Isaiam : Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. *Et in capitibus eorum coronæ aureæ.* Per quod designatur quod sunt aliorum rectores, et æterna felicitate coronandi a Deo, juxta *Ps.* XX, 4. illud in Psalmo : Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Denique in Scripturis, per caput mens, per aurum sapientia exprimi solet. Aureas ergo habent in capitibus suis coronas, quoniam mentes eorum dono sapientiæ decorantur.

Et de throno, id est de militanti Ecclesia, quæ sedes est Dei, *procedebant fulgura,* id est miracula : quæ instar fulguris divina virtute velociter fiunt, clare illuminant ac perterrent videntes, juxta illud *Ps.* LXIV, 9. Psalmi, Timebunt, qui habitant terminos, a signis tuis. Et in Evangelio sæpius scriptum est, quemadmodum turbæ visis Christi miraculis timuerunt. Fulgura quoque A sunt comminationes divini judicii atque pœnarum inferni. *Et voces,* id est prædicatio mediocris ac simplex : quemadmodum ad Corinthios ait Apostolus, Tanquam I *Cor.* III, 1, 2. parvulis in Christo lac dedi, non solidum cibum. Unicuique enim proponendum est verbum Dei prout capere potest. *Et tonitrua,* id est prædicatio sublimis et magna : secundum illud Apostoli, Sapientiam *Ibid.* II, 6. loquimur inter perfectos. Unde Christus in Evangelio quosdam Apostolorum filios ap- *Marc.* III, 17. pellavit tonitrui. Et in libro Job habetur : B Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum Dei; *Job* XXVI, 14. et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri? Tonitrua sunt verba Joannis : In principio erat Verbum; *Joann.* I, 1, 14. et Verbum caro factum est. Et quod loquitur Paulus : Audivi arcana verba quæ II *Cor.* XII, 4. non licet homini loqui.

Et septem lampades ardentes ante thronum. Quid autem per lampades designetur, subjungitur : *qui sunt septem spiritus Dei,* id est septem dona Spiritus Sancti, C quibus mens velut lampadibus illustratur ac inflammatur. Hæ lampades sunt ante thronum, hoc est in conspectu Ecclesiæ, imo in corde fidelium. Vel septem spiritus Dei, intelligendi sunt omnes angeli sancti, quorum ministerio corda illuminantur et accenduntur fidelium. Unde in Apocalypsi habetur : A septem spiritibus *Apoc.* I, 4. qui in conspectu throni ejus sunt. Septenario quippe universitas designatur, quoniam septem diebus omne tempus evolvitur. Hinc in libro Tobiæ legitur : Dixit *Tob.* XII, 15. D Raphael angelus, Ego sum Raphael, unus ex septem qui adstamus ante Deum.

Et in conspectu sedis, hoc est Ecclesiæ militantis, in qua per gratiam residet Deus, est *tanquam mare vitreum,* id est Baptismatis unda et sacramentum : in quo submergitur acies vitiorum, sicut in mari Rubro mersus fuit exercitus Ægyptiorum. Quod sacramentum instar vitri pellucidum est, animasque clarificat; per quod, tanquam per vitrum, splendor Solis justitiæ mentem subintrat. *Simile crystallo* ratione sui effectus, quia ab omni culpa A et pœna absolvit, virtutum et donorum decorem inducit, ita ut evolet qui ipsum suscepit, nisi de novo peccet. Rursus crystallo, quod ex nimia congelatione non fluit neque resolvitur, assimilatur Baptismus ob sui effectus soliditatem. Nam indelebilem characterem imprimit : idcirco nec iteratur. — Quidam per mare vitreum intelligunt Pœnitentiæ sacramentum, in quo esse debet fons lacrimarum.

Et in medio sedis et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. B Hoc, ut asserit Berengandus, secundum historiam stare non potest : neque enim tam parvus numerus ambitum sedis et medietatem ejus potuit obtinere. Sed spiritualiter intelligenda sunt hæc. Quatuor ergo animalia, non solum quatuor Evangelistas, sed et universos doctores Ecclesiæ signant. Et huic assertioni etiam Beda et Albertus concordant. Ait equidem Beda, per quatuor animalia, in hoc libro, non semper quatuor Evangelistas intelligi, sed quandoque Ecclesias. Atque, ut dicit Albertus, C per quatuor animalia, omnes prædicatores, et præcipue quatuor Evangelistæ, signati sunt. Dicuntur autem prædicatores quatuor animalia, quia de quatuor Evangeliis eorum prædicatio sumitur. — Itaque sensus est : « Et in medio sedis », puta Ecclesiæ, id est inter fideles, « et in circuitu sedis », id est in gyro eorum, ad protegendum et custodiendum fideles, sunt « quatuor animalia », id est universi doctores et prædicatores, quorum est populum Dei ab adversariis suæ salutis protegere D : qui pleni sunt « oculis ante et retro », id est Scripturarum doctrinis, et considerationibus pertinentium ad salutem, ac undique circumspecti, quia tam præterita quam futura attendunt.

Verumtamen, quoniam teste B. Gregorio super Ezechielem, et secundum plurimorum doctorum consonam assertionem, per quatuor animalia quatuor Evangelistæ signantur ; dicendum, quod ipsi suis prædicationibus et doctrinis seu evangelicis libris usque ad præsens Ecclesiam muniunt, custodiunt ac defendunt. Sicque spiritualiter ambiunt eam.

Sed huic expositioni difficultatem facit quod subditur : *Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti.* Qui enim animalia ista Evangelistas interpretantur, per faciem hominis Matthæum accipiunt, qui primus est in ordine Evangelistarum, et primus Evangelium scripsit, secundum Hieronymum. Quum ergo hoc loco animal habens faciem quasi hominis, tertio loco ponatur, non videtur per ipsum significari Matthæus.

Ista objectio, quam aliqui ponderant, non videtur mihi alicujus momenti. Primo, quoniam contestantibus Hieronymo, Gregorio, et aliis multis sanctis doctoribus, quemadmodum apud Ezechielem, ita et hoc loco per hæc quatuor animalia quatuor designantur Evangelistæ. Ezechiel autem faciem hominis ponit primo loco, et *Ezech.* I, 10. ibi per eam significatur Matthæus; similiter hic. Nec obstat variatio ordinis : quia diversis respectibus idem alicui præponitur atque postponitur. Hinc, ut Haymo ait, Ezechiel primo ponit hominem, secundo leonem, tertio vitulum, quarto aquilam, servans historiæ ordinem : quoniam primo, natus est Christus ut homo; secundo, prædicans vocem emisit terribilem quasi leo; tertio, in passione oblatus est tanquam vitulus ; postremo, ascendit in cœlum ut aquila. Porro Joannes primo ponit leonem, quia jam Christus surrexit a mortuis, cujus resurrectioni fides præsertim innititur : idcirco Joannes tanquam testis resurrectionis, primo ponit leonem.

Quamvis interea prætacta expositio S. Gregorii, qua per hominem Matthæus, per vitulum Lucas accipitur, etc., sit communis et bona ; aliqui tamen Sanctorum aliam habuerunt considerationem. Nam, sicut hic recitat Beda, B. Augustinus per leonem intellexit Matthæum, quoniam regiam Christi prosapiam in exordio evangelii sui descripsit; per vitulum vero Lucam, quia sacerdotalem Christi describit originem, secundum Hilarium; per hominem Marcum, quoniam his omissis, humanos Christi describit actus; per aquilam vero omnes Joannem intelligunt, propter sublimitatem sententiarum evangelii ejus. Insuper, ut recitat Berengandus, quidam per leonem, ut dictum est, Matthæum; per vitulum vero, Marcum, propter eloquii simplicitatem; per hominem intellexerunt Lucam, quia humanam Christi generationem est plenius prosecutus : videlicet, qualiter angelo nuntiante conceptus sit, quomodo natus et in præsepio collocatus, circumcisus et in templo oblatus sit.

Aliqui demum per quatuor animalia ista, quatuor patriarchales Ecclesias volunt intelligi : primam, videlicet Jerosolymitanam, per leonem, propter constantiam Apostolorum et aliorum qui in ea fuerunt; secundam, utpote Antiochenam, per vitulum, propter obedientiam qua primi illius Ecclesiæ filii parati fuerunt obedire Apostolis; tertiam, scilicet Alexandrinam, per hominem, quia in ea a principio fuerunt doctissimi viri; quartam, hoc est Constantinopolitanam, per aquilam, quia in ea fuerunt viri sublimiter contemplativi. Sed hoc Jerosolymitanæ Ecclesiæ multo præclarius competit, quia in ea fuerunt Apostoli et primi discipuli Christi, qui in contemplationis gratia omnibus præfulserunt.

Hinc, per quatuor animalia, quatuor Evangelistas arbitror designatos, quanquam per ea etiam Christus ejusque membra, viri scilicet christiani, queant intelligi. Fuit enim Christus homo in nativitate et conversatione, vitulus in obeditione ac passione, leo in prædicatione ac resurrectione, aquila in contemplatione et ascensione. Sic et quilibet Christifidelis, homo est rationem sequendo; vitulus, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo; leo, a peccatis surgendo et hostibus suæ salutis victorialiter reluctando; aquila, divinorum contemplationibus A insistendo, orationi, devotioni et laudibus Dei vacando.

Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas. Alæ Sanctorum sunt virtutes, quibus ad superna se erigunt. Quoniam ergo senarius numerus est perfectus, et per ipsum frequenter perfectio designatur, ideo quodlibet animal sex alas habere describitur : quoniam in cujuslibet Evangelistæ libro omnium virtutum docetur perfectio, et novæ legis doctrina perfectionaliter continetur. Insuper, sex alæ B Sanctorum sunt lex naturalis, lex Moysis, doctrina prophetica, lex evangelica, apostolica documenta, et catholicorum Patrum doctrina. His alis homines virtuosi per contemplationem et amorem ascendunt, atque ad proximorum ædificationem descendunt. Volant quoque ad dexteram, gratias agendo seque humiliter habendo in prosperis; et ad sinistram, per patientiam in adversis. Præterea, sicut in Isaia habetur, Seraphim quæ Isaiæ apparuerunt, sex *Is.* vi, 2. alas habebant. Hinc et animalia ista sex C alis alata fuerunt, quoniam per Evangelistarum doctrinam ad angelicam perfectionem beatitudinemque pertingitur. Iterum, per sex alas, sex species contemplationis (secundum quod quidam eas assignant) intelligi possunt. — Quæritur, cur hoc loco animalia sancta sex alas habere scribantur, quum apud Ezechielem quatuor *Ezech.* i, 6. pennas habere dicantur. Ad quod respondere reor difficile, nisi forte quis dicat mysterium animalium horum evidentius atque sublimius revelatum esse Joanni D quam Ezechieli.

Et in circuitu, id est per totum corpus suum (sicut et Ezechiel habet) : unde alia *Ibid.* 18; x, 12. habet translatio, Ante et retro; *et intus plena sunt oculis,* id est sapientialibus et prudentialibus considerationibus, discretionibus atque scientiis vere salubribus, ubique et in universis habendo se circumspecte.

Et requiem non habebant. Sancti enim in vita hac corporalem repausationem non amant, sed exercitiis virtuosis semper insistunt, bonis laboribus variisque tribulationibus exercentur. Potissimum vero laudibus Dei invigilant, sicut ait Propheta : Ps. xxxiii, 2. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Ideo subditur : *die ac nocte,* id est congruis horis * dicentia dierum ac noctium, *clamantia* * magno cordis amore magis quam oris sonatione : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat* ante omnia ab æterno, *et qui est* invariabiliter in ipso æternitatis instanti, *et qui venturus est,* id est, æternaliter erit, et in judicio apparebit. Is. vi, 3. Huic cantico consonat illud Isaiæ : Clamabant alter ad alterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Itaque Ecclesia militans triumphanti se conformat Ecclesiæ in laudibus Dei, tanquam ventura ad illam, et Deum cum illa sine fine feliciter laudatura. Porro, in eo quod ter « Sanctus » profertur, supersanctissimæ Trinitatis mysterium commendatur; unitas vero divinitatis, per hoc quod singulariter subditur, « Dominus Deus omnipotens ». Denique Deus gloriosus ac adorandus, est essentialiter sanctus, et sanctitas omnifarie infinita, quum ipse sit bonitas pura, veritas increata, puritas interminata, ensque A absolute perfectum; in quem culpa cadere nequit, quoniam sibi ipsi est finis, et a nullo dependet. Et quo sanctior est, eo plus peccati turpitudinem detestatur ac odit.

Et quum darent illa quatuor animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, id est, quatuor Evangelistis evangelicam legem per totum mundum disseminantibus per scripta sua, et partim per propria verba (quod faciendo exhibuerunt Deo gloriam et honorem et benedi- B ctionem seu laudem); *procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno,* id est, universi sacerdotes, prædicatores ac Patres novi Testamenti Deo se humiliter prostraverunt, *et adorabant Viventem in sæcula sæculorum,* id est Deum verum ac sempiternum, qui in se ipso intellectualiter ac superbeatissime vivit ; estque vivens, et simplicissima, purissima ac nobilissima vita, quum sit ipsa veritas et sapientia ; et in eo sunt idem vivere et intelligere atque diligere. Unde vita super- C dignissimi Dei, est suæ æternæ veritatis superdeliciosissima contemplatio, et suæ infinitæ bonitatis sempiterna, ardentissima et superdulcissima dilectio.

SERMO PRIMUS

DE NATURA ET ESSENTIA ÆTERNÆ SUPERBEATISSIMÆQUE TRINITATIS, ET QUALES EXIGAT CULTORES.

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Apoc. iv, 8.

Quoniam hodie summæ Trinitatis solennitas agitur, aliquid de ipsa Trinitate simpliciter est dicendum. Est itaque fides catholica, quod quamvis Deus sit unus et summe simplex in suæ deitatis essentia, nihilo minus trinus est in personis, ita quod tres personæ sunt unus Deus, quia in tribus personis est una deitas, una es- D sentia, una majestas. Personæ vero ab invicem sunt distinctæ, ita quod Pater non est Filius aut Spiritus Sanctus, nec Filius est Pater aut Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus est Pater aut Filius. Hæ ergo tres personæ, videlicet Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, sunt consubstantiales, coæquales et coæternæ. Et Pater non est ab aliquo ; Filius vero a Patre solo est, quia æternaliter genitus est a Patre. Quemadmodum si sol ipse ab æterno fuisset, splendor ab æterno profluxisset a sole; et quamvis haberet esse originemque a sole, tamen coæternus exsisteret soli : sic Filius Dei habet esse suum a Patre summo per generationem æternam; nihilo minus coæternus est Patri altissimo. Insuper Spiritus Sanctus est a Patre et Filio, sicut ab uno fontali principio, in quantum Pater et Filius unum sunt, hoc est unius substantiæ ac voluntatis, et unus spirator; et sicut Filius coæternus est Patri, ita Spiritus Sanctus coæternus est Patri ac Filio. Cujus exemplum unum jam positum est de sole et ejus splendore. Possunt quoque alia multa assignari exempla : quia si ignis ab æterno fuisset, calor quoque ejus æternaliter exstitisset, et tamen ab igne fluxisset; similiter, si pes ab æterno stetisset in pulvere, vestigium pedis esset pedi coæternale, et tamen esset a pede. Denique in nobis ipsis invenimus exemplum quomodo Spiritus Sanctus possit esse a Patre et Filio, quia in anima nostra sunt mens, notitia et dilectio. Et notitia est a mente; dilectio autem est a mente et ab ejus notitia. Non enim a mente procedit dilectio nisi mediante notitia, quia incognitum non potest amari, et ex cognitione procedit affectio.

Præterea, quamvis idiotæ, rudes et simplices homines non debeant se multum occupare circa summam et incomprehensibilem Trinitatem, scrutando aut curiose cogitando quomodo tres personæ possint esse unus Deus, vel quomodo Filius generetur a Patre, aut qualiter Spiritus Sanctus procedat ab utroque, sed sufficiat eis simpliciter, firmiter atque humiliter credere quod ita sit, et quod sic credendum sit sicut docet sancta Ecclesia; nihilo minus superficialiter tangi potest ac plane aliquid de ista materia. Itaque, sicut Deus omnipotens et æternus, in propria sua natura ac deitate est simplicissimus spiritus, et ens omnino perfectum, immateriale, incorporale, invariabile; ita generatio qua Filius Dei generatur a Patre æterno, est generatio penitus simplex, immaterialis, invariabilis et perfecta. Idcirco Filius nunquam fuit Patre minor, junior, aut impotentior, aut insipientior; sed Pater æternus, perfectus, immensus, omnipotens summeque sapiens, immaterialis et simplex, æternaliter genuit Filium æternum, perfectum, immensum, omnipotentem summeque sapientem, immaterialem ac simplicem. Et idem tenendum est de processione Spiritus Sancti, quod ipsa sit æterna, immaterialis, perfecta, et quod Spiritus Sanctus sit in omni perfectione, felicitate et gloria Patri Filioque coæqualis, ita quod Spiritus Sanctus est verus Deus, infinitus, omnipotens, simplicissimus, summeque sapiens, adorandus, perfectus.

Postremo, de modo generationis ac processionis divinæ aliquid superficialiter jam tangendo, sciendum quod Deus Pater se ipsum intuendo ac intelligendo, intellectualiter intra se concipit ac profert verbum unum mentale de eo quod intuetur atque intelligit. Et hoc verbum æternum, æternaliter intellectualiterque prolatum a Patre, est unigenitus Filius ejus, de quo scriptum est : In principio erat Verbum, *Joann.* I, 1. et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Conformiter Pater et Filius se invicem diligendo, simul producunt et spirant amorem unum perfectum et subsistentem, qui vocatur et est Spiritus Sanctus. Hæc de superbenedicta Trinitate sint superficialiter tacta.

Deinceps, quoniam Trinitas ista altissima est tam puræ infinitæque sanctitatis, ideo vult habere cultores et ministros mundos, devotos ac virtuosos. Oportet ergo ut juxta doctrinam Apostoli, cum metu *Hebr.* XII, 28. et reverentia serviamus Domino Deo uni ac trino : quia maledictus homo qui facit *Jer.* XLVIII, 10. opus Dei negligenter. Ut autem Deo taliter serviamus, oportet ut cum sanctis anima- *Apoc.* IV, 6. libus simus pleni oculis, id est discreti, providi et circumspecti in omnibus, ne aliquid faciamus quod nobis a Deo aut ab Ecclesia prohibetur, nec aliquid omittamus quod nobis a Deo aut ejus vicariis prælatis nostris præcipitur.

Postremo, ita vivamus, ut quilibet nostrum sit habens faciem hominis, rationabiliter se habendo, et rectam rationem in cunctis sequendo, et pie atque humane inter proximos ambulando ; sit etiam leo, virtutibus invicte ac jugiter inhærendo, et contra diabolum, carnem ac mundum magnanimiter præliando, ut omnem superbiam, avaritiam, incontinentiam, iram, et cetera vitia vincat ; sit insuper vitulus, se ipsum Deo in sacrificium offerendo, et propriam voluntatem Deo in cunctis subjiciendo, ne contra divinæ legis præcepta utatur propria libertate ; sit item et aquila, contemplando cœlestia et divina, atque illorum intuitu ac amore despiciendo hæc infima, carnalia et terrena. Nec requiem habeamus carnalem et immoderatam, sed Deum jugiter collaudemus. Sed, heu! multi sunt habentes faciem bestialem potius quam humanam, quia concupiscentias carnis et ceteras animæ passiones, iram, impatientiam, cupiditatem, magis quam rationem, sequuntur : quorum corda non instar aquilæ ad cœlestia eriguntur, sed tanquam porci ad terrena atque carnalia deprimuntur. Sunt etiam multi qui ad aggrediendum exercitia virtuosa cor habent leporinum, non leoninum, sed ad male agendum veloces sunt et audaces, atque *Eccle.* VIII, 11. (ut Salomon loquitur) absque ullo timore perpetrant mala. Sunt item quamplures qui non ad similitudinem vituli se ipsos A offerunt Deo, mortificando passiones et vitia, sed tanquam canes protinus pro parvis causis irascuntur, indignantur, clamant, contendunt et se graviter ulciscuntur. Verum hæc omnia fugiamus, atque prætactis insistamus operibus virtuosis.

Legitur de S. Augustino, quod sanctæ Trinitatis devotissimus fuit venerator et profundissimus contemplator. Unde quadam vice, mulier quædam honesta ac bona a quibusdam malitiosis hominibus injuriam passa, Augustinum accessit, ejus B implorans auxilium. Quæ quum ipsum invenisset studentem, et reverenter salutasset eumdem, Augustinus nec eam respexit, nec quidquam ei respondit. Cogitans illa quod ob nimiam suam sanctitatem in faciem mulieris nollet respicere, propius accessit, et causam diligenter exposuit ; sed Augustinus eam non adspexit, nec quidquam respondit. Idcirco illa cum magna recessit tristitia. Altero die, Augustino celebrante, et elevatione corporis Christi facta, mulier illa tunc præsens rapta in C spiritu, vidit se positam ante tribunal sanctissimæ Trinitatis, ubi vidit Augustinum, facie inclinata, de summæ ac beatissimæ Trinitatis gloria attentissime ac subtilissime disputantem. Et facta est vox dicens ad eam : Quum Augustinum accessisti, ipse tam attentissime de Trinitatis gloria disputavit, quod tuam præsentiam non advertit ; sed secure ad eum revertere. Quod quum illa fecisset, Augustinus eam benigne suscepit, atque salubre consilium dedit.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ERAT HOMO EX PHARISÆIS NICODEMUS NOMINE. Joann. III, 1-16.

QUONIAM hodie de superbeatissima Trinitate agitur festum, recte evangelium istud nunc legitur, quia in ipso Trinitas personarum tangitur. Itaque evangelista Joannes ait :

D *Erat homo ex Pharisæis,* id est de secta et numero Pharisæorum, *Nicodemus nomine,* qui postea fuit Christi manifestus discipulus, sepelivitque eum cum Joseph ab Arimathea, *princeps Judæorum,* id est unus de principalibus doctoribus atque rectoribus Judaicæ plebis, quæ post mortem Josue regebatur per judices usque ad Samuelem inclusive, deinde per reges usque ad captivitatem Babylonicam, exinde per doctores et sacerdotes, præsertim per pontifices, quorum multi fuerunt Pharisæi. Verumtamen Nicodemus iste non fuit summus princeps aut pontifex Judæorum.

Hic venit ad Jesum, cujus jam miracula aliqua vidit, et documenta audivit; et ex utroque perpendit aliquid magnæ excellentiæ esse in Jesu, cujus tantam potestatem ac sapientiam, tantam quoque justitiam imperterritamque constantiam fuit expertus, ita ut neminem metuens, et pro Deo zelans, omnes vendentes in templo ejiceret, suamque doctrinam confirmaret miraculis. Hinc Nicodemus, zelo agnoscendæ veritatis ac spiritualis profectus desiderio inflammatus, venit ad Jesum ut plenius doceretur ab eo. Venitque *nocte.* Vel quia aliorum Pharisæorum ac sacerdotum offensam incurrere verebatur (quemadmodum Gedeon nocte confregit statuam Baal, proprios timens concives) : et hic timor fuit imperfectionis, quem perfecta dilectio mittit foras. Vel quia, quum esset nominatus doctor ac magister in Israel, aliqualiter verecundabatur se submittere publice informationibus Jesu, qui sciebatur litteras non didicisse : et hoc fuisset alicujus elationis. Vel, ut eo liberius, quo secretius loqueretur cum Jesu. Convenit quoque tempus mysterio. Nam quia in tenebris mentis quodammodo fuit, imperfecte credendo in Jesum, et spiritualium mysteriorum notitiam non habendo, recte asseritur nocte venisse : quemadmodum Maria Magdalene venit ad monumentum quum adhuc tenebræ essent, non credens Christum resurrexisse.

Judic. VI, 27.
I *Joann.* IV, 18.
Joann. VII, 15.
Ibid. XX, 1.

Et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti, id est, divinitus missus es, *magister* veritatis. De quo in Osee scriptum est : Tempus requirendi Dominum, quum venerit qui docebit vos justitiam; et apud Joelem, Exsultate in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ. Deinde causa hujus scientiæ subditur. *Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo,* ei cooperando, et gratiam ac virtutem faciendi miracula ei præstando. Solus quippe omnipotens Deus facit miracula proprie dicta tanquam principalis effector; servi autem ipsius faciunt ea ministerialiter ac instrumentaliter solum : juxta illud in Psalmo, Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

Osee X, 12.
Joel II, 23.
Ps. LXXI, 18.

Porro miraculum proprie dictum, est effectus totam virtutem et legem naturæ creatæ excedens. Et talia erant aliqua Christi miracula, ut illuminatio cæci nati, suscitatio mortuorum, eclipsis solis in plenilunio tempore passionis. Et ista miracula sunt certa ac sufficientia argumenta, quod actor eorum sit vera docens, et divina virtute agens, quum Deus non sit confirmator aut testis falsitatis. Hinc ad discipulos suos dixit Christus : Si opera non fecissem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent.

Joann. XV, 24.

Porro aliqua miracula, communiter loquendo de miraculis, fieri possunt cooperatione diaboli, sicut de Antichristo dicit Apostolus : Cujus adventus erit secundum operationem Satanæ, in omni seductione, in signis et prodigiis. In Apocalypsi quoque ait Joannes : Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa. Quamvis autem talia sint miracula quantum ad modum agendi, non tamen excedunt facultatem totius naturæ creatæ, sed per occultas naturalium rerum virtutes aguntur : quemadmodum magi seu necromantici Pharaonis, Jannes et Mambres, projecerunt virgas suas, convertebanturque protinus, ut dicitur, in dracones; produxerunt etiam ranas, et maleficiis suis converterunt aquas in sanguinem, ut legitur in Exodo. Talia vero miracula etiam multa fecit Christus, convertendo aquam in vinum, quod facit natura paulatim in vitibus; et illuminando cæcos, quod interdum fit arte medicinæ. Et ista per se

II *Thess.* II, 9, 10.
Apoc. XVI, 14.
Exod. VII, 12, 22; VIII, 7.

non sunt sufficientia argumenta fidei ac specialis cooperationis divinæ, quum sint bonis malisque communia. Verumtamen eo modo quo a Christo et ejus ministris peracta sunt, sunt utique sufficientia fidei argumenta. Christus enim ea fecit imperialiter, et in instanti. Fideles quoque faciunt ea cum invocatione nominis Dei, cum exsecratione omnis artis magicæ et communionis diaboli.

Præterea Deus interdum facit signa per reprobos et injustos : quæ quamvis non probent quod operatores eorum sint boni et Deo accepti ; probant tamen quod vera sit fides qua invocant Deum, et vera doctrina ad cujus confirmationem efficit Deus hujusmodi signa. Propter quod ait Salvator : Multi dicent mihi in die illa, puta judicii : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas, id est multa signa potentia, fecimus? Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos.

Matth. VII, 22, 23.

Interea, quoniam Christus novit intentionem et desiderium Nicodemi, qui venit ut instrueretur, idcirco incepit eum Christus instruere. Et primo instruxit eum de primo novæ legis sacramento maxime necessario, videlicet de Baptismo, quod est spiritualis regeneratio et porta vitæ. *Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi.* Repetitio, confirmationis indicium est et provocatio advertentiæ diligentis. *Nisi quis natus fuerit denuo,* id est regeneratus, seu per spiritualem regenerationem adeptus supernaturale esse gratiæ et caritatis ac fidei, *non potest videre* oculis cordis, clare, per speciem, *regnum Dei,* id est patriam Beatorum, seu Deum regnantem in cœlis. Nempe quum ultimus finis hominis, seu æterna felicitas, quæ est visio Dei per speciem, sit supernaturalis, nullus potest ad eam pertingere per naturalia pura, sed oportet naturam juvari ac perfici per caritatem, fidem, ac cetera dona Spiritus Sancti. Denique, sicut homo dicitur primo nasci, quando

A per generationem carnalem ac naturalem producitur in esse specifico; sic dicitur nasci denuo, quando per operationem divinam acquirit esse gratiæ gratum facientis, quod est esse deiforme, supernaturale et meritorium : quoniam ut divinus Dionysius contestatur, Sicut intellectualis creatura ponitur in esse specifico per formam naturalem, per quam apta et potens est ad naturales motus et actus ; ita per gratiam gratificantem ponitur in esse supernaturali, spirituali, divino, per quod redB ditur idonea ad agendum opera meritoria vitæ æternæ.

De Eccl. hier. c. II.

Si sic accipimus, Nasci denuo, tunc nunquam potuit quis salvari, nisi rursus nascendo. Omnes namque nati sunt filii iræ, secundum Apostolum, contrahendo originale peccatum secundum communem legem : sicque oportuit eos intus renasci, suscipiendo gratiam gratum facientem reformantem, et esse spirituale supernaturale præstantem. Verum, quia Salvator ad litteram loquitur de regeneratione BaptiC smatis, ut patet in subditis, idcirco, quod de regeneratione ista jam dicit, intelligendum est pro novi tempore Testamenti. Temporibus vero legis naturæ et legis scriptæ, fuerunt alia contra originale peccatum remedia, scilicet circumcisio tempore legis Mosaicæ, et fides parentum tempore legis naturæ, ut Hugo de S. Victore libro de Sacramentis plenius docet.

Ephes. II, 3.

Dicit ad eum Nicodemus, arguens contra verba Christi, quæ male atque carnaliter intellexit. Idcirco nec intellexit, quum D verum sit intellectum objectum ; Nicodemus enim in lege non fuit assuetus in spiritualibus modis loquendi. *Quomodo potest homo nasci quum sit,* id est, quando est, *senex?* Christus non dixit simpliciter, Nisi quis natus fuerit; sed, Nisi quis natus fuerit denuo. Verum, quia renasci includit nasci, et Nicodemus non scivit nisi unam nativitatem, ideo sic resumit : Quomodo potest homo nasci quum sit senex? Quod non est intelligendum quasi secundum intentionem Nicodemi infans aut juvenis possit renasci ; sed quoniam de se A ipso fuit sollicitus, et ipse jam vetulus fuit, idcirco sic fatur : Quomodo potest homo nasci quum sit senex ? Et probat quod non possit. *Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire et renasci?* præsertim quum matres communiter mortuæ sint tempore senectutis natorum.

Respondit Jesus, solvendo instantiam Nicodemi, et exponendo verba quæ dixit : *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,* id est B fonte Baptismatis regeneratus per virtutem et gratiam Spiritus Sancti. Aqua enim est materiale elementum corpus lavans, et dispositive regenerans mediante forma verborum sacramenti Baptismatis. Propter quod loquitur Augustinus : Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua ? Porro Spiritus Sanctus intus mentem purificat et efficienter regenerat, gratiam influendo, quæ est res sacramenti et causa formalis intrinseca hujus regenerationis. *Non potest introire in regnum Dei,* id est in tri- C umphantem Ecclesiam, et salvari, dummodo adsit facultas accipiendi sacramentum Baptismatis : quæ si desit, sufficit baptismus Flaminis, hoc est interior mundatio Spiritus Sancti, et baptismus sanguinis, puta martyrium, cum desiderio baptismi fluminis. Sed quum Baptismus detur in nomine summæ et inseparabilis Trinitatis, a qua est Baptismi effectus, videlicet gratia sacramentalis (quemadmodum præ- *Matth.* xxviii, 19. cepit Christus Apostolis : Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine D Patris et Filii et Spiritus Sancti), cur potius ait nunc, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, quam, Ex aqua et Patre seu Filio ? Dicendum, quod Baptismus est effectus præcipuæ liberalitatis ac pietatis divinæ. Liberalitas autem et pietas appropriantur Spiritui Sancto, quemadmodum amor et bonitas.

Deinceps Christus ostendit ordinem spiritualis regenerationis, eamque a carnali generatione distinguit. *Quod natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Verba hæc difficilia sunt et profunda, multipliciterque intelligi queunt. Primo sic : « Quod natum est ex carne », id est corpus filii carnalis propagatum ac natum ex semine patris, « caro est ; et quod natum est ex spiritu », id est anima rationalis creata a Deo, qui spi- *Joann.* iv, 24. ritus est, id est simplex ac spiritualis substantia, « spiritus est », hoc est spiritualis immaterialisque forma. Quod non est intelligendum quasi corporalia non sint immediate creata a Deo, quum scriptum sit : In principio creavit Deus cœlum et ter- *Gen.* i, 1. ram. Sed in homine sunt duæ partes essentiales, quarum una est caro, a patre carnali contracta, alia est spiritus, a patre spirituali, scilicet Deo, producta. Juxta hunc sensum dicitur ad Hebræos : Patres *Hebr.* xii, 9. carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus ? — Secundo sic : « Quod natum est ex carne », id est proles genita a carnali parente, « caro est », id est res carnalis, non habens nisi esse carnale et naturale, virtute generationis carnalis : idcirco ut talis, non potest salvari. Sic in Genesi loquitur Deus : Non permanebit spiritus meus in *Gen.* vi, 3. homine in æternum, quia caro est. « Et quod natum est ex spiritu », id est, quod spiritualiter regeneratum est in Baptismo, « spiritus est », hoc est, spiritualis homo effectus est, utpote in spirituali esse gratiæ constitutus, et Deo per fidem ac caritatem unitus, cum quo, secundum Aposto- I *Cor.* vi, 17. lum, unus est spiritus. Ex quibus constat, quod generatio ista non est impossibilis, sed necessaria ad salutem, atque a carnali generatione distincta. De qua ait Joannes in prima sua Canonica : Omne quod na- I *Joann.* v, 4. tum est ex Deo, vincit mundum. Hinc subdit Salvator :

Non mireris, o Nicodeme, eo modo quo nunc miraris, videlicet admiratione incredulitatis, vel ex malo intellectu procedentis, vel animum opprimentis ac tædio afficientis. Sic enim mirabatur Nicodemus, quasi verba Christi impossibilitatem A includerent. Potest tamen de Christi doctrina haberi miratio ordinata, quum dicat Ps. cxviii, 129. Propheta : Mirabilia testimonia tua, Domine : ideo scrutata est ea anima mea. Itaque ne mireris *quia dixi tibi : Oportet vos,* necessitate non absoluta, sed conditionata, videlicet, si debeatis salvari, *nasci denuo :* juxta sensum præhabitum.

Deinde Christus ostendit ordinem spiritualis regenerationis per simile. *Spiritus,* puta Spiritus Sanctus, *ubi vult spirat,* id est, potestative ac libere gratiam præstat B I Cor. xii, 11. cui voluerit, sicut fatetur Apostolus : Hæc omnia (inquiens) operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Deus namque operatur in creaturis, non necessitate naturæ, sed liberrima voluntate, Ephes. i, 5, 11. secundum illud ad Ephesios : Omnia operatur secundum propositum voluntatis suæ. *Et vocem ejus audis,* id est verba sacræ Scripturæ a Spiritu Sancto revelatæ. Vel, « vocem ejus », id est allocutionem internam, « audis », juxta id Psal- Ps. lxxxiv, 9. mistæ : Audiam quid loquatur in me Domi- C nus Deus. Est enim auditus interior, quo divinus instinctus percipitur, dum sentit se homo interius tangi, doceri, accendi, resolvi, rapi et absorberi. Unde per Osee Osee ii, 14. Dominus protestatur : Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Nicodemus quoque non venisset ad Jesum, nisi hanc vocem Spiritus Sancti internam audisset. *Sed non scis unde veniat* Spiritus Sanctus, id est, quomodo mentem ingrediatur non percipis, *aut quo vadat,* id est, qualiter recedat ignoras, sicut in libro D Job ix, 11. Job habetur : Si venerit ad me, non videbo eum ; et si recesserit a me, non intelligam. Imo nullus viator scit certitudinaliter absque revelatione, an Spiritus Sanctus sit in ipso per gratiam gratum facientem, quia si sciret hoc, sciret se dignum amore. Ideo, quantum ad istud, Spiritus Sanctus imperceptibiliter venit, imperceptibiliterque recedit. Vel sic : « Vocem ejus audis, sed non scis unde veniat » vox ista, « aut quo vadat » ipsa, id est, tam principium hujus vocis, quod est Spiritus Sanctus, quam terminus ejus, qui est æterna felicitas, in quam tendit Scriptura allocutioque interna, ignota sunt tibi, quoniam sola fide tenentur, nec possunt in hac vita secundum essentiam sciri, quamvis vox ista percipiatur.

Sic est omnis qui natus est ex spiritu : id est, in homine spiritualiter regenerato est aliquid scitum et manifestum, utpote ipsa persona secundum se ; aliquid quoque non scitum, quoniam intus invisibiliter reformatur, et de carnali ac perdito, spiritualis et filius adoptivus efficitur imperceptibili gratiæ infusione. Quod enim homo taliter in Baptismo melioratur, sola fide cognoscimus. Vel sic : « Sic est omnis qui natus est ex spiritu » : id est, in regeneratione hominis talis, est aliquid evidens, scilicet aqua et forma verborum ; et aliquid abditum, scilicet principium effectivum regenerationis, quod est Spiritus Sanctus ; et finis regenerationis, qui est beatitudo æterna.

Istæ expositiones procedunt secundum intentionem Augustini. Chrysostomus vero exponit de vento, ita quod secundum eum, Christus inducit exemplum sensibile ad intelligentiam prædictorum ; ut sit sensus : « Spiritus », id est ventus (de quo fertur in Psalmo : Flabit spiritus ejus, et Ps. cxlvii, 18. fluent aquæ), « ubi vult », id est, quo inclinatur, « spirat », id est, flat ; « et vocem », id est sonum, « ejus audis, sed non scis unde veniat, aut quo vadat », id est, ubi flare incipiat, aut desistat. Sed prima expositio aptior reputatur. Primo et maxime, quoniam Christus hoc loco frequenter per spiritum, intellexit Spiritum Sanctum, vel spiritualem essentiam. Ideo non apparet quod nunc in eodem loco, per spiritum, intelligat ventum. Secundo, quoniam vento non competit proprie voluntas. Tertio, quia nec vox proprie vento potest competere, quum ventus sit res inanimata. Quarto, quoniam scimus quod ventus venit ab aquilone, vel austro, et recte procedit. Verumtamen tria argumenta hæc solvi possent, quia Scriptura frequenter A adscribit voluntatem rebus inanimatis, ut Josue iv, 6. quum dicitur in libro Josue : Quid sibi volunt lapides isti ? Similiter vocem, ut I Cor. xiv, 7. quum ad Corinthios dicit Apostolus : Quæ sine anima sunt vocem dantia. Item nescimus determinatum principium ubi incipit, certumque finem ubi desinit ventus, quamvis sciamus in generali quod ab aliqua parte hujus vel illius plagæ terræ incipiat.

Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo possunt hæc quæ de spirituali regeneratione B et libera Spiritus spiratione disseruisti, *fieri,* id est taliter se habere ? Nicodemus in litterali sensu legis ac Prophetarum instructus ac usitatus, ad spiritualem ac mysticum intellectum faciliter erigi non valebat : quoniam usus est velut altera natura. Ideo satis audacter interrogat quomodo queant hæc fieri.

Christus vero cordium cognitor, cernens legis doctorem de suo magisterio aliqualiter tumidum, ad humilitatem eum reducit, quatenus instrui mereatur. Quemadmodum C enim superbia excæcationem diabolicam, ita humilitas illuminationem meretur angelicam ac divinam. Itaque *respondit Jesus* Nicodemo, *et dixit ei : Tu es magister in Israel,* id est magister Judæorum, *et hæc,* quæ de Baptismo locutus sum, *ignoras?* Quæ tamen in libris Moysis ac Prophetarum figuraliter ac litteraliter describuntur : ideo, quum sis legis doctor, debes hæc scire, vel saltem faciliter intelligere. Doctoris quippe sacræ Scripturæ est ejus mysteria et figuras ac difficilia intelligere D loca. Baptismus autem Christi, per transitum maris Rubri et per ablutiones legales Ibid. x, 2. præfigurabatur, dicente Apostolo : Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari. Prophetæ quoque ad litteram locuti sunt de Christi Baptismate, ut quum dicitur Zach. xiii, 1. per Zachariam : In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris. Hinc apud Ezech. xlvii. Ezechielem multa dicuntur de aquis redundantibus templi, quæ de aquis exponuntur Baptismi. Quod ergo ait Salvator, Tu es magister, etc., non insultando, sed caritative corripiendo ac admonendo, eumque humiliando, locutus est.

Deinde Christus ostendit quam certa et vera sit sua doctrina. *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus* nos rex Messias, Filius Dei, universorumque Dominus, *loquimur* de evangelicæ legis sacramentis ac documentis ; *et quod vidimus* oculo interiori, hoc est, certissime novimus, *testamur,* hoc est, firmiter affirmamus ac prædicamus de pertinentibus ad salutem. Hæc omnia Christus cognovit non solum scientia increata, secundum quod Deus, sed et creata scientia, in quantum homo. *Et testimonium nostrum non accipitis,* hoc est, verbis prædicationis nostræ non creditis. Quamvis etenim aliqui crediderunt illi, tamen comparatione incredulorum fuerunt perpauci.

Si terrena dixi vobis, et non creditis : quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis ? Quæ sunt ista terrena quæ Christus dixit Nicodemo atque Judæis ? Secundum Augustinum et Bedam, ista terrena non sunt aliqua dicta in isto capitulo, sed quod ante dixit Judæis : Solvite templum hoc, Joann. ii, 19, 21. et in tribus diebus excitabo illud. Hoc quippe protulit de proprio corpore adhuc corruptibili, terreno et mixto. Tanquam dicat : Si non creditis quod possim proprium corpus divina virtute suscitare a morte, quomodo credetis quod homines valeam ex aqua et Spiritu Sancto regenerare, et animas spiritualiter mortuas per gratiæ infusionem vivificare ? — Alii referunt ad Baptismum, qui dici potest terrenus, quoniam exhibetur in aqua, sub sensibili forma verborum. Itaque, Si mihi de his terrenis loquenti non creditis (quod tamen Christus non dixit de Nicodemo, sed de Judæis incredulis), quomodo si dixero vobis cœlestia, de invisibilibus Dei, de unitate Trinitatis, et trinitate in divinis, de emanatione divinarum Personarum ad intra, de immediata visione divinæ essentiæ a Beatis, de hierarchiis, aliisque secretis cœlestibus, de quibus parum habetur in lege Moysis et Prophetis, credetis? quasi dicat : Difficulter aut nequaquam credetis, quum sint incomprehensibiliora et supernaturaliora prædictis terrenis. Necesse est ergo proprium intellectum auctoritati Christi subjicere, et his divinis quæ rationem transcendunt, fidem præbere, præsertim quum Deus per sufficientissima argumenta ostenderit Jesum esse Christum Filium Dei. Propterea dicit Apo- II *Cor.* x, 5. stolus secunda ad Corinthios : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Verumtamen, quoniam quædam cœlestia et secreta ad Christum pertinentia, omni fideli sunt agnoscenda, videlicet unitas personæ Dei et humanitatis in Christo, et passio Christi, et amor Dei ad homines; idcirco Christus de his instruit Nicodemum, et sub nomine ejus universam Ecclesiam.

Et nemo ascendit in cœlum empyreum, quod est locus et mansio Beatorum, sicut ecclesia dicitur locus orationis sive orantium (nihilo minus, sicut fideles orare possunt extra materialem ecclesiam, sic Beati Deum clare conspiciunt ubicumque exstiterint), *nisi qui descendit de cœlo,* non locum mutando, sed humanam naturam assumendo, scilicet *Filius hominis, qui est in cœlo.* Verba hæc aquilina sicut in stilo simplicia sunt, ita in sensu profundissima ac difficillima. Sed pensemus quando Christus hæc verba protulit : utique ante passionem suam, quando in Jerusalem loquebatur cum Nicodemo. Porro quod nullus hominum electorum introierit regnum cœlorum ante Christi passionem, agnoscimus. Itaque, quod ait, « nemo ascendit in cœlum », verum est pro tempore illo, sumendo verbum « ascendit » sive ut est præteriti temporis, sive præsentis.

Sed tunc quæstio oritur, qualiter verba sequentia verificentur, « nisi Filius hominis ». Ascendere quippe competit Christo ratione humanitatis assumptæ, secundum quam tunc nondum ascendit. Non ergo excepisset se ipsum, si præfato modo sumpsisset hoc verbum, « ascendit ». Quæstio ista dupliciter solvitur. Primo, ut solus Filius hominis ascendisse dicatur, quoniam solus propria potestate et proprio jure ac merito ascendebat; alii vero virtute et merito Christi, cujus passione fuerunt ab originalis peccati reatu soluti. Secundo, ut nomine Christi non solum intelligatur Christi persona, sed et mysticum ejus corpus, puta Ecclesia patrum qui detinebantur in limbo, ceterique electi omnino mundati, de quibus prædixit : Iterum veniam, *Joann.* xiv, 3. et assumam vos ad me ipsum; et rursus : Pater, volo ut ubi sum ego, et illi sint *Ibid.* xvii, 24. mecum, ut videant claritatem meam. Juxta hunc sensum ait : Ego sum ostium; om- *Ibid.* x. 7-9. nes quotquot venerunt, fures sunt et latrones.

Porro, quod subditur, « Filius hominis, qui est in cœlo », majorem habet difficultatem. Si enim Filius hominis descendit de cœlo, videtur ante incarnationem fuisse in cœlo. Sed Filius hominis non est nisi homo : ergo homo ante incarnationem fuisset in cœlo. Item, si sic est, videtur quod Christus detulit secum corpus de cœlo. Insuper, quando Christus verba hæc protulit, stabat cum Nicodemo in terra : quomodo ergo pro tunc Filius hominis fuit in cœlo?

Et respondendum, quod Christus hæc dixit, ad insinuandum unitatem personæ utriusque naturæ in ipso. Tanta namque est unio divinæ naturæ atque humanæ in Christo, ut humana Deo, et divina homini vere conveniant. Sed pensandum quid propter quid dicatur. Dicendum ergo, quod Christus seu Filius hominis, fuit ante incarnationem in cœlo, secundum naturam divinam; descendit quoque de cœlo, non corpus secum portando, sed quia eadem est persona Dei hominisque in Christo. In talibus quippe locutionibus, Jesus, seu Christus, vel Filius hominis, semper supponit personam divinam, seu increatam hypostasim, utpote Verbum æternum. Ideo

istæ sunt veræ : Jesus est æternus, immensus A, omnia implens, omnipotens ; Christus est verus Deus, immortalis, altissimus ; Deus est passus, occisus, sepultus. Causa veritatis harum atque similium locutionum, est unitas personalis præfata, et sup-
Is. IX, 6. positio increatæ personæ. Idcirco de puero qui natus est nobis, et filio qui datus est nobis, Isaias prædixit, quod vocaretur Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, etc. Unde de puero Jesu exsistente in utero, posito in præsepio, uberaque sugente, verum fuit dicere : Iste puer creavit cœlum et terram B, et est ubique per essentiam, præsentiam atque potentiam. Hinc Judas aposto-
Judæ 5. lus in sua Canonica : Jesus (inquit) populum suum salvans de Ægypto, secundo eos qui non crediderunt, perdidit.

Postquam Christus Nicodemo suæ divinitatis tetigit majestatem, mox eidem de suæ passionis humilitate prædixit. *Et sicut Moyses exaltavit,* id est, in loco alto suspendit, *serpentem* æneum, id est factum de ære, *in deserto,* quod fuit inter Ægyptum et terram promissionis. Ut enim in C
Num. XXI, 4-8. Numeris describitur, quum tædere cœpisset populum Israel itineris ac laboris, murmurantesque contra Deum ac Moysen dixissent, Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo; misit Dominus ignitos serpentes in populum. A quibus quum multi fuissent occisi, pluresque læsi, venerunt ad Moysen, veniam deprecantes. Orante itaque Moyse pro illis, Dominus ei præcepit : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo; qui percussus adspexerit eum, vivet. *Ita exaltari,* id est in cruce levari ac figi, *oportet Filium hominis,* id est Christum, necessitate conditionata, videlicet, si liberari debet genus humanum, et quia Deus ita præordinavit, atque ut implerentur Scripturæ.

Deinde finalis causa passionis Christi subjungitur. *Ut omnis qui credit in eum* fide formata, hoc est per caritatem ornata ac operante tempore opportuno. Caritas namque est forma, decor atque perfectio fidei : propterea fides caritati conjuncta, vocatur formata ; et si careat caritate, vocatur informis. *Non pereat,* id est, æternaliter non damnetur, sicut increduli et perversi. Et quia non sufficit non damnari, subjungitur : *sed habeat vitam æternam,* id est, cœlestem beatitudinem consequatur, et habeat eam nunc in merito et in spe, postmodum in præmio et in re.

Postremo, quomodo serpens ille æneus fuit figura Christi, et cur passio Christi dicatur exaltatio ejus, in sermone dicetur.

SERMO SECUNDUS

DE INFINITA FELICITATE ET GLORIA SUPERDIGNISSIMÆ TRINITATIS, ET DE FIDELI AC HUMILI CONTEMPLATIONE IPSIUS.

O*MNIPOTENS Dominus stabilis* est D *in gloria sua.* Eccli. XLII, 17.

Summus et adorandus Deus, non frustra, sed ad sui ipsius claram ac beatificam contemplationem nos condidit, sicut Filius
Joann. XVII, 3. Dei loquitur Patri æterno : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum et quem misisti Jesum Christum. Et Propheta alloquens Deum : Memorare (inquit) quæ *Ps.* LXXXVIII, 48.
mea substantia : numquid enim vane constituisti omnes filios hominum? Imo Deus, cujus sapientiæ non est numerus, nil ina- *Ps.* CXLVI, 5.
niter aut fortuito egit, sed propter certum finem cuncta creavit, quemadmodum in Job habetur : Universorum finem ipse *Job* XXVIII, 3.
considerat. Finis ergo nostræ creationis,

hæc est beatitudo ad quam conditi sumus, clare et fruitive intueri vitam, felicitatem et gloriam Domini Dei nostri. Et quamvis non solum Christiani, sed et Judæi ac Sarraceni fatentur et sciunt esse unum solum summum et verum Deum, omnium creatorem ; soli tamen Christiani fide cognoscunt fideliterque fatentur, hunc Deum non tantum esse in essentia unum ac simplicem, sed in personis etiam trinum. Quum ergo beatitudo nostra completa, quam certissime credimus electis dandam in patria, sit supergloriosæ Trinitatis intuitio clara, tanto in hac vita perfectiores consistimus, quanto plus ad illam beatitudinem modo appropinquamus. Ergo et perfectio nostra in hac vita præsenti consistit in hoc, ut superdignissimam Trinitatem nunc, quantum huic statui est possibile, sinceriter, amorose atque stabiliter contemplemur. Expedit ergo et prorsus utilissimum est jam scire, prout in vita hac sciri potest, quæ sit vita, beatitudo et gloria Domini Dei nostri, qui est unus ac trinus, seu superfelicissimæ Trinitatis. Verum, quoniam ista, ut frequenter testatus sum, pro communi et simplici populo conscribuntur, idcirco de ista materia nunc non nisi plane et simpliciter, et velut superficialiter loquar.

Id ergo in primis sciendum, quod quum Deus sit ens in se ipso infinite perfectum, nulla indiget creatura, sed sibi in se et per se omnino sufficiens est. Ideo ait Psalmista : Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Ps.* xv, 2. In libro Job quoque asseritur : Si peccaveris, quid Deo nocebis ? Porro si bene egeris, quid donabis ei ? *Job* xxxv, 6, 7. Hinc beatitudo, sanctitas et perfectio Dei, est se ipsum clarissime æternaliterque inspicere, atque se ipsum ardentissime incessabiliterque diligere. Et hoc etiam philosophi cognoverunt. Sed quoniam Deus est trinus secundum inviolabilem christianæ sapientiæ veritatem, beatitudo, vita et gloria summæ et supersanctissimæ Trinitatis, est quod unaquæque divina et increata persona non solum A se ipsam, sed et aliam quamlibet clarissime inspicit infiniteque diligit. Itaque Pater æternus intuetur unigenitum Filium suum cum infinita claritate et jucunditate, et diligit eum superardentissimo ac infinito amore; habet etiam Pater superdulcissimam complacentiam in unigenito Filio suo, imo complacentiam penitus infinitam. Sed et Filius Patris æterni, tam clare et hilariter inspicit, atque tam fervide diligit Patrem, ut Pater ipsum ; infinitæ quoque suavitatis complacentiam habet in B Patre. Denique Pater et Filius non minus diligunt Spiritum Sanctum quam se ipsos, complacentiamque immensam habent in ipso, quemadmodum in se invicem et in semetipsis : ideo Pater et Filius cum infinito gaudio intuentur et superferventissime diligunt Spiritum Sanctum, ac deliciosissimam complacentiam habent in ipso. Nec dubium quin Spiritus Sanctus clarissime intueatur, jucundissime ac superardentissime diligat Patrem et Filium, infinitam etiam complacentiam habeat in eisdem.

C Itaque, hanc superaltissimæ Trinitatis mutuam et æternam, clarissimam, ferventissimam et superdelectabilissimam intuitionem, dilectionem et complacentiam, fideliter, sincere, affectuose ac fixe, quantum jam fieri potest, contemplari, est futuræ felicitatis inchoatio, prælibatio seu prægustatio quædam, atque perfectio vitæ præsentis. Præterea, istud etiam ab idiotis et simplicibus dulciter, affectuose et humiliter potest jam contemplari : sic tamen, ut super omnia sensibilia ac mateD rialia ac circumscriptibilia seu finita se elevent; et sicut Deum in essentia unum apprehendunt tanquam ens simplex, purum, perfectum, immateriale et infinitum, vel, ut paucioribus verbis utar, tanquam ens infinite perfectum, sic quamlibet divinam apprehendant personam tanquam ens vere simpliciter perfectum et infinitum.

Quo cognito, considerandum est, quod quanto rationalis creatura Deum sincerius per donum sapientiæ contemplatur, tanto ferventius diligit eum; quanto etiam ferventius amat eum, tanto majorem complacentiam ac delectationem habet in eo. Quum itaque quælibet divina et increata persona cum infinita limpiditate et perfectione cognoscat quamlibet aliam divinam personam, videlicet Pater Filium, et Filius Patrem, Pater quoque et Filius Spiritum Sanctum, et Spiritus Sanctus Patrem ac Filium : constat quod Pater infinita dilectione diligat Filium, complacentiamque immensam habeat in eodem, et econtra; similiter Pater et Filius infinite diligunt Spiritum Sanctum, et complacentiam seu delectationem infinitam habent in illo. Insuper, quum quælibet divina persona sit infinitæ pulchritudinis, perfectionis et bonitatis, constat quod unaquæque diligat aliam cum infinita claritate, immenso caritatis ardore, interminatoque gaudio. Amplius, si rationalis creatura fervide diligit Deum propter beneficia ejus atque promissa, quam infinite ac ferventissime Patrem diligit Filius, et Patrem ac Filium Spiritus Sanctus, quum Pater dederit Filio totam suam divinitatem, felicitatem et gloriam, similiter Pater et Filius Spiritui Sancto? In horum contemplatione habere se debet homo moderate ac sobrie. Porro, hanc summæ Trinitatis vitam, felicitatem et gloriam clare, per speciem seu facie ad faciem intueri, est omnium felicitas electorum. Et quanto nunc puriora et ferventiora in caritate fuerint corda nostra, tanto cum ampliori claritate et exuberantiori jucunditate intuebimur supersublimem et superbenedictam Trinitatem, omnemque prætactam ejus felicitatem et gloriam, mutuam ejus inspectionem, dilectionem, complacentiam, fruitionem, emanationem et communicationem ipsius ad intra.

Porro, quamvis ea quæ absolute conveniunt Deo, sint toti Trinitati communia, nihilo minus Patri appropriatur potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas. Cujus appropriationis duplex est ratio : Prima, ad removendum errorem. Videmus namque quod in hominibus solet patribus A deesse potentia propter eorum senectutem, filiis sapientia propter juventutem, spiritibus pietas seu bonitas propter eorum animositatem : ideo, ne sic esse credatur in Deo, adscribitur Patri potentia, Filio sapientia, bonitas Spiritui Sancto. Alia ratio est, quoniam Pater a nullo est, et ipse est omnis boni fontale principium, a quo omnis virtus profluxit : idcirco appropriatur ei potentia; Filio autem sapientia, quia ab intellectu Patris emanat, quum sit verbum mentis paternæ; ac B Spiritui Sancto bonitas, quoniam a benevolentissima voluntate Patris Filiique procedit.

Porro omne peccatum quod agimus sive incidimus, oritur aut ex infirmitate, id est passione, ut subita ira seu concupiscentia aut timore, etc.; aut ex ignorantia; aut ex certa malitia seu deliberatione, et habitu vitioso. Unde peccata quæ ex infirmitate contingunt, dicuntur specialiter contra Patrem; quæ autem ex ignorantia, contra Filium; quæ ex certa malitia, contra Spiritum Sanctum. Ut ergo omnia hæc C vitemus peccata, invocemus fideliter et instanter adjutorium confortationis divinæ contra infirmitatem, illuminationem supernam contra ignorantiam, suavitatem et caritatem Spiritus Sancti contra interiorem malitiam. Siquidem infirmitas nostra est, quod ratio nostra a passionibus animæ, hoc est a sensualitatis motibus et affectionibus, puta ab ira, impatientia, concupiscentia, timore, cupiditate, etc., superatur; ignorantia nostra est, quod ea quæ pertinent ad salutem nescimus; malitia D nostra, quod ex habitu vitioso seu consuetudine prava atque scienter peccamus. Ideo indigemus virtutibus moralibus, scilicet mansuetudine, patientia, continentia, fortitudine, liberalitate, contra passiones corroborari; prudentia quoque et illuminatione superna contra ignorantiam edoceri; atque benignitate Spiritus Sancti contra malitiam adjuvari, quatenus taliter reformati, adjuti ac purificati, ad summæ Trinitatis contemplationem præfatam simus dispositi.

Itaque contra passiones et vitia infatigabiliter A reluctemur, et sensualitatem nostram rationi subdamus; informationem quoque petamus a Deo, ab angelo sancto, a viris prudentibus, a Scripturis. Tota intentio atque affectio nostra sit ad Dominum Deum, ad gratiam, virtutes ac dona Spiritus Sancti, ad bona futura, cœlestia et æterna : sicque desiderio futuræ felicitatis, præsertim amore Dei creatoris et salvatoris nostri, temporalia et carnalia cuncta spernamus, vel saltem ea non magis amemus quam ad spiritualia bona nobis B valent proficere.

Legitur de S. Antonio, quod in adolescentia sua, pro Dei amore copiosas reliquit pauperibusque donavit divitias. Hinc successive pervenit ad præclaram ac specialem gratiam contemplationis. Nam circa principium noctis consuevit cor suum cum manibus elevare ad Deum, et tota nocte stetit in contemplatione divina et oratione purissima, cum admirabili caritatis ardore. Quumque de mane lux solis super ipsum descenderet, exclamavit : O sol, cur a summæ veræque lucis contemplatione me impedis? Et tunc manus suas retraxit.

SERMO TERTIUS

DE CERTITUDINE CHRISTIANÆ FIDEI, ET EADEM QUIBUS ADORNANDA SIT OPERIBUS.

N*ISI quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Joann. III, 3. C

In evangelio hodierno ad multas informamur virtutes. Primo enim, exemplo Nicodemi confirmamur in fide. Nam circa exordium publicæ prædicationis Domini nostri Jesu Christi, quum adhuc pauca fecisset miracula, Nicodemus legis doctor, in tantum roboratus fuit in fide, ut diceret *Joann.* III, 2. Salvatori : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest facere signa quæ tu facis, nisi secum fuerit Deus. Dupliciter etenim scitur veritas aliqua : primo, per naturalis rationis discursum, D ut quod homo est animal, quia est substantia animata sensitiva; secundo, per supernaturalem divinæ potestatis operationem, quam efficit Deus ad protestationem et ostensionem alicujus veritatis, quia quum Deus sit essentialiter verus et veritas, nequaquam est confirmator et testis falsitatis, nec decipit quemquam directe, I *Cor.* x, 13. neque permittit homines supra vires suas tentari : et ita sciuntur ea quæ fidei sunt. Sicque Nicodemus sciebat quod Jesus esset a Deo missus et vera docens. Prima probatio, certitudinem evidentiæ; secunda, certitudinem adhærentiæ facit.

Quum ergo Nicodemus, vir tam eruditus, ex paucis Christi miraculis ita exstitit in fide firmatus, multo per omnem modum certior et insuperabilior nostra debet fides exsistere, quam Christus tantis postmodum confirmavit miraculis, mortuos suscitando, leprosos et claudos atque a nativitate cæcos curando, alia quoque innumerabilia faciendo prodigia; et post resurrectionem suam discipulis apparendo, coramque eis in cœlos scandendo; deinde Spiritum Sanctum mittendo, et omnium linguarum ac Scripturarum notitiam Apostolis subito conferendo, eorumque corda tam inæstimabili caritate, constantia et omni perfectione implendo; deinceps per sanctos Apostolos aliosque discipulos, martyres, confessores ac utriusque sexus innumerabiles Sanctos, per tam superinnumerabilia et (ut sic loquar) infinita miracula, fidem catholicam roborando, ac per tot centena annorum curricula eam in esse conservando, quæ alias dudum A multotiesque perisset. Certissimi ergo et prorsus fortissimi simus in fide, scientes possibilius esse cœlum et terram annihilari, quam minimum verbum Christi et Apostolorum ac Evangelistarum cassari aut falsificari. Sed et fidem nostram sanctis operibus adornemus, ex quo Deus eam tot signis ornavit, et quoniam de futuro Dei judicio ac retributione finali tam *Jacob.* II, 26. certificati consistimus. Nam fides sine operibus mortua judicatur.

Secundo, exemplo S. Nicodemi docemur B esse valde solliciti pro nostra salute, et pro eorum salutari notitia quæ pertinent ad salutem. Quamvis etenim Nicodemus esset princeps doctorque Judæorum, qui pro maxima parte Christo fuerunt increduli, nihilo minus, postposita omni humana verecundia atque formidine prævalente, Christum pro sua informatione accessit. Ita et quilibet Christianus, quantumcumque perversi et intimorati sunt inter quos conversatur, nihilo minus de sua debet salute semper esse sollicitus, C atque in dubiis circa quæ conscientia potest periclitari, instructionem a sapientibus quærere, præsertim quum mortaliter peccet qui discrimini se committit, id est periculo culpæ mortalis : ut si quis ambigat an hoc vel illud sit mortale peccatum, et tamen facit hoc, mortaliter peccat, etiam dato quod illud non sit culpa mortalis. Nam valde incaute et contra veram *Tob.* IV, 19. agit prudentiam. Ideo dixit Tobias : Consilium semper a sapiente perquire. Moy- *Deut.* XXXII, 7. ses quoque : Interroga patres tuos, et D annuntiabunt tibi; majores tuos, et dicent *Eccli.* XXXII, 24. tibi. Et in Ecclesiastico scriptum est : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum *Ibid.* XXXVII, 20. non pœnitebis; itemque, Ante omnem actum, consilium stabile te præcedat.

Tertio, informamur Nicodemi exemplo non nisi idoneum consiliarium, id est prudentem et virtuosum, requirere et amplecti. Grande quippe periculum est, cordis sui secreta arduaque negotia inexperto, indiscreto, intimorato exponere; graviusque videtur talium uti consiliis. Propter quod in Ecclesiastico habetur : Multi pa- *Eccli.* VI, 6. cifici sint tibi, consiliarius sit tibi unus de mille; itemque, Non omni homini cor *Ibid.* VIII, 22. tuum reveles. Deinceps ad bonum consiliarium requiritur primo prudentia, ut sit circumspectus et multa considerans; secundo, ut sit justus, ne quærat propria commoda, neque sub specie boni suggerat mala, nec ex invidia malum alicui machinetur; tertio, ut sit mansuetus, non præceps nimisque calidus : ira enim impedit considerationem acutam ac maturam, in consulendo pernecessariam. Unde, secundum Philosophum, oportet tarde consiliari, quoniam consulentem oportet multa pensare; consiliata vero sunt celeriter exsequenda tempore suo. Talem habere consiliarium indicibiliter expedit, tam ad jucunde ac prospere vivendum in sæculo isto, quam ad proficiendum in omni virtute et gratia. Nam et diabolica tentamenta per hoc potissimum superantur, quod homini bono ac sapienti panduntur. Siquidem princeps tenebrarum et ejus satellites odiunt lucem, sicut asserit Christus : Omnis qui male agit, odit lucem, et *Joann.* III, 20. non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Cum viro sancto assiduus esto, et quem- *Eccli.* XXXVII, 15, 16. cumque cognoveris observantem timorem Domini; cujus anima est secundum animam tuam.

Quarto, docemur per Nicodemum nequaquam a via justitiæ, ab itinere veritatis discedere, sed usque in finem constanter in bonis perseverare : quia ut ait Salvator, Qui perseveraverit usque in finem, hic *Matth.* XXIV, 13. salvus erit. Quum enim Nicodemus videret quotidie Christum a Judæis, Pharisæis, Scribis, sacerdotibus et eorum principibus irrideri, diffamari, tandemque comprehensum morti cerneret adjudicari, inseparabiliter tamen Christo adhæsit, et fine quievit beato. Hinc in Ecclesiastico habetur : Non te ventiles in omnem ventum; esto *Eccli.* V, 11, 12. firmus in via Domini et in veritate sensus tui, et prosequatur te verbum verax.

Postremo instar Nicodemi simus patientes ac dociles, non pertinaces et iracundi. Siquidem Nicodemus a Christo modeste reprehensus, æquanimiter tulit, et Christi documentis humiliter acquievit ac paruit. Insuper, simul cum Nicodemo instruamur a Christo, et solerter pensemus quod ait *Joann.* III, 3. Salvator : « Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei ». Quotiescumque enim quis peccat mortaliter, spiritualiter moritur; et nisi per Dei misericordiam renascatur, id est, de suo peccato pœniteat, et de non esse spirituali ad esse spirituale resurgat, hoc est de morte culpæ ad vitam gratiæ, salvari non potest. Idcirco quotidie de nostris peccatis cordialiter doleamus, veniam flagitemus, confessionem facere apto tempore proponamus, et vitam emendemus in omnibus.

Postremo attendamus quod Christus disseruit : *Ibid.* 14. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Quemadmodum enim filii Israel ob suam transgressionem ab ignitis morsi serpentibus, intuendo æneum serpentem a Moyse pro signo levatum, a suis curabantur vulneribus; sic fideles a dæmonibus impugnati, tentati et læsi, passionem Christi diligenter inspiciendo, et Dominum crucifixum sinceriter contemplando, a suis tentationibus et peccatis curantur. Si enim diligenter pensemus quam nudus Christus in cruce pependit, avaritiæ vitium superamus. Si intueamur quam mansuete et patienter in tota passione se habuit, ab ira et impatientia mentes nostras purgare studemus. Si consideremus quam caritative, quam humiliter et constanter universa sustinuit, quam amorose pro crucifixoribus exoravit, quam humillime coram pontificibus, coram Pilato, coram Herode, et sceleratissimis atque vilissimis illis a quibus nudabatur, flagellabatur, et spinis coronabatur, clavisque perforabatur, ac vehementissime spernebatur ac irridebatur, stetit et tacuit, omnino maledictæ tumorem superbiæ aspernamur. Omnia itaque ista nostris cordibus inscribamus; et qualiter

A Filius Dei propter nos alba veste ac purpureo indumento illusus est perpendentes, vanitates, pompas curiositatesque vestium, et superfluitates earum ceterarumque rerum vitemus. Christus equidem passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. *I Petr.* II, 21. Ideo qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit ac toleravit, et ipse ambulare et tolerare, *I Joann.* II, 6. dicente Apostolo : Qui sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis. *Galat.* V, 24.

B Itaque æneus ille serpens fuit figura Christi, ob causam nunc tactam : quoniam sicut Judæi a serpentibus vulnerati, æneum intuendo serpentem sanabantur in corpore; sic fideles, Christi passionem pensando, curantur in anima, caritatem, humilitatem, patientiam ceterasque discunt virtutes, et ejus sequuntur vestigia, prout ad Hebræos hortatur Apostolus : Deponentes omne peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, *Hebr.* XII, 1, 2. adspicientes in auctorem fidei et consum- C matorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Secundo, quia ænei serpentis erectio præfiguravit elevationem Christi in crucis ligno. Tertio, quoniam sicut æneus serpens habuit similitudinem, non veritatem serpentis ac venenati; sic Christus habuit similitudinem carnis peccati, non ipsum peccatum.

Denique passio Christi, exaltatio appellatur : primo, quia alte in ligno suspensus est; secundo, quoniam sua passione exal- D tavit genus humanum, promerendo ei regnum cœlorum; tertio, quoniam sua passione præcipue honoravit Patrem æternum, obediendo ei usque ad mortem; quarto, quoniam sua passione meruit sibimetipsi accidentale præmium, scilicet corporis sui glorificationem, gloriosam ascensionem, judiciariam potestatem, atque totius creaturæ prælationem, juxta illud ad Hebræos : Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum; *Ibid.* II, 9. et alibi : Humiliavit se factus obediens us- *Philipp.* II, 8, 9.

que ad mortem; propter quod et Deus A exaltavit illum, et dedit ei nomen quod est super omne nomen.

Itaque Christi caritatem, pietatem, humilitatem cum ceteris assequamur virtutibus. Præsertim enim vitanda est omni Christiano crudelitas. Et sicut crudeles suis proximis faciunt, sic justo Dei judicio accidit eis etiam sæpe in vita præsenti, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur; *Eccli.* XXVII, 30. atque in Psalmo : Lacum aperuit, et effodit eum; et incidit *Ps.* VII, 16. B in foveam quam fecit.

Legitur de quodam tyranno, quod crudelis exstitit valde, et multis innocentibus durissimas intulit mortes. Quidam autem artifex volens tyranno illi placere, fecit æneum bovem, in cujus latere fecit fenestram per quam ingrederentur necandi et comburendi; quumque caloris vehementiam sentientes clamarent, non hominis, sed bovis vocem emittere viderentur : qua audita, tyrannus ille amplius accenderetur ad torquendum inclusos. Itaque tyrannus, viso æneo bove, artificium commendavit. Nihilo minus factum exsecrans, dixit artifici : Tu primus experieris tormentum operis hujus, quod mihi crudeli tu crudelior obtulisti; sicque cognoscam qualiter per os bovis istius clamabis. Et factum est ita.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE QUATUOR ANIMALIUM, ET DE SEX SPECIEBUS CONTEMPLATIONIS, PER SEX ALAS ANIMALIUM DESIGNATIS.

In circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Apoc. IV, 6. C

Quemadmodum per hæc quatuor animalia quatuor Evangelistæ sint designati, commune et notum est. Et ut super Ezechielem ostendit Gregorius, etiam ipsemet Christus, omnium caput Sanctorum, per hæc quatuor animalia figuratur : ipse enim propter nos vere factus est homo, et pro nobis oblatus atque occisus ut vitulus; surrexit et vicit hostes ut leo; ascendit in cœlum ut aquila.

Rursus, secundum Gregorium, unusquis- D que in via Dei perfectus per quatuor animalia ista exprimitur : qui rationabiliter se habendo, pie inter proximos conversando, recte dignus est homo vocari; se ipsum vero Deo in sacrificium offerendo, et propter Deum propriam voluntatem atque carnalia desideria mortificando, rite vitulus appellatur, juxta quod monet Apostolus, Obsecro vos ut exhibeatis corpora *Rom.* XII, 1. vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; vitiis quoque viriliter resistendo, et adversariis suæ salutis per Dei auxilium prævalendo, leo vocari meretur; contemplando autem et fervide diligendo cœlestia et divina, congrue dicitur aquila. Quæ omnia ad religiosos potissimum certum est pertinere, quoniam solennissimo voto ad obedientiam et propriæ voluntatis fractionem se adstrinxerunt. Ideo se ipsos quotidie tenentur mortificare, carnalia desideria exstirpare, spirituali patri in omnibus obtemperare, in cujus manu est eorum voluntas. Quam resumere, esset rem alterius eo invito contrectare, quod furtum censetur; sed hoc in religiosis etiam sacrilegium judicatur, quia abusus est rei sacræ, utpote Deo per religionis professionem oblatæ et consecratæ. Religiosis quoque vere proficientibus bellum continuum est contra humanæ salutis hostes, quibus instar leonum tenentur resistere; et ipsorum est in luce sapientiæ contemplari divina, atque in Solem justitiæ aciem mentis defigere.

Porro in hoc animalia ista specialiter imitari debemus, ut simus pleni oculis ante et retro, hoc est undique circumspecti, illuminati, acuti, ne sub specie boni decipiamur, ne in manifesta vitia corruamus, ne aliquo præoccupemur delicto. Quum enim, secundum Thomam et alios multos, in actibus humanis qui proprie appellantur humani, qui scilicet ex ratione et deliberatione procedunt, in individuo sumptis, non inveniatur indifferens, sed omnis hujusmodi actus sit moraliter bonus, virtuosus et meritorius, aut demeritorius atque culpabilis (si enim ex recta ratione procedit et ad finem debitum refertur, meritorius perhibetur; sin autem, demeritorius fertur) : hinc nisi undique simus oculati, circumspecti, diligen-
Agg. I, 5, 7. tissimi, et (juxta prophetam Aggæum) ponamus corda nostra super vias nostras, varias omni hora incidimus culpas, et cito pigrescimus. Idcirco, ut Habacuc loquitur,
Habac. II, 1. super custodiam nostram stemus; et omni
Prov. IV, 23. custodia cor nostrum custodiamus a cogitationibus malis, ab affectionibus pravis, a
Job IX, 28. negligentia omni. Sicque cum Job vereamur omnia opera nostra, ne in eis Dominum offendamus. Nam sicut in Ecclesia-
Eccli. I, 22, 28. stico legitur, Timor Dei est corona justitiæ, quæ cunctis est superponenda operibus, ut sollicite in eis omnis vitetur excessus; et qui absque isto timore est, justificari non potest, nec evadere.

Consideremus ergo nos ipsos et omne quod agimus, an vere sit bonum et bene fiat. Consideremus nostram refectionem, comestionem, potationem, dormitionem, ne in eis excessus sit, ne quæratur voluptas, ne virtutum circumstantiæ omittantur. Sic et ceteros nostros actus consideremus, discutiamus, dijudicemus; et magis intueamur quid nobis desit, quam quod nos habere confidimus. Hinc ait Bernardus : Consideratio mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam ordinat et honestat, sparsa recolligit, secreta rimatur, vera investigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat, agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorrectum correctioneve dignum; hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, et in adversis quasi non sentit. Ecce quanta bona facit consideratio ista in homine. Idcirco quotidie totam nostram conversationem consideremus, reprehendamus, et culpas proprias puniamus in nobis. Necessaria valde est consideratio ista, quamvis sæpe sit gravis. Propter quod ait Anselmus : Omnis gravis conditio. Si me inspicio, me ipsum non tolero; si non inspicio, me ipsum ignoro. Si me considero, terret me facies animæ meæ; si me non considero, fallit me damnatio mea. Si me video, horror est intolerabilis; si non video, mors intolerabilis. Et certe, sicut in verbis iis innuit satis Anselmus, si quis se ipsum rite considerat, et bonorum quæ operatur admixtas defectuositates perspicaciter intuetur, malorum quoque quæ agit multitudinem magnitudinemque sinceriter speculatur, abhorret et aspernatur se ipsum, et vix ferre se potest, nec deflere se sufficit.

Verum sunt quidam insipientiæ filii, ad hanc sui saluberrimam considerationem cæci, atque ad aliorum facta curiose observanda, temere judicanda, distincte enumeranda, ante et retro oculis pleni, proprias culpas ex aliorum defectibus excusantes, alleviantes ac defendentes : quorum fatuitas est deflenda. Hi miseri non advertunt quod tam terribiliter ait Salvator :
Quid vides festucam in oculo fratris tui, et *Matth.* VII, 3, 5.
trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, etc. Hinc Gregorius et Prosper testantur : Tam-

diu peccata propria homo nosse et deflere A ignorat, quamdiu curiose aliena considerat; quod si mores suos ad se ipsum versus adspiciat, non requirit in aliis quod reprehendat, sed in se ipso quod lugeat. Nos igitur religiosi et monachi, quorum est uni, utpote Deo, et sibi ipsi intendere, non insipienter relinquamus nos ipsos, nec immoderate occupemus nos circa proximos nostros : præsertim quum dicat Salvator, *Luc.* IX, 25. Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat? Nonne caritas incipit a se ipsa, id est a B suo subjecto? Nempe qui vere se diligit, primo se ipsum reprehendit ac corrigit. Hæc ergo agamus, juxta quod scriptum *Eccli.* XXX, 24. est : Miserere animæ tuæ, placens Deo.

Præterea, per sex alas quibus unumquodque oculatum animal fuit ornatum, sex species contemplationis intelliguntur, prout eas quidam enumerant. Sanctus autem Bernardus quatuor species contemplationis distinguit. Quarum prima, secundum eum, est admiratio majestatis, id est admirativa speculatio. Secunda est conside- C ratio judiciorum Dei. Quæ qui profunde intuetur, cum Apostolo exclamare impel- *Rom.* XI, 33, 34. litur : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius ! Quis enim cognovit sensum Domini ? Et cum Psalmista loquitur Deo : *Ps.* XXXV, 7. Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa. In iis duabus speciebus contemplationis, ab immoderato, intimorato, irreverenti, præsumptuoso scrutinio *Prov.* XXV, 27. est cavendum, quum dicat Scriptura : Sic- D ut qui mel comedit multum, non est ei bonum, sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Tertia est consideratio beneficiorum Dei. Quarta autem *I Cor.* II, 9. est speculatio promissorum ipsius, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. His quatuor speciebus poterunt addi aliæ duæ, videlicet : speculatio invisibilium creaturarum, intellectualium substantiarum, angelicorum et humanorum spirituum : ex quorum contemplatione ad omnipotentis notitiam Creatoris sublimiter mens ascendit. Secunda est speculatio corporalium ac visibilium creaturarum : ex quibus etiam Dei majestas splendide innotescit. Propter quod Isaias hortatur : Levate in excelsum oculos *Is.* XL, 26. vestros, et videte quis creavit hæc. Possunt autem species contemplationis aliter assignari, ut infra mox Deo agente tangetur.

Sed quum contemplatio sit actus sapientiæ, quæ est cognitio divinorum, posset quis quærere, quomodo cognitio creaturarum, præsertim corporalium, ad contemplationem pertineat. Ad quod breviter respondetur, quod creaturæ, in quantum a Deo tanquam a primo principio profluxerunt, et in ipsum sicut in ultimum finem tendunt ac ordinantur, atque Creatoris sui sapientiam, omnipotentiam, bonitatem, amorem seu benevolentiam repræsentant, sic in ipsius cognitionem, admirationem, laudem, timorem, cultum, dilectionem inducunt. Sicque ad contemplationem consideratio spectat rerum earum. Nam et sic theologia et fides circa eas versantur.

Postremo et nos cum sanctis animalibus requiem superfluam nobis non demus nec admittamus, sed die ac nocte cum eis superbeatissimam laudemus veneremurque Trinitatem, dicentes : Sanctus, Sanctus, *Apoc.* IV, 8. Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Quumque non sit speciosa laus in ore peccato- *Eccli.* XV, 9. ris, exhibeamus nos divinæ laudis puros idoneosque ministros, Deo sanctitatis immensæ in sanctitate et justitia incessabiliter servientes, ut passionibus reformatis, vitiis exstirpatis, negligentiis pulsis, ex fervida caritate, omne quod agimus ad Dei gloriam et honorem jugiter operemur. Plus etenim placet sancto et justo Deo unus actus virtuosus viri reformati, purgati, heroici et perfecti, quam plurimi actus boni hominis adhuc passionati, imperfecti, pusilli. Unde et vir virtuosus, fervens, purgatus, multo plus de essentiali præmio promeretur, agendo aliquod opus bonum, quod tamen facit cum promptissimo corde et alacri jucunditate, quasi sine labore, quam homo imperfectus, idem agendo cum grandi difficultate atque labore. Deus namque ad mentis dispositio- A nem et caritatis intuetur radicem, et purgata mens præcipue placet ei : idcirco actus talis mentis magis acceptat, et delectatur in eis. Ideo ad profectum incitemur, et ad perfectionem feramur.

SERMO QUINTUS

DE SUPERGLORIOSISSIMÆ TRINITATIS VITA, FELICITATE ET GLORIA PENITUS INFINITA.

BEATUS et solus potens Rex regum et Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; cui honor et imperium. I Tim. VI, 15, 16.

Sicut Aristoteles ait, desiderabilius ac nobilius est de rebus sublimibus et divinis modicum quid cognoscere, quam multa de inferioribus. Ideo idem asserit se de materialibus rebus determinasse propter separatarum cognitionem substantiarum. Quanto magis desiderabilissimum ac nobilissimum exstat, aliquid de superessentiali, incircumscriptibili et æterna Trinitate cognoscere, atque ad ejus notitiam finaliter referendum est omne studium, omnisque inferiorum notitia ? Rursus, *Joann.* XVII, 3. quum Dei Filio protestante, hæc sit vita æterna, summa felicitas, consummata beatitudo, clare cognoscere Patrem et Filium (haud dubium quin et Spiritum Sanctum), certum est, quod quanto in vita præsenti ad sinceriorem et affectuosiorem adorandæ et superbenedictissimæ Trinitatis contemplationem pertingimus, eo futuram beatitudinem plenius prælibamus, ad plenam felicitatem amplius propinquamus, ad veram perfectionem propinquius pervenimus. Ideo verissime disseruit Augustinus : Nullibi periculosius erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec quidpiam fructuosius invenitur, quam ubi summæ Trinitatis unitas investigatur. Et rursus : B Qui Trinitatis mysterium vel ex parte et *I Cor.* XIII, 9, 12. per speculum in ænigmate videt, gaudeat et gratias agat; qui vero non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum.

Sed agnoscendum, quod non in qualicumque superdignissimæ Trinitatis cognitione consistit noster profectus, nostra perfectio et futuræ prælibatio felicitatis, quum multi inanes et scioli de Trinitate scholastice disputent, scribant, et multa cognoscant quæ etiam devotissimos latent C viros; sed in cognitione amorosa, formata, sincera, quæ actus est sapientiæ et ex fide progreditur illuminata, consistit perfectio et futuræ beatitudinis dulcis prægustatio quædam. De qua cognitione loquitur Augustinus : Mentis humanæ invalida acies in tam sublime lumen non figitur, nisi per fidei justitiam expurgetur. Et denuo asserit, quod Trinitas adoranda non nisi purissimis mentibus cernitur. Qui ergo ad superaltissimæ Trinitatis contemplationem cupit assurgere et in tam supersplendidissimum D lumen oculum cordis defigere, primo satagat emundari, illuminari, roborari, tantæque puritatis effici capax : quia si bestia tetigerit montem, lapidabitur. *Hebr.* XII, 20.

Præterea ad contemplationem hanc cum omni humilitate, reverentia et casto timore est accedendum, et ab immoderata inquisitione cavendum, præsertim quum (ut in themate tactum est) Deus « lucem habitat inaccessibilem; quem nemo hominum

vidit, neque videre potest ». Quod intelligendum A est de visione comprehensionis perfectæ, qua quid tam clare et plene cognoscitur sicut ex sua natura cognoscibile exstat. Sic enim a se solo videtur et comprehenditur Deus : nam sua actualitate ac plenitudine infinita, omnium intellectuum creatorum capacitatem in infinitum excedit. Potest quoque intelligi, quod nullus in hac vita potest Deum per speciem videre, vivendo vita sensitiva humana; et item, quod corporalibus oculis videri non valeat. Sed, quamvis Deum B comprehendere non valemus, possumus tamen assidue in ejus contemplatione proficere : idcirco quærendus est, ut inventus magis quæratur, clariusque inventus, adhuc avidius requiratur; nec huic inquisitioni in via hujus exsilii terminus imponatur. Propter quod dicit Psalmista :
Ps. civ,3,4. Lætetur cor quærentium Dominum; quærite Dominum et confirmamini; quærite faciem ejus semper.

Insuper ad habendam superpræstantissimæ Trinitatis aliqualem ac fidelem cognitionem, C primo de emanatione unius personæ ab alia aliquid est tangendum. Quocirca sciendum, quod quum Deus sit ens primum, simplicissimum, infinitum, perfectum, naturaliter bonum, ipse est una actualissima vita et supersapientissima mens, atque purissimus, invariabilis, incircumscriptibilis spiritus. Hinc Dei fecunditas, exuberantia, munificentia est omnifarie infinita. Emanatio quoque illa ad intra quæ in Deo est, non nisi simplicissima, immaterialissima, incommutabilis, D intellectualis et æterna consistit : talis est ergo generatio Filii Dei, atque processio Spiritus Sancti.

Itaque Deus Pater se ipsum æternaliter ac plenissime intuendo et intelligendo, hoc quoque in se et de se cognoscit, intelligit, concipit, hoc intra se profert, producit et gignit. Sicque Pater æternus se per intellectum cernendo, sui ipsius conceptum in se parit, et verbum unum internum, mentale, non sonans ac transiens, non vocale et accidens, sed supersubstantiale et immanens, de se profert, et intra se loquitur. Cujus verbi expressio est generatio Filii Dei. Hoc etenim Verbum æternum, quum secundum rationem similitudinis a Patre per intellectum emanet, et de substantia Patris immediate, non per actum intermedium a substantia realiter distinctum, nascatur, propriissime ac verissime Filius Dei Patris appellatur. Et quoniam Pater uno simplicissimo intelligendi actu se ipsum et omnia perfecte intelligit, ideo una prolatione immanente verbum producit, quod est sui perfecta imago, et omnium creaturarum exemplar, ars, species et ratio. Nec aliquid minus potest esse, relucere ac repræsentari in Verbo isto, quam est in Patre æterno : ideo tota Patris essentia continetur in eo. Nec dubium quin eadem numero, quum divina essentia nequeat multiplicari, nec esse valeant plures dii. Hoc itaque Verbum æternum, est mentis paternæ verbum internum, intelligibilis dictio, et sapientiæ ejus plena expressio, splendor gloriæ, character paternæ substantiæ, imago bonitatis paternæ, candor lucis æternæ, speculum superclarissimum et perfectum majestatis incomprehensibilis genitoris. *Hebr.* i, 3. *Sap.* vii, 26. Hunc Unigenitum superpulcherrimum, supersapientissimum, superbonum ac supersimillimum sibi, diligit Deus Pater amore superardentissimo, prorsus gratuito et immenso; æternaliter quoque et incessabiliter adspicit eum cum delectatione vere et intensive interminata, et complacentiam habet in eo omnino superdulcissimam et immensam. Sed et Filius Patrem invariabiliter intuetur, comprehensive intelligit, superferventissime infiniteque diligit, superdeliciosissimam complacentiam et immensam prorsus lætitiam habens in suo supercarissimo Patre.

Præterea Pater et Filius sibi tam interminabiliter complacentes, se invicem volendo ac diligendo, simul producunt et spirant unum subsistentem, superessentialem, perfectum et infinitum amorem, qui est Spiritus Sanctus, a Patre et Filio A tanquam ab uno fonte æterno, ab uno fontali principio et ab uno spiratore procedens, quoniam Pater et Filius per id et in eo et in quantum producunt Spiritum Sanctum non distinguuntur, sed unum sunt, utpote unius substantiæ et voluntatis, quæ in ambobus numero una est : quemadmodum etiam Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unus universorum creator, unus fons, unum principium, quia in eo quo creant non distinguuntur. Hic Spiritus Sanctus Patri et Filio consubstantia- B lis, coæternus, coæqualis verissime et supercertissime creditur; estque amor iste amborum spiritus, pax serenissima, tranquillitas infinita, communio plena, sempiterna atque communis lætitia, suavissimum osculum, inseparabilis nexus, dulcissimusque complexus Patris ac Filii.

Denique, quum causæ amandi seu rationes amoris sint bonitas, cognitio, propinquitas, similitudo, beneficentia, communio, constat quod inter has superbenedictas, supervenerabiles, adorandas personas est C dilectio mutua omnino perfecta, superardentissima et immensa, quum omnes prætactæ amandi rationes ibi superexcellentissime et superplenissime æternaliterque consistant. Quælibet namque persona infinitæ est bonitatis, sapientiæ, pulchritudinis, perfectionis; et unaquæque comprehensive et superclarissime cognoscit et aliam inspicit. Filius quoque a Patre immediate procedit, et infinitum bonum ab eo suscepit, estque Patri simillimus ; Spiritus Sanctus etiam a Patre et Filio imme- D diate spiratur, et infinitum bonum ab ipsis suscepisse se intuetur. Pater vero se totum Filio, Pater item et Filius se plene communicant Spiritui Sancto. Quanto autem inter aliquos est major dilectio, tanto jucundior est eorum mutua intuitio, unio, complexus, usus sive fruitio : ideo unaquæque divina persona cum infinita jucunditate inspicit, amplectitur comprehenditque aliam, et se invicem superdeliciosissime perfruuntur.

Denique, si beneplacitum est Domino *Ps.* CXLIX, 4. in populo suo; si Seraphim calidissime, acutissime, penetrantissime, ferventissime et superferventissime, juxta Dionysium, De Cœlest. hier. c. VII. diligunt Deum; si deliciæ Dei sunt esse *Prov.* VIII, 31. cum filiis hominum; si gaudium Domini II *Esdr.* VIII, 10. est fortitudo nostra : quam beneplacitum est Patri æterno in unigenito Filio suo, et econverso? Quam incomprehensibiliter unaquæque persona complacet alteri? Quam superdeliciosissime simul sunt, imo in se invicem inseparabiliter, inconfusibiliter circumincessibiliterque consistunt? Quam superæstuantissime, supercalidissime, superacutissime, superferventissime se invicem æternaliter et nobis prorsus incomprehensibiliter diligunt dilectione utique superjucunda, et omni creaturæ quoad suam plenitudinem inexperta? Ecce hæc est vita, beatitudo et gloria Domini Dei nostri, ita contemplari, diligere, communicare, producere, delectari et taliter se habere.

Tantam igitur supersublimis et superomnipotentis Trinitatis beatitudinem, excellentiam, perfectionem ac mutuam intuitionem, dilectionem, complacentiam, fruitionem, communicationem, emanationem et consistentiam devotissime contemplemur, dulciter intueamur, cum omni gratulatione et delectatione ingenti uberrime revolvamus et attendamus. Si enim Dominum Deum nostrum vere ex corde super universa diligimus, debemus utique tam infinitæ suæ felicitati et gloriæ præcordialiter congaudere. Sed ad hanc contemplationem, amorem et congratulationem conemur nos exhibere idoneos, virtuose, fructuose, pure et digne vocatione hac conversando, totoque corde Deo jugiter adhærendo.

SERMO SEXTUS

DE SPECIEBUS CONTEMPLATIONIS, ET DE MYSTICA THEOLOGIA.

N*OS autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.* II Cor. III, 18.

Ad Creatoris sui claram et facialem, fruitivam ac beatificam contemplationem adipiscendam inamissibiliterque possidendam, creata est rationalis creatura. Nunc interim, quamdiu degit in sæculo isto, præfatæ contemplationi propinquare, et aliquid ejus participare, atque ipsius dulcedinem prælibare debet conari, præsertim omnis religiosus, ab exteriorum sollicitudine, inquietudine, occupationibus liber.

Porro contemplatio est divinorum sincera, prompta et amorosa cognitio. Nam primo et immediate contemplatio circa Deum versatur, deinde circa effectus ipsius, prout ab ipso fluxerunt et gubernantur, atque ad ipsum finaliter referuntur, et a theologis considerantur. Hujus contemplationis prima species, est simplicissimæ Deitatis speculatio naturalis : non quod contemplatio ista sit sapientiæ acquisitæ, naturalis et philosophicæ actus, quum sit doni sapientiæ, quæ est supernaturalis habitus, actio. Sed dicitur speculatio naturalis, quoniam contemplatur de Deo ea quæ naturali ratione possunt cognosci de eo, quæ et pro magna parte cognoverunt philosophi : utpote, quod Deus sit primum ens, purus actus, honoratissimus intellectus, pura bonitas, summa veritas, simplicissima unitas, prima omnium causa et ultimus finis; cujus sapientiæ, omnipotentiæ, beatitudinis, opulentiæ, sanctitatis, excellentiæ, perfectionis, pietatis, justitiæ, suavitatis nullus est finis, nulla mensura, coarctatio nulla.

Secunda species contemplationis, est summæ et superessentialis Trinitatis cognitio supernaturalis : quemadmodum scilicet Deus sit in essentia unus, et trinus in personis, et quomodo una persona aliam sit producens ; quomodo Filius a Patre generetur, et Spiritus Sanctus ab utroque spiretur; qualiter una persona aliam superclarissime intueatur, superardentissime diligat, et se invicem perfruantur ac mutuo sibi complaceant æternæ, increatæ et adorandæ personæ. De qua specie contemplationis dictum est in præcedenti sermone.

De Cœlest. hier. c. II.

Sed agnoscendum, quod (juxta divini Dionysii documenta) duplicem de Deo habemus in hac vita cognitionem, videlicet : unam per affirmationem seu positionem, ut quod Deus est ens primum, summum bonum, et quidquid, absolute loquendo, perfectius et melius est habere quam eo carere; aliam per ablationem seu negationem. Quia ut sacratissimus asserit Dionysius, necesse est in Deo omnium perfectiones ponere ac fateri, tanquam in fontali omnium causa et exemplari universorum principio; iterumque, oportet omnem rerum perfectionem abnegare de ipso, tanquam super omnia incomparabiliter, separatissime et superessentialiter exsistente, penitus incomprehensibili et prorsus ignoto quantum ad quid est. Ipsa quippe æterna Deitas, infinita eminentia omne creatum excedit, estque deficiens omne nomen (prout nos illud comprehendere possumus) a superbenedicta et supervivente et incomparabili majestate ipsius, infinito defectu. Unde et (juxta Dionysium) ista cognitio Dei per negationem est potior et clarior prima. Hinc jux-

De Myst. theol. c. I.

De Cœlest. hier. c. II.

ta hanc duplicem Dei cognitionem potest A contemplatio Dei duplex distingui : prima (ut dictum est) per positionem; secunda per ablationem. Hæc autem cognitio Dei per omnium ab ipso negationem, ad mysticam spectat theologiam, et est sublimior species contemplationis quæ haberi potest in vita præsenti.

Porro mystica theologia, quæ et unitiva sapientia atque flammigera theoria vocatur, realiter idem est quod donum sapientiæ, accipiendo sapientiæ donum secundum gradum et statum suum supremum B atque perfectum huic vitæ possibilem. Est equidem triplex gradus doni sapientiæ, sicut et caritatis. Itaque mystica theologia, seu contemplatio ista sapientiæ unitivæ, flammigeræ, amorosæ ac saporosæ, est interna ac secretissima mentis cum Deo locutio, Deitatisque quædam intuitio, non per phantasmata aut rerum imagines, sed per omnium ablationem, transcensionem ac derelictionem, otiante jam mente ab omni virium cognoscitivarum et appetitivarum actione circa creata versante, in- C gredienteque mente divinam caliginem, id est se extendente ac immergente in ipsam incomprehensibilem, infinitam, supersplendidissimam lucem divinam, increatam, æternam. Quam quanto clarius intuetur ac perfectius contemplatur, eo quam incomprehensibilis et superexcellens sit, certius cernit atque profundius speculatur. Hinc a quibusdam mystica theologia sic definitur : Mystica theologia est anagogica seu superductiva motio mentis in Deum per purum fervidumque amorem; et rur- D sus, Mystica theologia est experimentalis de Deo notitia per unitivi amoris amplexum. Hæc contemplatio mystica, supernaturalis, theorica, ad viros heroicos, perfectos, purgatos proprie pertinet, quia ad eam disponitur homo immediate per ferventissimæ caritatis ardorem, quo Spiritus Sanctus apicem affectivæ tangit, excitat et accendit, aliqua tamen præeunte naturali ordine contuitione : sicque vertex intellectivæ in Deum erigitur, figitur, profunditur, rapitur, et tota mens in Deitatis oceanum absorbetur, et in divitias gloriæ Creatoris demergitur, atque in ipso feliciter conquiescit suaviterque obdormit. Ad hanc deificam contemplationis speciem non efficitur homo aptus, nisi per plenam privati eradicationem amoris, per reformationem perfectam, per purum et perfectum Dei amorem.

Tertia contemplationis species, quæ et quarta dici potest, est assumptæ humanitatis Christi consideratio : quemadmodum scilicet natura humana in Christo assumpta est in unitatem personæ a Verbo æterno, et suppositata in hypostatico esse ipsius Verbi increato; et quomodo eodem momento caro Christi a Spiritu Sancto formata est, et anima ejus creata ac carni formaliter juncta, atque utrumque simul a Verbo assumptum; qualiter item in eodem illo momento ac instanti impleta est tota capacitas animæ Christi plenitudine gratiæ, perfectione virtutum, excellentia quoque donorum ac fructuum et beatitudinum, imo et beatifica visione divinæ essentiæ, et summa Deitatis perfruitione. Deinde ad hanc contemplationis speciem pertinet considerare omnia quæ in Evangelio et ceteris sacris Scripturis, de Christo secundum quod est homo, leguntur : qualiter scilicet de Virgine conceptus et natus sit, ab angelo nuntiatus pastoribus, adoratus stella duce a Magis; et cetera ejus mysteria, opera atque miracula.

Quarta contemplationis species, est speculatio donorum gratiæ Dei, intelligendo per dona gratiæ universa supernaturalia beneficia Creatoris et munera gloriæ Beatorum, seu divina promissa cœlestia. Ad hanc itaque speciem pertinet intueri beneficia Dei gratiosa, generalia ac specialia, corporalia et spiritualia, exhibita et exhibenda.

Quinta species, est contuitio donorum naturæ, id est consideratio naturalium Dei effectuum, visibilium et invisibilium, terrestrium atque cœlestium, intellectualium, rationabilium, et inferiorum elementorum et mixtorum. Sicque ad speciem A hanc pertinet intueri ordinem universi, species, proprietates et virtutes et operationes naturalium rerum, et substantias separatas, orbes, astra, planetas, prout in istis magnificentia Conditoris relucet, ejusque bonitas, sapientia et potestas in cunctis resplendent.

In his itaque contemplationis speciebus nos actuemus, exerceamus et occupemus; atque ad eas, per profundissimam humilitatem, patientiam inconcussam, mansuetudinem firmam, ceterasque virtutes, per orationes devotas et assiduam dominicæ passionis memoriam, per indesinentem cordis custodiam et diligentem divini operis exsecutionem, nos quotidie ac strenue præparemus ac disponamus, ad laudem et gloriam superbeatissimæ Trinitatis. Amen.

Pro solennitate Corporis Christi, quære enarrationes et sermones in altera parte, de Sanctis.

DOMINICA PRIMA POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

DEUS CARITAS EST. I Joann. IV, 16-21.

QUIA adhuc non longe a sacratissima A solennitate Pentecostes, in qua de Spiritu Sancto, qui caritas appellatur, festivitas agitur, recessimus, recte epistola ista in qua de caritate fit mentio, in dominica legitur hodierna. Ait ergo S. Joannes :

Deus caritas est. Deus utique amat se ipsum, sed et ea quæ condidit, secundum id quod ab ipso sortita sunt, quemadmodum in libro Sapientiæ dicitur Deo : *Sap.* XI, 25. Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Porro in simplicissimo Deo realiter idem sunt amans et amor, quem- B admodum sapiens et sapientia : ideo vere dicitur Deus amor seu caritas. Denique multiplex est distinctio caritatis. Est namque caritas creata, quæ est virtus theologica, et caritas increata, videlicet Deus. Caritas quoque increata distinguitur : quia est caritas increata absolute dicta, quæ est ipsum diligere Dei, quia in Deo sunt idem esse, posse et agere. Est quoque caritas increata spirata, relative accepta : et ista est ipsemet Spiritus Sanctus. Sed caritas increata absolute sumpta, communis est C toti superdignissimæ Trinitati, et cuilibet competit divinæ et increatæ Personæ. Nihilo minus, sicut sapientia Filio, sic caritas ista appropriatur Spiritui Sancto, quia Spiritus Sanctus procedit per modum amoris, estque emanatio voluntatis.

Et qui manet in caritate, in Deo manet. Hoc dupliciter potest intelligi. Primo sic : « Qui manet in caritate », scilicet increata, id est, qui ei inhæret, « in Deo manet », id est, spiritualiter finaliterque quiescit. Quum enim caritas ista sit Deus, consequens est ut qui manet in ea, in Deo sit manens. Juxta quem modum ait Christus : Creditis in Deum, et in me credite. *Joann.* XIV, 1. Quum enim Christus sit verus Deus, consequens est ut qui credit in Deum, credat in Christum, sicut ibidem Augustinus exponit. Secundo sic : « Qui manet in caritate » creata, id est, caritatem, quæ virtus theologica est, in se tenet, « in Deo manet » tanquam in ultimo fine, et ei summe adhæret, quoniam mentem creatam Deo finaliter copulare, et eam in ipso firmare, opus est caritatis infusæ. Itaque qui manet in caritate, manet in Deo, sicut contentum in continente, et sicut participans in participato, quoniam caritas infusa est quædam similitudo et participatio caritatis increatæ. *Et Deus* manet, id est, gratiose habitat, *in eo,* sicut participatum in participante et continens in contento. Unde et Beda hic ait : Vicissim in se habitant qui continet et qui continetur. Habitat in te Deus, sed ut contineat te ne cadas; habitas quoque in Deo, ut contінearis in eo.

In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, id est, diem judicii non formidemus, sed fiducialiter præstolemur, cupientes *Philipp.* I, 23. dissolvi et esse cum Christo. Unde et Christus in Evangelio, de die loquens judicii

Luc. XXI, 28. suis fidelibus : His (inquit) fieri incipientibus, levate capita vestra, id est, corda exhilarate, quoniam appropinquat redemptio vestra. Beda quoque hic scribit : Quid est fiduciam habere in die judicii ? Non timere ne veniat dies judicii. Quum enim primo quis ad pœnitendum se dederit, incipit formidare diem judicii, ne Judice apparente damnetur ; processu vero bonæ conversationis animatus, discit non timere quod ante timebat, sed potius desiderare ut veniat Judex, confidens merito bonæ conversationis salvari. In hoc ergo per- B fecta est caritas Dei nobiscum, id est, perfectio caritatis nostræ ad Deum consistit in hoc, ut fiduciam habeamus in die judicii, juxta intellectum inductum.

Sed iis obviare videtur, quod etiam viri heroici et perfecti, judicium Dei usque ad mortem suam formidasse leguntur, quem- *Cf.* t. XXIX, p. 19 B, 25 C', 33 A'. admodum supra de beatissimis patribus Arsenio et Elia eremitis narratum est. Sanctus quoque Hieronymus protestatur : Quum diem illum cogito, totus expavesco. Et rursus : Sive comedo, sive bibo, sive C aliud aliquid ago, semper mihi videtur tuba illa meis auribus insonare : Surgite, mortui, venite ad judicium. Ad istud arbitror respondendum, quod viri sancti diversimode tanguntur a Spiritu Sancto ; et *Rom.* VIII, 16. quamvis frequenter Spiritus Sanctus perhibeat testimonium menti eorum quod filii Dei sint, interdum tamen permittit eos insistere considerationi infirmitatis imperfectionisque propriæ : et ita verentur timore filiali, videlicet, ne separentur a Deo. Et sicut doctores fatentur exponen- D *Eccli.* XLIV, 20. do quod scriptum est, Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi, unus Sanctorum magis abundat in ista virtute, alter in alia.

Insuper, unde fiduciam istam nostræ salvationis habere valeamus, subjungitur. *Quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo :* id est, quemadmodum Deus in cœlo est totus pius et bonus, non justos tantum sed injustos etiam diligens, vel secundum prædestinationem æternam, vel A secundum id quod sunt per creationem a Deo, et omnibus beneficia sua liberaliter exhibet, conservando eos in esse et necessaria præbens vitæ ; ita et nos sumus in hoc mundo, id est, nos Christiani Deo in hoc assimilamur, quod etiam inimicos diligimus et bona eis impendimus. Hinc jubet Salvator : Diligite inimicos vestros, *Matth.* V, 44. benefacite iis qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Unde alio loco scriptum est : Eritis *Luc.* VI, 35. filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. Itaque, quod ait Joannes, « sicut ille est, et nos sumus », de similitudine aliquali et parvula est sumendum : siquidem a divina perfectione deficimus prorsus in infinitum. Et juxta hanc similitudinem imperfectam loquitur Christus : Estote perfecti sicut et Pater *Matth.* V, 48. vester cœlestis perfectus est. Et Dominus per Moysen : Sancti (inquit) estote sicut *Lev.* XI, 44. et ego sanctus sum.

Deinceps docet S. Joannes qualis sit caritas. *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Sex assignantur timores, videlicet : timor servilis, timor mundanus, timor carnalis, timor naturalis, timor initialis, et timor filialis. Timor servilis est, quo vitatur peccatum seu alicujus offensa, non zelo justitiæ nec boni amore, sed solum formidine pœnæ. Timor mundanus est, quo malum vitatur ne res exterior amittatur, puta substantia, lucrum, honor, utilitas. Timor carnalis est, quo malum vitatur ne aliquid adversitatis patiatur homo in corpore suo, vel ne carnali voluptate privetur. Timor naturalis est, quo vitatur malum ne aliquid naturali desiderio contrarium accidat. Timor initialis, quo malum vitatur partim amore boni, partim formidine pœnæ. Timor filialis, quo malum vitatur solum ne offendatur dilectus, vel ne quis separetur ab illo. Horum timorum tres primi sunt vituperabiles, et pœnam habent, quia pœnam merentur : idcirco a caritate totaliter expelluntur, nec simul cum illa stare possunt quoad suum esse completum, sicut nec cetera peccata ex genere suo mortalia; sed quantum ad primos motus incompletumque esse, simul cum caritate, præsertim proficientium, stare queunt. Porro timor pure naturalis, nec laudabilis nec vituperabilis est in se : idcirco nec caritati repugnat, nam et in Christo fuit. Ratione tamen regendus est, ne immoderatus reddatur. Timor autem initialis ac filialis sunt idem realiter, nec differunt nisi penes diversum perfectionis gradum in eadem specie, sicut majus album et minus album. Ideo, sicut timor filialis inseparabiliter conjunctus est caritati, ita et initialis absque caritate non est; sed quanto in aliquo caritas magis perficitur, tanto timor initialis in eo magis decrescit quoad id quod habet de servilitate. Itaque timor servilis, carnalis, mundanus, non est in caritate; timor quoque initialis non est in caritate perfecta, quantum ad id quod habet de servilitate. Ideo dicitur : Perfecta caritas foras mittit, id est, totaliter ejicit, timorem hujusmodi, quoniam timor inordinatus pœnam habet, id est meretur, præsertim in quantum servilis et inordinatus : quod tamen de timore initiali accipiendum non est, quoniam principaliter agit amore boni.

Qui autem timet Deum timore servili aut etiam initiali, *non est perfectus in caritate,* quæ (ut dictum est) servilitatem timoris prorsus excludit, loquendo de caritate perfecta formaliter, utpote secundum quod talis est. Nihilo minus in viris perfectis inveniuntur primi motus, non in quantum sunt viri perfecti, sed in quantum nondum confirmati in bono, atque humanæ fragilitati subjecti.

Nos ergo diligamus Deum, non solum dilectione naturali, sed etiam, imo et principaliter dilectione infusa et spirituali ac supernaturali, *quoniam ipse prior dilexit nos.* Dilectio equidem Dei ad homines, ad A quamcumque creaturam, æterna est, nec aliquid novi potest esse in incommutabili Deo. Prædestinatos tamen Deus, specialiter simpliciterque loquendo, ab æterno dilexit; reprobos vero secundum quid. Quum enim diligere sit alicui bonum velle, quidquid boni in creaturis consistit, ex Dei dilectione ad eas profluxit. Verum electis præparavit Deus dona gratiæ in præsenti, et dona gloriæ in futuro : et hoc, pura atque omnino gratuita ad eos dilectione, omne meritum præveniente. Denique hoc B ipsum quod est Deum diligere, est præcipuum donum Dei. Ideo nec id haberemus, nisi Deus nos prior amasset, et ex suo increato amore amorem creatum, infusum, qui caritas appellatur, nobis dedisset. Nam amor est primum donum, in quo omnia dona donantur. Hinc asserit Christus : Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. *Joann.* XV, 16. Sed objici potest, quod idem paulo post affirmat : Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis. *Ibid.* XVI, 27. Et respondendum, quod conjunctio, Quia, dicit ibi causam a posteriori, quæ signum C vocatur.

Si quis dixerit quoniam, id est quod, *diligo Deum* caritate supernaturali infusa, quæ cum mortali stare non valet culpa, *et fratrem suum,* id est quemcumque hominem viatorem, virum seu feminam, fidelem seu infidelem, *oderit,* odiendo personam, non vitia tantum, *mendax est :* quoniam odium est mortale peccatum, ideo simul cum dilectione Dei esse non potest; secundo, quoniam dilectio proximi includitur in dilectione Dei, præsupponitque D eam; tertio, quia qui quemcumque odit hominem, præceptum Dei transgreditur, ideo Deum non diligit; quarto, quoniam eadem est caritas habitualis qua Deus proximusque diligitur, eo quod Deus sit ratio diligendi proximum : sicut eadem est fides qua creduntur tam pertinentia ad Christi divinitatem totamque superpræstantissimam Trinitatem, quam pertinentia ad Christi humanitatem et ad alia quædam creata, quoniam veritas increata est ratio credendi in omnibus.

Verumtamen S. Joannes tangit specialem sui dogmatis rationem, subdendo : *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt,* id est proximum visibiliter sibi notum, *Deum quem non videt* oculo corporali, nec per essentiam in vita præsenti, nec plene comprehendere potest in patria, quum Deus altissimus omnis creatæ mentis capacitatem in infinitum excedat (est namque infinitæ cognoscibilitatis, sicut et infinitæ actualitatis), *quomodo potest diligere?* Quocirca pensandum, quod duplex ponitur causa dilectionis secundum quod sufficit pro præsenti, videlicet : bonitas et cognitio. Bonitas est causa dilectionis, tanquam objectum ipsius : nil enim diligitur nisi sub ratione boni, aut veri aut apparentis. Cognitio autem est causa dilectionis, tanquam via ad eam, utputa ad actualem dilectionem : quia quod prorsus incognitum est, nequit amari. Quum ergo proximum clarius videamus quam Deum, quantum ad hoc, dilectio proximi habet quamdam facilitatem præ dilectione Dei, ita ut quoad hoc, facilius videatur diligere proximum, quamvis absolute loquendo, incomparabiliter majores et etiam plures sint rationes diligendi Deum quam proximum.

Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et proximum suum.* Unde interrogatus Salvator quod est mandatum magnum in lege, respondit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc. Hoc est primum et maximum mandatum. Secundum autem est simile huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et alio quoque loco ait Salvator: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Homo quippe ad Dei imaginem similitudinemque creatus est : idcirco est diligendus, in quantum Dei imagine insignitur, et capax est sui Creatoris per cognitionem atque amorem.

* *fratrem*

Matth. XXII, 36-39; *Marc.* XII, 28, 30, 31.

Joann. XV, 12.

SERMO PRIMUS

DE COMMENDATIONE ET PERFECTIONE CARITATIS, QUA DEUS PROXIMUSQUE DILIGITUR.

DILIGAMUS Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. I Joann. IV, 19.

In præsenti epistola S. Joannes apostolus caritatem multipliciter nobis commendat. Primo, quoniam caritas inest et competit Deo : imo ipsemet Deus est caritas. Et quum tres theologicæ sint virtutes, fides, spes, caritas, sola tamen inter has caritas prædicatur de Deo : non univoce, nec essentialiter illa caritas quæ est theologica virtus, quum illa sit accidens. Tamen ex hoc ipso quod Deus appellatur caritas, elicitur caritatis perfectio supra fidem et spem. Ex eodem quoque concluditur, quod caritas dicit perfectionem simpliciter, nec in sua ratione imperfectionem includit, quemadmodum fides, quæ obscuram importat notitiam, et spes, quæ boni optati includit absentiam. Propter quod fides et spes proprie sumptæ, videlicet prout theologicæ sunt virtutes, nunquam fuerunt in Christo, nec in Beatis qui Deo fruuntur in patria, inveniuntur. Unde, ut ait Anselmus, quidquid absolute loquendo melius est inesse seu habere quam non inesse seu non habere, hoc competit Deo et prædicatur de eo, ut sapientia, justitia, caritas, bonitas, pietas, pax, etc. Si vero objiciatur prædictis, quod etiam in Scripturis Deus spes dicitur, juxta illud Psalmistæ, Domine, spes mea a juventute mea; dicendum, quod spes sumitur ibi pro bono sperato, puta pro suo objecto.

Ps. LXX, 5.

Secundo commendatur caritas, quia præ

ceteris cunctis virtutibus perfectius conjungit nos Deo, ita quod facit hominem habitare in Deo et Deum in homine, juxta *1 Joann.* IV, 16. verbum Joannis dicentis : Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Ecce quanta est dignitas caritatis, et quantum caritas ipsa dignificat hominem quem informat ; quam ineffabilis dignitas est hominis habitare in Deo, et Deum habere habitantem in se. Hinc dicit S. Thomas in secunda secundæ : Caritas mentem perfectissime Deo conjungit, et Deum, qui est actuum humanorum summa regula ac mensura, directe secundum quod in se est, immediate attingit. Idcirco est summa virtus : id enim quod est per se, est dignius illo quod est per aliud. Fides autem et spes nos non uniunt Deo, nec ipsum attingunt, nisi secundum quod ab ipso provenit nobis aliquid in hac vita, videlicet cognitio veri et adeptio boni. Sed his objici potest, quia etiam ratione fidei et spei dicitur Deus habitare in nobis, dicente Apostolo : *Ephes.* III, 16, 17. Deus det vobis secundum divitias gloriæ suæ, habitare Christum per fidem in cordibus vestris ; *Ps.* LXXXIII, 13. et Psalmista, Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. Sed nullus beatus est, nisi quem Deus inhabitat. Et respondendum, quod nec fidei nec spei competit istud nisi per caritatem, et non per se : ideo auctoritates prætactæ atque consimiles, intelligendæ sunt de fide formata et spe formata, non de informibus fide et spe.

Tertio caritas commendatur a suo effectu, quoniam aufert horrorem futuri judicii, et facit cum securitate et familiari fiducia præstolari diem tam particularis et proprii quam universalis et extremi judicii, imo et cum desiderio adspirare ad illud, *Ps.* XLI, 3. quemadmodum scriptum est : Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum ; quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? *Philipp.* I, 23. Unde Apostolus, Cupio (inquit) dissolvi : quod nullus rationabiliter cupit, qui trepidat judicari. Hinc sanctus dixit Martinus diabolo : Nihil in me, funeste, invenies ; Abrahæ me sinus suscipiet.

Quarto caritas commendatur, quia præ ceteris virtutibus Deo perfectius nos conformat. Nam ut divinus Dionysius scribit, *De Divin. nom.* c. IV. sol iste corporalis visibilis est evidens Dei imago : quoniam sicut sol iste absque prævia ratiocinatione et deliberatione, ex plenitudine suæ lucis universis suæ illuminationis capacibus radios suæ claritatis infundit, et unumquodque juxta suam capacitatem illustrat, replet et ornat ; sic sol invisibilis, Deus omnipotens, ex suæ bonitatis immensitate omni creaturæ bonitatem suam juxta illius capacitatem seu dignitatem communicat, et multa beneficia cunctis impendit, tam ingratis, perversis ac reprobis, imo et infidelibus, quam gratis, bonis ac electis. Hanc Dei bonitatem, liberalitatem et pietatem facit caritas infusa perfecta homines sequi, ita quod omnes caritate ista succensi, omnibus quod habent et sunt communicare parati exsistunt, omnium cordialissime optant salutem, et orant pro universis, omniumque deplorant peccata, ad inimicos et persecutores ac irrisores amorose, benigne ac dulciter afficiuntur ; et quanto majorem ab illis patiuntur injuriam, tanto plus condolent eis, et miserantur eorum insaniam, atque pro eis precantur. Ita caritas perfecta transformat cor in bonitatis affectum et in viscera pietatis ac suavitatis.

Quinto caritas commendatur ex delectatione spirituali sibi in actibus suis annexa. Nulla etenim virtus, nulla forma, tam prompte ac delectabiliter operatur ut caritas : ideo servilem timorem excludit. Nam timor ille pœnam habet etiam in hac vita annexam, quia cum labore et afflictione ac tædio abstinet ac retrahit a peccatis, eo quod solum serviliter timens diligat vitia, a quibus solo pœnarum terrore se abstrahit. Porro caritas amore dilecti inclinat et trahit ad bene agendum, detestaturque vitia et odit peccata, atque ad omne bonum honestum inducit. Ideo prompte ac dulciter operatur, et jugum Dei facit suave, *Matth.* XI, 30. onusque leve ; imo et in adversis facit gaudere et gratias agere, ac fateri

Rom. VIII, 18. illud Apostoli : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.

Sexto caritas commendatur, quia ad omnium observantiam præceptorum inducit. Qui enim veraciter diligit Deum, cupit ejus honorem, ideo ejus implet præcepta.

Quum ergo tam multipliciter commendabilis sit caritas sancta, eam totis viribus diligamus, quæramus, custodire, nutrire, perficere eam in nobis non negligamus ; I Joann. IV, 19. et juxta apostolica documenta, diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos. Quemadmodum etenim magnæ bonitatis et perfectionis est, inimicos et adversantes sincere et absque renisu diligere ; sic grandis duritiæ et detestandæ malitiæ est, diligentem et benefacientem non redamare. Et ecce quanta est iniquorum perversitas, ingratitudo, duritia, qui quum indesinenter beneficiis Dei utantur ac sustententur, imo et Dei omnipotentia conserventur in esse et tolerentur, nihilo minus ingratissimi exstant Domino Deo, nec prævia ejus dilectione ad redamandum emolliuntur.

Sed quæri hic potest, quid sit Deum diligere. Et respondendum, quod quum diligere sit alicui bonum velle, et summum bonum sit ipsemet Deus, idcirco Deum diligere, est Deo velle quod ipse est, volendo ei suam omnino immensam bonitatem, perfectionem, felicitatem, sapientiam, omnipotentiam, pulchritudinem, majestatem. Et quoniam Deo debetur a suis creaturis maximus honor ac congruus cultus, idcirco Deum diligere, est etiam velle et satagere ut ipse ab omnibus hominibus debite honoretur, jugiter et colatur. Propter quod asserit Augustinus, quod ille in Dei amore est major sive perfectior, qui plures trahit ad ipsius amorem. Sic itaque Deum fervide diligamus, et intima congratulatione ac complacentia velimus ei quod ipse est, et quod habet, atque quod ei debetur. Quod non facit nisi qui in primis personaliter Deum honorat, ei in omnibus obediendo, deinde verbis, orationibus, scriptis vel exemplis, ac virtuosis operibus, alios ad idem A trahendo secundum quod potest et status suus permittit aut exigit.

Præterea, quoniam sine dilectione proximi non potest haberi dilectio Dei, nequaquam omittamus omnes diligere proximos, quantumcumque perversos, adversarios sive incredulos : primo, quoniam Deus hoc jussit et exigit ; secundo, quia proximi omnes ad Dei imaginem et similitudinem sunt creati ; tertio, quia pro ipsorum salute occisus est Filius Dei, et adhuc capaces sunt fructus et meriti passionis B Christi ; quarto, quoniam aliter salvari non possumus ; quinto, quia per hoc magnam valde gratiam in vita hac promeremur, copiosam quoque in cœlo gloriam sortiemur ; sexto, quoniam Christus et Sancti omnes hoc nobis implendum suis ostenderunt exemplis, quia et Christus in cruce pendens pro suis intercessit crucifixoribus crudelissimis nimis.

Postremo quæritur circa prædicta, an caritas in hac vita possit esse perfecta. Et respondendum, quod caritas potest dici C perfecta, uno modo, ex parte diligibilis seu objecti, ut quum illud in tantum diligitur sicut diligibile exstat. Deus autem est pura infinitaque bonitas : idcirco est infinitæ amabilitatis. Et hoc modo caritas infusa non est nec esse potest perfecta in quacumque mente creata, nec in hac vita, neque in patria ; sed ipse supergloriosissimus Deus infinite amabilior est quam possit a creaturis amari, ipseque solus se ipsum perfecte amat. Secundo, caritas potest dici perfecta ex parte subjecti sive D amantis, quando videlicet aliquis secundum totum posse suum diligit Deum. Et hoc tripliciter accidit. Primo, dum aliquis toto corde indesinenter actualiter fertur in Deum. Et ista est perfectio patriæ, quæ in via haberi non potest propter infirmitatem vitæ humanæ, quoniam teste Scriptura, Corpus corruptibile aggravat animam, Sap. IX, 15. et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Secundo, contingit istud dum aliquis totum studium suum ordinat ad vacandum Deo et spiritualibus rebus, vitando ea quæ unionem mentis cum Deo A impediunt, scilicet exteriora et carnalia, voluntatemque propriam. Et ista est perfectio caritatis religiosorum et eorum qui evangelicæ legis servant consilia, perfectorumque hominum. Tertio, istud contingit dum quis totum cor suum habitualiter ponit in Deo, ita quod nihil Deo aut ejus præceptis contrarium velit aut cogitet cum consensu. Et ista caritatis perfectio, quæ tamen improprie appellatur perfectio caritatis, est omni caritatem habenti communis, et specialiter spectat ad eos qui B præcepta servare contenti sunt.

Ponitur quoque triplex gradus caritatis, videlicet incipientium, proficientium, perfectorum. Primo enim incumbit homini ut recedat a malo, et concupiscentiis pravis resistat : et hoc ad caritatem incipientium pertinet. Secundo incumbit homini principaliter occupari circa profectum in bonis : quod ad proficientium pertinet caritatem. Tertio spectat ad hominem ultimo fini, utpote Domino Deo, dulciter ac fervide inhærere et in ipso quiescere, ipsoque frui quantum huic statui est possibile : quod ad caritatem pertinet perfectorum.

Legitur in Vitaspatrum, quod quadam vice, sanctus abbas et eremita nomine Ammonius venit et visitavit S. Antonium. Quumque de Deo et spiritualibus rebus atque virtutibus loquerentur, S. Ammonius inter cetera dixit B. Antonio : Cur nomen tuum sic divulgatum est et famosum magis quam nomen meum, quum tamen omnia quæ tu facis faciam etiam ego? Jejuno enim, vigilo, oro, laboro ut tu. Respondit S. Antonius : Quia plus diligo Deum quam tu. Postmodum, moriente S. Ammonio, beatissimus pater Antonius vidit animam ejus ab angelis ferri in cœlum.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

HOMO QUIDAM ERAT DIVES, QUI INDUEBATUR PURPURA ET BYSSO. Luc. XVI, 19-31.

HODIERNO in evangelio ponit Salvator C terribile exemplum contra eos qui gulæ ac avaritiæ sunt subjecti, et opera misericordiæ non exercent. Et idem exemplum est consolatorium valde pro pauperibus et infirmis in hoc mundo despectis, qui in tribulationibus suis patientiam habent. Ait itaque Christus : *Homo quidam erat dives* in terrenis et exterioribus rebus, pauper in anima, quia virtutibus carens, imo pauperrimus, quoniam vitiis fuit plenus. Non ait Evangelista, quod istud sit parabola : ideo dicunt expositores, quod D vere sit res gesta. *Qui induebatur purpura :* quæ est regia vestis, qua utebatur pro gloria vana; *et bysso.* Byssus est vestis candidissimi atque mollissimi lini, in Ægypto dumtaxat nascentis. Bysso itaque induebatur ad carnem, propter byssi mollitiem. *Et epulabatur quotidie splendide,* id est crapulose et delicate, excedendo in ciborum ac potuum multiplici varietate, exquisita præparatione, consumptione pretiosa, in vasorum quoque pretiositate atque decore. Hunc divitem epulonem sequuntur nunc homines molles, carnales, voluptatis amatores magis quam Dei. Quibus dicit Jacobus : Epulati estis super terram, et in *Jacob.* v, 5. luxuriis enutristis corda vestra. Quibus timendum est illud Apostoli : Si secundum *Rom.* VIII, 13. carnem vixeritis, moriemini, morte utique damnationis æternæ. O quam multi enormiter excedunt in istis! quorum quum satisfactum fuerit naturæ, unius cibi aut duorum acceptione, jam tertium ferculum apportatur, sicque appetitus de novo ad gulam et voracitatem infeliciter provocatur. Tales divina illuminatione se reddunt indignos, propriam vitam abbreviant, sanitate se privant. Natura quippe paucis contenta est, et superfluitate obruitur atque gravatur. Ideo princeps Apostolorum : *I Petr.* II, 11. Obsecro (inquit) vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus. Non divitis epulonis, sed egeni et ulcerosi proprium nomen Christus expressit : quoniam pauperem istum per approbationem cognovit, et nomen ejus in libro vitæ seu prædestinationis æternæ habuit scriptum; divitem vero nescivit, id est, per approbationem non novit, quemadmodum Christus de reprobis loquens affirmat : *Matth.* VII, 23. Tunc confitebor illis, Quia nescio vos. Hinc Moysi viro electo ait Dominus : *Exod.* XXXIII, 17. Te ipsum novi ex nomine. Ecce quomodo alia sunt judicia Dei, alia mundi, et quomodo *I Cor.* III, 19. sapientia sæculi hujus stultitia est apud Deum. Certe apud hunc mundum immundum, hoc est apud homines carnales, mundanos, magis famosa et nota sunt nomina divitum ac potentium quam infirmorum ac pauperum; sed apud Deum est econverso. Hinc Unigenitus Dei testatur : *Luc.* XVI, 15. Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Porro, ex hoc quod Christus pauperem istum ex nomine certo designat, conjicitur istud esse res gesta, secundum Ambrosium. Itaque, quoniam divites nomina sua in hoc mundo magnificant *Ps.* XLVIII, 12. (juxta illud Psalmistæ : Vocaverunt nomina sua in terris suis), et se ipsos exaltando obliviscuntur Domini Dei sui, ideo Deus delet nomina eorum de libro vitæ, et obliviscitur eos. Hæc tamen intelligenda sunt de divitibus qui suis abutuntur divitiis, eas inordinate amando, vel avare servando, aut injuste expendendo, seu indebite ac impie acquirendo.

Qui jacebat ad januam divitis. Ex quo constat, quod infirmus ac debilis fuit; et dives se per ignorantiam excusare nequivit, quoniam intrans et exiens illum adspe- A xit. *Ulceribus plenus,* tanquam alter Job : ideo miserabilior erat, magisque impium fuit ei non subvenire. *Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat.* Ex quibus patent humilitas et patientia valde magna hujus leprosi, quia minima cupiebat, et eis fuisset contentus. Ex his etiam elicitur verbis, quod non solum hic dives, sed ministri quoque ipsius, duri immisericordissimique fuerunt, qui infirmo, egeno, famelico, tam parva negabant. Crudeles namque et immisericordes B domini, habere solent familiam sibi consimilem, juxta illud Ecclesiastici : Secundum *Eccli.* X, 2. judicem populi, sic et ministri ejus. Salomon quoque fatetur : *Prov.* XXIX, 12. Rex impius omnes ministros habet injustos. Subditi namque facere solent voluntatem superiorum suorum. *Sed et canes* divitis *veniebant, et lingebant ulcera ejus.* Sicque canes benigniores fuerunt pauperi huic quam dives et ejus familia. Canes quippe naturali magisterio linguæ suæ, ulceribus pauperis impendebant medelam, quem dives contra C naturale jus contempsit. Dives etiam suis canibus beneficentior fuit quam Lazaro. Et heu, quam multi usque hodie tales sunt, qui pauperes adspicere vix dignantur, aut ex eorum adspectu gravantur! Qui illud Jacobi advertant ac paveant : Judicium sine misericordia illi qui non *Jacob.* II, 13. fecerit misericordiam.

Factum est autem ut moreretur mendicus, id est, non casualiter, sed Deo sic disponente, contigit pauperem istum mori, ut liberaretur a miseriis vitæ præsentis. Deus D enim unicuique præfixit certum tempus vivendi, quemadmodum Job dicit Deo : Constituisti terminos ejus qui præteriri *Job* XIV, 5. non poterunt. *Et portaretur ab angelis,* id est, anima ejus ab angelis sanctis honorifice duceretur, *in sinum Abrahæ,* id est ad secretam illam quietem Sanctorum in limbo patrum, quæ per sinum Abrahæ designatur. Per sinum namque quies exprimitur : qui dicitur Abrahæ sinus, non quod ipsius fuerit tantum, aut quod ipse primus in limbum illum descendit, sed quoniam ipse specialiter pater credentium multarumque gentium appellatur, secun- *Galat.* III, 7. dum illud ad Galatas : Qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Laudatur etenim Abraham specialiter de magnitudine fidei suæ. *Rom.* IV, 18, 19, 21. Propter quod dicit Apostolus, quod contra spem in spem credidit, et quod non est infirmatus in fide, sed plenissime credidit. Hinc ait Augustinus : Sinum Abrahæ intelligo remotam sedem quietis atque secretam, ubi exstitit Abraham : quæ ipsius dicta est, non quod ipsius sit solum, sed quoniam ipse ibi multarum gentium pater est positus, quibus est ad imitandum fidei principatum præpositus. Verumtamen, secundum Petrum Ravennensem, dicitur sinus Abrahæ, propter hospitalitatis officium, in quo Abraham fuit excellens, ita quod et nunc se beatum quasi non crederet, si a suo cessaret hospitalitatis officio. Præterea, quoniam Abraham nunc de limbo inferni ad cœleste translatus est regnum, nunc per sinum Abrahæ significatur quies Sanctorum in patria. Unde *Cf.* p. 129 D. S. Martinus dixit : Abrahæ me sinus suscipiet. Ecce quam salubre est in sæculo isto egere, infirmari, contemni, dummodo *Jacob.* I, 4. propter Deum patienter quis ferat. Patientia equidem opus perfectum habet. Et utique ad deportationem animæ Lazari unus suffecerat angelus, sed ut ait Chrysostomus, multi angeli advenerunt, ut chorum lætitiæ facerent, et pauperis animam abundantius consolarentur ac honorarent. Merito quippe huic egeno angelica exhibebantur obsequia, cui negata erant humana.

Mortuus est autem et dives, morte naturæ, qua anima separatur a corpore, et morte culpæ, qua separatur a Creatore, morte quoque infernalis miseriæ, qua separatur anima a superna felicitate; *et sepultus est in inferno :* id est, anima ejus in profundo infernalium collocata est tormentorum, et infra terram quasi in tumu- *Ezech.* XXXII, 18 et seq. lo clausa, sicut in Ezechiele propheta sepulcra regum Ægypti et Assur ac aliorum dicuntur in inferno consistere in gyro eorum. Ibi sepeliuntur parochiani diaboli. A Quemadmodum autem parochianus Dei vocatur, qui ejus Baptismo intinctus est, eique primitias solvit ac decimas, et Horas ejus ac Missas audit libenter, propter quod moriens dignus est in ipsius cœmeterio sepeliri, videlicet in terra consecrata, quantum ad corpus, atque in cœlo constitui quantum ad animam; sic parochianus fertur diaboli, qui aquis concupiscentiarum intingitur, et primitias seu exordia operum suorum offert diabolo, agens quæ ei sunt placita, bonaque temporalia B vitiose consumit, et cantilenis mundanis, verbis scurrilibus, detractoriis et iniquis quasi diaboli Horis intendit : ideo moriens sepelitur in cœmeterio infernali, sepultu- *Jer.* XXII, 19. ra asini, hoc est sine honore. Merito ergo ait Psalmista : Mors peccatorum pessima; *Ps.* XXXIII, 22. et iterum : Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. *Ps.* XLVIII, 15.

Porro infernus quatuor modis accipitur, secundum quod quatuor erant loca inferni. Primo, pro loco damnatorum, qui est infimus locus inferorum : de quo ait Pro- C pheta, In inferno autem quis confitebitur *Ps.* VI, 6. tibi? Secundo, pro loco purgatorii : sicque orat Ecclesia, Domine Jesu Christe, libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni. Tertio, pro limbo puerorum, id est infantium ab originali peccato non mundatorum. Quarto, pro limbo patrum, qui fuit superior locus inferni : ad quem limbum Christus descendit; ad quem etiam limbum descenderant animæ puerorum ab originali peccato purgatorum; animæ quoque satis punitæ ingrediebantur limbum D illum usque ad tempus dominicæ resurrectionis.

Elevans autem oculos suos interiores, id est, altiora considerans : nempe quum sola divitis anima fuerit ibi, corporales oculos nec habuit nec levavit; *quum esset in tormentis* damni et sensus, videlicet in carentia beatificæ visionis Dei, atque in sensibilibus suppliciis tartari. Est enim in illis æternaliter condemnatis valde multiplex dolor, ex horribili dæmonum visione, ex certa gravioris pœnæ futuræ exspectatione, quia post generalem resurrectionem A punientur in anima et corpore, ex verme conscientiæ, ex certa cognitione irrecuperabilis suæ damnationis, et desperatione omnis salutis. Nec tantum torquentur ab igne tartareo, quantum puniuntur in mente, eo quod sciunt nunquam se liberandos, ut scribit Albertus. *Vidit Abraham a longe,* id est, consideravit eum esse in loco alte super se posito : quia non solum dissimilitudine, sed et locali distantia inter se distabant loca præfata, videlicet limbus patrum, infernusque damnatorum. Itaque B huic diviti condemnato intellectum dedit vexatio. *Is.* xxviii, 19. Propter quod ait Gregorius : Oculos quos clausit hic culpa, ibi aperuit pœna. In hac etenim vita pravis delectationibus mente cæcatus, non consideravit supplicia impiorum ac gaudia Beatorum. *Et Lazarum in sinu ejus,* id est, in præfata quiete et certa exspectatione felicitatis æternæ, in qua Abraham fuit.

Quocirca scribit Gregorius, quod damnati usque ad diem judicii Sanctos super se attendunt et vident in gloria, non autem C post diem judicii. Quod qualiter intelligendum sit, Lyra majorum judicio se committere perhibet; et addit, quod ex hoc loco non habetur sufficiens argumentum quod damnati videant gloriam Beatorum usque ad diem judicii, ut sonare videntur verba Gregorii, quia Salvator narrat hic rem gestam ante suam passionem, quando Abraham nondum fuit in gloria. Sed Nicolaus de Gorra aliquo modo elucidat verba Gregorii, dicens : Videre requiem seu gloriam Beatorum contingit dupliciter D : primo in generali, ita ut damnati cogitent Sanctos esse in quiete et gloria, sed in quali non vident; secundo in particulari, ita quod videant qualis sit gloria electorum. Primo modo reprobi usque ad diem judicii vident gloriam Beatorum, non autem secundo modo. Nec tamen de hujusmodi visione lætantur, sed contristantur, tam ex alienæ felicitatis invidia, quam ex illius quietis carentia. Post diem vero judicii, ita ad proprias pœnas eorum consideratio reflectetur, quod de gloria Sanctorum non cogitabunt.

Sed contra hæc objici posset, quia in reprobis etiam post diem judicii in æternum permansura est pœna damni, quæ ex consideratione est felicitatis amissæ : ergo et post judicium cogitabunt iniqui de felicitate cœlesti, quam scient se amisisse et electos obtinuisse. Præterea, quidquid ad augmentum cumulumque miseriæ pertinet, post diem judicii in reprobis permanebit, potiusque augebitur quam minuetur : si ergo prætacta visio gloriæ electorum auget miseriam damnatorum, deberet præsertim post diem judicii in eis manere. Insuper Thomas super quartum Sententiarum affirmat, quod consideratio eorum quæ miseriam possunt augere, permanet in damnatis, nec vehementia pœnæ illorum considerationem illam absorbet : si itaque consideratio beatitudinis electorum auget tristitiam reproborum, manebit in æternum in eis, nec per vehementiam pœnæ tolletur. Postremo multorum damnatorum pœna major est nunc, quam quorumdam damnatorum pœna post diem judicii erit. Si ergo horum pœna non impedit eos ante judicium a visione gloriæ electorum, ergo pœna illorum post diem judicii, minus impediet eos post horam judicii a visione hujusmodi. Posset etiam addi, quod multi reprobi in hac vita agnoscunt gloriam Beatorum consistere in clara per speciem visione divinæ essentiæ : ergo et post mortem positi in inferno poterunt hoc cogitare, et qualis sit gloria Beatorum in speciali pensare, præsertim quum cogitatio talis esset in eis calamitatis augmentum. Multa similia possent hic introduci, quæ potius pertranseunda opinor, ne incerta pro certis conscribam.

Et ipse clamans : juxta illud Isaiæ, Clamabitis *Is.* lxv, 14. præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. Verumtamen iste clamor spiritualis fuit atque interior, utpote affectio vehemens. *Dixit : Pater Abraham.* Patrem vocat, cujus virtutes imitari neglexit : idcirco indignus fuit eum vocare patrem, quamvis carnalem ab eo sumpsit originem. *Joann.* VIII, 39, 44. Unde Christus ait Judæis : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite; vos ex patre diabolo estis. Itaque si dives iste in pauperes pius, liberalis ac hospitalis fuisset, Abraham merito patrem vocasset. *Miserere mei.* Quum damnati sint in vitiis obstinati, nec unquam vere pœniteant, quomodo sibi optant ac postulant misereri? Dicendum, quod de peccatis suis non pœnitent in quantum sunt offensiva Dei et deformitatem habentia, sed in quantum sunt eis causa tanti supplicii. Sed et dives iste petiit sibi misereri quantum ad pœnæ mitigationem, non quantum ad culpæ ablationem. Nam addidit :

Et mitte Lazarum, id est, dirige eum ad me, *ut intingat extremum digiti sui in aquam,* id est, ut saltem modicum quid subventionis seu relevaminis mihi impendat. Christus autem hoc loco, spiritualia per corporalia metaphorice exprimit, ut communitas plebis intelligat, quæ spiritualia in sua simplicitate non capit. *Et refrigeret linguam meam :* in qua quoniam magis peccavit, tam per delectationes gustus in cibis ac potibus, quam per verba inania, quæ abundant in crapula, ideo magis petivit relevamen suæ pœnæ in lingua. *Sap.* XI, 17. Per quæ enim quis gravius peccat, per hæc et in his magis punitur. *Quia crucior in hac flamma.* Qualiter incorporei spiritus ab igne corporeo affligantur, Gregorius in Dialogo, Augustinus super Genesim, et doctores scholastici super quartum Sententiarum describunt. Communis vero responsio est, quod ignis ille, in quantum divinæ instrumentum justitiæ spiritus torquet damnatos, quemadmodum aqua Baptismi agit in animam ut divinæ misericordiæ instrumentum.

Et dixit illi Abraham. Secundum Augustinum, quod in corporalibus facit situs, hoc in spiritualibus agit ordo. Idcirco locutio animarum et angelorum ad invicem, intelligenda est fieri per conversionem eorum ad invicem spiritualem. *Fili,* carnis propagatione, non virtutum imitatione, *recordare quia recepisti bona* temporalia, divitias, delicias et honores, *in vita tua* super terram transacta : in qua si aliquid de genere operum bonorum egisti, mercedem tuam ultra condignum sortitus es. Nullum enim bonum pius justusque Deus irremuneratum relinquit. *Et Lazarus* in vita sua recepit *similiter mala* pœnalia, utpote paupertatem, infirmitates, famem, sitim, opprobria et contemptum, per quæ culpæ ejus quotidianæ quasi per ignem purgatæ sunt. Pauperes ergo, et si defectuosi appareant, non tamen spernendi sunt, quia fortassis pro culpis suis in hac vita castigantur et purgantur a Deo per eam quam sustinent paupertatem. Porro divitibus, etiam si boni sint, omnino timendum est ne forsan pro bonis quæ agunt, in præsenti a Deo remunerationem accipiant. Hinc Gregorius Boetiusque testantur, quod quamvis occulta sint Dei judicia, dum reprobis prospera, et electis adversa in præsenti eveniunt vita, secretiora tamen sunt, dum electis prospera, ac reprobis nunc contingunt adversa. Magis itaque in adversis quam prosperis est gaudendum. Propter quod Jacobus ait: Omne gaudium existimate, fratres, quum in varias tentationes incideritis. *Jacob.* I, 2.

Nunc autem hic consolatur in certa exspectatione felicitatis æternæ, *tu vero cruciaris* cruciatu perpetuo. Quemadmodum autem omnis delectatio vitæ præsentis momentanea est comparatione beatitudinis sempiternæ, ita et omnis afflictio in hac vita momentanea est, si ad retributionem comparetur futuram. Potius ergo eligamus cum Lazaro nunc adversitatibus exerceri, et per eas purgari, ut post vitam hanc a Deo misericordiam consequamur, quam cum divite prosperari, ne æternaliter condemnemur : quemadmodum ad Hebræos Apostolus scribit de beatissimo Moyse, quod magis elegit cum populo Dei affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem; adspexit enim in remunerationem. *Hebr.* XI, 25, 26.

Et in his omnibus, id est inter ea quæ pertinent ad hujus rei de qua profamur materiam, *inter vos et nos chaos magnum,* id est grandis distantia meritorum ac statuum tenebrosique loci, *firmatum est,* id est irremovibiliter constitutum rigore divinæ justitiæ, quæ post vitam præsentem non dat pœnitentiæ locum, secundum legem communem; *ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint,* hoc est, vobis auxiliari non valeant. Sancti quippe post vitam hanc ita sunt divinæ conformati justitiæ, quod damnatis subvenire nec possunt nec volunt, loquendo de voluntate deliberativa et practica : quamvis voluntate naturalis cujusdam pietatis, eis, præsertim propinquis et benefactoribus ac olim carissimis, succurrere vellent, si esset possibile. Istud vero non posse, eorum beatitudini non repugnat; sicut et non posse peccare, eorum potestati et libertati non derogat. — Quæritur, an Beati possint in infernum descendere, et an poterunt hoc corporibus reassumptis et glorificatis. Et videtur quod imo, quoniam Augustino atque Anselmo testantibus, quocumque esse voluerit spiritus, obediet protinus corpus per dotem agilitatis ; nec corporum spissitudo obstabit, neque distantia ulla impediet. Et respondendum, quod possunt et poterunt quandocumque voluerint. Nec obstat quod dicitur hic, « inter vos et nos chaos magnum firmatum est, ut qui volunt hinc transire ad vos, non possint », quia hoc intelligendum censetur de transitu ad subveniendum. Hoc etiam dictum fuit antequam Sancti in limbo detenti felicitatem adepti sunt.

Neque inde huc transmeare, hoc est, damnati ad locum et societatem Sanctorum non queunt ascendere, quia non pœnitent; sed inconvertibiliter in illa manent aversione et prava affectione, in qua recesserunt a corpore, juxta illud Ecclesiastæ : Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Hinc, secundum Damascenum, quod angelis est ruina, hoc hominibus est mors. Dicit autem Gregorius, dubium A nullum esse quin damnati vellent ad locum atque consortium Beatorum ascendere, si esset possibile.

Eccle. XI, 3.

Sed contra hoc argui potest, quia secundum hoc, damnati non manerent in aversione sua a Deo, neque in prava affectione qua se ad carnalia et caduca finaliter converterunt. Præterea, tam vehementissime odiunt Deum, quod non cupiunt ei uniri, nec esse cum ipso. Thomas quoque allegat Augustinum dicentem, quod damnati non cupiunt veram felicitatem, sed detestantur B omne bonum honestum, quum sint obstinati in malo. Insuper, S. Brigitta in Revelationibus suis scribit, quod anima quædam perversa, tribunali Christi oblata, dixit ad eum : Quamvis possem salvari, tamen non vellem, ne tu consolationem aut gaudium habeas de me. Cui alludens qui adstabat diabolus : Talis (inquit) etiam mea voluntas est. — Ad hæc breviter respondetur, quod sicut damnati maluerunt in hac vita frui bonis creatis, caducis et vanis, quam summo et incommutabili bono; C ita æternaliter post hanc vitam manet in eis hæc perversa voluntas, mallentque turpiter delectari, quam Deum sinceriter contemplari. Nihilo minus tanta eorum est afflictio, quod mallent cum Beatis esse in cœlo, quam cruciari taliter in inferno, in quantum per hoc suas evaderent pœnas, et proprium commodum consequerentur, non in quantum hoc esset ad honorem et gloriam Dei. Sicque per hæc facile est quæ allegata sunt concordare.

D Præterea præinductis objici posset, quod quidam Sanctorum leguntur quosdam in mortalibus peccatis defunctos ab inferis liberasse, sicut et S. Martinus quemdam suscitavit a mortuis, qui laqueo se suspendit; damnati quoque frequenter leguntur vivis apparuisse. Et respondendum, quod nullus per sententiam definitivam damnatus, liberari potest aut egredi de inferno tanquam non reversurus in illum; verumtamen per dispensationem divinam potest ad tempus exire ac apparere : imo in die judicii omnes exibunt, mox infelicius rui- A turi in pristinum lacum.

Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum, scilicet Lazarum, *in domum patris mei : habeo enim quinque fratres ; ut testetur,* id est, firmiter dicat, *illis* ac prædicet pertinentia ad salutem et quid mihi acciderit; *ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum,* scilicet in infernum, qui ut sanctus Job ait, est terra tenebrosa, et operta mortis caligine, terra miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. B Cœlum autem locus est gaudiorum, et mundus iste locus est meritorum ac demeritorum, tristitiarum ac consolationum. Denique dives damnatus ista petivit nequaquam ex caritate, sed ex servili timore, ne sua augeretur afflictio ex fratrum suorum damnatione, quorum socius fuit in vitiis, quibus et vitiosæ vitæ reliquit exempla, materiamque peccandi. *Et ait illi Abraham : Habent Moysen et Prophetas,* hoc est libros Moysis et Prophetarum, in quibus de credendis et agendis ac C vitandis docentur; *audiant illos* auribus cordis, id est, obediant eis.

Job x, 21, 22.

At ille dixit : Non, pater Abraham, id est, Moysen et Prophetas non audiunt. Ista dives iste damnatus agnovit ex recenti sensatorum memoria, seu conjectura, ex consideratione sui judicando de aliis. Porro, ex eo quod Abraham de fratribus divitis dixit, « Habent Moysen et Prophetas », elicitur quod dives iste ac fratres ipsius Israeliticæ stirpis fuerunt. *Sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent,* quia ex inconsueta apparitione et exhortatione ipsis specialiter facta, fortius movebuntur. Sed frequenter contingit oppositum : nam et hujusmodi apparitiones sæpe judicantur phantasticæ; et quamvis ad horam aliquos moveant, multoties tamen tempore procedente, parum fructificant.

Hinc subditur : *Et ait illi* Abraham : *Si Moysen et Prophetas,* qui tantæ sanctitatis et auctoritatis fuerunt, *non audiunt,* obediendo eorum documentis ac jussis, *neque si quis ex mortuis resurrexerit,* et ad eos transierit, *credent* ei, præsertim credulitate procedente in actus virtutum usque in finem. Unde Judæi, tempore Christi, Lazaro fratri Mariæ et Marthæ suscitato non solum non crediderunt, sed eum insuper occidere decreverunt, prout apud Joannem legitur. Mortuis quoque, qui resurrexerunt cum Christo, et multis in sancta civitate Jerusalem apparuerunt, Christum resurrexisse testantibus, non crediderunt obstinatissimi illi Judæi, sed nec Christo tot miraculis coruscanti.

Joann. XII, 10.

Matth. XXVII, 52, 53.

SERMO SECUNDUS

CONTRA PROSPERITATEM MUNDANAM, ET DE CONTEMPTU HUJUS MUNDI.

VÆ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Luc. VI, 24. D

Hæc est veritas et doctrina sapientiæ christianæ, quod propter primorum parentum primordiale peccatum tota eorum posteritas paradiso terrestri expulsa est, cœlestis quoque paradisi felicitate et gloria fuit privata, sed per Christi passionem redempta est. Quoniam itaque peregrini sumus in sæculo isto, videlicet a terrestri paradiso ejecti, et ad cœlestem paradisum pergentes, oportet ut instar peregrinorum et exsulum nos habeamus, si ad cœlestis paradisi patriam pertingemus. Porro peregrini et exsules non diu in uno loco quiescunt; et gravia onera ferre devitant; ad

I *Par.* XXIX, 15.

patriam suam suspirant; de recta via inquirunt; ne spolientur aut capiantur, vel a latronibus trucidentur, solliciti sunt; bonam et expeditam societatem libenter habent; ita se vestiunt, alunt, repausant, et de expensis sic provident, ut ad itinerandum sint expediti. Omnes has proprietates habere debet quilibet Christianus, quum sit viator ad patriam tendens cœlestem.

Primo igitur, sicut peregrinus non diu in uno quiescit loco, sed solum tamdiu ut corporis sui necessitas aut alia rationabilis exigit causa; sic quilibet Christianus non diu in una et eadem mentis dispositione debet persistere, sed omni hora in exercitiis virtutum proficere, in caritate Dei et proximorum magis ac magis fervere, in omni gratia crescere, ut quotidie humilior, mitior, patientior devotiorque consistat, *Philipp.* I, 9, 10. quemadmodum scribit Apostolus : Caritas vestra magis ac magis abundet, ut probetis potiora, et sitis sinceri et sine offensione. Sicut enim homo non diu potest subsistere in una corporis dispositione, sed in mutatione et alteratione exstat con- *Job* XIV, 1, 2. tinua, juxta illud Job, Homo quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet; ita nec in una mentis dispositione diu subsistere valet, sed aut spiritualiter proficit, atque cœlesti patriæ proficiendo propinquat, aut spiritualiter deficit, retrocedit et cadit, et deficiendo propinquat inferno. Unde, secundum sanctos Patres, in via Dei, hoc est in divino obsequio exercitiisque virtutum et caritatis fervore, non proficere, est deficere. Hinc necessaria est homini grandis ac timorata cordis custodia, et circumspectio jugis in omnibus, *Mich.* VI, 8. ut semper coram Deo sollicitus sit ne eum offendat, vitamque suam prudenter consideret, examinet et gubernet. Ideo sanctus *Job* IX, 28. Job dixit : Verebar omnia opera mea, sciens, o Domine, quod non parceres delinquenti. Et in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* XXVII, 4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est virtutum structura exsistens in te. Merito A itaque ait Scriptura : Sapiens in omnibus metuit. *Eccli.* XVIII, 27.

Secundo, instar peregrini debet quilibet Christianus abjicere onera quæ eum a processu virtutum et ab appropinquatione ad cœlestem impediunt patriam. Hæc autem onera, sunt sollicitudines sæculares, terrenæ affectiones, et ipsæ res temporales, nisi quis eis valde ordinate utatur : quod prorsus difficile est, et vix uni de mille videtur competere. Non ergo sit Christianus pro temporalibus immoderate sollicitus, B sed confidat in Domino; et prima ac maxima cura sua sit, ut fiat dives in anima per opera virtuosa, et ne ab æternæ beatitudinis adeptione per quæcumque temporalia impediatur, nec ad terrena et sensibilia inordinate afficiatur, sed dumtaxat in tantum quantum sibi utilia aut necessaria sunt ad virtuose vivendum. Hinc hortatur Apostolus : Habentes victum et *1 Tim.* VI, 8. quibus tegamur, his contenti simus; et rursus : Deponentes (inquit) omne pondus et *Hebr.* XII, 1, 2. circumstans nos peccatum, per patientiam C curramus ad propositum nobis certamen, id est ad pugnam contra aciem vitiorum ac dæmonum, adspicientes in auctorem fidei Jesum; qui ut suis fidelibus daret plenum exemplum contemnendi carnalia et terrena, præsertim quoad superfluitatem eorum, tantam elegit, assumpsit ac tenuit paupertatem, quod non habuit ubi *Matth.* VIII, 20; *Luc.* IX, 58. caput reclinaret. Non ergo digni sunt a Christo vocari Christiani, sed potius pagani censendi sunt, qui terrenis et temporalibus toto inhiant corde, et de veris spi- D ritualibusque divitiis animarum, videlicet de gratia, caritate, virtutibus donisque Spiritus Sancti, aut parum aut nihil solliciti sunt ut eas habeant aut conservent.

Tertio, debet quilibet Christianus instar peregrini ad cœlestem patriam adspirare, æternam beatitudinem totis præcordiis affectare, societatem civium supernorum, videlicet angelorum sanctorum et omnium Beatorum, præ cunctis bonis sæculi hujus incomparabiliter desiderare, ut cum sancto Psalmographo dicere possit : Quemad- *Ps.* XLI, 2, 3.

modum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Consideremus ergo brevitatem, incertitudinem, fallacias, pericula, vitia atque miserias vitæ præsentis; contemplemur etiam æternitatem, securitatem, sanctitatem ineffabilemque lætitiam supernæ felicitatis : et ita vilipendemus vitam hanc labilem, ærumnosam; beatitudinem quoque cœlestem, perpetuam, inæstimabiliter gaudiosam, amorosis cupiemus suspiriis, et pro ea orationes lacrimosas fundemus, *Ps.* CXIX, 5. cum Propheta dicentes : Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est, id est, habitatio mea in valle hac lacrimarum, a cœlesti habitatione felici longe est distans sive dilata. Ex tali affectu dixit Apostolus: *Rom.* VII, 24. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Unde, secundum Gregorium, cœlestem illam beatitudinem nullus condigne desiderat, nisi qui pro ea quotidie cum lacrimis orat. Sed, proh dolor! aliqui fide nuda et nomine solo Christiani, ita carnali excæcantur amore, ut dicant se velle libenter beatitudine carere cœlesti, et Deo relinquere regnum suum cœleste, si possent in hac vita perpetuo permanere et temporali prosperitate gaudere. Hi tales miseri sunt et corde obtenebrati, atque in statu damnationis exsistunt, quia eorum mens plus afficitur ad creata, mundana, carnalia, quam ad Creatorem et ad bona spiritualia, perpetua ac superna. Unde verificatur de eis illud Apostoli ad *Ibid.* I, 21. Romanos : Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ; illud quoque *Ps.* XLVIII, 13, 21. Psalmistæ : Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Quarto, debet quilibet Christianus instar peregrinorum, de recta via ad cœlestem patriam perducente diligenter a peritis inquirere, ut regia via incedat, id est per opera veraciter virtuosa, quæ sale ac A luce discretionis sunt rectificata atque condita, et neque ad dexteram nec ad sinistram, ut nec medium rationis excedat, neque ab eo deficiat, sed juxta doctrinam Apostoli, rationabile sit obsequium suum. *Rom.* XII, 1. Denique duæ sunt viæ ducentes ad Deum patriamque cœlestem. Una est via præceptorum, id est divinorum et ecclesiasticorum observatio mandatorum : de qua ait Salvator, Si vis intrare ad vitam, serva *Matth.* XIX, 17. mandata. Hæc via est omnibus necessaria ad salutem. Alia est via seu observatio B evangelicorum Christi consiliorum : et ista via perfectior est atque salubrior. Itaque simpliciores et minus eruditi ac minus experti in vita spirituali tentationibusque diaboli, informationem quærere debent a spiritualibus, sapientibus et exercitatis, præsertim in dubiis et tempore tentationis. Hinc in Ecclesiastico habetur : Fili, a *Eccli.* VI, 18, 35. juventute accipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam; in medio presbyterorum sapientium sta, et ex corde sapientiæ illorum conjungere. Sed et Jere- C mias dicit : Interrogate quæ sit via bona, *Jer.* VI, 16. et ambulate in ea; et invenietis requiem animabus vestris.

Quinto, quilibet Christifidelis instar peregrinorum debet valde ac incessanter esse sollicitus ne ab infernalibus latronibus, id est dæmonibus, seu pravis hominibus, seu propriis concupiscentiis, spolietur virtutibus spiritualiterque necetur, hoc est, ne ab aliquo horum ad peccandum mortaliter inducatur. Idcirco, jugiter invocandum est Dei auxilium, et Dei præcepta ac docu- D menta semper in mente habenda sunt, ne ab illis homo divertat. In medio equidem laqueorum, in medio invisibilium hostium ambulamus : idcirco oportet nos undique esse armatos prudentia et virtutibus, et omni custodia cordis, juxta illud Habacuc, Super custodiam meam stabo. *Habac.* II, 1. Unde et Aggæus jubet : Ponite corda vestra super *Agg.* I, 5. vias vestras, id est, considerate prudenter opera vestra, an vere Deo sint placita. Quædam enim habent apparentiam boni, et tamen sunt vitiosa, quemadmodum Sa-

Prov. xvi, 25. lomon contestatur : Est via quæ videtur A homini bona, et novissima ejus ducunt ad *Ephes.* vi, 10, 11. mortem. Propterea scribit Apostolus : Confortamini in Domino, et induite armaturam Dei, id est virtutes, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

Sexto, debemus instar peregrinorum quærere, et libenter habere, stabiliterque tenere bonam societatem, hoc est, homines virtuosos habere consortes in via salutis, et talibus nos associare, quorum verbis et actibus ædificemur, quorum et precibus adjuvemur, et quorum societate B sanctificari possimus, juxta quod scriptum *Ps.* xvii, 26. est : Cum sancto sanctus eris, et cum innocente innocens eris. Multum enim valet bona et virtuosa societas, quia ut Sa- *Prov.* xviii, 19. lomon loquitur : Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas est munita. In Eccle- *Eccli.* vi, 36. siastico quoque habetur : Quum videris sensatum, statim evigila ad illum. Et quantum prodest virtuosa societas, tantum nociva est societas prava, quum scriptum *Ps.* xvii, 27. sit : Cum perverso perverteris. Et Salomon *Prov.* xiii, 20. ait : Amicus stultorum similis illis erit. C II *Thess.* iii, 6. Hinc dicit Apostolus : Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. Non ergo pigris, sed fervidis in via virtutum nos applicemus, quorum exhortationibus atque exemplis quotidie accendamur.

Septimo, debemus nos instar peregrinorum ita vestire ac enutrire, et nobis taliter providere, ut expediti simus ad progrediendum in via salutis, id est ad proficiendum in omni virtute, ad orandum devote, ad contemplandum sincere, ad diligendum ferventer Deum præ omnibus, deinde et D proximos. Porro, taliter se enutrire atque vestire, est sobrie vivere et simplici esse vestitu contentum, quemadmodum sacra- *Luc.* iii, 11. tissimus Christi præcursor edocuit : Qui habet duas tunicas, id est unam superfluam, det non habenti. Qui autem quotidie ditior fieri cupit, insipienter se gravat, et ab itineratione salubri variis se impedit I *Tim.* vi, 9. modis, dicente Apostolo : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et laqueum diaboli, et desideria multa nociva, quæ mergunt hominem in perditionem.

Ecce juxta has proprietates peregrinorum et exsulum ambulare et conversari nos oportet, et mundana despicere, atque in veris animarum divitiis abundare, non in temporalibus prosperitatem appetere, sed necessariis et utilibus contentari, non in superfluis gloriari.

Postremo aliqui opinantur quod dives de quo in præsenti evangelio sermo est, fuit Nabal, de quo primo Regum habetur : I *Reg.* xxv, 2 et seq. quod prorsus incertum est, quamvis ex aliquibus quæ ibidem de Nabal scribuntur, apparentiam possit habere. Hinc de Nabal illo jam aliquid tangam. Fuit itaque Nabal locuples valde, immisericors et crudelis. Quumque quadam die tonderentur oves ipsius, et ipse præparasset sibi et suis convivium quasi convivium regis, sanctus David, qui tunc cum multis sibi adhærentibus fugiebat a facie Saul regis ipsum injustissime persequentis, misit aliquos ex servis suis ad Nabal, modeste atque humiliter petens sibi ac suis aliquid ciborum destinari a Nabal. Qui statim servis David superbissime insipientissimeque respondit, dicendo : Quis est David, et quis est filius Isai? Hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos. Hac responsione audita, David cum adjutoribus suis perrexit ut percuteret impium Nabal. Quo cognito, uxor Nabal, femina pulchra, eloquens, bona valdeque prudens, properavit in occursum David, deferens ei necessaria vitæ satis abunde ; et verbis sensatis, humilibus et benignis flexit placavitque eum. Deinde post octo circiter dies Deus percussit Nabal propter suas perversitates, et obiit.

Vitemus itaque vitia divitis de quo in evangelio isto loquitur Christus, ejus videlicet carnalitatem, gulam, curiositatem, immisericordiam, cupiditatem, ne simul cum eo æternaliter pereamus.

SERMO TERTIUS

CONTRA IMITATORES DIVITIS EPULONIS, ET CONTRA VITIA EJUS.

VÆ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Luc. vi, 25.

Secundum quod Christus Filius Dei in Matth. vii, 14. Evangelio docet, arcta est via quæ ducit ad vitam. Et hæc arcta via, est conversatio pœnitentialis ac virtuosa, ut scilicet pro peccatis nostris quotidie nos affligamus et corpora castigemus, sicque per pœnitentiæ opera Deo pro illatis sibi injuriis satisfacere pro posse conemur. Ideo sobrie, non crapulose, vivere obligamur, quem- Luc. xxi. 34. admodum rursus ait Salvator : Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate.

Nunc ergo pensemus propter quæ peccata fuerit dives iste damnatus. Et dicendum, quod primo notatur ac reprehenditur de avaritia. Non enim displicuit Deo quoniam dives fuit, quum et Deus summe dives exsistat. Unde, quemadmodum in Job Job xxxvi, 5. asseritur, Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens; sic dicere possumus, Deus divites non abjicit, quum et ipse sit dives. Atque ut libro de Civitate Dei asserit Augustinus, Deus est dives non pecunia, sed omnipotentia. Verum idcirco displicuit dives hic Deo, quia divitias suas excessive amavit, avare tenuit, immoderanter ac voluptuose consumpsit, indigentibus non communicavit. Non ergo divitiæ sunt in culpa, sed inordinatus amor et abusus earum. Propter quod ait Ambrosius : Non in facultatibus crimen est, sed in his qui eis male utuntur. Nam divitiæ, sicut impedimenta sunt improbis, ita bonis adjutorium sunt virtutis. Hinc ait Prophe- Ps. lxi, 11. ta : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Super quæ verba loquitur Augustinus : Qui non habet divitias, non cupiat eas; qui habet, non superbiat. Et non dicit A Propheta, Nolite habere divitias, sed, Nolite cor apponere : non enim damnat divitias, quibus promereri possumus regnum cœlorum, sed cor appositum, quod divitias non bene expendit, sed avare recondit.

Sed tunc diligenter quærendum est, cur Christus verbis et exemplo tam specialiter ac frequenter docuit divitiarum contemptum, paupertatemque commendavit. Et respondendum quod ideo, quia valde difficile est ac rarum divitiis bene uti, et per eas a Deo ac virtutum profectu non impe- B diri. Nam et ipse Salvator in Evangelio protestatur : Quam difficile qui pecunias Marc. x, 23; habent, intrabunt in regnum cœlorum! Luc. xviii, 24. Augustinus quoque : Difficile (inquit) est ut non sit superbus qui dives est. Imo Chrysostomus loquitur : Divitiarum sequela, est luxuria, ira intemperata, arrogantia, gula, et omnis irrationabilis motus. Sed et Valerius scribit : Dives in superfluitatem resolvitur, jactantia effrenatur, currit ad libitum, et corruit ad illicitum ; fiuntque ei instrumenta pœnarum, quæ C fuerunt oblectamenta culparum. Qui ergo divitias amat, congregat aut reservat, maximis se involvit periculis. Denique, quum ad præfata peccata proni sint divites, congruentissime scribit Apostolus Timotheo : Divitibus hujus sæculi præcipe non subli- I Tim. vi, 17, 18. me sapere, id est non superbire nec de se ipsis magna sentire; nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo; divites fieri in operibus bonis, facile tribuere.

Secundo reprehenditur dives iste de superfluitate, curiositate, pompa atque mol- D litie in vestibus : nam extra purpuram tulit, et ad corpus nudum, tenuissimum ac subtilissimum induit byssum, puta camisiam hujusmodi lineam. Qualiter autem

A homo multipliciter possit excedere in vestitu, et qualis esse debeat Christianorum *Cf.* t. XXIX, p. 56 et s. vestitus, supra expressum est in sermone quarto circa evangelium secundæ dominicæ Adventus : idcirco de hoc require ibidem, ut hic vitetur prolixitas.

Tertio reprehenditur dives iste de gula, quia quotidie voluptuose et crapulose epulabatur. Vitium autem gulæ omni Christiano est vehementer vitandum, quoniam cor facit obtusum, corpus male dispositum, animum ad virtuosa opera tardum, ad loquacitatem, ludos, jocos, cachinnos, atque B ad somnolentiam pronum. Hinc ait Gregorius : Dominante gulæ vitio, omne quod homines fortiter egerunt, perdunt; et dum venter non restringitur, cunctæ simul virtutes obruuntur. Iterum dicit : Pene semper epulas concomitatur voluptas. Nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Ex gula demum generatur luxuria. Et quidquid nunc contra excessum in cibo profertur, etiam contra superfluitatem et excessum in potu intelligi debet. Insuper, C quam detestanda sit gula, constat ex eo quod de gulosis ait Apostolus, *Philipp.* III, 19. Quorum deus venter est : magis etenim colunt proprium ventrem, quam Deum universa regentem. Unde et Judas apostolus in sua Canonica contra istos terribiliter loquitur: *Judæ* 12, 13. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, quibus procella tenebrarum conservata est in D æternum. Denique in cibo et potu contingit multipliciter excedere et peccare : primo, superflue accipiendo; secundo, in cibo et potu voluptatem carnalem quærendo; tertio, nimis pretiosa quærendo seu præparando; quarto, nimis sæpe manducando et bibendo; quinto, valde diu in mensa sedendo; sexto, ante tempus congruum cibum et potum sumendo; septimo, nimis diversa ac multa genera ferculorum ac poculorum accipiendo.

Quarto reprehenditur dives iste de immisericordia valde magna, quod Lazaro tam egeno et ægro non condoluit nec subvenit : quod fuit contra legem naturalem atque divinam. Ista crudelitas summe abhorrenda ac fugienda est Christianis, quum Christus testetur : *Matth.* VII, 2. Qua mensura mensi fueritis, remetietur et vobis; itemque, *Luc.* VI, 36. Estote misericordes sicut et Pater vester cœlestis misericors est; et rursus : *Matth.* V, 7. Beati (inquit) misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Universa ergo misericordiæ opera quilibet Christianus exercere secundum proprias debet vires; et quod non valet effectu, agat affectu; sitque caritativus, liberalis, affabilis, pius in pauperes propter Christum.

Præterea, nunc dicendum est paululum de imitatoribus et filiis hujus divitis epulonis. Ejus namque imitatores et filii, sunt omnes avari, gulosi, pomposi in vestibus, et immisericordes pauperibus. Verumtamen aliqui sunt avari, non tamen evidenter gulosi, quia tam vitiose sua recondunt, ut vix ad sufficientiam eis audeant uti; parceque vivunt, non amore justitiæ, sed avaritiæ tenacitate : qui et præsentibus atque carnalibus, futuris quoque ac spiritualibus consolationibus privant se ipsos. Quibus potest illud applicari Psalmistæ : *Ps.* XXXVIII, 7. Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. Itaque hujus divitis condemnati infelices sunt filii, qui quotidie splendide epulantur, atque diversis ciborum ac potuum utuntur generibus, et diu in suis sedent conviviis, fabulis, jocis, ludis risibusque vacantes, et de suis reliquiis aut nihil aut parum pauperibus largientes; qui et curiosas ac superfluas habent vestes, et in mollibus dormiunt stratis. Isti potius sunt discipuli Epicuri quam Christi; et sicut nunc conformantur diviti epuloni in vitiis, sic paulo post conformabuntur et associabuntur ei in suppliciis.

Postremo, ex evangelio isto edocemur in multis. Primo, quam occulta, justa ac metuenda sunt Dei judicia, qui in vita præsenti electos suos tot adversitatibus tribulationibusque exercet, purgat, et per dona gratiæ taliter perficit eos, quatenus protinus post hanc vitam consolationem eis impendat æternam; tantoque gloriosius eos post hanc vitam coronat, quanto nunc districtius eos castigat. Reprobos vero permittit hic prosperari, deliciari, vitiis quoque impleri, et post hanc vitam perpetuis ac condignis eos affligit tormentis.

Secundo, instruimur ex evangelio hodierno, quam inexcogitabiliter gravis et intolerabilis sit eorum damnatio qui absque timore et refrenatione legem transgrediuntur Altissimi, non tantum in vitiis jam prætactis, sed et in aliis multis ac gravioribus. Ecce enim dives iste tam graviter condemnatus, non legitur eo condemnatus quia aliena abstulerit, sed quia propria non communicavit; nec quia luxuriosus fuerit aut adulter, sed quia in cibis, potibus vestibusque excessit. Quid ergo infernalis supplicii imminet eis qui post gulas suas, quas et festivis exercent diebus, fornicationibus, adulteriis, similibusque intendunt sceleribus? De quibus *Ps.* LXXII, 5-8. fertur in Psalmo : In labore hominum non sunt : ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum ; transierunt in affectum cordis, cogitaverunt et locuti sunt nequitiam.

Tertio, ex evangelio isto docemur, quam subtilissima sint Dei judicia, quia in omnibus pœna correspondet culpæ. Unde dives qui minima negavit egeno in sæculo isto, usque ad minima petenda delapsus est in inferno : nempe qui hic rogatus micam non dedit, ibi guttam aquæ petiit nec accepit; et pauperem quem hic in miseriis vidit ac sprevit, ibi in consolatione A conspexit ac invocavit. Ita continget præfatis imitatoribus divitis hujus.

Quarto, ex evangelio isto instruimur considerare quanta post vitam hanc sint impiorum tormenta justorumque gaudia, quatenus si vitia evitare et virtutibus inhærere ex Dei amore et zelo æquitatis non volumus, saltem timore æternæ damnationis desiderioque perpetuæ beatitudinis id agamus. Indesinenter ergo pensemus quanta jam sit, et æternaliter erit, hujus divitis omniumque reproborum afflictio, B quanta item sit Beatorum lætitia. Quam intolerabile nobis esset una hora jacere in fornace ardenti : quid ergo est in gehennalis ignis incendio æternaliter cruciari ?

Legitur in libro de miraculis S. Hieronymi, quod erat quidam nomine Andreas presbyter cardinalis, qui post mortem suam divino præsentatus judicio, fuit infernalibus deputandus suppliciis, ob hoc quod in vita hac in cibis et potibus ac vestibus nimium fuerat sumptuosus atque C superfluus, nisi B. Hieronymus intercessisset pro eo, quia in S. Hieronymo specialem habuerat devotionem in sæculo isto. Et præfato excessu in vestimentis, cibis potibusque excepto, fuit ille Andreas vir satis bonus. Unde precibus ac meritis S. Hieronymi fuit ad vitam istam reductus et corpori restitutus, ut pœnitentiam ageret dignam, sicut et fecit. Qua peracta, rursus defunctus est, et salvatus.

Attendamus ergo quod sanctus ait Basilius : Quantum possumus, delicias mundi D et ciborum opulentiam fugiamus, ne quando cruciati in flammis inferni, guttam aquæ quæramus, et nullum refrigerium consequamur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE DIVISIONIBUS, HABITIBUS EFFECTIBUSQUE CARITATIS, QUIBUSVE OPERIBUS DECLARARI DEBEAT.

DEUS caritas est ; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. I Joann. IV, 16.

Joann. XIII, 23. Discipulus quem diligebat Jesus, visceribus caritatis redundans, caritatem in præsentis dominicæ epistola multipliciter laudat, et ad eam habendam diversis ex causis nos exhortatur. Itaque in primis hoc cognoscendum, quod sicut Scriptura loquitur de sapientia increata et sapientia creata, sic et de increata et creata loquitur caritate. Unde, quod in ista epistola I *Joann.* IV, 16. dicitur, Deus caritas est, de increata caritate asseritur. Et sicut sapientia increata distinguitur, quod est sapientia increata absolute accepta, quæ toti Trinitati et unicuique competit divinæ Personæ, nihilo minus tamen Filio appropriatur ; [et sapientia increata genita, videlicet Verbum :] sic caritas increata alia est absolute dicta, toti Trinitati conveniens, nihilo minus Spiritui Sancto appropriata ; alia est caritas increata spirata, videlicet Spiritus Sanctus, qui a caritate increata absolute sumpta nequaquam realiter est distinctus, sicut nec ab essentia. Quod ergo ait apostolus S. Joannes, « Qui manet in caritate, in Deo manet », dupliciter potest intelligi. Primo sic : « qui manet in caritate », id est, qui increatæ caritati adhæret, « in Deo manet », quia spiritualiter atque finaliter in ipso quiescit : quia quum caritas ista sit Deus, consequens est ut qui manet in caritate, maneat in Deo. Secundo sic : « qui manet in caritate » creata, id est, qui habet habitum caritatis quæ est theologica virtus, « in Deo manet », quoniam Deo unit hæc caritas.

Deinde tangit S. Joannes varias rationes propter quas ad caritatem habendam et conservandam debemus esse solliciti : et præsertim hortatur nos ad mutuam dilectionem spiritualem semper habendam. Primo, quoniam caritas est ex Deo, non solum communi modo quo omnia bona ex Deo fluxerunt, sed et singulari modo, tanquam virtus infusa, et summa increatæ caritatis similitudo atque expressio plena. Porro habitus caritatis, videlicet ipsa caritas habitualis qua Deum proximosque diligimus, est unus et idem, sicut et fides qua increata veritas et creata creduntur, est eadem. Deus namque est ratio proximos diligendi.

Secundo, ad mutuam caritatem nos admonet, quoniam omnis qui diligit fratrem, I *Joann.* IV, 7. id est proximos suos, ex Deo natus est, et cognoscit Deum, id est, ex Deo spiritualiter est renatus, utpote a non esse spirituali ad esse spirituale perductus, et per caritatem, quæ vita est animæ, spiritualiter vivificatus, atque a morte culpæ ad vitam gratiæ suscitatus, cognoscitque Deum cognitione formata, cujus intuitu vivit secundum præcepta ipsius. Verumtamen non omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est secundum prædestinationem æternam, quum aliqui reprobi sint ad tempus in caritate; sed omnis qui diligit, ex Deo natus est ad minus secundum præsentem justitiam.

Tertio, quoniam Deus ipse dilexit nos, nec qualitercumque, sed valde incomprehensibiliter atque sublimiter, et diligendo

I *Joann.* IV, 10, 19. prævenit nos, quoniam prior dilexit nos, A et amavit nos gratis secundum prædestinationem æternam, ex sua propria bonitate, quam nobis voluit ac decrevit communicare : ita et nos debemus invicem nos amare gratis propter Deum, quanquam et propter merita, dona ac beneficia unus alium diligere possit ac debeat. Itaque imitatione et exemplo Dei diligamus nos invicem, et unus alium præveniat in amore : servi enim et milites regem suum sequi consueverunt, præsertim filii patrem. *Ephes.* V, 1, 2. B Idcirco et Paulus : Imitatores (inquit) Dei estote sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos. De hoc sic in hodierna epistola ait Joannes : I *Joann.* IV, 9-11. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per ipsum; in hoc est caritas (id est, dilectio Dei gratuita atque piissima ad nos, in hoc evidenter apparuit), quod ipse prior dilexit nos : carissimi, si Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Ecce omnia verba hæc vere affectuosissima, de- C votissima atque dulcissima sunt, et piæ mentis vehementer inflammativa, non solum ad proximorum amorem, sed et maxime ad rediligendum Dominum Deum. Infinitæ namque ingratitudinis, perversitatis, duritiæ atque malitiæ est amantem non amare, et præamantem non redamare, maxime talem ac tantum amatorem ut est Deus, qui et suum amorem ad nos per tot et tanta beneficia nobis ostendit.

Quarto, hortatur nos ad mutuam caritatem, quoniam proximos diligendo mere- D mur amari et inhabitari a Deo. Unde sic ait : *Ibid.* 12. Si diligamus invicem, Deus manet in nobis. Quod si amiserimus caritatem, statim diabolus cor nostrum per mortale peccatum inhabitabit. Ecce quanta res est, quam desiderabile et præclarum, quam salubre et magnum, Deum habere amatorem et proprii cordis habitatorem. Si autem non dilexerimus omnem proximum, quantumlibet adversarium, nec Deum vere atque nos ipsos spiritualiter sinceriterque diligimus, quum simus in culpa mortali tanquam divini transgressores præcepti quo et inimicos jubemur diligere. *Matth.* V, 44.

Quinto, ad spiritualem amorem nos admonet, quoniam tanta est perfectio caritatis, quod ipsemet Deus caritas appellatur. I *Joann.* IV, 16. Diligit namque se ipsum et cuncta quæ condidit, quantum ad id quod ab ipso sortita sunt, quemadmodum Sapiens dicit ei : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. *Sap.* XI, 25. Quemadmodum namque in Deo consistit voluntas, ita et caritas; et sicut Deus est sua voluntas, ita et caritas. Rursus, sicut in Deo sunt idem sapiens et sapientia, ita amans et amor. Ex hoc autem quod caritas proprie Deo adscribitur, patet quod caritas dicit perfectionem simpliciter, quemadmodum sapientia, absque imperfectionis inclusione. Quum ergo tanta sit caritatis nobilitas, debemus eam semper toto corde amplecti, conservare ac prosequi, faciendo quod ipsa requirit. Operatur equidem magna, si est; quod si renuat operari, non vere habetur.

Sexto, quoniam in caritate manendo, manemus in Deo; et recedendo ab ea, a Deo recedimus.

Deinde ponit Joannes apostolus quosdam caritatis effectus, per quos cognoscere probabiliter possumus an simus in caritate divina perfecti. Primus est, quoniam perfecta caritas facit hominem diem judicii fiducialiter præstolari, quoniam facit hominem filialem confidentiam habere ad Deum tanquam ad optimum ac benignissimum patrem; et bonam conscientiam parit, quia inducit hominem ad purum, fervidum ac perfectum Dei obsequium. De hoc sic ait Joannes : In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii. I *Joann.* IV, 17. Imo caritas perfecta facit hominem desiderare dissolvi ut sit cum Christo. *Philipp.* I, 23.

Secundus effectus est, quoniam caritas perfecta potissimum assimilat et conformat nos Deo : quia per eam efficimur omnibus benevoli, et inimicis ac persecutoribus amorosi atque benefici, quemadmodum Deus pius, clemens et beneficus est non solum bonis et justis, sed et impiis et ingratis. Unde ait in Evangelio *Matth.* v, 44, 45. Christus : Diligite inimicos vestros, etc., ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos et malos. De hoc sic ait Joannes in præ- I *Joann.* iv, 17. senti epistola : Quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.

Ibid. 18. Tertius effectus est, quia perfecta caritas foras mittit, id est, omnino a se expellit, timorem pure servilem, qui habet pœnam, id est, pœnam meretur in quantum servilis est. Caritas namque perfecta convertit totum hominis cor ad Deum, ita quod solo Dei intuitu ac puro ejus affectu, non ex formidine pœnæ, sed ut Deo complaceat ac uniatur, et ne eum offendat aut elongetur ab ipso, facit bona et vitat mala. Timor autem servilis movet ad bona retrahitque a malis, non amore justitiæ, nec bonitatis affectu aut Dei amore, sed pœnarum formidine, ne patiatur incommodum. Idcirco, sic timens caritate non informatur, sed in mortali sordet peccato : nam talis timor ex privato causatur amore et fide informi. Timor vero filialis et castus, quo Dei offensa formidatur, ex caritate procedit et ei connectitur. Timor A autem initialis bonus est, sed imperfectus; et quanto magis perficitur, tanto minus de servilitate habet adjunctum. Denique de hac re S. Benedictus ait in Regula, quod monachus quum per duodecim gradus humilitatis ad Deum ascenderit, mox ad illam Dei caritatem perveniet, quæ foras mittit timorem. Per quam universa quæ prius non sine formidine observabat, jam absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non timore gehennæ, sed Christi amore, et ipsa con- B suetudine bona ac delectatione virtutum.

Itaque, tot rationibus ab Apostolo sancto in præsenti epistola tactis, curemus semper totis viribus caritatem amplecti, in ea manere, proficere, perfici, et proximos absque amaricatione, dulciter apprehendere et benigne. Et quoniam caritas sancta patiens est et benigna, non reddens I *Cor.* xiii, 4. malum pro malo, nec intumescens, idcirco per patientiam, benignitatem, remissionem injuriæ, humilitatem, alacritatem, fervorem, constantiam, ostendamus nos esse C in caritate. Nemo nostrum sit querulosus, vindicativus, indignabundus, amarus aut durus ; sed pii, quieti, devoti, suaves et stabiles semper simus seu esse conemur in Domino.

SERMO QUINTUS

DE SALUBRI CORPORIS AFFLICTIONE, TRIPLICIQUE VIA SALUTIS, NEMPE PURGATIVA, ILLUMINATIVA ET PERFECTIVA.

D*IVES induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.* Luc. xvi, 19.

Omni Christiano necessaria est vita pœnitentialis, castigatio corporis, sobrietas vera. Genus namque humanum, propter inordinatam concupiscentiam, illicitam voluptatem et cibi immoderantiam a paradiso ejectum, non nisi per concupiscentiarum D refrenationem, carnalium delectationum aspernationem, cibi et potus parsimoniam ad cœlestem potest paradisum reduci. Hinc Christus in Evangelio : Væ (inquit) vobis *Luc.* vi, 24, 25. divitibus, qui habetis consolationem vestram ; væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Quocirca ait Hieronymus : Impossibile est replere hic ventrem, et in futuro mentem.

A Præterea pro quotidianis peccatis ignoscendis et pro futuris cavendis, jejunium, abstinentia, afflictio carnis sunt necessaria. Hinc, secundum Christi doctrinam, non solum delicatiora alimenta, sed et molliora indumenta, parique ratione et mollior lectus reprobantur : quod etenim carnem fovet, spiritum necat. Multo magis ergo vitanda sunt ista religiosis; amplectique debent corporis castigationem, quemadmodum Christus ea quæ duriora sunt corpori, in cunctis elegit. Hinc ait Bernardus : Quod sua macula necat ac polluit crapula, B abstinentia mundet. Ergo interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis. *Ephes.* v, 18. Abstinebo a vino, quia in vino luxuria est; aut si infirmus sum, modico vino utar. Abstinebo a carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, nutriant simul et vitia carnis; panem cum mensura curabo accipere, ne onerato ventre stare tædeat ad orandum; nec simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distensio ventris ad titillationem pertingat libidinis.

C Utinam ista attenderent qui se quotidie instar sæcularium replent : qui si non fuerint saturati, indignabuntur et detrahent præsidenti. Heu, quid dicam quia in generatione hac tepida, cibi et potus religiosorum, delicatiores, pretiosiores, abundantiores sunt escis ac poculis plurium mundanorum ? Ecce ad tantam ruinam sancta devenit religio, quod ea quæ sancti Patres instituerunt in alimoniis observanda, commemorari vix patiamur. Idcirco experientia docet quam gloriose proficiamus, imo quam lamentabiliter deficiamus, D quamvis hoc ipsum advertere non velimus. Statim pro una festuca, passionum tumultus generatur in nobis; confratribus et superioribus occasione facile indignamur. Nullus vult vilior reputari; sed et fabulari, ridere, jocari, hinc inde discurrere, curiose hæc et illa inspicere plus delectat quam orationibus immorari, quam psallere, quam compunctioni et meditationi insistere, quam in abscondito vultus Dei, summæ majestatis contemplationi vacare, et eum cujus essentia, bonitas pura est, intra nos amorose amplecti, atque custodiæ cordis invigilare. In illis omne tempus breve videtur, et avelli vix possumus; in istis tempus videtur longissimum, et pigritia, somnolentia tædioque afficimur. Distractionis autem et irreverentiæ coram Altissimo non est finis.

Denique ad tantam carnalitatem, excæcationem, obdurationem sumus delapsi, ut jam nequaquam nobis sufficiat cibo repleri, sed ea quæ magis delectant exquirimus, et sensualitatem, quæ per se et in se satis et plus quam satis corrupta et ad vitia sua proclivis est, excitamus, actuamus, succendimus, fiuntque duo contra unum, et periclitatur sobrietas; non pensantes quod rursus ait Bernardus : Vinum et simila, mulsum et pinguia, carni, non spiritui, militant; frixuris non anima saginatur, sed caro; gingiber, piper, cuminum, salvia, et hujusmodi mille species salsamentorum, palatum quidem delectant, sed libidinem etiam turpiter accendunt. Prudenter ac sobrie conversanti, satis ad omne condimentum est sal cum fame : qua non exspectata, necesse est alias atque alias succis extraneis confici permixtiones, quæ palatum reparent, gulam provocent, excitent appetitum. Sed hæc religiosis prorsus illicita sunt, quorum est carnem *Galat.* v, 24. cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, tollere crucem suam quotidie et assequi *Luc.* ix, 23. Salvatorem, dicente Apostolo, Si compa- *Rom.* viii, 17. timur, et conglorificabimur : quatenus sicut Christus sanguinem suum semel fudit pro nobis, ita et nos pro ipso sanguinem nostrum suo modo quotidie effundamus. Unde iterum beatissimus pater noster ait Bernardus : Est enim martyrii genus et effusio quædam sanguinis in quotidiana corporis afflictione : illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Sic quippe infirmis et pusillis corde, necesse est ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam, tamen diuturniori martyrio sanguinem fundant.

Præterea, quum triplici via ad Dominum gradatim tendatur ac perveniatur, utpote purgativa, illuminativa et perfectiva, via purgativa fundamentum est atque exordium spiritualis conversationis, interioris reformationis et vitæ monasticæ. Quæ via consistit in sensualitatis domatione, in passionum refrenatione, in resistentia et abstinentia vitiorum, et in emundatione hominis a culpis quotidianis et a præteritarum culparum reliquiis, scilicet pronitate ad mala, debilitate contra peccata. Et præsertim consistit hæc via in evitatione carnalium vitiorum, ut ab omni gula atque venereis se reprimat homo. Idcirco, qui in via hac purgativa se ipsum negligit exercere, qui ab immoderantia cibi et potus omniumque exteriorum sensuum inordinata voluptate non se nititur cohibere, nondum ad spiritualis vitæ atque interioris profectus ascendit infimum gradum. Necesse ergo est ut omnes actus nostros ponamus sub ordine divini amoris, id est, taliter eos circumstantionemus et circumcidamus, ut Deo complaceant, et per eos in Dei amore crescamus. Hinc loquitur Cassianus : Quibuslibet cibis repletus venter seminaria parit luxuriæ ; nec prævalet mens discretionum gubernacula moderari, ciborum pondere prægravata. Non sola crapula vini mentem inebriare consuevit, sed cunctarum escarum nimietas vacillantem eam nutabundamque reddit, et omni integritatis ac puritatis contemplatione despoliat. Audi Dominum per Prophetam Jerusalem increpantem : Quid peccavit soror tua Sodoma, nisi quia panem suum in saturitatis abundantia comedebat ? Et quia per saturitatem panis inexstinguibili carnis fuerant ardore succensi, judicio Dei cœlitus igne et sulfure concremabantur. Quod si illos sola nimietas panis ad tam præruptum flagitiorum præcipitium vitio satietatis impegit, quid sentiendum de his qui vegetato corpore, perceptionem carnium ac vini immoderata libertate capere præsumunt, non quantum imbecillitas expetit, sed quantum animi libido suggerit ? Hinc quoque Chrysostomus : Simplicior (inquit) victus et mensa mediocris plurimum habet jucunditatis ; econtrario mensæ divitum exsecrabiles sunt et horridæ, animi ac membrorum contaminationibus plenæ.

Ezech. XVI, 49.

Postremo, quanta sit sobrietatis virtus, utilitas, fructuositas ac dignitas, pandit Augustinus dicendo : Sobrietatis perseverantia, inæstimabilis est animi fortitudo ; eam omnes virtutes et omnes laudum tituli jugiter concupiscunt, quoniam sine ea ornari et complacere non queunt. Sobrietas est mentis et sensus membrorumque omnium cautela, pudicitiæ ac castitatis munimen, pudori proxima, pacis et amicitiæ serva, honestati semper conjuncta, criminum vitiorumque omnium profuga. Itaque, sicut in Ecclesiastico scriptum est, Sanitas animæ et corporis est sobrius potus ; nec dubium quin et sobrius cibus, qui et vitam efficit longiorem. Atque ut Climacus loquitur, Sicut somnus, ita potatio paulatim consuetudine superatur.

Eccli. XXXI, 37.

Non ergo cum divite epulone splendide epulemur, sed cum sanctis Patribus temperantiæ studeamus ; Deumque affectuosissime deprecemur ut gratiam discretionis nobis præstare dignetur, qua in cibo, potu, somno ac aliis moderamen servemus. Sic per corporis castigationem exteriorumque sensuum refrenationem, ad cordis tendamus custodiam, ut in viæ illuminativæ exercitiis concrescamus, atque per ea ad perfectivæ viæ exercitia pertingere mereamur.

SERMO SEXTUS

DE IMPIORUM MISERIIS PERICULOSISSIMAQUE PROSPERITATE EORUM, ET DE BEATITUDINE ELECTORUM.

F*ACTUM est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ; mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* Luc. xvi, 22.

Quid intersit inter electos et reprobos, inter justos ac impios, inter eos qui in Job xxi, 9. vita hac prosperantur, super quos non est virga Dei, et inter eos qui multis tribulationibus exercentur et affliguntur in sæculo isto, pandit finis et præmiatio utro- Ibid. xiv, 1, 5. rumque. Ecce etenim brevis est vita præ- I Joann. ii, 17. sens; transitque mundus et concupiscentia ejus; et dies nostri sunt quasi umbra I Par. xxix, 15. Job viii, 9. super terram, nec ulla est mora. Quod si vita hæc alicui longa appareat, futuræ æternitati comparet eam, et videbit quod quasi momentum sit. Longa quidem forsan videtur ei præsertim qui in doloribus atque laboribus vivit; verumtamen quum venerit finis ejus, patebit quam brevis exstiterit. Ponamus quod aliquis ab exordio mundi usque nunc vixerit, et hodie moriatur: nonne quasi nihilum apparebit quidquid effluxit atque præteriit, potissimum quum hodie introeat sæculum in quo sine fine mansurus est? Finiti et infiniti nulla (ut fertur) est comparatio: idcirco etsi hic millies mille annis possemus subsistere, adhuc respectu perpetuitatis futuri sæculi nihil esset.

Ponamus quod hodie duo homines moriantur, uterque centum aut mille annorum, quorum unus ab infantia usque ad ultimum vitæ suæ instans in omni prosperitate vixerit temporali, in omni voluptate, opulentia et honore, alter vero in omni adversitate et afflictione; et tamen ille sit reprobus, iste electus: quid hodie proderit reprobo illi universa sua (quæ A præteriit et desiit) fallax prosperitas, quum jam in sempiterna sit detrudendus tormenta? Et quid huic electo nunc oberit cuncta quam passus est adversitas et ærumna, quum modo æterna adepturus sit gaudia? Imo, certe reprobo illi sua quam habuit mala prosperitas inæstimabiliter nocet; et quo fuit prosperior, eo fuit miserior, quum hodie adimpleatur in eo quod ait Scriptura: Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi Apoc. xviii, 7. tormentum et luctum. Huic autem electo B sua tribulatio ineffabiliter prodest, quum pro ea hodie æternaliter permansura sortiturus sit gaudia. Sic et de divite epulone et paupere Lazaro contemplemur. Ecce quid nunc uterque recepit. Ecce quam paucis annis in sæculo vixerunt, et tamen quam multis annis fuit jam ille in intolerabilibus pœnis, et iste in incomprehensibilibus gaudiis. Et nihilo minus ille adhuc æternaliter punietur, nec aliud quam suæ mœstissimæ calamitatis præstolatur dirum augmentum, quia in die judicii et C deinceps absque fine inconsolabiliter præ solito affligetur, et duplici, imo prorsus multiplici calamitate vexabitur, atque in corpore tartareis torquebitur non finiendis suppliciis. Lazarus vero æterna gaudet securitate, et suæ beatitudinis incrementum certus exspectat, dum resuscitatus glorificabitur etiam corpore. O quanta est excæcatio et stultitia, imo furor et insania iniquorum! Quam insipientes mercatores sunt, qui carnalem delectationem, temporales divitias, mundanos honores, et ea D quæ illicite appetunt, tam pretiose mercantur, dum pro talibus tempore brevi durantibus, damnationem quæ nunquam terminabitur, nummo iniquitatis conquirunt, emunt, merentur !

Hæc ideo tango, primum ut indicibilem magnitudinem misericordiæ et gratiæ nobis desuper condonatæ per hoc quod Creator piissimus de sæculo nos retraxit, et ad sacram religionem perduxit, consideremus, et nequaquam retro respiciamus; *Num.* xxi, 5. nec cum ingratissimis filiis Israel cœleste manna fastidientes, revertamur cordibus in Ægyptum, sed neque ad aliquid sæculi hujus afficiamur. Insuper, amatoribus hujus mundi, et cunctis mundanis, carnalibus, intimoratis hominibus, latam viam pergentibus, ex intimo corde compatiamur, atque pro ipsis incessabiliter deprecemur. Omnis eorum prosperitas nobis in nauseam convertatur; quo amplius prosperantur, eo a nobis infeliciores existimentur. Verumtamen in particulari a temerario caveamus judicio, neque inaniter gloriemur, aut de propriis viribus præsumamus, quasi ipsi jam certi simus, aut cuncta evaserimus quæ circumstant pericula. I *Cor.* x, 12. Verum qui stat, videat ne cadat; *Luc.* xii, 48. et cui plus datum est, qui ad altiora se obligavit, qui Deo promisit magna, prorsus sollicitus sit ne inveniatur negligens aut ingratus, eo quod plus requiretur *Eccle.* v, 3. ab eo, et Deo displiceat infidelis promissio. Imo sciamus quod sicut pravorum damnatio Christianorum, damnationem excedit incredulorum atque supplicia paganorum ; sic negligentibus, carnalibus, irreformatis religiosis intolerabilior instat calamitas infernalis, quam sæcularibus Christianis iniquis. Porro iniqui et periculose prosperitatibus mundi pollentes, in quantum hujusmodi, sunt a viro justo spernendi, *Ps.* xiv, 4. juxta illud Psalmistæ : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Verumtamen sapiens, de incertis, occultis et dubiis definitivam non profert sententiam, nec temerarie audet quempiam judicare : I *Cor.* ii, 11. quis enim scit quid agatur in homine ? Præterea, absit a nobis aliquid cum hoc mundo habere commune, ne cujuspiam mentem subintret ambitio aut A quævis carnalis affectio, ut malit præesse quam subesse, et apparere in sæculo quam abscondi in cœnobio. Nulli nisi in Deo et secundum Deum cupiamus placere.

Postremo, quia periculosius nihil est quam temporaliter prosperari, et juxta propria desideria conversari, nec tamen a Deo adversitatibus castigari; nil quoque securius quam in præsenti pro peccatis propriis corripi, a Deo paterne increpari, a propriis desideriis cohiberi, adversita- B tibus et persecutionibus exerceri : hinc potius eligamus in vita hac pro nostris defectibus et peccatis quotidie reprehendi, disciplinari, et sub obedientia sancta stare, quam impunite peccare, palpari, dissimulari et propriis affectionibus derelinqui. O quanta pericula, quanta supplicia brevi et levi purgatorio isto evadimus ! Quantum gratiæ incrementum, quantum gloriæ cumulum per hoc ipsum meremur ! Non amemus nos ipsos amore maligno, stolido et privato, sed puro, spi- C rituali, divino, ut nobismetipsis mortui, in omni increpatione, aspernatione, humiliatione, disciplinatione, quasi in cunctis divitiis gloriemur; et vigilantissime consideremus quantum omni hora possumus in virtute, dono et gratia crescere aut firmari, quam ineffabiliter in æternæ beatitudinis præmio ampliari, et tantæ felicitatis promereri augmentum. Certe omnis ad Deum caritativa affectio, omnis actio ex caritate procedens, æternæ gloriæ meritoria est. Idcirco non torpeamus, non D fatigemur, sed quidquid potest manus nostra *Eccle.* ix, 10. instantissime operemur; quotidie in sancto caritatis fervore et diligentiæ studio, atque in omni mentis custodia perficiamur. Non cessemus suspirare, ferri, ascendere, elevari ad Deum, sed uberrime, et quantum fieri valet, indesinenter uniamus actualiter mentem nostram cum ipso, meditando, orando, suspirando, psallendo, studendo, seu aliis modis, quatenus carnalia cuncta oblectamenta et vana solatia nobis desipiant et in tædium convertantur, nec minus solliciti, avidi, indefessi simus ad A proficiendum in spiritualibus virtutum divitiis, in pretiosissimis gratiarum muneribus, quam negotiatores et amatores mundi consistunt ad conquirenda transitoria bona.

Recordemur quod quidam senior dixit Fratri cui in cella residere erat molestum : Si inferni ponderares tormenta, quamvis tua cella esset usque ad collum vermibus plena, tu tamen patienter sederes in ea. Refert Climacus se in sancto fuisse grandi cœnobio, in quo fuit frater B nomine Abbacyrus, qui ab omnibus præcipue exercebatur, et quasi injuriis affici videbatur. Nam et sæpe a ministris expellebatur a mensa : erat enim a natura aliqualiter incontinens circa linguam. Quem, quum quindecim annis fuisset in cœnobio, Climacus interrogavit : Frater Abbacyre, quare te quotidie a mensa repulsum video, et frequenter sine refectione dormientem ? Respondit : Crede mihi, Pater, quia probant me Patres mei si vere monachus fio. Idcirco intentionem eorum et Patris nostri intentionem ego cognoscens, sine gravamine universa sustineo : et juste, o pater Joannes, absque probatione enim non perficitur aurum. Qui frater Abbacyrus morti jam proximus dixit ad Fratres : Gratias ago Domino Jesu Christo, et vobis, Patres, propter id quod me tentastis ad salutem; ecce decem et septem annis permansi a dæmoniis non tentatus. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, etc.

DOMINICA II POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CARISSIMI, NOLITE MIRARI SI ODIT VOS MUNDUS, ETC. I Joann. III, 13-18.

SANCTUS Joannes apostolus in hodierna A epistola, inter justos et injustos, inter electos et reprobos distinguit, dicendo : *Carissimi, nolite mirari si odit vos mundus,* id est homines vitiosi, carnales, mundani. Quemadmodum enim similitudo est causa amoris, sic dissimilitudo est causa rancoris. Quum ergo justi se invicem diligant, quia in bonis concordant et mente consimiles sunt, vitia detestando atque virtutes amando; sic impii odiunt justos, quia mente ab eis dissentiunt, et voluntate *Joann.* XV, 18, 19. difformes sunt. Hinc ait Salvator : Si mun- B dus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Nos scimus quoniam translati sumus de morte culpæ *ad vitam* gratiæ, *quoniam diligimus fratres:* id est, ex hoc quod proximos universos spirituali amore diligimus, scimus nos esse per gratiam Dei a mortali omni peccato mundatos, et spiritualiter vivificatos. Nam gratia gratum fa- C ciens, seu caritas, vita est animæ, sicut anima vita est corporis. Sed quum Salomon *Eccle.* IX, 1. dicat, Nescit homo an amore sit dignus an odio, quomodo ait modo Apostolus, « Nos scimus », etc. ? Et respondendum, quod Apostoli ex speciali dono certitudinaliter agnoverunt se esse in caritate et gratia, imo et confirmatos in ea, quum *Rom.* VIII, 23. Paulus testetur : Nos ipsi primitias Spiritus habentes; et item, Quis nos separabit *Rom.* VIII, 35. a caritate Dei ? Ideo verbum istud in persona Apostolorum exponitur de scientia certitudinali, per divinam revelationem concessa; porro in persona aliorum taliter non certificatorum, et tamen virtuosorum, exponitur de scientia conjecturali probabili. *Qui non diligit* Deum ac proximos caritate infusa, *manet in morte,* id est, in mortali jacet peccato, estque in statu damnationis; et nisi se emendaverit, in æternum damnabitur.

Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, id est similis homicidæ, et quodammodo homicida, quamvis non peccet tam graviter ut is qui ex odio procedit in homicidii actum. Est etiam homicida, quia se ipsum spiritualiter necat peccando mortaliter. De gradibus autem homicidii in *Cf.* p. 155 C. sermone dicetur. *Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem,* id est, nullus homicida habet in se vitam gratiæ, quoniam subest mortali culpæ, tam ille qui solo rancoris affectu homicida est, quam qui illud opere perpetrat.

Deinceps hortatur ad caritatem fraternam, Christi exemplo. *In hoc cognovimus caritatem Dei,* id est Christi, ad nos, *quoniam ille pro nobis animam suam posuit,* id est, vitam suam corporalem pro nobis ab æterna morte eruendis amarissimæ morti exposuit, quemadmodum ipsemet *Joann.* XV, 13. protestatur : Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis A pro amicis suis. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere,* hoc est pro eorum salute vitam nostram corporalem morti exponere, secundum quod ordo exigit caritatis. Siquidem primo et maxime obligamur Deum diligere, deinde nos ipsos, tertio proximos, quarto proprium corpus, ita ut plus diligatur anima proximi, quantumlibet adversarii, quam proprium corpus corporalisque vita. Idcirco, si quis viderit proximum suum periclitari in anima, ut si quis velit eum a fide avertere, debet B ei adstare, et potius velle mori quam ab ejus confortatione cessare : quemadmodum S. Sebastianus martyr dignissimus, quum vidisset quosdam in martyrio vacillare, protinus eos roboravit, non metuens mortem. Porro animarum curam habentes, istud præcipue implere tenentur, quatenus lupo venienti et gregem invadere cupienti resistant, gregem suum salubriter exhortando, ne a persecutoribus vel hæreticis seducantur.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, id est temporalia bona, *et viderit fratrem suum necesse habere,* id est extreme seu notabiliter indigere, *et clauserit viscera sua ab eo,* id est, pietatis affectum circa illum non demonstraverit, impendendo ei caritatis et compassionis effectum, *quomodo caritas Dei manet in eo?* quasi dicat : Non manet nec est in homine tali, quia divinum mandatum transgreditur, nec vere diligit proximum, sed impius est et crudelis atque avarus.

Filioli mei, non diligamus Deum et proximos *verbo neque lingua* tantum, id est sola verbositate et adulatione, *sed opere et veritate,* id est divinorum præceptorum adimpletione, quantum ad Deum, et caritativa ac pia subventione, quantum ad proximos. Hinc S. Jacobus etiam ait : Si *Jacob.* II, 15, 16. frater aut soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis de vobis illis, Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori : quid proderit?

SERMO PRIMUS

DE PRÆCONIO ET CONDITIONIBUS CARITATIS IN DEUM PROXIMUMQUE, ET QUOMODO HÆC FILIOS DEI CONSTITUAT.

OMNIS *qui odit fratrem suum, homicida est.* I Joann. III, 15. C

Sacra Scriptura, potissimum novi Testamenti, caritatem uberrime laudat, atque ad eam habendam ac conservandam copiosissime nos hortatur. Primo, quoniam ipsa est summa ac dignissima virtus, juxta I *Cor.* XIII, 13. illud Apostoli : Major horum est caritas. Unde quoque Aristoteles et Macrobius de justitia conscripserunt, quod ipsa sit præclarissima virtus, et non est lucifer nec hesperus tam admirabilis sicut justitia. Multo excellentius dici potest de carita- D te. Inter omnes enim virtutes dignissimæ sunt virtutes theologicæ, utpote fides, spes, caritas, quoniam habent Deum pro immediato objecto; et inter has tres præeminet caritas, quia per eam perfectius atque propinquius Deo conjungimur, magisque unum cum eo efficimur, dicente Apostolo : Qui adhæret Deo (haud dubium quin I *Cor.* VI, 17. per caritatem), unus cum eo fit spiritus.

Secundo, quoniam sine caritate nulla virtus est viva ac meritoria, sed mortua Deoque inaccepta, quemadmodum plenissime docet Apostolus : Si linguis (inqui- *Ibid.* XIII, 1, 2. ens) loquar angelorum et hominum, caritatem autem non habeam, nihil sum. Deinde

I Cor. XIII, 2, 3. scribit ibidem, quod sine caritate nil prodest fidem habere tam magnam ut ejus vigore quis transferat (id est, de loco uno ad alium projiciat) montes, nec omnia bona exteriora pauperibus erogare, nec proprium corpus pro fidei defensione in mortem exponere. Caritas namque est forma, vita et decor virtutum; earumque actus fieri imperat, et ipsos in Deum refert seu ordinat. Hinc caritas vita animæ nuncupatur, quia per eam anima spiritualiter vivit, et fonti vitæ, Deo viventi unitur, eique accepta et placita redditur.

Tertio, quoniam caritas est quodammodo omnis virtus, etiam multo plus quam justitia. Unde et aliarum virtutum actus caritati ab Apostolo adscribuntur, quia ut *Ibid.* 4-6. ait, Caritas benigna est, patiens est, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate. Hinc rursus ad Romanos *Rom.* XIII, 10. scriptum est : Plenitudo legis est dilectio. Nam, Non adulterabis, non furtum *Ibid.* 9. facies, non falsum testimonium dices, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Ex quibus concludit *Ibid.* 8. Apostolus : Qui diligit proximum, legem implevit.

Quarto, quoniam caritate præsente, ceteræ adsunt virtutes : nam ad eam tanquam ad dominam ac reginam ceteræ ordinantur virtutes. Idcirco in tantum nos profecisse lætemur, quantum in caritate nos profecisse confidimus; et quidquid caritati et ejus repugnat profectui, hoc tanquam animarum venenum detestemur ac evitemus. Hinc Augustino testante : In caritate, pauper est dives; sine caritate, dives est pauper. Quantumcumque enim quis in exterioribus pauper sit, si caritatem habuerit, spiritualiter dives est corde : et quantumcumque in temporalibus dives sit, si careat caritate, pauper est mente, et dici potest de eo illud Apoca-*Apoc.* III, 1, 17. lypsis : Nomen habes quod vivas, sed mortuus es; quia dicis quod dives sum et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper, et cæcus et nudus.

A Quinto, quia per caritatem Deo in tantum assimilamur, quod anima nostra per caritatem efficitur Dei sponsa et filia, heres atque amica. Caritas etenim ista spiritualis infusa, est quædam supernaturalis impressio et imago increati amoris, utpote Spiritus Sancti.

Quum ergo tanta sit caritatis dignitas, fructuositas, efficacia et excellentia, super omnia caritatem Dei et proximi affectemus, custodiamus, et per opera bona nutriamus ac perficiamus in nobis, B præsertim per internas et amorosas affectiones ad Deum ac proximum. Nec solum invidiam, quæ directe caritatem tollit, sed impatientiam quoque, indignationem, iram, cupiditatem, ac cetera vitia quæ auferunt aut debilitant caritatem, semper vitemus, imo et venialia quæque peccata pro posse, quæ caritatis fervori repugnant atque ad caritatis amissionem disponunt, quoniam quanto quis amplius diligit Deum, tanto vigilantius vitat non solum mortales, sed veniales etiam culpas.

C Præterea, in exordio hujus epistolæ, magna consolatio datur electis ac fidelibus Dei, contemptoribus hujus mundi, ne pusillanimes fiant aut impatientes vel admirantes, dum se a filiis sæculi hujus sentiunt odio haberi, irrideri, diffamari et infestari. Ex hoc namque confidere possunt quod ad Dei pertineant filios, atque idcirco displiceant impiis, quia eorum vita contraria est vitæ illorum. Unde apud Sapientiam habetur : Dixerunt impii, Cir- *Sap.* II, 12. cumveniamus justum, quoniam contrarius D est operibus nostris. Sed et Christus ait quibusdam : Non potest mundus odisse *Joann.* VII, 7. vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt. Hinc Ecclesiasticus scribit : Omnis *Eccli.* XIII, 20, 24. homo simili sibi sociabitur; abominatio est superbo humilitas, sic et exsecratio diviti pauper. Si ergo optamus inter Christi membra computari et cum Christo capite coronari, non despiciamus cum Christo odia, subsannationes, persecutiones carnalium impiorumque hominum sustinere, sed in adversis gloriemur et gratias A *Joann.* XIII, 16. Deo agamus : quia ut ait Salvator, Non est servus major domino suo. Et alibi suis *Matth.* X, 22. prædixit discipulis : Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Gregorius quoque fatetur : Hos elegit Deus quos despicit mundus. Timeant itaque vehementer, qui huic complacent mundo.

Insuper docemur in præsenti epistola, qualiter probabiliter valeamus agnoscere an vivamus coram Deo per gratiam, et an habeamus virtutes infusas. Hujus etenim signum est, si proximos universos vere B spiritualiterque diligimus. Sed quæri potest, quid sit spiritualiter diligere proximos. Et respondendum, quod hoc nil aliud est nisi eorum salutem optare, eisque charismata gratiæ in hac vita appetere, et verbo ac opere eis cooperari ad bona hæc ipsa acquirenda, seu conservanda ac perficienda. Hoc est, juxta doctrinam hujus I *Joann.* III, 18. epistolæ, non verbo et lingua, sed opere ac veritate diligere. Si itaque hos caritatis actus experimur in nobis, et neminem scandalizare ac perturbare studemus, pro- C babiliter scire valemus quod simus in statu gratiæ ac salutis.

Præterea, quam grave scelus sit odium proximi, constat ex hoc quod ait Joannes *Ibid.* 15. apostolus : « Omnis qui odit fratrem suum, homicida est ». Quocirca commemorandum, quia ut sanctus martyr, Papa ac doctor B. Clemens testatur, beatissimus princeps Apostolorum Petrus dixit esse triplex homicidii genus : unum reale et corporale; secundum dixit esse odium ; et tertium, detractionem. Per primum homicidium au- D fertur vita naturæ; per secundum, vita gratiæ; per tertium, esse laudabile seu bonæ famæ, quod habet quis in cordibus aliorum. Porro aliquis potest esse homicida quatuor modis : primo, aliquem ad iram et impatientiam, et ex consequenti ad homicidium provocando ; secundo, mortem corporalem aut spiritualem alicujus optando; tertio, mortem alterius procurando; quarto, aliquem corporaliter occidendo. Omnia itaque hæc homicidii genera evitemus.

Amplius ex præsenti docemur epistola, quam summa et perfectissima fuit caritas Christi ad nos, quoniam se ipsum obtulit pro nostra salute, acerbissimam sustinens mortem ut æternam gloriam consequamur, sicut per Isaiam effatur : Corpus *Is.* L, 6. meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Propter quod ait Apostolus : In fide vivo Filii *Galat.* II, 20. Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Simus igitur Christo grati corde, verbo et opere, amando, laudando ac honorando eum in omnibus, et obediendo ejus præceptis. Sed et Christi intuitu ac amore parati simus mori pro proximorum salute, dum scilicet casus se offert : ut dum illi periclitarentur in anima, nisi eis pro posse subveniremus, hortando, informando, aut alio modo. Et omnino quilibet Christianus debet sic stare, quod potius mori eligeret, quam cujuscumque proximi animam condemnari.

Postremo docet nos præsens epistola, ut indigentibus succurramus, et viscera pietatis super eos aperiamus, communicando eis de bonis nobis a Deo collatis, sicut ait Salvator : Quod superest date eleemosy- *Luc.* XI, 41. nam, id est, quod vobis superfluit, pauperibus erogate. In extrema necessitate dandum est proximo quod superest necessitati propriæ vitæ; in aliis vero indigentiis minoribus dandum est proximis quod superest necessario victui, consideratis circumstantiis proprii status, non solum quoad tempus præsens, sed etiam quantum ad ea quæ probabiliter possunt occurrere et frequenter occurrunt.

At vero S. Joannes apostolus, ante verba hujus epistolæ mentionem facit de Abel et I *Joann.* III, 12. Cain, et dicit quod ideo Cain occidit fratrem suum Abel, quoniam opera sua fuerunt vitiosa, opera vero Abel fuerunt justa. Nam sicut in Genesi legitur, Cain obtulit *Gen.* IV, 3-5, 8. Deo de frugibus terræ, hoc est de vilioribus rebus suis : et hoc, absque devotione. Abel autem obtulit Deo sacrificium de optimis suis pecoribus : et hoc, devotissima mente. Ideo Deus respexit ad Abel et ad A munera ejus, habendo ea accepta : in cujus signum ignis venit de cœlo et consumpsit sacrificium Abel. Porro ad Cain et ad ejus munera Dominus non respexit. Hinc Cain concepit invidiam contra Abel, dixitque ei : Veni, egrediamur in agrum. Quumque essent in agro, pravissimus Cain occidit sanctum et innocentissimum Abel.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

HOMO QUIDAM FECIT COENAM MAGNAM, ET VOCAVIT MULTOS. Luc. XIV, 16-24.

CHRISTUS in evangelio hodierno, per B introductionem cujusdam parabolæ, id est similitudinis, docet qualiter homines variis modis impediantur ab adeptione felicitatis æternæ, et ait : *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.* Per hunc hominem intelligitur Christus, qui in unitate personæ est verus Deus et verus homo. Qui fecit cœnam magnam, id est, beatificam æternæ gloriæ refectionem suis præparavit electis, de qua ait Apostolus : I Cor. II, 9. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præpa- C ravit Deus his qui diligunt illum. De qua et Christus in Cœna dixit Apostolis, et Luc. XXII, 29, 30. sub eorum persona cunctis fidelibus : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno. Unde apud Isaiam, inter electos et reprobos, inter justos et iniquos distinguens : Is. LXV, 13, 14. Ecce (inquit) servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. Ad hanc cœnam Christus multos vocavit, di- D cendo : Matth. IV, 17. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Hinc dicit in Psalmo : Ps. XXXIX, 6. Annuntiavi, et locutus sum; multiplicati sunt super numerum.

Et misit servum suum, id est Apostolorum omniumque prædicatorum chorum, cœtum seu ordinem. Sæpe etenim in Scripturis fit mentio de tota aliqua plebe seu multitudine quasi de homine uno, sicut in Exodo Deus loquitur Pharaoni : Exod. IV, 23. Dixi tibi, Dimitte filium meum, id est populum Judæorum. *Hora cœnæ,* id est in hac ultima mundi ætate, in cujus fine exhibebitur cœna ista plenarie cunctis electis, dum omnes simul glorificabuntur in corpore, pariterque cum Christo, peracto finali judicio, ascendent ad regnum cœleste, in quo cœlestis refectionis dulcedine replebuntur, sicut ait Propheta : Ps. XVI, 15. Satiabor quum apparuerit gloria tua, Domine. Interim quoque, a tempore descensus Christi ad inferos cœpit hæc cœna exhiberi electis, quoniam Christus pretio sanguinis sui januam regni cœlestis aperuit; atque in limbum patrum veniens, omnes sanctos ibi detentos mox suæ deitatis beatifica fruitione refecit, quia pro originali satisfecit peccato, ob cujus reatum sancti illi retardabantur a gloria. De hac hora scriptum est in Canonica S. Joannis : I Joann. II, 18. Novissima hora est. Et quotidie quidam electi in hac hora ad regnum ascendunt cœlorum. Porro refectio ista spiritualis et beata, potius appellatur cœna quam prandium, quoniam non succedit ei refectio alia, et habet æternam quietem ei adjunctam, quemadmodum cœnæ in vita ista conjungitur quies nocturna. De qua cœna in Apocalypsi scriptum est : Apoc. XIX, 9. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. *Dicere invitatis,* id est hortari homines ad regni cœlestis præmia promerenda, *ut venirent,* id est, Deum proximosque amando, et

A juste ac timorate vivendo, ad patriam Beatorum appropinquare studerent. Sed cur ait, « invitatis », quasi homines ante Christi et Apostolorum prædicationem invitati ad cœleste non fuerint regnum ? Et dicendum, quod a principio mundi homines invitabantur ad promerendum regnum cœlorum, tam per angelicas inspirationes quam per Patriarchas et Prophetas ac justos. *Quia jam parata sunt omnia,* id est, cœlestia gaudia merito passionis Christi hominibus sunt parata, dummodo meritum passionis Christi eis per sacramenta B Ecclesiæ applicetur, si adsit facultas (quæ si desit, sufficit desiderium ecclesiastici sacramenti cum proposito accipiendi illud, si facultas unquam adfuerit), et dummodo ipsi non ponant obicem suæ saluti. Ideo dicit Gregorius : Omnia sunt parata, quoniam Christo immolato, patet introitus regni cœlestis. Qui et jam passione instante dixit : Vado parare vobis locum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Joann. xiv, 2, 3. Unde ad Hebræos habetur : Præcursor pro nobis introiit Jesus, etc. Hebr. vi, 20. C

Et cœperunt simul omnes se *excusare,* id est, quilibet eorum, vel potius quidam de omni genere invitatorum, excusaverunt se ab exsecutione præceptorum cœlestium, et a progressu ad regnum cœlorum : quoniam sensibilia et terrena magis quam spiritualia et divina amabant, ideo excusaverunt se, etsi non verbo, tamen facto.

Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam; rogo te, habe me excusatum. Per hunc primum, qui ex occupatione circa villam quam emit, D neglexit Deo servire ac obedire, designatur universitas superborum et ambitiosorum : qui ita se occupant circa honorem et principatum acquirendum aut retinendum in sæculo isto, quod Dei mandata negligunt adimplere, nec ad æternæ beatitudinis suspirant honores, sed temporalia atque præsentia æternis præferunt ac futuris, propria excæcati superbia, quæ mentem mirabiliter damnabiliterque obtenebrat, ita quod suo se non subdit Creatori : ideo gratiam A ejus accipere est indigna. Postremo, per hoc quod ait, « Rogo te, habe me excusatum », datur intelligi quod superbi, sicut et ceteri vitiosi, maxime tamen superbi, de suis se excusant peccatis. Nam sicut accusatio sui ipsius, est effectus, signum et comes humilitatis; sic propriorum excusatio vitiorum, est effectus, signum et comes elationis. Idcirco Propheta Deum exorat : Non declines cor meum in verba Ps. cxl, 4. malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Imo præcipue displicet Deo excusatio B talis : propter quod ait per Jeremiam, Ecce ego judicio contendam tecum, Jer. ii, 35. eo quod dixeris, Non peccavi. Postremo, quod ait, « Rogo te, habe me excusatum », secundum Gregorium, tantum est ac si dicat : Ora pro me, quia converti non possum. Sicque humilitas sonat in voce, dum ait, « Rogo te » ; superbia in actione, dum venire et obedire contemnit.

Et alter dixit : Juga boum emi quinque, id est quinque paria boum, *et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.* C Per hunc secundum intelliguntur avari : qui circa terrenas divitias ita intenti sunt, quod spiritualium atque cœlestium obliviscuntur bonorum; sicque afficiuntur ad illas, quasi nunquam amissuri sint eas, et quasi non sit vita post vitam istam, non considerantes illud Job : Dives quum dormierit, nihil secum auferet; apprehendet eum quasi aqua inopia. Job xxvii, 19, 20. Hinc ait Apostolus : Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quia nec auferre quid possumus. I Tim. vi, 7.

D *Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Per hunc tertium designantur luxuriosi. Nam quamvis matrimonium sit bonum ac licitum, atque ad prolificationem divina providentia institutum, multi tamen per hoc non fecunditatem prolis, sed turpitudinem expetunt voluptatis. Ideo per rem justam ac licitam, non incongrue res designatur illicita, secundum Gregorium. Et quia carnalis voluptas fortissime ligat, occupat, infimisque immergit hominem : ideo tertius iste non dixit, Rogo te, habe me excusatum; sed simpliciter loquitur, « Non possum venire ». Nam et carnalis voluptas parit acediam atque fastidium divinorum, facitque hominem ad virtutum opera impotentem.

Itaque Christus in ista docet parabola, quod per tria hæc vitia, puta superbiam, avaritiam, luxuriam, homines potissimum a sua impediuntur salute, quodque peccata hæc in hominibus amplius regnant, secundum illud : I *Joann.* II, 16. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.

Et reversus servus, id est, ordo seu cœtus prædicatorum et pastorum ab actu prædicationis ad contemplationis quietem revertens : quia post exteriorum operum exsecutionem, debet prædicator et prælatus ad interiora opera sua redire, Deo vacare, et coram eo cor suum effundere; *nuntiavit hæc domino suo,* id est, Christo pie et dolorose conquestus est ista per allocutionem internam. Prædicatores etenim et prælati devoti ac fervidi, zelo divini honoris desiderioque salutis proximorum, præsertim sibi commissorum, accensi, vehementer tristantur et Deo humiliter conqueruntur, dum prædicando parum aut nihil proficiunt : sicut et maxime gaudent, dum multos convertunt, quemadmodum ad Corinthios scribit Apostolus : II *Cor.* VII, 4. Multa mihi gloriatio est pro vobis; superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Dicitur autem servus Christo hæc nuntiare, non quasi Christus hæc ignoret, sed ut ordinem intelligamus parabolæ.

Tunc iratus paterfamilias, id est Christus, *Act.* x, 36. rerum omnium Dominus, militantis ac triumphantis Ecclesiæ princeps, de quo *Is.* IX, 6. Isaias prædixit : Vocabitur nomen ejus, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Itaque Christus propter tantam hominum negligentiam ingratitudinemque juste indignans est. Porro ira non competit Christo secundum suam divinitatem, quoad passionum affectus, sed quantum ad similitudinem operis. Ira vero per A zelum, quæ est appetitus vindictæ secundum rationis dictamen, fuit in Christo et competit ei secundum quod homo est, juxta quod scriptum est : *Marc.* III, 5. Contristatus est Jesus super cæcitate cordis eorum, circumspiciens eos cum ira. *Dixit servo suo,* id est, cœtui prædicatorum præcepit : *Exi* a contemplationis dulcedine ad aliorum informationem ac conversionem, *cito,* quia periculum est in mora : ideo sine dilatione providendum est animarum saluti, et satagendum est ne Deus ab hominibus offendatur. B Quo verbo reprehenduntur prædicatores atque pastores remissi ac tardi, qui facili occasione prædicationem aut ceteros sui officii actus differunt aut omittunt. *In plateas et vicos civitatis.* Per civitatem hoc loco intelligitur Synagoga, quæ fuit aliquando civitas Dei, videlicet tempore veteris Testamenti, sicut nunc est Ecclesia; fuitque Synagoga lege divina atque angelorum custodia tanquam muro munita. Per plateas vero designantur multitudines hominum numerosiores; per C vicos, multitudines minores, quia non multis tantum, sed et paucis prædicandum est. *Et pauperes,* id est donis spiritualibus destitutos; *ac debiles* ad bene agendum : peccatum enim naturales vulnerat vires, ita quod debiles fiunt ad actus virtutum. *Cæcos,* id est indoctos; *et claudos,* id est rectitudinem justitiæ non servantes, atque instabiles : qui quasi in utramque claudicant partem, dum in nulla virtute constantes exsistunt. De quibus fertur in Psalmo : *Ps.* XVII, 46. Filii alieni inveterati sunt, et D claudicaverunt a semitis suis. Unde instabilibus filiis Israel tertio Regum ait Elias : III *Reg.* XVIII, 21. Usquequo claudicatis in duas partes? *Introduc huc,* id est, ad regnum cœleste perducere stude, prædicando, orando, exemplariterque vivendo.

Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, id est, Judæis prædicavimus ut jussisti. Principibus namque sacerdotum et majoribus Judæorum ad Christum converti nolentibus, multa millia ex minoribus *Act.* II, 41; IV, 4. ejusdem populi sunt conversa, quemadmodum in Actibus Apostolorum describitur. *Et adhuc locus est,* id est, adhuc vacant loca et sedes in regno cœlesti. Non enim numerus hominum prædestinatorum et angelorum ruina, ex solis Judæis erant implendi.

Et ait dominus servo : Exi in vias et sepes, id est ad gentiles per lata carnalitatis ac perditionis itinera gradientes, divina lege carentes : propter quod quasi agrestes fuerunt, et per sepes merito exprimuntur. Primo quippe prædicandum fuit Judæis, deinde gentilibus, sicut in Actibus Paulus et Barnabas Judæis dixisse scribuntur : *Act.* XIII, 46, 47. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus. *Et compelle intrare,* id est, quasi importune, et per comminationes damnationis æternæ, instiga illos ut convertantur : sicut ad Timotheum scribit Apostolus, II *Tim.* IV, 2. Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia. Verumtamen, quod ait, « Compelle intrare », non est intelligendum de coactione absoluta (quia sic liberum arbitrium cogi non potest, nec Deo placent coacta obsequia), sed de coactione aliquali et inductiva. *Ut impleatur domus mea,* id est, numerus prædestinatorum compleatur in cœlo : de qua ait Salvator, *Joann.* XIV, 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. De qua et illud Baruch potest exponi : *Baruch* III, 24, 25. O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus, magnus et non habens finem, excelsus et immensus ! Sed si finem non habet, quomodo potest impleri ? Et respondendum, quod immensus vocatur, non propter interminabilitatem, sed ob latissimam et maximam capacitatem.

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, id est nullus prædictorum qui se excusaverunt et venire renuerunt, *gustabit cœnam meam,* id est, æternæ felicitatis refectionem dulcissimam experietur; sed omnes illi pariter damnabuntur. Hoc quoque notandum, quod Deus quatuor modis vocat homines ad salutem : primo, inspiratione interna, idque dupliciter, utpote per se ipsum et per angelos sanctos; secundo, prædicatione exteriori; tertio, beneficiis atque miraculis; quarto, adversitatibus ac flagellis. Ad quod designandum Christus quater ait, Revertere, loquens animæ fideli in Canticis : *Cant.* VI, 12. Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere.

SERMO SECUNDUS

DE QUADRUPLICI COENA.

B*EATI qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Apoc. XIX, 9.

Sacra Scriptura de quadruplici loquitur refectione seu cœna. Prima est cœna sive refectio corporalis. Unde scribitur apud Lucam, *Luc.* XIV, 1. quod Jesus intravit in domum cujusdam principis Pharisæorum, a quo fuerat invitatus, ut manducaret cum illo. In Joanne quoque legitur, *Joann.* XII, 1, 2. quod quum ante sex dies Paschæ venisset Jesus Bethaniam, fecerunt ei cœnam ibi, in qua Lazarus paulo ante a Christo resuscitatus, fuit discumbentium unus, Marthaque ministravit. Quales autem ad hanc corporalem cœnam seu prandium sunt vocandi, docet Salvator, loquens ei qui se invitaverat, scilicet principi Pharisæorum : *Luc.* XIV, 12-14. Quum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio in hac vita. Sed A quum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos; et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

Sed circa hæc quæri potest qualiter intelligi debeant, præsertim quum sancti viri legantur divitibus, et amicis ac propinquis frequenter fecisse convivia, sicut *Gen.* XLIII, 16, 31-34. *Ibid.* XXVI, 30. et Joseph fratribus suis in Ægypto, et Isaac patriarcha regi Palæstinorum ac principi militiæ ejus, ut in Genesi recitatur. II *Reg.* III, 20. Denique David rex fecit convivium Abner B principi militiæ regis Israel, ut secundo Regum habetur. Quotidie etiam viri honesti, non solum sæculares, sed et religiosi, convivium faciunt amicis suis, fratribus, et propinquis atque divitibus : et laudabiliter agunt hoc, ut videtur. Imo contingere potest quod amici et propinqui sint pauperes : et tunc bene tractandi sunt. Ad hæc venerabilis Beda respondet : Fratres, et amicos, ac divites alterutrum convivia celebrare, non quasi peccatum prohibet Christus, sed sicut cetera neces- C sitatis humanæ commercia, ad promerendum cœlestis beatitudinis præmia nil valere ostendit. Juxta quem modum et alibi *Luc.* VI, 33. dicit : Si benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia ? Hinc ait Nicolaus de Gorra : Amici, et fratres, et cognati, atque vicini, aut sunt pauperes : et tunc meritorie invitantur; aut sunt divites. Et tunc vel invitantur ad fovendum mutuam caritatem : et ita meritorium est, dum invitator sit in statu salutis; aut propter lasciviam, seu aliam malam causam, D ut propter carnalia immoderata solatia : et tunc est demeritorium; aut propter quamdam liberalitatem ac amicitiam naturalem : et ita est quasi indifferens.

Præterea, advertenda sunt diligenter verba Chrysostomi asserentis : Non sub hac spe aliis beneficia conferamus aut convivium præbeamus, ut nobis retribuant. Hæc est enim frigida intentio; et talis amicitia celeriter evanescit. Si autem pauperem ad mensam tuam vocaveris, Deum nunquam obliviscentem debitorem habebis. Quanto enim minor, vilior sive pauperior est proximus, tanto magis Christus per eum accedit et visitat. Nam qui magnum suscipit, sæpe propter vanam gloriam facit hoc; atque utilitas propria sæpe in hoc quæritur, ut suscipiens per illum promoveatur. Sed dicis : Immundus est pauper et sordidus. Lava eum, et fac tecum in mensa sedere; si sordidas habet vestes, mundum exhibeas indumentum. Christus accedit per eum, et tu frivola loqueris ? Insuper Gregorius Nyssenus hortatur : Non negligas jacentes egenos, quasi nullo sint digni honore. Cogita quid sint, et pretiositatem eorum invenies. Salvatoris induerunt imaginem; futurorum bonorum heredes sunt, et regni cœlestis clavigeri; accusatores et excusatores idonei, non loquentes, sed adspecti a Judice. Itaque, sicut ait Chrysostomus : Decet eos in solario reverenter locari; sed si hoc non placet, saltem deorsum ubi sunt ministri, Christum suscipias. Fiat pauper saltem domesticus tuus; et si tecum non sedeat, mitte ei fercula de mensa tua. In hoc quoque corporali convivio vitanda sunt lasciva solatia, et detractoria, irrisoria mendosaque verba.

Secunda est cœna spiritualis, de qua in Apocalypsi loquitur Christus : Ego sto ad *Apoc.* III, 20. ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Christus etenim, verus et incircumscriptibilis Deus ubique præsens, stat ad ostium cordis, id est, libero arbitrio præsens est; et pulsat, hoc est, ad sui gratiosam susceptionem excitat seu admonet illud per divinas Scripturas, per prædicationes ecclesiasticas, per inspirationes angelicas, per divinos instinctus, per prospera et adversa, atque miracula. Unde loquitur animæ amorose : Aperi mihi, so- *Cant.* V, 2. ror mea, amica mea, columba mea. Si itaque iis pulsationibus homo consenserit, intrat Christus cor ejus, gratiam suam infundendo, aut infusam augendo; et cœnat cum ipso, hoc est, simul cum ipso reficitur, ejus bonis actibus congratulan-

Ps. CXLIX, 4. do, juxta illud in Psalmo : Beneplacitum A est Domino in populo suo. Et Nehemias II Esdr. VIII, 10. ait : Gaudium Domini est fortitudo vestra. Talis quoque cœnat cum Christo, quia per conscientiæ puritatem delectatur in eo, atque in cœlestis beatitudinis exspectatione humiliter gloriatur. Ecce quam ineffabiliter magna est caritas, misericordia atque dignatio Dei nostri ad nos tantillos vermiculos. Prov. VIII, 31. Nam et in Proverbiis testatur : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Sed Jer. XXXII, 41. et Jeremias fatetur : Lætabor super eis, quum benefecero eis. Tantum igitur pul- B satorem non repellamus, cum tanto hospite cœnare quotidie properemus; quidquid ejus introitum impedit, quidquid ipsius vultum offendit, omni cum diligentia fugiamus.

Sed quæri potest, cur Christus potius ait, Cœnabo cum illo, quam, Prandebo. Et respondendum quod ideo, ut innuat se velle pernoctare nobiscum atque in thalamo Ps. IV, 9. mentis nostræ quiescere, ut in pace in id ipsum dormiamus et requiescamus. Sic cœnat cum Christo, et in castis ipsius C quiescit amplexibus, qui corde devoto pergit ad stratum, et in meditationibus sanctis Ps. XC, 5. obdormit. Talis non timet a timore nocturno, sed de mentis securitate reficitur. Prov. XV, 15. Secura etenim mens, Salomone testante, est quasi juge convivium. Hæc ergo spiritualis cœna non est nisi mutua congratulatio, qua Christus nostris congaudet actibus virtuosis, et nos in ejus bonitate ac pietate lætamur, ejusque beatitudini congratulamur.

Hujus cœnæ mensa, est anima devota, in D qua tot fercula proponuntur, quot actus virtuosi in ea gignuntur. Ideo juxta triplicem gradum ac statum hominum, utpote incipientium, proficientium et perfectorum, tripartita fercula proponuntur in ea. Siquidem incipientes seu peccatores pœnitentes, tria fercula potissimum ponere debent in cœna ista, videlicet contritionem, confessionem, satisfactionem; et in iis eorum operibus Christus Dominus delectatur : quemadmodum ait Gregorius, quod apud Pharisæum Christus discumbebat Luc. VII, 36 et seq. exterius, apud pœnitentem vero mulierem, videlicet Mariam Magdalene, discumbebat interius. Porro proficientes ponere debent in cœna ista tria fercula, quibus Christus non mediocriter delectatur, utpote humiliationem, orationem et gratiarum actionem : debent enim se humiliare propter peccata sua præterita, Deumque jugiter invocare pro gratia proficiendi in bonis, gratias quoque ei referre quod tam misericorditer egit cum eis. Perfecti vero in cœna hac tria ponere fercula debent, videlicet divinorum contemplationem, summi et incommutabilis boni fervidam dilectionem, firmam ac cordialem in Deo complacentiam, pacem seu delectationem, vel certe continuam Dei laudationem, secundum illud : Benedicam Dominum in omni Ps. XXXIII, 2. tempore. Itaque, quanto purioribus ac sublimioribus virtutum exercitiis mens nostra est intenta, tanto delicatiorem et complacentiorem Christo exhibet cœnam. Qui vero turpibus cogitationibus, pravis affectionibus et vitiosis inhæret operibus, cum dæmonibus vescitur, cœnat et permanet.

Tertia est cœna infernalis, de qua ait Propheta, scribens de reprobis : Sicut oves Ps. XLVIII, 15. in inferno positi sunt, mors depascet eos. Unde apud Jeremiam loquitur Deus : Ecce Jer. XXIII, 15. ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle. Hujus cœnæ mensa, est damnatorum universitas dolorosa; fercula hujus cœnæ, sunt cuncta inferni supplicia, quibus quasi veneno cibantur mortifero. — Primum ferculum, est omnium gaudiorum ac divinæ visionis carentia, sicut per Jeremiam Dominus loquitur : Dabo eos in vexatio- Ibid. XXIX, 18, 19. nem, et maledictionem, et stuporem, et in sibilum et opprobrium, eo quod non obedierunt mihi. Quemadmodum enim gaudium Beatorum in cœlo est purum, id est nihil tristitiæ habens admixtum; sic tristitia damnatorum est pura, quia nulla consolatio est ei admixta. Idcirco esse et vivere, quæ creaturis naturaliter valde sunt appetibilia, sunt damnatis odibilia atque gravissima, juxta illud in Apocalypsi : In Apoc. IX, 6.

diebus illis quærent homines mortem, et A non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. Unde et Christus *Matth.* xxvi, 24. dixit de Juda proditore : Bonum ei esset, si natus non esset homo ille. Hoc de quolibet condemnato æternaliterque damnando poterit dici. — Secundum ferculum cœnæ infernalis, est illa inæstimabilis tartarei ignis punitio, qui incomparabiliter affligit damnatos juxta exigentiam pravitatis seu demeritorum eorum, quemadmodum præcipit summus et infallibilis Judex : *Apoc.* xviii, 7. Quantum glorificavit se et in deliciis B fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Pœna equidem ignis molestior est. Cogitet ergo unusquisque quam intolerabile sibi esset nudo corpore per unum diem jacere in igne quem cernimus hic fervere : qualiter igitur infernalis ignis incendium sustinebit ? Unde apud Ezechielem Dominus contestatur : *Ezech.* xxii, 20-22. Conflabo vos et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio ejus, sicut conflatur argentum in medio fornacis. — Tertium ferculum, est vehementissimum illud C frigus gehennæ. Unde et Job ait : *Job* xxiv, 19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium. Quum enim terra sit naturaliter frigida, et infernus in medio terræ esse credatur, constat quod maximum frigus sit ibi : quod per aquas nivium designatur, quum aquæ illæ sint frigidæ valde. Sed contra hoc objici potest, quia si damnati transeunt de maximo calore ad maximum frigus, ergo refrigerium habent, accedendo ab excessu caloris ad aliquale frigus : quia *Cf. de Cœlest. hier. c.* 1.. non transitur de extremo ad extremum D nisi per medium, ut divinus Dionysius loquitur. Ad hoc super Apocalypsim respondet Albertus, quod damnati transeunt a maximo calore ad maximum frigus immediate, et non per gradus, faciente hoc omnipotentia Dei : idcirco ex hac alternatione non habet eorum pœna refrigerium, sed augmentum. Nam sicut opposita juxta se posita clarius innotescunt, ita dum uni eorum alterum succedit, magis sentitur, graviusque affligere solet, sicut dum aliquis post opulentiam grandem repente depauperatur. Quod sanctus Job sibi accidisse conqueritur : *Job* xvi, 13. Ego (inquiens) quondam ille opulentus, repente contritus sum. — Quartum ferculum damnatorum, est desperatio sempiterna, qua magis torquentur in mente, quam igne in corpore. — Quintum ferculum, est infelicissima societas eorum ad invicem, quæ pœnas sibi mutuo auget. Sic et alia possunt diversa assignari fercula cœnæ infernalis. In qua etiam triplex ponitur sonitus miserorum, loco musicorum instrumentorum. Primus, est stridor dentium; secundus, est planctus omnium damnatorum; tertius, ululatus est dæmonum.

Quarta est cœna cœlestis, id est beata refectio Beatorum. In qua tria sunt principalia fercula, quæ sunt tres dotes animæ succedentes et correspondentes theologicis tribus virtutibus. Primum ferculum, est divinæ essentiæ clara notitia, quia ut ait Joannes, *I Joann.* iii, 2. Videbimus eum sicuti est : quæ visio est inæstimabiliter gratiosa, quum Deus sit infinitæ pulchritudinis, convenientiæ et deliciositatis. Secundum, est fruitio beatifica summæ et infinitæ bonitatis : quæ quum sit infinitæ dulcedinis, ea frui plenarie in se ipsa, est prorsus magis quam credi potest jucundum. Tertium ferculum, est tentio, hoc est firma, secura perpetuaque mentis in Deo defixio sive inhæsio. In quibus tribus præmium essentiale consistit. Sunt et alia multa prædulcia fercula Beatorum, videlicet conspicere Christi humanitatem et Virginem gloriosam, omnes quoque angelicorum spirituum ordines, et omnium beatorum hominum gradus ac distinctiones, horumque omnium secura atque æterna perfrui societate.

Ut ergo infernalem illam cœnam valeamus evadere, et istam cœlestem acquirere, studeamus nunc Christo quotidie spiritualem facere cœnam, et vitia illa vitare de quibus in evangelio legitur hodierno, hoc est superbiam, avaritiam atque luxuriam, et cetera universa, virtutesque illis contrarias obtinere, conservare atque perficere in nobis; et ad ista unusquisque pro posse suo proximos suos hortetur.

Legitur de S. Bernardo, qui maximum fecit fructum in prædicando, innumerabiles homines convertendo, quod quum quadam die prædicasset Parisiis et convertisset perpaucos, ingressus domum cujusdam prælati, et in loco se claudens secreto, cœpit vehementissime lacrimari, in tantum quod hospes ille audivit ejus singultus, gemitus et ploratus. Unde multum admirans, interrogavit unum ex religiosis cum S. Bernardo pergentibus : Quæ est horum gemituum ac planctuum hujus sancti Patris jam causa ? Cui religiosus ille respondit : Vir iste mirabilis, Divinitatis amore et zelo animarum totus vehementer succensus est; et quoniam in prædicatione proxima paucos convertit, putat Deum sibi iratum : idcirco sic gemit ac luget. Sed nunc scio quia crastina die copiose recuperabitur quod hodie minus factum videtur. Et contigit ita : nam die sequenti, oratione præmissa, cœpit sanctissimus prædicare Bernardus, plurimosque convertit ad gloriam Dei.

SERMO TERTIUS

CONTRA TRIA PRINCIPALIA VITIA, SUPERBIAM, AVARITIAM ET LUXURIAM, DE QUIBUS IN EVANGELIO HODIERNO FIT MENTIO.

O*MNE quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* I Joann. II, 16.

Quemadmodum Augustinus testatur : Amor sui crescens usque ad contemptum Dei, est origo et causa et radix omnium vitiorum; amor vero Dei crescens usque ad contemptum sui, est origo et fons omnis operis boni. Nunc ergo considerandum est, quid sit iste amor sui crescens usque ad contemptum Dei, quid item sit amor Dei crescens usque ad contemptum sui. Itaque amor sui crescens usque ad contemptum Dei, est amor quo quis amat se in se, volendo et appetendo sibi aliqua convenientia sibi sive placentia suæ propriæ voluntati, per respectum ad semetipsum. Ideo iste amor vocatur amor privatus, improbus et ad se reflexus. Dicitur enim amor privatus, quum sit amor sui ipsius seu singularis personæ ac proprii commodi : ideo etiam dicitur amor ad se reflexus, et non ad Deum finemque ultimum ordinatus. Dicitur quoque improbus, quia rationi ac justitiæ est contrarius. Quum enim homo sit a Deo creatus ob aliquem certum finem et ad sui Creatoris honorem et gloriam (propter quod Psalmista loquitur Deo : Numquid vane constituisti omnes filios hominum ?), *Ps.* LXXXVIII, 48. ideo homo non debet se ipsum diligere nisi per comparationem et secundum exigentiam ultimi finis propter quem conditus est, atque ad gloriam et honorem proprii Creatoris, hoc est per ordinationem sui ipsius actuumque suorum ad veram beatitudinem, quæ est finis creationis humani generis, et ad Dei gloriam et honorem, videlicet : ita vivendo prout expedit sibi ad perveniendum ad veram salutem, et ea agendo quæ Deo placent et suæ majestatis honorativa exsistunt; similiter illa bona volendo appetendoque sibi ipsi quæ sibi utilia aut necessaria sunt ad complacendum Domino Deo, et item ad obtinendum felicitatem æternam. Sic se amare, est se vere et virtuose, ac ordinate spiritualiterque diligere.

Præterea ex amore privato ac improbo sui oriuntur in primis principaliter tria peccata, secundum quod triplex est bonum creatum ad quod homines inclinantur. Est enim bonum delectabile, bonum utile, et bonum honestum. Bonum delectabile est, quod directe et immediate propter voluptatem appetitur, vel in quo magis consistit voluptas, ut sunt objecta gustus et tactus, utpote cibus, potus, femina, atque similia. Bonum utile est, quod ordinatur et accommodum est ad aliud, sicut divitiæ. Bonum honestum dicitur, quod propter se appetitur : et tale bonum dicitur virtus, præsertim felicitas ; tale etiam bonum reputatur quodammodo dignitas, honor, excellentia, prælatio. Ad hæc triplicia bona afficitur homo ex improbo sui ipsius amore, volendo et appetendo ea, non secundum quod sibi expediunt per ordinationem sui ad veram salutem, sed prout placent et congruunt propriæ naturæ, et sensualitati ac voluntati ad se reflexæ. In quantum igitur ex amore sui movetur homo ad appetendum bonum delectabile, sic ex isto privato amore oriuntur gula, luxuria, et plurimæ vanitates, ut ludi, joci, risus, choreæ, amplexus, tactus et oscula carnalitatis. Denique, in quantum ex improbo sui amore movetur homo ad appetendum bona utilia, sic ex isto amore nascuntur avaritia, dolus, fraudulentia, furta, rapinæ, et alia innumerabilia mala. In quantum vero ex amore hoc inordinato movetur homo ad bona honesta, videlicet ad excellentiam et honores, ita ex eo causantur superbia, ambitio, vana gloria, vani ornatus et curiositates, jactantia, ostentatio, præsumptio, atque hujusmodi.

Itaque amor iste privatus recte dicitur crescere usque ad Dei contemptum, quia inducit hominem ad appetendum quæ tacta sunt, contra Dei præcepta, et quod præponit se ipsum Deo. Qui enim sic amat se in se, facit se ipsum finem sui ipsius, quia non ordinat se et actus suos ad Dei honorem et gloriam, neque ad veram salutem, quæ in Dei fruitione consistit ; sed fruitur semetipso et utitur Deo ac donis ipsius, quia ad deliciandum ac prosperandum, atque ad habendum honores et excellentias, secundum propriam voluntatem et sensualem inordinatamque inclinationem ordinat proprios actus et studia, ut scilicet abundet carnalibus deliciis, temporalibus divitiis, mundanis transitoriisque honoribus. Ecce tales sunt filii sæculi hujus, filii plane diaboli, utpote omnes qui sunt in peccato mortali : quoniam omnis qui in mortali est culpa, propriam voluntatem præfert voluntati divinæ, contra cujus præceptum agit quod sibi placet ; et ita se ipsum præponit proprio Creatori, magis inhærens et acquiescens desideriis propriis, quam omnipotentis Dei mandatis. Et hic error rationis, ista perversitas voluntatis, hæcque inordinatio totius hominis sunt infinita, hoc est infinitæ irrationabilitatis et enormitatis : idcirco peccato mortali debetur pœna æterna.

Ex præinductis jam patet, quod si quis velit universa peccata vitare ac superare, in omni quoque virtute proficere, hoc solo indiget, ut improbum sui amorem evellat de corde suo, et diligat se in Deo. Nempe se in Deo diligere, est ea velle et appetere quæ sibi expediunt ad complacendum Domino Deo, ad honorandum eum in omnibus, ad obtinendum beatitudinem sempiternam. Hæc autem sunt virtutes et actus earum, puta : humilitas, patientia, mansuetudo, pietas, abstinentia, devotio, oratio, se ipsum humiliare, alios honorare, adversa æquanimiter sustinere, opera misericordiæ exercere, iram reprimere, Deum super omnia præamare et alios cunctos in Deo diligere, ad Dei obsequia ferventem ac alacrem esse, se ipsum pro propriis peccatis quotidie castigare, aliorum quoque peccata deflere, præcepta Ecclesiæ in jejunando ac festivando implere, correptiones atque correctiones fraternas ac paternas caritative, gratanter ac pie suscipere, seque in omnibus exemplarem præbere. Ista et consimilia sunt opera amoris sui in Deo.

Præterea, amor Dei crescens usque ad contemptum sui, est caritas spiritualis infusa, per quam volumus Deo quod ipse est, utpote sui ipsius immensam perfectionem, felicitatem et excellentiam, et suæ felicitati ac gloriæ cordialiter congratulamur, eum quoque pro viribus honoramus atque ab universis honorari optamus, obediendo suis præceptis, aut etiam acquiescendo Christi consiliis. Iste amor Dei dicitur crescere usque ad contemptum sui, utpote ejus qui hunc habet amorem : quia qui taliter diligit Deum, despicit semetipsum ; nec in aliquo sibimet acquiescit contra Dei præceptum, sed Deo se subjicit, seque comparatione Dei nil reputat, et ex consideratione propriæ defectuositatis, ignorantiæ et iniquitatis vehementer se aspernatur.

Luc. xiv, 18-20. Amplius, sicut Salvator in hodierno evangelio docet, per tria peccata mortalia homines potissimum a sua impediuntur salute, æternaliterque damnantur : quæ sunt superbia, avaritia, luxuria, de quibus jam modicum est tangendum. Itaque superbia est inordinatus propriæ excellentiæ appetitus, affectus proprii honoris, aspernatio aliorum, excellentia, tumor et elevatio sui ipsius. Ex hoc mortali peccato cetera mortalia oriuntur peccata. Hanc vitiosam detestabilemque superbiam vitare, odire et abhorrere debemus :

Primo, quia ex magno errore et falsitate procedit. Qui enim superbit, ita se effert ac magni pendit quasi aliquid sit vel habeat a se ipso ; si enim attenderet omne quod est et habet a Deo se recepisse, non superbiret, sed Deo se subderet et gratias ei referret. Semper ergo profunde pensemus illud Apostoli : *I Cor.* iv, 7. Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Secundo, quia nil boni a nobis ipsis habemus, sed omnium defectuositatem, pronitatem ad omne malum atque multiplicem culpam. Tertio, quia per superbiam efficitur homo specialiter imitator, servus filiusque diaboli, *Job* xli, 25. qui (ut in libro Job scribitur) est rex super universos filios superbiæ. Quarto, quia per superbiam efficitur homo odi-A bilis Deo ac proximis, juxta illud Ecclesiastici : Odibilis coram Deo et hominibus est superbia. *Eccli.* x, 7.

Quinto, quoniam per superbiam homo præcipue elongatur a Deo, et gratiæ ejus incapax efficitur, fitque Creatori suo adversarius ac rebellis. Idcirco scriptum est : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ; *Jacob.* iv, 6; I *Petr.* v, 5. et alibi : Non te extollas in cogitatione tua velut taurus ; *Eccli.* vi, 2. et, Noli te extollere in faciendo opere tuo, sed humilia valde spiritum tuum. *Ibid.* x, 29; vii, 19. Sexto, quoniam B ex superbia oriuntur peccata multa et magna nimis. Qui enim superbus est, facile indignatur, cito irascitur, parvam injuriam sibi factam reputat magnam, sicque in ulciscendo excedit. Et quia superbia tam singulariter displicet Deo, idcirco superbos merito suæ superbiæ permittit in diversa atque enormia labi peccata. Hinc virtuosus ille Tobias dixit filio suo carissimo : Superbiam nunquam in tuo sensu aut in verbo tuo dominari permittas ; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. *Tob.* iv, 14. C Septimo, quia tam graviter ac frequenter peccavimus, quod non possumus nos satis ac condigne humiliare : imo sola superbia nostra facit nos coram Deo tam viles, quod indigni sumus a terra portari. Aliæ possent variæ causæ vitandi et abhorrendi superbiam assignari, videlicet : quia in tot periculis positi sumus, et ignoramus an digni simus amore Dei an odio, *Eccle.* ix, 1. et utrum finaliter condemnabimur an non ; et quoniam immunditiis ac fœtoribus, atque miseriis ac indigentiis pleni sumus in cor-D pore et anima. Consideremus ergo hæc omnia, et humiliemus nos jugiter coram Deo ; I *Petr.* v, 6. potiusque optemus subesse quam præesse, obedire quam imperare.

Insuper fugiamus avaritiam, quæ (juxta Apostolum) est servitus idolorum, *Ephes.* v, 5. et ex qua fraudes, rapinæ, mendacia, perjuria, falsa testimonia, dissensiones, lites, inimicitiæ et alia diversa vitia oriuntur. De temporalibus rebus nil amplius debet appetere Christianus quam expedit sibi ad bene vivendum, ad spiritualiter proficiendum, ad adipiscendum salutem æternam. A Imo quanto futura vita longior erit quam præsens, tanto plus providere sibi debent Christifideles, ut sufficientiam in illa vita habeant magis quam in ista. Mira et magna est excæcatio cordis humani, quod tantum veretur hujus brevissimæ vitæ inopiam, et futuræ vitæ perpetuæ æternam non formidat penuriam et ærumnam. Et, proh dolor! multi sunt qui quamvis satis et plus quam satis habeant pro sustentatione vitæ præsentis, nil aut modicum pro bona consistentia in vita futura, tamen non cessant B temporalia sibi augere et necessaria ad salutem negligere.

Postremo, luxuriam, quæ est bestiale peccatum, et rationem omnino absorbens, prorsus vitet quilibet Christianus : quia mirabiliter excæcat hominem hoc peccatum, facitque eum acediosum, vanum, instabilem, dissolutum; nec permittit eum facile per pœnitentiam veram resurgere, sed reddit eum suæ salutis immemorem. Maxima quoque turpitudo in hoc est peccato. Nec solum vitanda est ipsa luxuria, C sed et concupiscentia mala, cogitatio immunda, imaginatio turpis, incautus et libidinosus adspectus, amplexus, tactus et oscula. Vitemus itaque omne peccatum mortale, quo a cœlestis cœnæ impedimur adeptione; venialia quoque peccata pro posse, quoniam ad mortalia peccata disponunt.

At vero quanta mala ex superbia et ambitione nascuntur, copiose docet sacra Scriptura. Unde in libro Judicum legitur, quod Gedeon, vir justus et judex filiorum D Israel, habuit septuaginta filios ex legitimo toro; habuit quoque unum filium ex concubina. *Judic.* VIII, 30, 31. Mortuo itaque Gedeone, filius iste ex concubina, nomine Abimelech, *Ibid.* IX, 1 et seq. quum esset ambitiosus, blandis persuasionibus obtinuit principatum; factusque princeps, conduxit sibi viros vagos ac inopes. Quibus assumptis, intravit improvise domum fratrum suorum, et interfecit septuaginta viros fratres suos super lapidem unum, ne per eos ejiceretur a principatu. Nec passus est Deus justissimus tantum scelus esse inultum. Nam antequam tribus annis regnasset, permisit Deus maximam oriri dissensionem inter præfatum Abimelech ejusque populum, qui cœpit eum vehementissime detestari, præsertim ob occisionem fratrum suorum. Quumque Abimelech obsideret turrim quamdam in qua erant multi de populo suo, mulier quædam stans super turrim in loco plano (quia turris planitiem quamdam habuit), fragmen molæ desuper jaciens, tetigit vitiosissimum illum Abimelech inter cervicem et scapulas, confregitque cerebrum ejus. Qui statim dixit armigero suo : Evagina gladium tuum, et interfice me, ne dicatur quod a muliere occisus sim. Qui armiger jussa complens, interfecit eum. Et obiit pessima morte, æternaliterque damnatus est. Ecce ad quantam malitiam delapsus est ille infelix Abimelech ex sua ambitione, et quam cito ac terribiliter Deus sanctissimus ultus est scelera ejus. Omni ergo superbia procul pulsa, in vera semper humilitate perseveremus, ad gloriam Omnipotentis.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

ADVERSA OMNIA FORTI ANIMO ESSE FERENDA, UT HUMILITAS FRATERNAQUE CARITAS INCOLUMES SERVENTUR ; ET DEI VOLUNTAS QUOMODO IN OMNIBUS PRÆ OCULIS HABERI DEBEAT.

NON *diligamus verbo neque lingua,* A *sed opere et veritate.* I Joann. III, 18.

In hodierna epistola beatissimus evangelista Joannes multiformiter nos informat. Primo etenim consolatur fideles electos ac virtuosos, ne dum ab adversariis et iniquis, a mundanis, injustis carnalibusque hominibus odio habentur, irridentur, affliguntur, moleste id ferant, aut pusillanimes fiant, seu admirentur admiratione aliqua dejectiva; sed potius coram Deo humiliter glorientur, quia hoc ipsum quod sustinent, probabile signum est quod de B electorum sint numero, quum et Salvator *Joann.* XV, 18, 19. protestetur : Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Similitudo namque directe est causa amoris et unionis atque concordiæ; dissimilitudo vero, aversionis et rancoris ac discordiæ est origo. Naturale est ergo ut justus justum, probus probum, sapiens sapientem, virtuosus diligat C virtuosum : mente namque consimiles sunt, et vitia pariter detestantur. Iniqui autem, qui justitiæ zelo et veritatis carent amore, justos sapientesque odiunt, in quantum eorum dissentiunt voluntati. In religionibus quoque ubertim contingit quod negligentiores et magis defectuosi, eos qui spiritu fervent justitiamque zelantur et abstractius ac custoditius se habere satagunt, persequuntur, et instar squamarum se mutuo comprimentium, sibi in hoc ipso quidam passionibus suis immersi cohærent. Et esse vix potest ut quis ita se habeat ut universorum effugiat odium, omnibusque complaceat, non obstante quod ait Apostolus : Ego per omnia omnibus placeo. I *Cor.* x, 33. Non enim absolute omnibus placuit, ipsomet proloquente, Si hominibus placerem, Christi servus non essem *Galat.* I, 10. ; sed omnibus justis, vere sapientibus, sibi mente conformibus complacuit sanctus Apostolus. Hinc loquitur Seneca : Quamvis sic agas ut ne quis merito tuo te oderit, erunt tamen semper qui te oderint. Hoc autem vir sapiens æquanimiter ferre debet, et odientibus *Matth.* v, 44. compati atque orare pro eis. Verumtamen servus Christi si odiri se videat persecutionesque pati, non tamen sit pronus quempiam temere judicare, aut magnifice de se ipso sentire, quasi ipse sit Dei electus, et alii de grege sint reproborum : imo potius suis deputet culpis quod patitur, et pro quotidianis suis defectibus, persecutionibus dignum se gravioribus fateatur, sitque in omnibus timoratus, modicum arbitrans omne quod tolerat, quum ipse Salvator et Sancti præcipue tot et tanta absque suis demeritis sint perpessi.

Secundo, in hodierna epistola docet S. Joannes, in fraterna dilectione vitam gratiæ esse sitam, et signum spiritualis vitæ esse, fratres diligere. Ait namque : I *Joann.* III, 14. Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres; id est, A de morte culpæ ad vitam gratiæ scimus nos esse, Deo miserante ac operante, reductos, quia spiritualiter proximos omnes *I Joann.* III, 14. amamus. Ideo subdit : Qui non diligit, manet in morte, id est, mortali peccato jacet prostratus. Quocirca sciscitari quis posset, quomodo hoc sciamus, quum (Salo- *Eccle.* IX, 1. mone testante) nesciat homo an amore sit dignus an odio. Ad quod facile respondetur, quod verbum istud in persona Apostolorum prolatum, verum est de certitudinali scientia, quia ex revelatione sciverunt B se esse in gratia, imo in gratia eminenti, *Rom.* VIII, 35. Paulo dicente : Quis nos separabit a caritate Dei? *Ibid.* 23. et, Nos ipsi primitias Spiritus *II Tim.* IV, 8. habentes; et, Superest mihi corona justitiæ. Porro in persona aliorum ita de gratia Dei in se non certificatorum, tamen virtuosorum, exponitur verbum prætactum de conscientia conjecturali probabili. Unde et Christus : *Joann.* XIII, 35. In hoc (inquit) scient omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Et quamvis vita gratiæ atque perfectio in actuali amore C Dei essentialiter sit consistens, frequenter tamen Scriptura (sicut et hoc loco) in dilectione proximi vitam gratiæ perfectionemque statuit, quoniam amor Dei et amor proximi se invicem complectuntur, concomitantur, includunt, gignunt seu nutriunt, dicente Gregorio : Per amorem Dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare proximum negligit, profecto Deum diligere nescit.

Præterea de caritate fraterna loquitur D valde pulchre S. Basilius in Regula sua, ubi et aliqua multum notabilia inserit, quorum allegationi et aliquali declarationi nunc modicum immorabor. Itaque inter *Matth.* XIX, 19. cetera ait : Quia præcipimur diligere proximos sicut nos ipsos, videamus an insit nobis facultas et virtus ad hujus quoque expletionem mandati. Et quis nesciat quod *Eccli.* XIII, 19. homo animal sit communicabile, utpote sociale atque humanum, non agreste ac ferum? Nil enim tam proprium est nostræ naturæ, ut alterum altero indigere et requirere invicem, ad quod requiritur diligere. Quoniam ergo Dominus harum in nobis virtutum semina seminavit, sine dubio fructus etiam horum requirit, et testimonium seu argumentum dilectionis nostræ ad Deum, dilectionem accipit proximorum; et ita in omnibus duo caritatis præcepta conjungit, ut etiam misericordiæ opera quæ in proximis fiunt, transferat in se ipsum. Idcirco per primum completur secundum, et per secundum ascenditur ac reditur ad primum; et qui diligit Deum, diliget proximum. Ait etenim Dominus : Qui diligit me, mandata mea custodit; et, *Joann.* XIV, 21. Hoc est (inquit) mandatum meum, ut diligatis invicem. *Ibid.* XV, 12. Ita ergo qui diligit proximum, implet caritatem in Deum, quoniam Deus in se recipit quidquid confertur in *Matth.* XXV, 40. proximum. Porro incipientibus converti, prima institutio per timorem utilior est, juxta doctrinam Salomonis dicentis : Ini- *Prov.* I, 7; IX, 10; *Eccli.* I, 16. tium sapientiæ, timor Domini. Vos autem, o fratres, qui jam in Christo parvuli esse *Hebr.* V, 12-14. desistitis, nec ultra lacte jam indigetis, solidos cibos ex dogmatum firmitate et doctrinarum perfectione perquirite ad nutriendum interiorem hominem, ut per eminentiora et perfectiora mandata deveniat ad perfectum, atque in omni veritate quæ est in Christo, firmetur. Et observate ne abundantioris gratiæ vobis exhibitæ pondus, causa gravioris damnationis vobis fiat.

Illud quoque ante omnia considerandum, quia nec hoc ipsum neque aliud quodcumque mandatum implere quis poterit, si per varias et diversas occupationes cor ejus oberret. Nec ullum artificium aut alicujus industriæ disciplinam adipisci quis poterit, qui frequenter ex aliis ad alia fertur. Omni ergo custodia oportet nos *Prov.* IV, 23. conservare cor nostrum, ne desiderium et amorem Dei, prava desideria cogitationesque sordidæ ab animis nostris detrudant ac pellant; sed assidua recordatione et memoria Dei, formam ejus quodammodo et figuram animarum nostrarum signaculis

A imprimamus, quæ nullis queant inde perturbationibus aboleri seu removeri. Sic enim desiderium nobis divinæ caritatis accedit, dum frequens ejus memoria mentem illustrat, et ad opus mandatorum Dei erigimus nosmetipsos ac suscitamus; et ex ipsis rursus caritatis operibus conservatur in nobis Dei caritas vel augetur. Et hoc puto ostendere Dominum dicendo aliquando, Joann. xiv, 15. Si diligitis me, mandata mea servate; Ibid. xv, 10. aliquando autem, Si facitis quæ dico, manebitis in dilectione mea.

Ex quibus docet nos, prospectum seu B intentionem et directionem operis nostri debere ex sua voluntate pendere ac suscipi, ut tanquam speculum quoddam Deum et ejus voluntatem habentes, et semper ad ipsum nostra opera referentes, fixos ad ipsum cordis oculos dirigamus ac teneamus. Quemadmodum enim artificia quæ in hac vita sunt, prospectum seu intentionem aut finem aliquem animo ingerunt, et ita juxta hoc quod animo artifices ipsi conceperint, ministerio manuum prosequuntur; sic et in omni opere nostro unus C manet iste prospectus, id est intentio sive finis, unusque terminus fixus est, ut scilicet Deo complaceamus. Propterea secundum istum prospectum et finem dirigamus opera nostra in Dei obsequio ac mandatis. Impossibile namque est aliter constare operis nostri formam, id est intentionem seu bonitatem actionum nostrarum esse stabilem ac valentem, nisi voluntas ejus qui opus injungit, semper in memoria habeatur, ut ejus voluntate servata et per laborem ac diligentiam operis adimpleta, semper jungamur complaceamusque Deo dum ejus semper memores sumus. Sic enim, verbi gratia, faber securim falcemve faciens semper meminit ejus qui opus injunxit, et retinet corde cujus magnitudinis aut qualitatis vel formæ injunxerit fieri opus; quod si obliviscatur, indebite faciet. Ita Christianus omnem considerationem, conatum, omneque studium adhibere debet in cunctis actibus suis, ut secundum voluntatem Dei, qui opus injunxit, omne suum dirigat opus, et ut actus sui virtutum bonitate ornentur, positque Dei voluntatem in omnibus adimplere et ei jugiter complacere. Et tunc poterit etiam adimplere quod scriptum est : Sive manducetis, sive bibatis, sive I Cor. x, 31. aliud aliquid faciatis, omnia ad Dei gloriam facite. Si vero declinet quis a lege seu regula, observantiamque mandati corrumpat, ex hoc ipso arguitur quod sit immemor Dei. — Hæc Basilius, cujus verba sententiosa sunt valde et efficaciter adimplenda.

Ideo in cunctis quæ agimus, Dei voluntatem præ oculis habeamus ; et taliter opera nostra ordinemus, decoremus, perficiamus, tamque reverenter et custodite quæ bona sunt exsequamur, ut per ea Deo uniri, complacere, ac debitam honorificentiam ei impendere valeamus.

SERMO QUINTUS

DE ENORMITATE FRATERNI ODII, MULTIPLICIQUE HOMICIDIO ; ET CONTRA DETRACTIONIS VITIUM.

QUI non diligit fratrem suum, manet D *in morte ; omnis autem qui odit fratrem suum, homicida est.* I Joann. III, **14, 15.**

Non poterat sanctissimus evangelista Joannes caritatem sublimius commendare, nec ejus oppositum, utpote odium, horribilius vituperare, nisi dicendo verba hæc thematis hujus. In quibus odium homicidio A comparat, et odientem homicidam appellat; eum quoque qui non diligit Deum ac proximum, asserit in morte, hoc est in mortali peccato, manere.

Quocirca quæri potest, an odium proximi sit gravius peccatum quam homicidium, vel saltem tam grave ut illud. Videtur enim quod imo. Nam optimum opponitur pessimo, quemadmodum malum bono. Unde, quemadmodum caritas Dei, absolute loquendo, est omnium virtutum dignissima, et odium Dei, omnium enormissimum vitiorum B; ita apparet, quod sicut caritas fraterna est cunctarum quæ circa proximum versantur virtutum altissima, sic odium proximorum sit universorum in proximos peccatorum gravissimum : sicque homicidio gravius erit. Imo, quum caritas Dei et proximorum habitualis, sit realiter una et eadem virtus, sequi videtur quod post odium Dei, enormissimum crimen sit odium proximi. Ad hoc S. Thomas respondet, quod peccata in proximum, ex duobus malitiam et gravitatem suscipiunt : primo, ex C inordinata voluntate peccantis; secundo, ex illato proximis nocumento. Primo modo odium homicidio et omni in proximum peccato est gravius, quia per ipsum præcipue in se ipsa deordinatur voluntas. Secundo modo homicidium est gravius odio, quia nocet plus proximo. Quum ergo tanta sit enormitas odii, inenarrabiliter vitandum est omni Christiano, potissimum religioso, cujus totus conatus, tota intentio, universa diligentia, esse debet ut in caritate Dei et proximorum jugiter crescat, et D indesinenter proficiat.

Porro, Thoma testante, odium directe et formaliter ex invidia seu tristitia oritur, quamvis dispositive nascatur ex ira. Siquidem omne animal sicut naturaliter diligit delectationem, ita et naturaliter fugit tristitiam inordinatam, ut decimo Ethicorum habetur. Ideo sicut ex delectatione quam unus ab alio et in alio habet, oritur quidam amor ad ipsum; ita ex tristitia quam ab alio quis incurrit ac patitur, odium concipit circa eum. Eos namque qui quemquam contristant incitatur odire, in quantum sub ratione mali et afflictivi concipit eos. Quum ergo invidia sit de bono alicujus tristitia, constat quod odium directe ex invidia oriatur. Hinc innotescit quam diligentissime vitare debeamus ne aliquem contristemus inordinate, aut irrideamus, seu indebite affligamus, ne ei tam mortalis gravissimique peccati, videlicet odii, simus occasio. Et quia invidia ex ira causatur, ira autem ex parvipensione aut injuria alicui irrogata, etiam vitare oportet nos ne quempiam concitemus ad iram irrisione, læsione, verbo aut signo, aut alio modo, ne poculum mortis proximis porrigamus, quibus vitæ exempla exhibere tenemur. Propter quod Solon philosophus dixit : Non derideas aliquem, quoniam ex derisione procedit invidia. Quumque melancholici sint ad tristitiam atque invidiam naturaliter proni, specialiter est cavendum ne quis odii sive invidiæ occasionem aut incitamentum eis ministret : alioqui de mortali timeat culpa, quia omnino caritas id requirit.

Insuper, sicut hic ait Apostolus, « Omnis qui odit fratrem suum », id est aliquem hominem viatorem, « homicida est », scilicet opere vel effectu, aut similitudine culpæ. Nam et odiens quemquam aut invidens ei, in primis se ipsum spiritualiter necat : ideo sibi ipsi gravissime nocet. Specialiter vero odium et invidia etiam in hac vita sunt miserrimi hominis gravissime afflictiva, corrosivaque cordis, et vitæ abbreviativa, Salomone loquente : Sicut tinea vestimento, ita tristitia nocet cordi. Ideo invidus sive odiens stultissimus comprobatur, quoniam propriam animam ita dilaniat, corrodit ac torquet. Unde hæc vitia præcipue essent cavenda, quamvis non essent post vitam hanc punienda. Quemadmodum autem melancholici non sunt ad odium aut invidiam incitandi, sic et ipsi cavere debent ea quæ aliorum sunt offensiva, et passiones illas gravissimas ad quas ex suæ complexionis malitia sunt procli-

1 *Joann.* III, 15.

Prov. XXV, 20.

ves reprimere, quanquam hoc ipsum sit A ipsis difficile : unde compatiendum et cedendum est eis ex caritate et pietate fraterna. Ipsi quoque auxilium Dei incessanter implorent, quo vincere queant se ipsos. Verumtamen nos religiosi debemus esse tam virtuosi, tam fortes tamque perfecti, ut nullus quantumlibet importunus et improbus, possit nos ad tam abominabilia provocare peccata ut sunt odium atque invidia, sed neque ad iram. Ideo patientiam veram et firmam incessabiliter habeamus, et in derisionibus, subsannationibus, B persecutionibus, adversitatibus, quasi in omnibus divitiis gloriemur, tribulatoribus ex corde regratiantes. Nam ut sanctus ait Basilius, tales maximum nobis beneficium præbent, et maxime prosunt, dummodo æquanimiter toleremus : quia per eos purgamur a culpa implemurque gratia, Christo propter nos passo conformamur, atque æternæ beatitudinis incrementum sortimur.

Præterea, prout sanctus martyr, ac doctor et Pontifex summus, S. Clemens testatur, C beatissimus princeps Apostolorum Petrus dixit triplex esse homicidii genus. Unum reale et corporale, quo alicui aufertur vita naturæ. Secundum asseruit esse odium, quo quis alicui aufert aut auferre cupit vitam gratiæ. Tertium dixit detractionem, quo aufertur esse laudabilis famæ. Quum ergo, tam gloriosissimo Archiapostolo protestante, odium atque detractio sint homicidii genera, patet quam vigilantissime sint vitanda. Et certe qui alium scandalizare non veretur, nonne animam D illius quantum in se est trucidare cognoscitur? Porro, quum peccata in proximum tanto sint graviora, quanto nociviora seu magis nocumentum inferentia, et ipsa detractio auferat proximo bonam famam, quæ exteriori substantiæ rite præfertur, innotescit quod detractio sit gravius crimen quam rapina aut furtum. Et sicut rapina est gravior furto, quia majorem injuriationem et contemptum includit quam furtum; sic contumelia est gravior culpa quam detractio. Idcirco summe cavendum est ne quis alteri contumeliose loquatur. Seminatio vero discordiæ quum caritatem et amicitiam atque concordiam tollat (quæ sunt præcipua animæ bona, et bono famæ præstantiora), est scelus gravissimum : præsertim quum non solum tam ingentia auferat bona, sed etiam tam periculosissima ingerat mala, puta aversionem, discordiam, odium. Qui ergo tam detestabilia non abhorret ac vitat facinora, ipse quoque habitu ac nomine religiosi prorsus indignissimus verissime reputatur. Absint ergo et distent a nobis hæc scelera distantia infinita; et verbis, signis et factis, omnique modo nobis possibili, ac viribus totis conemur nos mutuo in vera caritate, pace, concordia confovere, roborare, accendere, ac jugiter conservare, quum et sapiens quidam dicat : In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : amor proximorum, concordia fratrum, et vir et mulier bene sibi consentientes. Susurro autem et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes.

Eccli. xxv, 1, 2; xxviii, 15.

Porro multis modis unus detrahit alteri : primo, ei falsum imponendo; secundo, vere de eo loquendo ea quæ denigrativa sunt famæ, quando hoc facit intentione perversa, ut sic famam ejus commaculet, et ratione non exigente, videlicet loco et tempore non opportuno; tertio, occulta revelando; quarto, dum id quod bonum est asserit mala intentione peractum : in quo etiam temerarii judicii reus est. Est itaque detractio valde mortale ac nimis grave peccatum, præsertim in religiosis. Nec solum obest ei cui detrahitur, sed audientibus quoque, qui vel consentiendo, aut libenter audiendo, aut non resistendo seu fugiendo, de facili incidunt mortale peccatum; conformiter audiendo malum de altero, scandalizari possunt in illo et animari ad prava. Hinc contra detractionem Sancti terribiliter conscripserunt. Est autem detractio locutio ex prava radice procedens, intentione denigrandi famam aliorum prolata. De qua sanctus ait Hieronymus : Nulli omnino unquam detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis; magis tuam vitam ornare disce, quam alienam discerpere.

Insuper de hoc vitio sapientissime sic sanctus scribit Bernardus : Annon amittunt vitam detractores, Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit; et quos fugit vita, mori necesse est. Annon et ipse moritur qui venenum bibit, quod ei malesuada detractoris lingua propinat? Siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur; et dum nescit, in eo paulatim fraterna caritas refrigescit. Auditurus est forsitan ea quæ dicta sunt contra se, ipse quoque cui detrahitur : undique enim verba volant, et multorum prius ora pertransiens sermo, difficile fieri potest quin in singulorum creverit linguis, et quasi jam provectus referatur ad eum ad cujus spectat offensam. Itaque scandalizabitur audiens et tabescet; eoque facilius exstinguetur in eo caritas, quo amplius ante vivere videbatur. Et quidem sibi cavet prudens auditor; cavet et ipse, si non desipit, qui sibi novit esse detractum : ille ne veneno inficiatur, iste ne scandalo perturbetur. Sed quod in se est, lingua detractoris maledica, et illius percutiens conscientiam, et istius vulnerans caritatem, secum pariter utrumque perimit. Numquid non est vipera lingua ista? Ferocissima plane, quæ tam letaliter tres inficit flatu uno. Numquid non lancea est lingua ista? Profecto etiam acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Gladius utique anceps, imo et triceps, est lingua detractoris.

Caveamus ergo tam detestabile vitium, ejusque fomitem, scilicet irrationabilem displicentiam, impatientiam, aversionem, invidiam, appetitionem laudis humanæ : ex his namque causis, aut earum aliqua, solet oriri detractio. Ideo caritativi simus, timorati et humiles, custoditi in verbis; et caritatem nostram ad proximum opera magis loquantur quam verba, in tantum ut sicut Christus animam suam pro nobis exposuit, ita et nos in tantum diligamus nos invicem, ut casu se offerente parati simus pro fratribus nostris animam ponere, id est vitam corporalem morti offerre, quia illorum salutem seu animam magis quam propriam vitam corporalem tenemur diligere. Verum de ista materia inferius intendo diffusius loqui, præsertim de detractione. Hæc igitur jam prædicta modo sufficiunt.

Joann. x, 15.

SERMO SEXTUS

DE MULTIPLICI CŒNA, ET TRIBUS PRINCIPALIBUS VITIIS PER QUÆ HOMINES A DIVINÆ CŒNÆ PARTICIPATIONE PRÆPEDIUNTUR.

H*OMO quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.* Luc. XIV, 16.

Est cœna corporalis, de qua legitur : Ante sex dies Paschæ venit Jesus Bethaniam, et fecerunt ei cœnam ibi. Est etiam cœna spiritualis, de qua in Apocalypsi ait Salvator : Ego sto ante ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Tertia est cœna sacramentalis, quam passione sua instante fecit Christus Apostolis suis, sacramento corporis et sanguinis sui eos reficiens. Quarta est cœna infernalis, quemadmodum scriptum est : Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Quinta est cœna beatificæ fruitionis, de qua in Apocalypsi fertur : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. De qua in

Joann. XII, 1, 2.

Apoc. III, 20.

Ps. XLVIII, 15.

Apoc. XIX, 9.

evangelio hodierno fit mentio. Ad quam A etiam cœnam illi dumtaxat pertingunt in quorum cordibus Deus in vita hac spiritualem peragit cœnam, habitando in eis *Ephes.* III, 17. per fidem caritate formatam, atque in eorum bonis actibus delectando.

Ab hac spirituali cœna atque a cœna cœlesti, a digna quoque perceptione sacramentalis edulii impeditur homo per mortale peccatum, et præcipue per tria mortalia vitia, quæ sunt: superbia sive ambitio, avaritia sive cupiditas, et luxuria seu carnalis affectus. Ab his igitur vitiis nos specialiter B emundari necesse est et cavere: et primo, ab omnium radice ac turbido fonte et male fecunda origine vitiorum, superbia, quæ angelos vertit in dæmones, et homines dæmonum facit imitatores, *Is.* XIV. ac primi illius apostatæ (qui in veritate non stetit) *Joann.* VIII, 44. servos et membra ac filios, dicente Scriptura: Ipse est rex super universos filios superbiæ. *Job* XLI, 25. Estque superbia coram Deo et hominibus odibilis: *Eccli.* X, 7. præsertim coram vere religiosis et humilibus, inter quos humilior, exemplarior, devotior, amplius reputatur. C Inter quos tamen interdum invenitur et Satan, videlicet aliquis apparenter humilis et ficte devotus, secrete autem superbus et gloriæ cupidus, promotionis prælationisque avidus. Qui quum intentum nequeat adipisci si sua innotescat elatio, humilitatem foris ostendit, quum intus ad vana adspiret: et decipit miser et excæcatus in primis se ipsum, non Christi, sed Luciferi sequens vestigia; interdum vero fallit et alios, et justo ac metuendo Dei judicio permittitur sortiri cupitum D ad majorem suam damnationem, vel propter plebis iniquitatem, faciente Deo regnare hypocritam propter peccata populi. *Job* XXXIV, 30. Nec solum ambitiosi, vani, elati sunt qui taliter ad prælationem adspirant, sed et qui in ea inordinato affectu manent et privari verentur, qui et variis suspicionibus sæpius affliguntur. Hinc ait Bernardus: Ambitio mater hypocrisis, latebras amat et tenebras, ac lucis impatiens est. Quum enim prorumpit in impudentiam, efficaciam perdit; et quum improbus affectus se aperit, perit effectus. De hoc vitio maledicto iterum ait S. Bernardus: Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater invidiæ, vitiorum origo, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos generans, ex medicina languorem. O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus placens! Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat: nil tamen apud miseros mortales crebrius sive celebrius negotiis ejus.

Fugiat ergo omnis religiosus malum tam enorme et inquietum; cupiat subesse et obedire, nesciri et parvi pendi, non præesse, apparere aut dominari, ut sic directe feratur in Deum, nec impie recurvetur ad semetipsum: alioqui innumerabilibus involvetur peccatis ex sua ambitione nascentibus, quia ut ait Gregorius, Numerari culpæ non queunt quæ ex ambitione procedunt; et rursus, Quoties (inquit) hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. Nonne ex ambitione nascuntur viles adulationes, adulatoriæ attractiones, pœnales ac stolidæ suspiciones, debitæ correptionis ac correctionis omissio, personarum acceptio, invidia, simulatio, falsitas, et multa prorsus similia vitia æternaliter detestanda, omnique religioso in infinitum odienda ac fugienda, atque, ut brevi concludam compendio, in omni pene quod agitur inordinata ad se ipsum reflexio? Si ergo, o religiose, cupis vere proficere, tuæ professioni satisfacere, puram et rectam coram Deo intentionem habere, fuge hoc infernale venenum, et in sincera ac stabili humilitate te inviolabiliter funda.

Porro, quum sit duplex superbia, puta carnalis et spiritualis, carnalis superbia, quæ de nobilitate progeniei, opulentia rerum, multitudine cognatorum, potentia, principatu, fama, honore, ac consimilibus causis concipitur, in sæcularibus solet vigere hominibus; spiritualis vero superbia, quæ ex interiorum donorum excellentia, ingenio, scientia, aut quasi præcipua devotione, seu ex eminentia meritorum concipitur, in religiosis solet quibusdam regnare : quum tamen hæc omnia Dei sint dona, et a se ipso nil nisi deficere, indigere, peccare habeat homo ; atque ob id oporteat unumquemque nostrum tanto esse omnium fonti bonorum magis gratum ac subditum, quanto ab eo eminentiora et plura sortitus est dona. Præterea, quomodo quasi de eminentia meritorum et speciali devotione possumus gloriari, intumescere, *Eccle.* IX, 1. aut alicui nos præferre, qui an amore an odio digni consistimus ignoramus, nec aliorum secretiora bona cognoscimus, de quibus et latet nos an æternaliter nos præcedent in gloria, aut quales sint in prædestinatione divina ?

Considera ergo te ipsum per comparationem ad tuum Creatorem, cujus respectu nihil es, et ita te profundissime humiliabis ; et item, per comparationem ad Sanctos in patria, quorum respectu omnis tua virtus et sapientia modici est momenti ; et rursus, per comparationem ad Patres in hoc sæculo olim degentes aut adhuc peregrinantes, quorum respectu te defectuosum esse conspicies. Considera quoque quanta mala bonis tuis permixta sint, quantæ distractiones, negligentiæ, irreverentiæ, inordinationes : ita ut Isaias verissime *Is.* LXIV, 6. sit locutus, Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Et hoc ipsum *Sap.* VIII, 21. boni quod in eis est, Dei est et a Deo est, et ei cum humilitate et gratiarum actione adscribi oportet. Sicque similis comprobaris improbo servo, qui pretiosissimo balsamo sibi a domino suo in scypho oblato, sordes urinarum miscet ac stercorum. Sic namque devotioni, compunctioni, illuminationi, inflammationi, omnique gratiæ nobis desuper communicatæ, nostras miscemus evagationes, torpores, dissolutiones, irreverentias, carnalitates et defectuositates, A atque inordinatas affectiones. Considera quoque quantum omnis cultus et honor quos exhibes Deo, distent a cultu et honore quibus dignus est ipse : qui quum sit dignitatis et sanctitatis ac sapientiæ penitus infinitæ, immensa reverentia dignus esse cognoscitur. Considera etiam per comparationem ad vitia tua quotidianaque mala, et per respectum ad ea quibus expositus nunc consistis pericula. Vide quia ex nihilo factus es, et in tantum divinæ bonitatis ac omnipotentiæ conservatione B incessabili indiges, quod nec ad momentum sine ea subsistere vales. Attende naturales tuas ærumnas, indigentias, sordes, fœtores ac vilitates. Perpende quam cito ac faciliter possis lædi, perterreri ac dejici. Si itaque his respectibus te ipsum rite consideraveris, tibi ipsi procul dubio displicebis, vilesces et humiliabis te ipsum ; non præesse optabis, sed divini rigorem judicii formidabis.

Sic igitur omnem in perpetuum elationem, ambitionem, vanitatem spernamus ; C omnem sensualem affectum, concupiscentiam pravam, et quidquid carnalem excitat motum, vitemus. Ad nihil terrenum inordinate afficiamur, non ad vestem, cellam, instrumenta, utensilia, aut quæcumque similia ; sed in omnibus talibus solam necessitatem veramque utilitatem quæramus, ne per inordinatæ affectionis seu illicitæ delectationis admixtionem, divini incurramus amoris minorationem. Sic igitur per sollicitam cordis custodiam, per sensuum refrenationem, per loquacitatis D repressionem, per divini obsequii exsecutionem ferventem, per fructuosam temporis deductionem, per indefessam boni instantiam, ad cœnam tendamus ac properemus cœlestem. Ad quam perducere nos dignetur qui se ipsum nobis dedit in cibum, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus super omnia benedictus. Amen.

DOMINICA III POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

HUMILIAMINI SUB POTENTI MANU DEI, UT VOS EXALTET, ETC. I Petr. v, 6-11.

GLORIOSUS apostolici chori princeps, A sacratissimus Petrus, in præsenti epistola verbis perpaucis instruit nos multis saluberrimis documentis : et primo, ut humiles coram Altissimo jugiter simus. Itaque ait : *Humiliamini,* id est, vos ipsos sponte et caritative humiliate, parvos, imperfectos et viles reputate, *sub potenti manu Dei,* id est sub Deo omnipotente, vel sub ejus potestate atque justitia. Manus etenim Dei, potestas ejus potest intelligi, juxta *Ps.* xx, 9. illud in Psalmo : Inveniatur manus tua, Domine, omnibus inimicis tuis. Imo justitia B Dei sive potestas in quantum per eam percutit peccatores, recte vocatur manus Dei. Quum ergo Deus judex noster omnipotentem habeat manum qua impios corrigit, debemus sub tanti judicis manu humiliari, nostra fatendo peccata, ejusque *Ps.* cii, 10. misericordiam implorando, ut non secundum peccata nostra faciat nobis. Porro in prima sua epistola, gloriosus Archiapostolus ante hæc verba immediate præmisit : I *Petr.* v, 5. Omnes in invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem C dat gratiam. Protinusque adjunxit verba exposita, quorum rationem subjungit : *ut vos exaltet,* id est, in cœlesti regno sublimet, *in tempore visitationis,* id est tempore judicii vestri, seu particularis seu universalis. Item visitatio Dei aliquando in Scripturis in bono accipitur, utpote pro gratioso et pio accessu ad homines *Luc.* i, 68. (quemadmodum Zacharias ait : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ ; itemque in Psalmo, Visita nos, Domine, in salutari *Ps.* cv, 4. tuo) ; interdum in malo, puta pro ultione divina, ut quum per Sophoniam Dominus loquitur : Visitabo super viros defixos in *Soph.* i, 12, 9. fæcibus suis, et super omnem qui arroganter ingreditur. Huic verbo Archiapostoli consonat testimonium Salvatoris dicentis : Omnis qui se humiliat, exaltabitur. *Luc.* xiv, 11; xviii, 14.

Insuper S. Petrus cautos nos facit, et armat salutaribus valde doctrinis contra adversarios nostræ salutis, invisibiles hostes. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis,* id est, sollicitudo vestra sit ordinata, non immoderata et anxia, sed in Deo radicata, ut ei vos committatis, certi de providentia ejus, non tamen facere negligentes quod in vobis est, quia hoc esset Deum tentare. Hinc ait Psalmista : Jacta *Ps.* liv, 23. super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Verum de expositione hujus verbi plenius in sermone dicetur.

Sobrii estote : quia sobrietas rationem confortat, sapientiamque custodit, et ad multas disponit virtutes, estque necessaria prorsus ad pugnandum contra invisibiles hostes. *Et vigilate,* sicut et Cato docuit :

> Plus vigila semper, somno ne deditus esto :
> Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Itaque « vigilate », id est, bonis operibus diligenter insistite, atque solliciti semper estote ne Deum in aliquo offendatis A : *quia adversarius vester diabolus,* qui pessimo et implacabili odio odit nos, quia nil aliud quærit nisi damnationem nostram æternam, nec minus malum sufficit ei de nobis, *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Nempe, ut divinus De Divin. nom. c. iv. Dionysius adstruit, in dæmonibus sunt phantasia proterva, amens furor et irrationabilis concupiscentia. Ideo instar rugientis leonis circuit, tam spiritualiter quam suo modo localiter. Spiritualiter etenim circuit, quia undique nos considerat, et B omnium discutit mores, inclinationes advertit, et qualiter facilius damnabiliusque decipere possit, examinat, quemadmodum Leo Papa testatur. Localiter quoque circuit, quia nunc istum tentat, nunc illum, et de uno pergit ad alium, quemadmodum Job i, 7; ii, 2. in libro Job ait ad Dominum : Circuivi terram et perambulavi eam. Quærit autem « quem devoret », id est, ad mortale peccatum inducat, sicque illum sibi incorporet, spiritualiter perimat, et ab inferno absorberi procuret. Porro, quod ait, « adversari- C us vester diabolus », non de uno dumtaxat est intelligendum diabolo, sed de multis et universis qui homines tentant, quia et quilibet homo ab uno creditur singulariter infestari.

Cui resistite fortes in fide formata, ut firmissime credatis Deum paratum vobis succurrere, ejusque adjutorium fiducialiter imploretis, et per caritatem Deo adhærentes resistatis diabolo, orando, Christi passionem pensando, divina mandata præ oculis retinendo, Dei judicium formidan- D do, futuram retributionem considerando. Ephes. vi, 16. Hinc ad Ephesios scriptum est : In omnibus sumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Unde in prima Joannis Canonica legitur : I Joann. v, 4. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. *Scientes eamdem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri,* id est, hoc pensantes, quod eadem impugnatio, passio sive tentatio quæ fit vobis, etiam fiat quotidie fratribus vestris, cunctis fidelibus per mundum dispersis : ideo vos non soli tentamini. Imo tentatio est vita cujuslibet hominis super terram. Job vii, 1. Unde Judith dixit : Omnes qui Deo placuerunt, Judith viii, 23-25. per multas tribulationes transierunt fideles; qui autem tentationes non susceperunt in timore Domini, impatientia sua exterminati sunt.

Deus autem omnis gratiæ, utpote gratiæ prævenientis et subsequentis, gratiæ incipientis, prosequentis et consummantis dator et conservator. Potest autem hoc loco per gratiam omne donum Spiritus Sancti supernaturale omnisque virtus infusa intelligi. *Qui vocavit nos in æternam gloriam suam,* id est, ad cœlestem felicitatem nos invitavit, sicut ad eam creavit nos. *In Christo Jesu,* id est per Christum, quia exordium prædicationis Christi fuit : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Matth. iv, 17. regnum cœlorum. Et Christus ait in Psalmo : Annuntiavi et locutus sum, multi- Ps. xxxix, 6. plicati sunt super numerum. Unde et Paulus ait : Deus vult omnes homines salvos I Tim. ii, 4. fieri. Vel, « in Christo Jesu », id est merito Christi, quia merito ejus homines misericordiam consequuntur. Propter quod ait Apostolus, quod Deus elegit nos in Ephes. i, 4. Christo, ut scilicet effectum prædestinationis æternæ merito Christi obtineamus. *Modicum passos,* quia omnis afflictio vitæ præsentis, modicissimi est momenti respectu futuræ felicitatis, juxta illud : Non Rom. viii, 18. sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. *Ipse perficiet* gratiam quam incepit in vobis, et *confirmabit* vestram fragilitatem (sicut ait Apostolus : Optimum est gratia stabiliri cor), Hebr. xiii, 9. *solidabitque* dilectionem suam in vobis; vel, « perficiet » rationem, « confirmabit » voluntatem, « solidabitque » memoriam.

Ipsi gloria, id est infinita lætitia seu fama clarissima, *et imperium,* id est universorum dominium primum et summum, quoniam ipse solus est Rex regum et Dominus universorum. Apoc. xix, 16. Propter quod ait per Isaiam : Ego Dominus, hoc est nomen meum; Is. xlii, 8. gloriam meam alteri non dabo. Et Psal-

Ps. LXV, 7. mista : Qui dominatur in virtute sua in æternum. *In sæcula sæculorum, Amen,* id est, æternaliter, fiat. Et vere sic est, juxta illud Psalmistæ : Regnum tuum regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generatione. Ps. CXLIV, 13.

SERMO PRIMUS

QUIBUS MODIS ET MEDIIS STUDERE DEBEANT FIDELES POTENTEM DEI MANUM EVADERE, EJUSQUE MISERICORDIA SALUTEM CONSEQUI.

SOBRII estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. I Petr. v, 8.

Summus prælatus ac beatissimus pastor totius Ecclesiæ, S. Petrus, de ovium sibi commissarum salute sollicitus, in præsenti epistola vere saluberrima ac sententiosissima nobis dat documenta. Et primo docet ut coram Deo semper humiles simus, quoniam virtutum omnium fundamentum est humilitas, sine qua qui virtutes colligere aut tenere conatur, similis ei est qui pulveres in aere ferre conspicitur. Et quamvis sint multa quæ ad humilitatem nos possunt inducere (de quibus in nonnullis sermonibus de humilitate factis plura sunt introducta), unam tamen rationem humiliandi se tangit in præsenti I Petr. V, 6. epistola S. Petrus : Humiliamini (inquiens) sub potenti manu Dei.

Consideratio ergo omnipotentiæ Dei creatoris ac judicis nostri, ad profundam humilitatem nos debet inducere. Primo, quoniam comparatione Dei et omnipotentiæ ejus, nihil et infirmissimi sumus, quemadmodum Psalmista loquitur Deo : Ps. XXXVIII, 6. Substantia mea tanquam nihilum ante te. Deus namque in infinitum excedit essentiam, scientiam atque potentiam nostram. Secundo, quoniam coram Judice summo metuendissimoque jugiter ambulamus : Job XLI, 1 ; Esther XIII, 9. cujus nec omnipotentiæ valemus resistere, nec sapientiæ respondere, qui et omnia etiam minima certissime noscit at- Job IX, 3. que justissime judicabit ; sed per solam humilitatem ac pœnitentiam manum ipsius evadere, atque ab ejus misericordia salvari valemus. Unde, secundum Augustinum, quia non possumus a divina justitia ac omnipotentia fugere, debemus ad Dei pietatem confugere, eique dicere : Ps. L, 5. Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Hinc Job dixit : Job XXIII, 13, 15. Cogitationem Dei nemo avertere potest; et quodcumque voluit, fecit : idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Judith quoque ait : Judith VIII, 16. Humiliemus Deo animas nostras, et in spiritu contrito et humiliato serviamus ei. Tertio, quoniam quidquid boni in nobis est, a Deo judice nostro accepimus, et ei de hoc regratiari tenemur ; ac inde inaniter gloriari, extolli, præsumere prohibemur. Ideo ait Salvator : Luc. XII, 48. Cui plus datum est, plus requiretur ab eo.

Si igitur ab Omnipotente desideramus in cœlestibus exaltari, et nunc quoque ejus gratiis adimpleri, non cessemus nos sub Omnipotente nunc humiliare, nos ipsos despicere, proprias defectuositates, fragilitates, pericula et peccata inspicere, in sola Creatoris misericordia infinita sperare, eumque mente, verbis atque operibus omni cum diligentia honorare. Ipse enim primo Regum testatur : I Reg. II, 30. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Hinc ait Ambrosius : Quisquis cupit divinitatis obtinere fastigia, humilitatis ima sectetur.

Quicumque vult fratrem seu proximum A prævenire in cœlis regnando, prius illum in terra præveniat obsequendo, sicut ait Rom. xii, 10. Apostolus, Honore invicem prævenientes; vincat eum officiis, ut possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequium promeretur ut diligas eum; si autem fortassis te læsit, nihilo minus obsequere ei ut vincas. Hæc enim christianæ sapientiæ summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo ad injuriam patientior ac humilior fuerit, in regno cœlesti potentior B atque sublimior erit.

Secundo, in ista epistola docet nos princeps I Petr. v, 7. Apostolorum, ut omnem sollicitudinem nostram projiciamus in Deum, hoc est, ut ei curam nostram ac provisionem fiducialiter committamus, quoniam ipsi cura est de nobis, secundum quod ait Ps. xxxix, 18. Propheta : Dominus sollicitus est mei. Hinc Matth. vi, 31-33. loquitur Christus : Nolite solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ? Scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus C indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

Verumtamen ista intelligenda non sunt, quasi homo non debeat moderatam habere sollicitudinem de necessariis sibi ad victum. Est ergo sciendum, quod duplex est sollicitudo. Una est circa spiritualia et necessaria ad salutem, videlicet, ne Deum offendamus, ne caritatem et gratiam aliasque virtutes perdamus, ne beatitudinem amittamus cœlestem, et ne infernalia in- D curramus supplicia. Ista est sollicitudo bona ac virtuosa, ad prudentiam ac sapientiam pertinens. De qua ait Apostolus : Ephes. iv, 3. Solliciti sitis servare unitatem spiritus in Mich. vi, 8. vinculo pacis; Michæas quoque : Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique sollicitum ambulare cum Deo tuo. Alia est sollicitudo circa temporalia et necessaria vitæ præsenti : et hæc sollicitudo potest esse ordinata ac inordinata. Est equidem ordinata, dum homo secundum exigentiam sui status quærit necessaria vitæ in ordine ad spiritualia ac divina : quam non habere esset, secundum communem legem loquendo, Deum tentare. Inordinata vero ac superflua est, dum homo circa temporalia et exteriora bona tam immoderanter et anxie occupatur, quod a virtutum operibus impeditur, vel talia abundantius quærit quam necessaria sunt. De qua sollicitudine loquitur Christus, et item Apostolus : Volo (inquiens) vos sine sollicitudine esse; I Cor. vii, 32. et rursus, Nihil solliciti sitis; Salomon Matth. vi, 25; Philipp. iv, 6. quoque : Exspectatio sollicitorum peribit. Prov. xi, 7.

Debemus ergo sollicitudinem nostram in Deum projicere, ita quod nequaquam immoderanter pro temporalibus sollicitemur, sed divinæ nos committamus providentiæ, peracto quod in nobis est. Hinc ait Gregorius : Qui rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, quum sollicitudine ad interiora refugiunt, quum nequaquam foras perturbationum strepitus diligunt, sed intus in tranquillitate mentis quiescunt. Sit ergo sollicitudo nostra ordinata ac virtuosa; et quanto anima corpore exstat præstantior, tanto amplius pro spiritualibus Spiritus Sancti donis quam pro rebus sollicitemur terrenis.

Tertio, docet nos sacratissimus Petrus apostolus, ut sobrii simus, non crapulosi, I Petr. v, 8. sed moderati ac parci in cibo potuque, quatenus mens nostra vigeat in consideratione divinorum ac pertinentium ad salutem, nec obliviscatur quanta sibi instent pericula, qualiterque a dæmonibus sit vallata. Hinc asserit Augustinus : Sobrietas est mentis ac sensuum omniumque membrorum custodia seu cautela, castitatis pudicitiæque munimen, pacis ac amicitiæ conservatrix; honestati semper conjuncta, temeritatem fugit, domum atque familiam cum moderatione gubernat. Denique ista sobrietas vitam prolongat, sanitatem efficit et conservat, mentemque acuit, illuminationem divinam meretur. Ideo scriptum est, Sanitas animæ et corporis est sobrius Eccli. xxxi, 37.

potus : nec dubium quin et sobrius cibus. A

In bonis demum operibus debemus esse diligentes, et circumspecti ac stabiles, I *Petr.* v, 8. non ignavi, remissi et pigri, quia adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens indesinenter qualiter nos seducat et ad æternam calamitatem perducat. Cui fide robusta per caritatem et bonos actus formata debemus resistere, divinum auxilium invocando, Christi passionem diligenter ac multoties recolendo, præsentis vitæ brevitatem, futuri judicii districtionem, æterni supplicii intolerabilitatem, B cœlestis gloriæ immensitatem sagaciter intuendo, quemadmodum in Eccle- *Eccli.* vii, 40. siastico scriptum est : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Consideremus ergo crudelitatem, infatigabilitatem atque implacabile odium dæmonum contra nos, et quanta damna nobis inferre conentur : sicque contra eos magnanimiter provocemur, humilitatem, patientiam, sobrietatem, caritatem, ceterasque amplectendo virtutes, et per eas repugnando dæmonibus, quos gravius cruciare non C possumus, nisi ita agendo. Hinc S. Cyprianus, martyr, doctor ac pontifex, loquitur : Contra omnes diaboli fallaces insidias apertasque minas stare debet instructus animus et armatus, tamque paratus ad resistendum, quam paratus est ille ad impugnandum.

Præterea, ad resistendum diabolo incitat nos S. Bernardus, dicendo : Dæmonum est mala suggerere, nostrum est non consentire ; quoties eis resistimus, toties eos superamus, angelos lætificamus, Deumque D honoramus, qui incitat ut pugnemus, adjuvat ut vincamus, confortat ne deficiamus. Et ut idem ait Bernardus : In principio gravior est impugnatio dæmonum ; sed si quis forti animo sustinuerit atque restiterit, inveniet eos quotidie debiliores. Hinc resistendum est principio diabolicæ tentationi, videlicet pravæ suggestioni : quia ut ait Chrysostomus, diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, hoc est primæ suggestioni, non resistatur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur. Insuper unusquisque contra ea vitia fortius prælietur, ad quæ se proniorem consistere experitur : quoniam teste Chrysostomo, diabolus quando decipere quempiam quærit, prius ejus naturam considerat, et inde applicat unde eum conspicit ad peccandum procliviorem.

Sit ergo tota spes nostra in Deo, et projiciatur in eum nostra sollicitudo, ne circa temporalia superflue occupati, impediamur a Dei obsequio, a contemplatione et amore summi et incommutabilis boni.

Legitur de Diogene philosopho, quod dum quadam nocte jaceret in lecto, et sacculum cum pecunia suspendisset prope lectum, ne furto ei abstraheretur, in ipsa nocte fur cameram ejus introiit, sacculumque cum pecunia tollere nitebatur. Quod quum sensisset Diogenes, dixit ad furem : Tolle, miser, hunc sacculum, ut facias duos dormire. Hoc autem dixit Diogenes, quoniam ipsemet quamdiu habuit illum cum pecunia sacculum, timuit eum amittere, sicque impediebatur a somno. Fur quoque aviditate acquirendi pecuniam illam, impediebatur a somno ; sed eam adeptus, ambo dormierunt quietius. Divitiæ namque cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore perduntur : ideo expedit eas contemnere, et solis necessariis esse contentum.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ERANT APPROPINQUANTES AD JESUM PUBLICANI ET PECCATORES, ETC. Luc. xv, 1-10.

QUIA Dominus noster Jesus Christus A *Luc.* v, 32. ad hoc venit in mundum, ut peccatores ad pœnitentiam ac salutem vocaret, idcirco se eis pium et compassivum exhibuit : atque ob hoc illi fiducialiter confluebant ad eum. Et hoc in evangelio isto describitur. Ait itaque Lucas :

Erant appropinquantes ad Jesum publicani, qui publicis quibusdam intendebant negotiis, utpote vectigalia seu tributa exigendo, levando aut conducendo. Et quoniam tale officium fit raro aut nunquam sine peccato, Pharisæi et Scribæ B publicanos reputabant magnos atque notorios peccatores. Hi ergo *et peccatores,* id est, qui minus vitiosi fuerunt aut reputabantur, quam publicani. Isti appropinquaverunt Christo quantum ad suam humanitatem corporaliter, quia localiter accesserunt ad eum; et quantum ad suam deitatem appropinquabant ei spiritualiter, per conversionem seu dispositionem cordis sui ad caritatem et gratiam, seu unionem virtuosam cum Deo, secundum quod *Jacob.* iv, 8. Jacobus ait : Appropinquate Deo, et C appropinquabit vobis. *Ut audirent illum,* id est prædicationem Christi, auribus mentis et corporis. Christus enim quosdam illorum gratiose jam tetigit et prævenit, intusque traxit ad se. Qualiter autem propter diversas causas homines confluxerunt ad Christum, dictum est sæpe. Siquidem concurrerunt ad eum propter miraculorum ejus frequentiam, propter suæ eloquentiæ eminentiam, ob vitæ suæ sanctitatem, ob nominis sui famam, ob morum suorum venustatem, ob vultus et corporis sui de- D corem, et quia valde consolatorius fuit ejus adspectus atque affatus.

Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic Jesus *peccatores recipit, et manducat cum illis.* Quasi dicant, Non licet : quum Scriptura dicat, Viri *Eccli.* ix, 22. justi sint tibi commensales. Et Psalmista, Superbo (inquit) et insatiabili corde, cum *Ps.* c, 5. hoc non edebam. Sed Christus, qui peccare non poterat, et idcirco venerat ut pec- *Luc.* v, 32. catores converteret, non solum absque periculo, sed cum ingenti etiam fructu peccatoribus se adjunxit, eisque convesci dignatus est; nec prætactis auctoritatibus prohibebatur quin justi hac intentione possent se peccatoribus sociare, ut eos ad Dei obsequium perpetuamque salutem inducerent. Porro Pharisæi, qui erant religiosi Judæorum, et Scribæ, qui fuerunt doctores eorum, non vere caritativi ac justi, sed magni et sapientes in oculis *Is.* v, 21. suis, atque mendaciter justi, indignati sunt de misericordia Christi in peccatores, de qua gaudere et gratias agere debuerunt. Falsa quippe justitia habet indignationem, vera justitia compassionem, secundum Gregorium.

Insuper, Christus solitus uti parabolis, consequenter inducit parabolam qua ostendit Pharisæorum ac Scribarum errorem, seque agere quod ad suum spectabat officium : quod fuit peccatores convertere, perditos quærere, mortuos per culpam *Luc.* xix, 10. vivificare per gratiam, et eos qui per errores ac vitia erant dispersi, per fidem *Joann.* xi, 52. et caritatem in Deo colligere.

Et ait ad illos parabolam istam, dicens : Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit unam, etc. Parabola ista plana est, atque ad declarandum Christi intentum aptissima. Etenim aliud per eam probare non voluit, nisi quod ex quo homo multas possidens oves, si unam amiserit, diligenter eam inquirit, inventam A quoque hilariter suscipit et reducit, *Act.* X, 36. multo magis Filius Dei omnium Dominus, homines, quos per eorum culpam ac dæmonum fraudem amisit, requirere debuit per suam pietatem et gratiam, atque cum gaudio recipere ad pœnitentiam et salutem. Itaque per hominem istum intelligitur Christus, qui habuit centum oves, id est universitatem angelorum ac hominum. Angeli equidem sancti vocantur oves Dei, propter eorum innocentiam obedientissimamque promptitudinem, et quoniam in- B cessanter reficiuntur a Deo beatifica ejus fruitione. Similiter homines oves sunt Dei, *Ps.* LXXVIII, 13; XCIV, 7. secundum illud Psalmistæ, Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus : quod de bonis hominibus Deo obedientibus potissimum verum est, quoniam per gratiarum charismata et per Ecclesiæ sacramenta reficiuntur a Christo, et sub suæ directionis ambulant virga, dum secundum evangelicæ legis vivunt præcepta. Verumtamen quidam iniqui et nondum nati, sunt oves Christi secundum prædestinationem æternam. C Dicuntur autem oves hæ centum, propter numeri hujus perfectionem. Harumque ovium periit una, quia in primis parentibus infecta fuit et perdita per originale peccatum natura humana : quoniam teste Apostolo, *Rom.* V, 12; *Ephes.* II, 3. in uno peccavimus omnes, et eramus natura filii iræ.

Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Hoc fecit Unigenitus Dei, dum cives cœlestes, puta angelicos spiritus, reliquit in cœlo : quod hic voca- D tur desertum, quoniam per peccata homo deseruit illud. Et non angelum, non legatum misit, sed in propria venit persona, assumpta in unitate personæ natura humana; quæsivitque genus humanum, pro illius conversione ac salute orando, prædicando, inter homines conversando, miracula faciendo, mortem crucis amarissimam patiendo, Spiritum Sanctum mittendo ac infundendo, Apostolos ceterosque discipulos per mundum destinando. Hinc apud Zachariam loquitur Christus : Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et *Zach.* II, 10, 11. habitabo in medio tui; applicabuntur gentes multæ ad Dominum in illa die. Porro hæc applicatio populorum ad Deum, est eorum conversio, atque inventio qua inventi sunt a Christo : quibus in prima sua Canonica beatissimus loquitur Petrus : Eratis aliquando sicut oves errantes; sed *I Petr.* II, 25. conversi estis nunc ad episcopum et pastorem animarum vestrarum.

Et quum invenerit illam, imponit in humeros suos gaudens. Hoc egit Salvator, quia quum quosdam Judæorum convertisset, pro illis et pro cunctis hominibus crucem propriis tulit humeris ad supplicii locum : quod faciendo peccata nostra super se sumpsit, portavit ac luit, juxta illud Isaiæ : Disciplina pacis nostræ super eum, *Is.* LIII, 5, 6, 4. et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Denique Christus fecit hoc « gaudens », quoniam licet de passionis suæ acerbitate vehementer doleret, Tristis *Matth.* XXVI, 38. est (inquiens) anima mea usque ad mortem; nihilo minus ex ardentissima caritate ac promptissima obedientia pati volebat, atque de fructu suæ passionis secundum superiorem animæ partem valde gaudebat.

Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Sic Christus in die ascensionis, revertens secundum naturam humanam ad cœlum empyreum (de quo ipse loquitur : In domo *Joann.* XIV, 2. Patris mei mansiones multæ sunt), illuc ovem perditam reportavit, quia et plurimi ex hominibus quos eduxit de limbo, secum pariter ascenderunt, juxta illud Apostoli ac Psalmistæ : Ascendens in altum, *Ephes.* IV, 8; *Ps.* LXVII, 19. captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Tunc convocavit, id est, sibi occurrere fecit, « amicos et vicinos », videlicet angelos sanctos divinæ voluntati plene et inavertibiliter conformatos, divina se-

A creta scientes, et Deo in cunctis promptissime obedientes, atque cum eo in cœlo morantes (propter quod recte amici et vicini Christi vocantur) : quos hortabatur ut sibi de ovis suæ recuperatione congratularentur. In quo patet dilectio Christi ad homines, et quantum nostram optet salutem. Propter quod fatetur : Utinam attendisses mandata mea. *Is.* XLVIII, 18. — Interea, secundum Theophilum, supernæ virtutes seu angeli oves vocantur, eo quod omnis creatura respectu Dei, sit bestialis.

B *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia.* Si istud generaliter de quocumque pœnitente et quibuscumque justis seu innocentibus intelligatur, non est absolute intelligendum ut sonat, quasi videlicet simpliciter angeli sancti plus gaudeant de quolibet pœnitente, quam de quibuscumque nonaginta novem justis. Non enim plus gloriantur de peccatore pœnitente qui post pœnitentiam suam non pertingit ad magnam perfectionem, C quam de gloriosissima Matre Christi ac sanctis Apostolis gavisi sunt, quando adhuc fuerunt in terra, vel quam modo de ipsis lætentur : imo nec de Paulo, nec de Maria Magdalene, nec de ambobus simul majus gaudium est in cœlo, quam de sola Virgine gloriosa.

Idcirco, quod gaudium de peccatore pœnitente dicitur majus, intelligendum videtur non simpliciter, sed quantum ad aliquid, et quoad recentem quamdam ac evidentiorem gaudii manifestationem, qua D se Christus de hominum salvatione lætari ostendit : quia de peccatoris conversione est ei specialis ac multiplex ratio gloriandi. Primo, quoniam dum peccator convertitur, de periculo graviori eripitur. Consuetissimum enim est ut de eo specialiter et quodammodo amplius exsultemus, quem de majori periculo erui intuemur, quamvis, absolute loquendo, eum non plus quam ceteros diligamus. Secundo, quia in peccatoris conversione misericordia Dei præcipue declaratur. Tertio, quoniam fructus dominicæ passionis in illo evidentius commendatur. Quarto, quia in peccatoris conversione adversarii Christi ac nostræ salutis specialiter confunduntur. — Insuper, absolute loquendo, si comparemus statum ad statum, constat quod status innocentiæ præferendus sit statui pœnitentiæ, eo quod majus Dei donum sit innocentia quam pœnitentia. Si vero comparemus personam unius status ad personam alterius, habent se sicut excedens et excessum : ita quod quidam de statu uno præferuntur quibusdam de statu altero, secundum quod sunt in majori aut minori caritate et gratia. Hinc absolute loquendo, de multis justis ac innocentibus, tanquam simpliciter melioribus et Deo carioribus, majus est gaudium Christo supernisque civibus, quam de quibuscumque peccatoribus pœnitentibus. Verumtamen, quoniam teste Apostolo, Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia, *Rom.* V, 20. frequenter contingit ut impii pœnitentes, tanto fiant in Dei amore et cultu ferventiores, et tanto in se humiliores, quanto se gravius deliquisse, et quanto Deum circa se misericordius egisse considerant : sicque de eorum conversione specialis causa lætandi oritur angelis Dei.

Unde et qualiter majoritas gaudii hujus sit intelligenda, in Matthæo plenius tangitur, quo habetur : Si fuerint alicui centum oves, et si erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit ad eam quæ erravit ? Et si invenerit eam, gaudet super eam magis quam super nonaginta novem quæ non erraverunt. *Matth.* XVIII, 12, 13. Itaque, sicut paterfamilias plus lætatur de una ove post perditionem inventa, quam de reliquis cunctis quæ non erraverunt (non quod illam plus diligat quam ceteras omnes, sed quia de ejus inventione quædam specialis ac recens consolatio innascitur ei, primo quoniam ovem illam magis considerat, secundo quoniam propter præcedentem de ejus perditione tristitiam, gaudium ex ejus inventione ortum plus afficit ac sentitur) ; proportionaliter, de peccatore pœnitente cives cœlestes plus gaudent, aut abundantius signa lætitiæ monstrant. Nam et angeli sancti de hominum sibi commissorum transgressione ac recidivatione dolere et flere leguntur : quod tamen sane intelligi par est, quia quum sint perfecte beati, nulla pœnalis affectio eis realiter potest inesse, sed per modum dolentis se habent : juxta quem modum ira, furor et pœnitudo, Deo attribuuntur.

Deinceps per aliam parabolam docet Salvator, quod non debuit peccatores contemnere et vitare, sed clementer admittere, atque ad viam salutis reducere. *Aut quæ mulier habens drachmas,* id est hujusmodi nummos, *decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam,* præsertim si tempore tenebroso aut in loco obscuro quærere velit, *et evertit domum,* id est, contenta in domo revolvit seu transfert de loco ad locum, ne forte sub aliquo illorum jaceat lateatque quod quæritur, *et quærit diligenter* perditam drachmam, *donec inveniat* eam, præsertim quum feminæ vehementer afficiantur ad rem, quum ad eam cœperint affici ? *Et quum invenerit* drachmam, *convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.* Hoc in exterioribus ita est.

Spiritualiter vero, per mulierem hanc intelligenda est æterna et increata Sapientia, quæ ob suam amabilitatem, pulchritudinem ac fecunditatem, sponsa ac mulier appellatur. De qua Sapiens protestatur, pudicus et purus amator : *Sap.* VIII, 2. Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere; et amator factus sum formæ illius. Per « lucernam » vero intelligitur Christi humanitas, quam Verbum æternum eodem quo eam assumpsit instanti, « accendit », id est, divinæ caritatis fervore, totius sapientiæ splendore, omnique virtute nullam imperfectionem in sua ratione includente, implevit. Sicque *Baruch* III, 38. Sapientia incarnata inter homines conver- A sando, evertit domum, id est, Synagogam seu populum Judæorum multipliciter excitavit, monuit, et hinc inde deduxit, prædicando, exemplarissime conversando, miracula perpetrando; quæsivitque diligenter hominem perditum, summi Regis imagine insignitum, et ob hoc per drachmam congrue designatum. Venit quippe Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. *Luc.* XIX, 10. Donec invenit eam, id est, genus humanum sua passione redemit, quemadmodum loquitur Patri : Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. *Joann.* XVII, 4. B Inventa itaque drachma hac, id est genere humano taliter liberato, Christus in die ascensionis convocavit « amicas atque vicinas », id est angelicas potestates et mentes : quæ quum divinæ voluntati sint inavertibiliter conformatæ, et vultum sui Creatoris clare per speciem contemplentur, merito amicæ et vicinæ æternæ Sapientiæ nuncupantur. Dixitque eis : « Congratulamini mihi, quia inveni drachmam » amissam. Quum enim sibi ascendenti occurrerent, ac interrogarent, C Quis est iste Rex gloriæ ? ut ait Psalmista ; *Ps.* XXIII, 8, 10. itemque, Quis est iste qui venit de Edom? *Is.* LXIII, 1, 2. etc. ; et, Quare rubrum est indumentum tuum ? ut Isaias prædixit : Christus respondit, Torcular calcavi solus : *Ibid.* 3. hoc est, per crucis pressuram genus redemi humanum. Tuncque, ut in Hymno ait Ambrosius, Gavisa sunt cœli regna reditu Unigeniti. Tanta autem est Christi dilectio ad nos, ut nostram salvationem suam esse dicat lætitiam.

Ita dico vobis, gaudium erit coram D *angelis Dei,* id est, in regno cœlesti ad invicem lætabuntur angeli sancti, et Christus eis præsentibus exsultabit, *super uno peccatore pœnitentiam agente :* primo, quoniam ejus evasioni qua æternam evadit damnationem, pie congaudent; secundo, quia per ejus conversionem confidunt cœlestis Jerusalem suppleri ruinam; tertio, quia per hoc vident cultum ac honorificentiam Dei augeri ; quarto, quoniam passionem Christi cernunt fructificare; quinto, quia dæmones cernunt superari, et vitia quibus Deus inhonoratur, diminui; sexto, A quia in hoc vident aliis bonum exemplum præberi; septimo, quia divinam vident prædestinationem impleri; octavo, quia rationalis creaturæ quam diligunt, congaudent emendationi, profectui ac saluti.

Itaque Christus æterna ac genita sapientia Patris, habuit « drachmas decem », videlicet novem choros angelorum, et genus humanum, quod tanquam decima drachma, per originalem perierat culpam. Quemadmodum itaque Christus ovem et drachmam amissam quæsivit, sic ejus vicarii, si B aliquem ex grege sibi commisso viderint deviare, statim ad ejus conversionem et emendationem debent viribus totis conari. Postremo, secundum Bedam, ovem et drachmam perditam Christus invenit, quando hominem restauravit, id est, sua passione salvavit; et super eam inventam majus gaudium est in cœlo quam super nonaginta novem justis seu angelis pœnitentia non indigentibus, quoniam major divinæ laudis materia est in restauratione hominum, quam in creatione aut etiam beatificatione angelorum. Mirabiliter quippe angelos Deus creavit, sed hominem mirabilius instauravit.

SERMO SECUNDUS

QUALITER HOMINES DEO VARIIS MODIS DEBEANT APPROPINQUARE.

APPROPINQUATE Deo, et appropinquabit vobis. Jacob. iv, 8. C

Variis modis creaturæ dicuntur suo Creatori ac Deo appropinquare, secundum quod variis modis ab ipso distant. Quum enim Deus sublimis et adorandus, sit penitus infinitæ perfectionis et excellentiæ, omnis autem creatura perfectionis finitæ, certum est quod secundum unum modum loquendi, omnis creatura, omnis angelus, omnis homo quantumlibet bonus et virtuosus, distet in infinitum a Deo, præsertim quum finiti et infiniti nulla sit comparatio. *Is.* xl, 25. Hinc scriptum est : Cui assimilastis D me, dicit Sanctus, utpote Deus ? et rursus *Ibid.* 18. ibidem : Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei ? Itaque per defectum perfectionis distat a Deo quælibet creatura in infinitum; et quantum plus proficit in perfectione, tanto plus appropinquat proprio Creatori : nunquam tamen eum attingit per adæquationem, sed semper manet infinite distans, deficiens et occumbens ab eo.

Secundo, creatura rationalis dicitur a Deo distare, quia adhuc est in via et peregrinatione, nondum in termino et patria, seu beatifica visione. Propter quod ait Apostolus : Dum sumus in hoc corpore, II *Cor.* v, 6, 7. peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem. Unde et idem Apostolus : Cupio, inquit, dissolvi et *Philipp.* i, 23. esse cum Christo. Nondum ergo fuit cum Christo, qui cupiebat dissolvi ut esset cum Christo. Nihilo minus, secundum eumdem beatum Apostolum, Christus per fidem ha- *Ephes.* iii, 17. bitat in cordibus nostris, et corpora nostra I *Cor.* iii, 16; vi, 19. sunt templa Spiritus Sancti. Ergo etiam in hac vita sumus cum Christo, et Christus nobiscum est. Idcirco dicendum, quod boni fideles sunt cum Christo in hac vita imperfecte, et per modum motus atque tendentiæ, quia per fidem et caritatem ei aliquo modo uniti sunt; non autem perfecte, quoniam nondum ad ejus claram, gloriosam beatificamque præsentiam devenerunt. Propter quod gemebunde ait Psalmista : Heu mihi ! quia incolatus meus *Ps.* cxix, 5. prolongatus est; et item : Sitivit anima *Ps.* xli, 3. mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Quum A ergo beatitudo Sanctorum in patria, sit clara visio Dei per speciem, quanto nunc proficimus in contemplatione Dei per fidem (quæ contemplatio est actus doni sapientiæ), tanto propinquamus ad Deum et ad visionem ejus gloriosam per speciem. *Ps.* CIV, 4. Idcirco hortatur Propheta : Quærite faciem ejus semper. Quod et se fecisse ac *Ps.* XXVI, 8. facere velle fatetur, dicendo : Tibi dixit cor meum, Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram. Denique iste secundus modus distandi a Deo com- B munis est omnibus in hoc mundo, puta hominibus bonis ac malis. Propter quod et ipse sanctissimus propheta Jeremias *Jer.* XXXI, 3. disseruit : Longe Dominus apparuit mihi. *Job* XXXVI, 25. In libro quoque Job habetur : Omnes homines vident Deum, unusquisque intuetur procul.

Tertio, dicitur homo distare a Deo, quia licet sit in caritate et gratia, habeatque virtutes infusas, multum tamen distat ab ea virtutum perfectione ad quam tenetur, vel certe ad quam Deo auxiliante pertin- C gere potest, et ad quam merito debet conari : quia in via Dei non proficere, est deficere. Religiosi vero ad perfectionem tendere obligantur. Status autem episcoporum est status perfectionis jam acquisitæ, quia episcopi debent in omni virtute esse perfecti. Juxta hunc tertium modum *Philipp.* III, 13, 14. fatebatur Apostolus se distare a Deo : Ego (inquiens) non arbitror me apprehendisse; unum autem, quæ quidem retro sunt oblitus, ad anteriora vero extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium vo- D cationis supernæ. Ideo quantum ad modum hunc tertium, tanto plus appropinquamus ad Deum, quanto plus in virtutibus et virtuosis operibus crescimus, hoc est, quanto humiliores, patientiores, misericordiores, constantiores et ferventiores efficimur. Potissimum tamen dicimur Deo propinquare, proficiendo in caritate, quia per eam magis attingitur Deus. Ideo dicit Bernardus : Tanto plus proficis, tanto celerius ambulas, tanto amplius appropinquas ad Creatorem, ad beatitudinem æternalem, quanto plus amas Deum. Hinc ad proficiendum in virtutibus bonisque actibus uberrime nos exhortatur divina Scriptura. Siquidem Josue Dominus loquitur : Con- *Josue* I, 7, 8. fortare et esto robustus valde, ut custodias omnia mandata Dei; nec declines a lege Domini ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis; et meditaberis in lege Dei diebus ac noctibus. Psalmista etiam dicit : Exspecta Dominum, viriliter *Ps.* XXVI, 14. age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Apostolus quoque : Stabiles *I Cor.* XV, 58. (inquit) estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Hinc scriptum est de electis et bonis : Ibunt de virtute in virtutem. *Ps.* LXXXIII, 8.

Quarto, rationalis creatura distat a Deo per culpam, sicut asserit Isaias : Iniqui- *Is.* LIX, 2. tates vestræ diviserunt inter Deum vestrum et vos. Culpa tamen venialis non facit hominem proprie distare a Deo, sed mortale peccatum. Verumtamen, qui non est vigil ac diligens ad vitandum venialia peccata, cito corruet in peccata mortalia : ideo veniale peccatum dispositive facit distare a Deo. Facit quoque distare a Deo secundum statum : quia quicumque venialiter peccat peccareve potest, adhuc est in statu præsentis miseriæ, nondum in statu felicitatis et gloriæ. Quemadmodum autem peccatum potissimum dissimilitudinem habet a Deo, quia formaliter non est aliquid positivum, sed defectus et casus ab entitate, bonitate et rectitudine; sic per peccatum maxime et propriissime dicitur homo distare a Deo, juxta illud Proverbiorum : Longe est Dominus ab impiis. Et *Prov.* XV, 29. quanto peccata sunt graviora, tanto remotiorem faciunt ab Omnipotente distantiam. Unde sicut caritas Dei et proximi est summa virtus, et maxime Deo conjungens; sic odium Dei et proximi est maximum vitium, atque a Deo vehementissime separans.

Præterea, ex triplici radice homines peccant : nam aliqui peccant ex ignorantia, quidam ex infirmitate, alii ex habitu pravo, A ex proposito seu studio. Et peccare ex ignorantia est minus culpabile, præsertim loquendo de ignorantia facti, adhibita debita diligentia; verum ignorantia juris non excusat, quia omnes tenentur scire quæ juris sunt, quantum ad singulorum pertinet statum. Deinde culpabilius est peccare ex infirmitate, id est ex passionis vehementia seu impulsu; et dum quis proponit vivere continenter et patienter, et tamen concupiscentia aut impatientia superatur, id infirmitatis est, id est fragilitatis humanæ, B quod ratio superatur a sensualitate, virtus a vitio, propositum bonum a tentatione iniqua. Ideo princeps Apostolorum : I *Petr.* II, 11. Obsecro (ait) vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Maxime autem culpabile est peccare ex habitu pravo, hoc est ex electione, ex certa malitia, ex deliberatione, ex studio atque proposito, juxta illud in Psalmo : *Ps.* XXXV, 2. Dixit injustus ut delinquat in semetipso. Unde, secundum Aristotelem, qui taliter peccant, incurabiles sunt, quia valde difficulter raroque C pœnitent ac resurgunt. Cœlesti tamen medico, omnipotenti Spiritui Sancto, nihil est impossibile neque difficile, sed *Joann.* III, 8. ubi vult spirat, et misericorditer cor tangendo, repente illud immutat, convertit, emendat, sicut et Salomon protestatur : *Prov.* XXI, 1. Cor hominis in manu Dei est; quocumque voluerit, vertet illud.

Itaque qui peccat et distat a Deo per ignorantiam, appropinquet ad eum, recipiendo informationem ab homine, illuminationem ab angelo, unctionem a Spiritu D Sancto, juxta illud Joannis apostoli : I *Joann.* II, 27. Unctio ejus docet vos de omnibus. Unde et Paulus testatur : II *Tim.* II, 7. Dabit tibi Dominus de omnibus intellectum. Qui vero peccat atque a Deo distat per infirmitatem, appropinquet Deo, implorando adjutorium gratiæ ejus, atque ad robur et profectum virtutum se dando, et rationis judicium assequendo. Porro qui peccat et a Deo distat per habitus vitiosos, per consuetudinem pravam, per certam malitiam, appropinquet ad eum, de suis vitiis cordialiter pœnitendo, condigne dolendo, integre confitendo, efficaciter satisfaciendo. Assuescat se frangere et contra impiam consuetudinem dimicare, atque in bonis se quotidie exercitet actibus, sciens quod regnum cœlorum vim *Matth.* XI, 12. patitur, et violenti rapiunt illud : intelligendo per violentos, eos qui frangunt propriam voluntatem Deo rebellem, et irrationabiles motus vincunt, corpus suum I *Cor.* IX, 27. castigant et in servitutem animæ redigunt illud, concupiscentias ejus calcando.

Præterea quidam peccant solum corde, consentiendo illicitis; alii procedunt in opus; nonnulli ad consuetudinem pravam labuntur. Et isti longissime distant a Deo, quia ut asserit Augustinus, peccata quamvis magna et horrenda, quum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur, adeo ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda diffamandaque videantur. Ideo vincere consuetudinem, dura est pugna; tamen per gratiam Dei facile fieri potest. Aliter satis difficile est, quoniam ipsa vis consuetudinis animam premit, et quasi quamdam peccandi necessitatem inducit, ad quam miser peccator spontanee venit. Nam in primis peccat homo ex ignorantia vel infirmitate; deinde peccatum incipit sibi magis ac magis placere atque dulcescere, et sic frequenter iterat illud, ac per hoc consuetudo in eo pessima generatur, qua tanquam impetu quodam rapitur ad peccandum, dicente Gregorio : Vitiosa consuetudo obligat mentem, ut vix surgere possit ad rectitudinem; conatur et labitur, quia ubi sponte diu perstitit, ibi etiam quum noluerit, coacta cadit.

Verumtamen prava consuetudine inquinatus, nequaquam desperet; sed in Deo confidens, ejus misericordiam ac juvamen indesinenter imploret, Christi passionem jugiter meditetur, novissima sua sagaciter contempletur, mortis horrorem, judicii divini rigorem, tormenta inferni, gloriam cœli. Ista habendo præ oculis, assuescat se in actibus bonis, ut a consuetudine prava ad bonam perveniat. Nunc itaque indulta pœnitentiæ tempora non perdamus, sed omnes appropinquemus ad Jesum, recedendo a malis, aggrediendo opera bona, perseverando et proficiendo in eis usque in finem, quemadmodum et sanctissimus *Is.* LV, 6, 7. Isaias hortatur : Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

Postremo, S. Gregorius refert circa evangelium istud, exemplum notabile, quod scilicet fuit vir quidam sæcularis et dives, qui quum in grave corruisset peccatum, rediens ad se ipsum, exhorruit quod patravit, desuperque compunctus, ingressus est cœnobium. In quo in tanta pœnitentia, abstinentia, humilitate, caritatisque fervore, et quotidiano virtutum vixit profectu, quod ceteri Fratres considerando vitam illius, suam conversationem pro nihilo ducere cogebantur. Itaque vir ille Matutinas prævenire solebat, et ante Matutinas transire ad locum quemdam secretum, ubi orationibus meditationibusque vacavit. Quadam igitur nocte abbas monasterii occulte secutus est illum ; et volens scire quamdiu in oratione persisteret ille, stetit exspectans quousque ille rediret. Quumque abbas sic staret, vidit subito lucem magnam de cœlo venientem, quæ locum in quo vir ille orabat, copiosissime illustravit, plus quam si dies fuisset. Quo viso, abbas expavit, contremuit, fugit. Reverso autem viro illo, abbas interrogavit eum : Ubi fuisti? At ille latere se posse confidens, dixit se fuisse in cœnobio ; sed abbate objiciente, compulsus est dicere ubi fuit. Quumque abbas loqueretur ei de luce quam viderat, ille dixit abbati : Quando vidisti lucem descendere super me, vox quoque de cœlo venit, et dixit ad me, Dimissum est peccatum tuum.

Hujus ergo peccatoris vestigia imitemur; et quanto gravius atque frequentius Deum offendimus, tanto nunc ei humilius ac ferventius obsequamur.

SERMO TERTIUS

DE CARITATE ET MISERICORDIA DEI ANGELORUMQUE AD HOMINES, ET DE MISERORUM HOMINUM INGRATITUDINE.

FIDELIS sermo, et omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. I Tim. I, 15.

Tota superbeatissima Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, tres personæ, unus Deus, ineffabilem caritatem et misericordiam suam hominibus multipliciter impendit ac demonstravit. Primo, in hoc quod quum non essemus, creavit nos, non *Gen.* I, 26, 27. ut cetera inferiora, sed ad imaginem et similitudinem sui ipsius. Secundo, in hoc quod ad supernaturalem beatitudinem, hoc est ad suæ divinitatis beatificam fruitionem, nos condidit, ut simus æquales angelis sanctis in cœlo. Tertio, in hoc quod a principio multa supernaturalia gratiæ dona primis dedit parentibus, concreando eis originalem justitiam; et Adæ concreavit sapientiam valde magnam ac naturalium rerum scientiam : unde et animalibus apta imposuit nomina. *Gen.* II, 19, 20. Multi quoque doctores affirmant, quod in gratia gratum faciente et caritate fuerunt creati. Atque in terrestri eos Deus constituit paradiso, ut et eorum ibi permaneret posteritas, si ipsi divinum custodirent præceptum. Et fuit ingens caritas, liberalitas ac pietas

Dei, quod non fuit contentus producere hominem in puris naturalibus, sed et dona gratuita supernaturalia ei adjecit. Quarto, in hoc quod quum tam multi angeli ac primi corruissent parentes, complacuit Deo liberare genus humanum, non angelos. Quinto, in hoc quod tota supersapiens supergloriosaque Trinitas concorditer decrevit hominem liberare per æterni unigeniti Filii Patris æterni incarnationem ac passionem. Sexto, in hoc quod tota Trinitate cooperante, unita est natura humana Verbo æterno in unitate personæ : quod fuit caritatis plenissimæ, dignationis immensæ, liberalitatis piissimæ ; quod scilicet Deus ita univit creaturam proprio Creatori, imo naturam humanam ex se fragilem et infirmam, tam proxime Verbo conjunxit æterno, ut una esset persona Deus et homo, per quod Deus suam bonitatem abundantissime communicavit naturæ humanæ.

Porro Deus Trinitas multipliciter nobis suam caritatem misericordiamque exhibuit et ostendit : quia ad Baptismi gratiam nos perduxit; deinde sæpissime nobis pepercit, et in pravitatibus nostris nos diu sustinuit; gratiam pœnitendi concessit, Sacramento corporis et sanguinis Christi animas nostras frequenter refecit, virtutes ac dona Spiritus Sancti infudit; unicuique etiam homini angelum sanctum ordinavit custodem.

Sed nunc specialiter consideremus pro posse caritatem et misericordiam Christi ad homines, quæ sicut ipsemet protestatur, in hoc præsertim apparuit, quod se ipsum pro nostra redemptione acerbissimæ morti exposuit. Propter quod loquitur : *Joann.* xv, 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Galat.* II, 20. Idcirco dixit Apostolus : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Circa quæ verba scribit Chrysostomus : Hic est affectus servi fidelis, ut quod pro omnibus a Christo gestum et toleratum est, pro se solo reputet factum ac toleratum. Et utique universa A quæ Filius Dei pro totius generis humani salute assumpsit, fecit ac pertulit, quilibet Christifidelis sic debet attendere, tamque gratanter adspicere, quasi pro se solo totum esset peractum : potissimum, quoniam Christus pro unoquoque potius vellet adhuc mori, si possibile aut necessarium esset, quam eum, quantum in se est, perire permitteret. Ideo grati esse Christo totis laboremus præcordiis, non verbis dumtaxat eum laudando, sed ipsum in omnibus, quantum valemus, per bona opera B honorando, ad minus observando præcepta.

Insuper, caritatem et misericordiam suam Christus hominibus demonstravit, tam amorose ac dulciter inter eos conversando, et peccatores, quantumlibet vitiosos, pie ad pœnitentiam exhortando, pœnitentes gratiose suscipiendo, imo cum *Marc.* II, 16, 17. publicanis et peccatoribus manducando, quatenus verbo et exemplo eos ad pœnitentiam provocaret. Tertio, caritatem et misericordiam suam ostendit hominibus, pro eorum informatione et salute C toties prædicando, tam longe ac late pertranseundo, seque ex itinere fatigando, tot *Joann.* IV, 6. operando miracula, tot sustinendo a perversissimis illis Judæis opprobria, irrisiones, blasphemias, maledicta : quæ omnia pro nobis egit ac pertulit. Et tamen ingrati sumus, nec Christi capitis ac domini *Ephes.* V, 23. nostri sequi vestigia volumus : nihil propter ipsum pati dignamur. Quarto, caritatem et misericordiam suam excellenter nobis monstravit in Cœna novissima, instituendo Sacramentum dignissimum cor- *Matth.* XXVI, 26-28. D poris sui ac sanguinis, in quo se ipsum nobis quotidie tribuit, ita quod idem est dator ac donum.

Quum ergo tanta fuerit et sit caritas Christi ad nos, quæ est ista negligentia, ingratitudo atque perversitas nostra, quod hunc Salvatorem superpiissimum non curamus, imo nec beneficia ejus perpendimus, præcepta ejus transgredimur, consilia aspernamur? Ecce quanta est vilitas, excæcatio, malitia impiorum. Nam potius eligunt esse ministri ac membra diaboli, quam Christi; magis volunt consentire suggestionibus A dæmonum, quam acquiescere inspirationibus Christi ac angelorum ; plus diligunt suam perditionem et mortem, quam vitam salubrem beatitudinemque æternam, hoc est, peccata mortalia quam virtutes. Quidquid suggerit Spiritus Sanctus, quidquid inspirant angeli sancti, abjiciunt; quidquid immittit eis diabolus, quidquid caro desiderat, protinus approbant, cupiunt, prosequuntur. Tam vehementer et infeliciter peccata obtenebrant hominem; tam valide vitiosæ affectiones B suis ponderibus trahunt mentem deorsum.

Deinceps angeli sancti, milites Dei insignissimi, puræ et innocentissimæ mentes, cives superni, beatissimi intellectus, caritatem et pietatem suam eximiam nobis, luteis vasis, saccis stercoreis, vitiosis, fœdis ac vilibus, incessanter impendunt, ubique nos, quantum in ipsis est, custodiendo ac protegendo; bona inspirant, Deum pro nobis exorant, de nostris excessibus quodammodo contristantur, de pœnitentia nostra et bonis operibus valde lætantur. Et nihilo C minus tot et tanta eorum beneficia dissimulamus, imo nec consideramus ; caritati et benevolentiæ eorum circa nos ingratissimi sumus, nec aliquam eorum præsentiæ ac excellentiæ reverentiam exhibemus.

Sed resipiscamus a negligentiis, ingratitudinibus et perversitatibus nostris; et omnia jam prætacta adspicientes, coram Deo et angelis ejus virtuose ac reverenter conversari nitamur. Non plus vereamur ac veneremur præsentiam hominum, quam Dei ac angelorum : idcirco, quod coram honestis hominibus loqui aut agere verecundaremur, coram Deo et angelis sanctis cogitare, appetere, operari nullatenus audeamus. Et summum amatorem nostrum Jesum Christum saltem redamare non differamus.

Legitur, quod sanctissimus atque præinclytus martyr Christi, B. Ignatius, doctor ac pontifex Antiochenus, discipulus beatissimi Joannis apostoli, Jesum Christum Dominum nostrum ardentissime valde dilexit. Qui quum sub Trajano imperatore gravissima pro fide Christi pateretur supplicia, non cessavit Jesum Christum nominare ac invocare. Quem quum interrogassent tortores cur nomen hoc toties replicaret, respondit : Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, idcirco ab ejus invocatione cessare non valeo. Eo ergo occiso, illi qui hoc audierunt, volentes veritatem verborum curiosius experiri, cor ejus ex corpore abstraxerunt, et scindentes illud per medium, invenerunt totum hoc nomen, Jesus Christus, aureis litteris inscriptum. Tanti ergo martyris exemplo, discamus Christum ferventer diligere, atque ex ejus amore, sanctis operibus alacriter occupari, adversa quoque cum gaudio pati.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUOMODO OMNIS CORREPTIO, ADVERSITAS SIVE EXERCITATIO, TANQUAM DE MANU DEI, BENIGNISSIMI PATRIS, SUSCIPIENDA FERENDAQUE SIT.

H*UMILIAMINI sub potenti manu Dei,* D *ut vos exaltet in tempore visitationis.* I Petr. v, 6.

Videmus quam reverenter atque humiliter milites et ministri regum ac principum sæculi hujus suis dominis obsequantur, qualiter eis inclinent et se sæpe coram eis prosternant, quam etiam reverentialiter loquantur ad eos, quam attonite eis adstent : quanto magis Regi universorum, Deo omnipotenti, principi majestatis ac excellentiæ infinitæ, cum summa et incomparabili reverentia, humilitate, custodia, puritate, adstare, psallere, obsequi, loqui, sacrificare debemus? Merito igitur *Jer.* XLVIII, 10. maledictos appellat Scriptura eos qui Dei opus faciunt negligenter, pigre, remisse, fastidiose. Quod si quæratur, quid sit opus Dei facere negligenter, respondetur, quod negligentia et diligentia opponuntur. Is ergo opus Dei efficit negligenter, qui non facit hoc diligenter ; et is non facit illud diligenter, qui Dei majestatem et sanctitatem non pensat, et per consequens cum debita cordis custodia et animi puritate ei non servit, nec vigilantiam adhibet mentis ut ei complaceat, sed superficialiter transit.

I *Petr.* v, 6. Itaque, sub potenti Dei manu humiliemur, id est, ex consideratione omnipotentiæ Dei et justi judicii ejus humiliemus nos ipsos, propriam vilitatem, imperfectionem et culpam pensando, et nos ipsos coram Deo deprimendo, contemptibiles et indignos recognoscendo : et ita pro nostris peccatis omnem correptionem, correctionem, adversitatem, exercitationem patientissime toleremus. Atque, ut proniores simus ad hoc, hortatur princeps Apostolorum ut ita nos humiliemus, quatenus Deus *Ibidem.* in tempore visitationis exaltet nos, hoc est in die particularis ac universalis judicii. *Prov.* XXIX, 23. Nam humilem spiritu suscipiet gloria ; et *Job* XXII, 29. qui humiliatus fuerit, in gloria erit ; atque *Luc.* XIV, 11; XVIII, 14. ut ait Salvator, Qui se humiliat, exaltabitur. Quo constat, quia quo nunc profundius humiliamus nos ipsos in veritate, eo gloriosius exaltabimur a Deo in æternitate. Et mirum quod non satagimus nos ipsos ad modicum vitæ præsentis tempus humiliare, ut æternaliter exaltemur et mereamur cum Christo regnare. Verumtamen perfectius laudabiliusque consistit se ipsum humiliare, patientiam observare et ceterarum exsequi actus virtutum, puro Dei intuitu et sincerissimo ejus amore ad ejus honorem, quam retributionis affectu. Et tamen qui puro Dei amore hoc agit, plus gratiæ in præsenti meretur, ac multo majorem a Deo in cœlis gloriam sortietur.

Insuper nos hortatur summus Apostolus ut omnem sollicitudinem nostram proji- I *Petr.* v, 7. ciamus in Deum, certi de providentia ejus, qui etiam irrationabilia pascit, et rationabilium creaturarum curam ac providentiam habet peculiarem, qui etiam pater hominum appellari dignatur. Idcirco pro temporalibus non est immoderata sollicitudo habenda, quamvis non debeat homo negligere quin quod suum est faciat, ne videatur Deum tentare : nam et bruta, quæ Dominus pascere dicitur, alimoniam suam *Matth.* VI, 26. requirunt. Est autem quædam sollicitudo peroptima, quæ est spiritualis vigilantia cordis se ipsum jugiter custodientis ne gratiam Dei amittat, neve detrimentum patiatur virtutum, ne tentationibus superetur, aut remissius fiat, sed in gratia Dei semper proficiat, in omni virtute et dono Spiritus Sancti firmetur, et Deo quotidie complacentius atque propinquius efficiatur. Hæc est optima sollicitudo, de qua ait Michæas : Indicabo tibi, o homo, quid *Mich.* VI, 8. sit bonum, aut quid Dominus requirat a te : facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo ; hoc est, cum timore casto ac reveren- *Ps.* II, 11. tiali Deo servire. Cui non opponitur illud, Servite Domino in lætitia : quia et ipsa *Ps.* XCIX, 2. cum qua Deo servitur lætitia, debet consistere timorata, non dissoluta. Diversis quoque respectibus debemus Deo servire in timore et tremore, et nihilo minus in lætitia et dulcore, quatenus ex consideratione divinæ majestatis et infinitæ justitiæ ac justi judicii ejus, timor et tremor concipiantur, ex consideratione vero immensæ bonitatis, caritatis et misericordiæ Dei, oriatur in corde nostro lætitia, quæ etiam operi virtuoso naturaliter est annexa.

Præterea, hæc sancta et spiritualis solli-

citudo, tanto major ac indesinentior debet A esse in nobis religiosis et subditis, quanto ab omni exteriori et temporali sollicitudine sumus plenius absoluti ac liberi, ita ut totum cor nostrum indesinenter intentum sit ad actualem Dei memoriam, ad ejus beneplacitum peragendum, ad vitandam omnem ipsius offensam. Sed, heu! multi absolutionem illam ac libertatem a sollicitudine temporalium rerum vertunt in dissolutionem ac levitatem, atque in curas viles et anxietates penitus pueriles, occupantes se viliter, quomodo scilicet hoc B aut illud eis fiat, formetur, provideatur, contingat : sicque minus intenti sunt Deo ac spirituali profectui. Contra quod monet
I Petr. v, 8. Apostolus summus, ut sobrii simus mente et corpore : non ebrii passionibus et occupationibus vanis, indignis, illicitis, sed vigilantes in orationibus, meditationibus et exercitiis virtuosis; non pigritiæ otioque vacantes, potissime quum crudelissimus, callidissimus, fortissimus hostis noster diabolus, indesinenter observet, insidietur, circumeat, quærens qualiter animas no- C stras absorbeat, non aliud quærens nisi ut æternæ damnationi nos secum involvat.

Idcirco vigilantissima indigemus custo-
Ibid. 9. dia, incessabili circumspectione et resistentia victoriosa, ut primo omnium simus bene radicati in fide; deinde, orando, Christi passionem inspiciendo, novissima meditando, in solo Deo plenarie confidendo, renitamur diabolo; nec tentationum aut tribulationum fatigemur aut vincamur mo-
Ibidem. lestiis aut tumultu, scientes (juxta Archiapostolum) eamdem passionem ei quæ in D mundo est, nostræ fraternitati fieri, hoc est, eamdem tribulationem, tentationem seu persecutionem quam ceteri electi in mundo hinc inde dispersi, patiuntur, nos pati. Ideo non miremur, nec dejiciamur, quasi aliquid novi nobis contingat : imo, si de sorte et corpore electorum esse appetimus, electorum tribulationibus ac tentationibus affici non refugiamus.

Narrat Climacus : In Asia erat senex omnino negligens, habens discipulum juniorem, Innocentium nomine, deliberatione atque arbitrio simplicem, cogitatione vero et operatione prudentem. Qui tanta ab illo sene sustinuit, ut credi vix possit : non enim injuriis et ignominiis tantum, sed et plagis et verberibus eum quotidie cruciabat. Quem quum quidam Patrum videret quotidie quasi servum empticium extrema affectum miseria, obvians ei sæpe, dixit ad eum : Quid est, frater Innocenti? Quomodo tibi hodie fuit? Qui mox quandoque quidem oculum lividum, quandoque collum, quandoque caput monstravit plagatum. Cognoscens autem Pater ille quod Innocentius operator esset, dixit ad ipsum : Bene, bene; sustine, et salvaberis. Quumque novem annis ita stetisset sub sene illo immisericordi, migravit ad Dominum. Quo sepulto, præceptor ejus ivit ad quemdam magnum senem, dixitque ei: Pater, Innocentius mortuus est. Cui senex: Hoc mihi persuadere nequibis ut credam aut audiam. Et ille : Veni, inquit, et vide. Quum ergo senex ille magnus cum Innocentii præceptore venisset ad monumentum, clamavit : Frater Innocenti, mortuus es? At vero bene prudens, obediens, et post mortem obedientiæ virtutem ostendens, Innocentius seni respondit : Pater, quomodo possibile est hominem obedientiæ ac patientiæ operatorem mori? Quo audito, præceptor Innocentii timens ac tremens, in faciem cecidit, cum lacrimis pœnitens; et exstructa sibi juxta sepulcrum sancti fratris Innocentii cella, ibidem de cetero vixit religiose.

SERMO QUINTUS

QUALITER APPROPINQUANDUM SIT DEO.

ERANT *appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores, ut audirent illum.* Luc. xv, 1.

Quemadmodum cœlesti medico, in terris conversanti, prædicanti miraculisque pollenti, corporaliter et spiritualiter appropinquabant publicani et peccatores, quos *Luc.* xix, 10. Christus, qui venit quærere et salvare quod perierat, benigne suscepit; ita quotidie etiam nos Deo propinquare debemus. Sed quæri potest, quomodo Deo propinquare possumus, quum ipse immensus sit, ubique præsens, omnia penetrans, intimus rebus, imo intimior eis quam essentiales partes earum, utpote illabens earum essentiis. Rursus videtur, quod Deo appropinquare non valeamus, quum infinite distet a nobis, infinitum autem pertransiri non possit. Verum ad hæc facilis exstat responsio, quoniam sicut non loco, sed dissimilitudine a Deo distamus, sic non locorum spatio, sed similitudine ei appropinquamus, nec passibus corporis, sed mentis affectibus imus et pervenimus ad eum. Est autem dissimilitudo naturæ, qua semper in infinitum distamus a Deo; et est dissimilitudo culpæ, qua tanto plus distamus a sancto et incircumscriptibili Deo, quo pluribus atque gravioribus involvimur culpis. Tanto quoque plus ad eum accedimus, quanto plus a peccatis recedimus et bonis insistimus actibus, gratia quoque et virtutibus decoramur. Sed quoniam omnis gratia, virtus et perfectio nostra, a virtute et perfectione Dei distat, occumbit ac deficit infinite, idcirco Deo propinquare asserimur, non solum a dissimilitudine culpæ ac vitiis recedendo, sed item in gratia virtutibusque crescendo.

Porro virtutum quædam eminenter ac A proprie competunt Deo, ut caritas, sapientia, pietas atque justitia; quædam improprie et solum quantum ad similitudinem operis, non quoad veritatem affectus, ut sunt virtutes morales, circa passionum reformationem versantes. Passiones namque in Deo secundum deitatis naturam non sunt: idcirco mansuetudo, patientia, temperantia, castitas, in Deo metaphorice esse dicuntur. Sunt etiam quædam virtutes in sua ratione aut circa suum objectum imperfectionem aliquam includentes seu de- B notantes. Fides namque et spes in suis rationibus imperfectionem includunt, quoniam fides obscuram notitiam, spes vero distantiam a felicitate et ejus carentiam dicit. Pœnitentia vero, humilitas et latria, circa suum subjectum exprimunt imperfectionem, utpote peccabilitatem et inferioritatem: pœnitentia namque ei qui peccavit solummodo competit; humilitas quoque non nisi defectibili et imperfectæ naturæ potest convenire; similiter latria, quum sit virtus Deo cultum cærimoniam- C que impendens, non nisi creaturis rationabilibus et intellectualibus congruit. Itaque per virtutes Deo proprie convenientes et actus earum, Deo et Domino nostro Jesu Christo secundum suam deitatem, præcipue propinquamus, utpote in caritate et sanctæ dilectionis fervore, in sapientia et sapientiali divinorum contemplatione, in justitia et zelo ipsius, in pietate et actibus ejus essendo atque crescendo.

Quamvis autem fides et spes imperfectionem includant, nec proprie Deo con- D veniant, tamen quoniam Deum pro immediato habent objecto, et in actibus suis circa ipsum versantur et proficiscuntur ad ipsum, idcirco per actus fidei et spei etiam valde Deo appropinquamus. Latria A quoque, quamvis non sit virtus theologica Deum pro objecto proprio habens, sed tanquam pars justitiæ circa operationes versetur, tamen quoniam operationes illæ Deum respiciunt, et circa ipsum versantur, hinc item per actus latriæ Deo non mediocriter propinquamus, puta orando, adorando, sacrificando, etc. Denique per latriam ejusque actus, et per virtutes morales, quæ circa passiones versantur, earumque actus nonnullos, propinquamus assimilamurque Christo secundum suam humanitatem, B secundum quam ipse Deum Patrem ac superbeatissimam Trinitatem perfectissime coluit, oravit, adoravit, et cunctis modis completissime honoravit, prout ipse in Joann. xiv, 31. Ibid. viii, 29. Evangelio protestatur : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; et, Quæ placita sunt ei, facio semper. Rursus, per virtutes istas morales et actus ipsarum propinquamus et assimilamur Deo quoad operis similitudinem, quamvis non quoad passionis affectum : quemadmodum per misericordiam Deo assimilamur, beneficium C exhibendo seu pie subveniendo, non compassionem habendo, quia compassio non competit invariabili, impassibili, superfelicissimo Deo. Verumtamen per actus virtutum moralium, qui sunt passionum refrenationes ac moderationes, propinquamus et quodammodo assimilamur Deo dispositive, quia per actus illos, ad ferventiorem caritatem, ad stabiliorem unionem cum Deo, ad sinceriorem contemplationem ipsius, et immobiliorem tranquillitatem seu pacem in ipso, disponimur atque provehi- D mur. Immoderantia quippe inquietudoque passionum a tam præclarissimis his bonis nos impedit.

Insuper distamus a Deo, in quantum viatores et peregrini per fidem ad patriam ambulantes : idcirco, futuram beatitudinem nunc prælibando ac inchoando, Deum videlicet suaviter contemplando, id est in contemplatione doni sapientiæ proficiendo, Deo appropinquamus. Verumtamen per caritatis fervorem, per desideria ejus, Deo potissimum propinquare censemur, quum caritati sit proprium diligentem dilecto unire, et in Deum moveri atque ascendere.

Præterea, quoniam justus ex fide vivit, et Habac. ii, 4; Hebr. x, 38; xi, 6. accedentem ad Deum credere opus est, omniumque fundamentum virtutum est fides, ideo primo per fidem Deo appropinquare conemur, universa quæ sacra Scriptura et sancta Ecclesia docent esse credenda, firmissime inviolabiliterque credendo, et rationes credendorum obtinendo, atque per eas et per illuminationem supernam, ea quæ fidei sunt, purificatæ mentis intelligentia contuendo. Appropinquemus quoque Deo per spem, in ipso tanquam in superpiissimo patre ac fidelissimo domino omnipotentique adjutore filialiter ac magnifice confidendo, considerantes quam amorose, liberaliter ac benignissime egit nobiscum. Sed et æternam futuram beatitudinem certitudinaliter præstolemur, quantum est ex parte veritatis liberalitatisque Dei, qui illam justis promisit; atque ex ista tantæ felicitatis certa exspectatione, ad laborandum in via Dei, in cultu ipsius, in prælio contra aciem vitiorum, fortiter animemur, ut per opera bona certam fa- II Petr. i, 10. ciamus vocationem nostram, cum Apostolo profitentes : Non sunt condignæ passiones Rom. viii, 18. hujus temporis ad futuram gloriam; itemque, Id quod in præsenti est momenta- II Cor. iv, 17. neum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Insuper appropinquemus Deo per caritatem, in ea crescendo et magis ac magis fervendo, incitamenta caritatis, videlicet bonitatem, pulchritudinem perfectionemque Dei, et ejus beneficia ac promissa considerando, ad Deum ac patriam assidue adspirando, pro divinæ et fraternæ dilectionis inflammatione continuoque augmento Deum jugiter exorando, omnem etiam sensualem excludendo affectum, et evitando quidquid Dei est offensivum.

Sed quia in multis offendimus omnes, Jacob. iii, 2; III Reg. viii, 46. atque quotidie venialiter, heu ! nimis frequenter peccamus, oportet quoque nos

A Deo quotidie appropinquare per pœnitentiam et actus ipsius, pro quotidianis et universis nostris peccatis cordialissimam contritionem habendo, ea deflendo, veniam postulando, confitendo et satisfaciendo pro ipsis, ac recidivum cavendo. Interea, Sap. xi, 24, 27. quoniam Deo proprium est misereri ac parcere, idcirco per misericordiam et opera ejus Deo propinquare non desistamus, actus misericordiæ corporales ac spirituales exercendo loco et tempore opportuno pro posse, potissimum spiritualia misericordiæ opera. Itaque tribulatis, afflictis, captivis, tentatis, peccantibus et collapsis intime compatiamur ac pro viribus succurramus, saltem orando, hortando, Ezech. xviii passim. opem præbendo. Et quoniam Deus peccantes ac impios tam patientissime ac longanimiter suffert, ultionemque differt, et pœnitentibus mox indulget, imo aversos multoties prævenit, revocat et convertit, ac bona pro innumeris atque gravissimis malis largitur, studeamus et nos pro modulo nostro per veram mansuetudinem, patientiam, beneficentiam Deo appropinquare, non ulciscendo nos ipsos, sed bona pro malis reddendo, et etiam eos a quibus læsi sumus, pie præveniendo ac mitigando, atque eisdem antequam veniam postulent ignoscendo, et Deum pro ipsis ex corde orando.

Postremo, quoniam justus Dominus et Ps. x, 8. justitias diligens, nullum malum deserit Job xxiv, 12. impunitum, nec aliquod bonum irremuneratum, curemus ei appropinquare, proprias B culpas quotidie in nobismetipsis dijudicando ac puniendo, benefactoribus quoque nostris, prout valemus, vicissitudinem rependendo ac gratias referendo condignas, ut sic in pietatis et bonitatis affectum, in sincerissimum justitiæ zelum, in discretionis lumen nostra convertantur præcordia. Sicque Deo quotidie propinquemus, ut cito ad ipsum pertingere, et mox post hujus incolatum exsilii, ab ipso dulciter recipi atque feliciter coronari possimus.

SERMO SEXTUS

DE ADMIRABILI CARITATE ET MISERICORDIA DEI AD HOMINES.

C *GAUDIUM est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. xv, 10.

Quam incomprehensibilis sit caritas, munificentia et pietas Dei ad homines, sacra evidenter docet Scriptura. Quo namque dulciori amorosiorique verbo poterat Deus caritatem, dignationem et liberalitatem suam ad homines protestari ac declarare, Prov. viii, 31. nisi dicendo, Deliciæ meæ esse cum filiis hominum? Cur non potius cum spiritibus angelorum? Sed hæc est bonitas atque dignatio Regis altissimi, ut inferioribus, pauperioribus, defectuosioribus amorosius ac benignius applicet semetipsum instar clementissimi patris medicique piissimi, qui circa pauperiorem infirmioremque filium benigniorem se exhibet, et illi magis se applicat.

Denique, quum diligere sit alicui bonum velle, Deus omnipotens caritatem suam nobis primo monstravit in opere creationis, quo de nihilo nos produxit, esse, vivere, sentire et intelligere dedit, sicque ad Gen. i, 26, 27. sui ipsius imaginem et similitudinem nos condere est dignatus.

Secundo, in hoc quod non ad naturalem felicitatem, ut putaverunt philosophi, sed D ad supernaturalem beatitudinem fecit nos, hoc est ad suæ immensæ felicitatis participationem, ad suæ deitatis claram ac facialem jucundissimam intuitionem, ad suæ

A interminabilis bonitatis ac infinitæ dulcedinis beatificam, suavissimam fruitionem plenarie contentantem, ut sicut Joannes evangelista in exordio suæ primæ ait Canonicæ, *I Joann.* i, 3. societatem habeamus ad Deum et cum Deo. Hæc quippe societas in communicatione illa dignantissima liberalissimaque consistit, fundatur et ponitur, qua Deus naturaliter infiniteque bonus, beatitudinem suam opulentissimam nobis tam copiosissime et supernaturaliter communicare dignatus est; sicque suæ divinitatis, suæ gloriosissimæ vitæ, suæ illimita- B bilis *Rom.* viii, 15-17. sapientiæ nos fecit participes, atque in filios adoptavit, et in patria sibi perfecte assimilare decrevit, juxta quod scriptum est : *I Joann.* iii, 2. Nondum apparuit quid erimus ; scimus quia quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et tamen nunc quoque non solum per dona gratiæ, sed et per dona naturæ Deo aliqualiter *Gen.* i, 26, 27. similes perhibemur, utpote ad ejus similitudinem imaginemque creati; et principe *II Petr.* i, 4. Apostolorum testante, Pretiosa nobis donavit, ut per hæc divinæ efficiamur C consortes naturæ.

Verum similitudo omnis hæc vitæ præsentis qua Deo assimilamur, comparatione assimilationis perfectæ in patria, permodici est momenti. Ibi equidem tanta inundatione et exuberantia se Deus communicat et infundit, mentemque implet, præoccupat, possidet, ut recte per Isaiam dixerit *Is.* lxvi, 12. ipse : Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium. *Ps.* xxxv, 9. Unde et fertur in Psalmo : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente D voluptatis tuæ potabis eos. Tanta ergo est illa assimilatio, tam largiflua communicatio, tam gloriosa et supernaturalis deificatio electorum in regno cœlesti, ut quod Deus est, quod habet, quod agit per naturam, ipsi sint, habeant et agant per gratiam. O quam ineffabilis est ista summi Dei dilectio ad electos, quos tam propinque et intime, tam amorose et gloriose, tam supernaturaliter et opulentissime sibi in æternum unire, adstringere, consociare decrevit ! Quod sanctus advertens Hieronymus : Nihil (inquit) felicius Christiano, cui regna promittuntur cœlorum. Certe, si hunc nostræ creationis finem, si tam indicibilem nobis paratam beatitudinem rite attenderemus, vana et vilia omnia despiceremus, cuncta adversa cum gaudio pateremur, nunquam in Dei obsequio pigri, remissi et frigidi inveniremur.

Tertio, suam ad nos caritatem Deus monstravit in hoc quod universa pene creata ad nostram ordinavit utilitatem. *Gen.* i, 28-30. Omnia enim inferiora ista pedibus nostris *Ps.* viii, 8. subjecit, nostris usibus deputavit; similiter elementa. Sed et orbes cœlestes, sidera et planetas in nostrum creavit obsequium, juxta illud Deuteronomii : Ne oculis ele- *Deut.* iv, 19. vatis ad cœlum, videas solem et lunam et omnia astra cœli, et colas ea quæ Dominus Deus tuus creavit in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt. Angelicos quoque spiritus in nostrum delegavit subsidium, ad nostram misit custodiam, quoniam omnes administratorii spiritus sunt, *Hebr.* i, 14. missi in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis.

Quarto, per hoc quod tam multa, copiosa et gratiosa supernaturalia Spiritus Sancti charismata nobis contulit in præsenti : quia ad gratiam nos perduxit Baptismatis, et ecclesiasticis ditavit munivitque sacramentis, evangelica erudivit sapientia, fide ac lege, et de christianis fecit nasci parentibus, non in infidelitatis reliquit errore, quemadmodum obstinatos Judæos, excæcatos Sarracenos, ac ceteros infideles. Insuper, peccantibus nobis diu pepercit, sæpe indulsit, gratiam et virtutes peccando amissas per Pœnitentiæ sacramentum restituit; de sæculo quoque abstraxit, atque in sancta religione ista constituit. Numquid parva sunt ista? Intueamur quid fecerit aliis multis : nonne jam plurimos absorbuit inferus, qui minus peccaverunt quam nos? O quanta est excæcatio, et negligentia ingratitudoque nostra, quod non perpendimus ista, nec in Deitatis amore succendimur, nec in sacro ejus obsequio A jugiter inflammamur! Porro ab exordio multa supernaturalia largitus est dona hominibus : quia et primos nostros parentes *Gen.* II, 7 et seq. in originali creavit justitia, et Adam in magna scientia; eosque in paradiso constituit, quem et eorum posteris volebat relinquere, si illi non fuissent transgressi. Eosdem quoque primos parentes in gratia gratum faciente, caritate ceterisque infusis plasmavit virtutibus, ut plures opinantur doctores. Nec ideo de his debemus munificentissimo Creatori esse ingrati, quo- B niam exigente protoplastorum prævaricatione, tot bonis sumus privati.

Quinto, quod quum angeli multi, et primi corruissent parentes, supersapientissi- *Ibid.* III, 15. mus Deus, non angelos, sed humanum recuperare genus decrevit; nec hoc qualitercumque, sed totius superessentialis ac supergloriosissimæ Trinitatis benignissimo profundissimoque consilio est decretum, ut per Verbi æterni incarnationem et passionem id ageretur.

Sexto, summe et incomparabiliter Trini- C tas adoranda suam nobis ostendit dilectionem, in hoc quod ipsa volente ac operante, nostra natura uni increatæ personæ, videlicet Verbo æterno, hypostatica unione est conjuncta, qua unione propinquior esse nequivit; atque per hoc, increatum esse personale Verbi æterni communicatum est naturæ humanæ in Christo, quia in illo esse Verbi suppositata est humanitas Christi : per quod inæstimabiliter dignificata est et sublimata tota humana natura. Deinde, quantum nos Christus dilexit, quanta D *II Petr.* I, 3, 4. pro nobis fecit ac pertulit, quæ, quanta et qualia nobis beneficia est largitus, quantam beatitudinem nobis recuperavit, quis eloqui queat?

Quum ergo nos tantum dilexerit Deus creator, quid mirum si et sancti nos diligant angeli, de peccatoris quoque conver- *Luc.* XV, 10. sione lætentur, in qua Dei misericordia præcipue declaratur, et fructus dominicæ passionis evidentius operatur, atque humanæ salutis hostes diaboli confunduntur?

Itaque caritati, et misericordiæ liberalitatique Dei in nobis pro posse vicem reddamus, corde, ore et opere ei regratiantes, et quidquid offensivum aut inhonorativum est ejus, cum summa diligentia fugientes, ea quoque quæ complacent ei, toto fervore ac perseverantia strenue prosequentes. In observantiis sancti Ordinis nostri simus ardentes : in observatione cellæ atque silentii strenui, in colloquio custoditi, exemplares et temperati, in cibo et potu ac somno moderati, in divino Officio alacres, in exteriorum interiorumque sensuum refrenatione semper solertes, atque ad exhibendum jugiter Domino majestatis habitaculum cordis mundum indefesse intenti, præsertim quum per Michæam dicat Spiritus Sanctus : Væ qui cogitatis inutile. Sint *Mich.* II, 1. igitur oculi cordis nostri semper ad Domi- *Ps.* XXIV, 15. num, et per fervida verba adspiremus ad eum, dicentes : O benignissime Deus, quando te toto corde amabo? O bone et superamabilissime Pater cœlestis, quando te toto cordis affectu amplectar? O Creator dulcissime, quando te ferventissime diligam? Utinam stabiliretur cor meum in te. Illumina et accende, conforta et posside incessanter cor meum, ut tibi quotidie magis devotum, gratum ac perfectum consistat, ad laudem et gloriam tuam.

DOMINICA IV POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

EXISTIMO QUOD NON SUNT CONDIGNÆ PASSIONES HUJUS TEMPORIS AD FUTURAM GLORIAM, QUÆ REVELABITUR IN NOBIS. Rom. VIII, 18-23.

BEATUS Apostolus, ad fervidum æternæ A beatitudinis desiderium, ad æquanimem quoque adversitatum perpessionem, atque ut Christo compatiamur, in præsenti nos hortatur epistola, eo quod beatitudo illa et gloria incomparabiliter major sit omni labore et tribulatione seu passione vitæ præsentis. Itaque ait :

Existimo ego Paulus apostolus, id est, agnosco, qui de talibus veraciter judico. Dicit autem, « existimo », non quasi incertus aut dubitans, sed sobrium modum loquendi servans, ac edocens ne incauti B simus in asserendo ac judicando. *Quod non sunt condignæ,* id est æquales, sufficientes et proportionatæ, secundum rigorem justitiæ, *passiones hujus temporis,* id est persecutiones, tentationes, labores vitæ præsentis, *ad futuram gloriam,* id est ad æternam beatitudinem promerendam, *quæ revelabitur in nobis,* id est, clare et coram omnibus intellectualibus creaturis, nobis a Deo electis præstabitur. (Nam quantum ad corpus et animam glorificabuntur electi in extremo judicio. Imo et qui interim C glorificantur in anima quoad rem, tunc quoque in anima glorificabuntur quantum ad manifestationem : itaque tunc omnibus ostendetur gloria eorumdem.) Hinc loquitur Christus : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus. *Luc.* XVII, 10. Hæc etenim gloria, est beatifica divinæ essentiæ visio, plena mentis in Deo A lætitia, status omnium bonorum aggregatione perfectus, consummataque animæ et corporis glorificatio sempiterna : ad quam promerendam, passiones temporis hujus non exstant condignæ. — Sed videtur contrarium, quia secundum doctores, homo in caritate exsistens, meretur de condigno vitam æternam. Et respondendum, quod passiones hujus temporis seu opera caritatis considerantur dupliciter. Primo, secundum quod procedunt a libero arbitrio, vel acceptantur ab eo : et sic non B merentur de condigno felicitatem æternam, etiam habitu caritatis adjuncto. Secundo, prout Spiritus Sanctus liberum arbitrium movens, est hujuscemodi actionis vel acceptationis principium : sicque per eas meretur homo vitam æternam de condigno, quia principium meriti est ejusdem bonitatis cum præmio. Apostolus vero nunc loquitur de passionibus primo modo acceptis.

Porro, quod gloria ista nobis præstanda sit, consequenter probat. *Nam exspectatio* C *creaturæ,* id est creatura exspectans, videlicet homo viator. Dicitur enim homo omnis creatura, secundum illud, Prædicate Evangelium omni creaturæ : *Marc.* XVI, 15. primo, quia cum omni creatura in aliquo convenit; secundo, propter excellentiam, quia omnia corporalia propter ipsum creata sunt. *Gen.* I, 26. *Revelationem filiorum Dei exspectat,* id est, manifestationem beatitudinis seu manifestam felicitatem electorum, hoc est sui ipsius felicitatem, qua cum Dei electis adoptivisque filiis beatificanda est, cum ingenti desiderio præstolatur, dicens quotidie : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. (*Ps.* xli, 2.) Hinc in prima Joannis Canonica dicitur : Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus ; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. (I *Joann.* iii, 2.) Nunc ergo manifestationem et beatificam illuminationem istam electorum affectuosissime præstolemur, quatenus tandem anima et corpore glorificati, declaremur et agnoscamur esse filii Dei per similitudinem gloriæ. Denique, nomine creaturæ intelligitur homo, dicente Apostolo : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, a creatura mundi conspiciuntur, (*Rom.* i, 20.) hoc est ab homine, ut omnes exponunt.

Vanitati enim, id est instabilitati, mortalitati, multisque pœnis, *creatura subjecta est,* id est homo, juxta illud in Psalmo : Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens; (*Ps.* xxxviii, 6.) *non volens,* id est non sponte, quia invite hæc patitur; vel, « non volens », id est propter originale peccatum, quod non est nostra voluntate commissum, cujus pœnas cogimur sustinere; *sed propter eum qui subjecit eam in spe,* id est, propter divinam justitiam subjectus est homo huic vanitati, clementer tamen, quia in spe est liberationis futuræ. *Quia et ipsa creatura,* videlicet homo, *liberabitur,* in finali et generali resurrectione, *a servitute corruptionis,* id est servitute ista servili et corporali, vel magis proprie, « a servitute corruptionis », id est sollicitudinibus vitæ præsentis, puta a cura quærendi vestitum et victum, ac alia quibus sustentatur hæc corruptibilis vita, et per quæ ei servitur. Liberabitur autem, pertingendo *in libertatem gloriæ,* id est ad securitatem atque dominium felicitatis, vel ad gloriosam libertatem *filiorum Dei,* id est electorum et Beatorum in patria, qui quanto præ viatoribus assimilantur perfectius Deo, tanto excellentius filii Dei vocantur. Deinde præinducta declarat Apostolus.

Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Hoc duobus modis exponitur. Primo, de omni homine mortali fideli : qui dicitur ingemiscere, suspirando ad patriam, atque ob vitæ hujus angustias et ærumnas frequenter gemit lugetque in valle hac lacrimarum; et parturire, hoc est cum dolore operari; « usque adhuc », quia a principio mundi sic fuit usque in præsens, et usque ad mortem finemque sæculi durabit hic gemitus et parturitio ista. Secundo exponitur generaliter de principalibus partibus hujus mundi sensibilis, scilicet elementis corporibusque cœlestibus : quæ metaphorice gemere asseruntur ac parturire, quemadmodum campus dicitur exsultare, et pratum ridere. (*Ps.* xcv, 12.) Unde per gemitum eorum, intelligitur inclinatio seu appetitus ipsorum ad statum perfectiorem; per parturitionem vero, mutua generatio et corruptio quantum ad elementa, vel mutua circumvolutio quantum ad cœlestia corpora. Ex quibus elicitur, quod secundum doctrinam Apostoli, corpora cœlestia et elementa in fine mundi, glorificatis electis et peracto judicio, innovabuntur, ita quod elementorum mutua transmutatio atque cœlestium corporum motus cessabunt, majorique lumine ornabuntur. Terra namque, ut dicitur, in superficie lucida erit instar vitri, aqua tanquam crystallus, aer ut cœlum, ignis ut sidera cœli. Quantitas autem meliorationis cœlestium corporum nota est ei qui daturus est eam. Verumtamen de mensura seu quantitate decorationis solis ac lunæ scriptum est apud Isaiam : Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum. (*Is.* xxx, 26.) Tunc equidem tanta erit lux lunæ, quanta nunc est lux solis; et lux solis erit septies major quam modo est; corpora quoque Beatorum septies clariora erunt (ut fertur) tunc sole. Hoc tamen secundum Thomam, nec ratione probatur, nec auctoritate, quamvis certissime verum sit quod Veri-

Matth. XIII, 43. tas ait : Fulgebunt justi sicut sol in regno A Patris eorum.

Mihi interea, salvo semper meliori judicio, videtur, quod sicut præsens locus quo dicitur, « scimus quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc », exponitur de prædictis corporibus, ita et superiora ab eo loco quo dictum est, « nam exspectatio creaturæ », de eisdem possint exponi : præsertim quia Apostolus, dicendo, « exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat, et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in liber- B tatem gloriæ filiorum Dei », manifeste videtur distinguere inter creaturam et filios Dei adoptivos.

Erit itaque sensus : « Exspectatio creaturæ » tam elementaris quam cœlestis, « revelationem filiorum Dei », hoc est manifestam glorificationem hominum electorum, « exspectat », secundum quod ex divina ordinatione inclinatur ad quamdam meliorationem, quam in fine mundi suscipiet, Dei filiis revelatis seu plenarie glorificatis. Non enim innovabuntur corpora C elementaria atque cœlestia, nisi corporibus electorum glorificatis, vel simul cum illis. Merito autem exspectat : « vanitati enim », id est transmutationi seu mutabilitati, præfata « creatura subjecta est, non volens », hoc est non ex se ipsa aut propria inclinatione, loquendo de ea prout ordinata est a Deo ad statum perfectum, parificandum statui electorum post finale judicium, « sed propter eum qui subjecit eam in spe », id est, ex ordinatione divina subjecta est huic vanitati propter homi- D nem, ut ei deserviat. Corpora namque cœlestia propter generationem inferiorum, potissime hominum, moventur, et in generationibus mixtorum elementa concurrunt. Hæcque subjectio facta est in spe meliorationis præfatæ elementorum atque cœlestium corporum, « quia et ipsa creatura » cœlestis ac elementaris « liberabitur a servitute corruptionis », hoc est a statu suæ variabilitatis, et a transmutatione ac motu, quibus corruptibilibus istis deservit.

Non solum autem illa, id est, non tantum omnis creatura præfata ingemiscit et parturit, *sed et nos ipsi* Apostoli, quibus hoc minus convenire videtur, *primitias Spiritus habentes,* id est majora ac abundantiora charismata Spiritus Sancti : quia præ ceteris repleti fuerunt Spiritu Sancto Apostoli. Propter quod ait Hieronymus : Omnibus Prophetis confidenter Apostolos præfero. *Et ipsi intra nos gemimus,* propter miserias vitæ præsentis, et præ desiderio futuræ felicitatis cupientes dissolvi, *Philipp.* I, 23. *adoptionem filiorum Dei exspectantes,* id est plenam filiationem adoptionis divinæ, videlicet beatificam Divinitatis fruitionem. Nec solum animæ glorificationem exspectamus, sed et *redemptionem corporis nostri,* id est liberationem corporis nostri a mortalitate, pœnis atque miseriis, quibus in vita ista affligitur. Propter quod David ad Deum clamavit : *Ps.* LXII, 2. Sitivit in te anima mea ; quam multipliciter tibi caro mea ! Hanc quoque redemptionem exspectamus *in Christo Jesu Domino nostro,* quia per meritum suæ passionis tribuetur electis, dicente Apostolo : *Philipp.* III, 20. 21. Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

SERMO PRIMUS

QUOMODO LIBERALISSIMUS DEUS, ELECTIS SUIS PRO TRIBULATIONIBUS OPERIBUSQUE BONIS VITÆ PRÆSENTIS, PRÆSTAT IN PATRIA BEATITUDINEM INEFFABILITER MAGNAM.

N*ON sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*. Rom. VIII, 18.

Deus naturaliter bonus, et pius ac liberalis, in infinitum ultra condignum electos et justos remunerat, dando eis in cœlis majorem felicitatem quam meruerunt; et citra condignum perversos ac reprobos punit, infligendo eis in inferno minora quam promeruerunt supplicia. Ideo *Ps.* CXLIV, 9. ait Psalmista : Miserationes ejus super omnia opera ejus. Itaque pro tribulationibus atque operibus bonis vitæ præsentis, parvis, paucis ac brevibus, præstat electis beatitudinem ineffabiliter magnam quantum ad præmium essentiale, innumerabiliter multam quantum ad accidentalia gaudia ac præmia civium supernorum, incomprehensibiliter longam, quia vere æternam. Unde, quantumcumque magnæ, multæ ac longæ videantur tribulationes seu passiones, laboriosæque actiones justorum *Ps.* XXXIII, 20. in vita hac (quum scriptum sit : Multæ tribulationes justorum; et item Apostolus : II *Cor.* I, 8. Supra modum, inquit, gravati sumus; atque, ut asserit Augustinus, Immanissima tormenta martyres perpessi sunt), nihilo minus comparatione felicitatis æternæ, nullius momenti sunt. Tanta quippe est dignitas, jucunditas ac plenitudo felicitatis illius, ut quidquid pro ea agatur aut toleretur, pro modico, imo magis pro nullo sit reputandum.

Sed jam id distinctius est probandum. Primo igitur dico, quod supernæ felicitatis summa sit dignitas sive nobilitas. Est enim summi, infiniti atque incommutabilis boni, videlicet Dei altissimi, clarissima intuitio atque perfecta fruitio : ideo est dignitatis A seu nobilitatis quodammodo infinitæ ratione sui objecti. Nam et secundum philosophos, præstantiorum seu sublimiorum objectorum, hoc est rerum scibilium, scientiæ, sunt nobiliores. Propter quod Aristoteles protestatur, desiderabilius esse modicum quid scire de substantiis separatis, puta intelligentiis, quas angelos appellamus, quam multa de rebus inferioribus. Nonne ergo incomparabiliter desiderabile, dignum et nobile est, ipsum universorum Creatorem ac Deum clare per speciem in- B tueri, et eo ad libitum plenarie frui? Hinc loquitur Augustinus : Tanta est pulchritudo divinæ justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis et sapientiæ increatæ, ut etiam si non liceret in ejus clara visione ac beatifica fruitione manere magis diu quam uno die, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et cunctis mundi divitiis atque honoribus, recte ac merito contemnerentur. Quam inæstimabilis ergo est miserorum hominum negligentia C, cæcitas, imo insania, perversitas, ingratitudo : quia quum in sæculo isto nec diem sciant nec horam, certique sint *Matth.* XXV, 13. quod incerta ac brevis sit vita ista, et tamen in ea possint beatitudinem promereri æternam, ut non uno dumtaxat die, sed verissime ac securissime absque fine Deum gloriose conspiciant, et eo suavissime perfruantur, attamen negligunt semetipsos, beneficia ac promissa Dei miserabiliter parvi pendunt, terrenis et carnalibus ita se implicant, quod ad tantam beatitudinem D non adspirant; nec ea dumtaxat privantur, sed insuper infernalem sibi calamitatem, tanquam revera stolidissimi negotiatores, propria iniquitate mercantur. A Quibus ex compassione ingenti clamat *Ps.* IV, 3. Propheta : Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? *Is.* XLVI, 8. Isaias quoque : Prævaricatores (inquit), redite ad cor.

Secundo dico, quod cœlestis felicitatis sit summa ineffabilisque jucunditas, quoniam Deus sublimis et benedictus, quem Beati clare ac fruitive inspiciunt, est pulchritudinis penitus infinitæ et suavitatis prorsus immensæ : imo ipse est bonum perfectum, in quo omnis perfectio, omnis B nobilitas, omnis potestas, et quidquid appeti potest, cum infinita excellentia, verissime ac simplicissime continetur, invenitur ac cernitur. Si ergo res tanto jucundior est ad videndum, et tanto suavior ad fruendum, quanto pretiosior, melior dulciorque consistit in semetipsa, constat quod prorsus incomparabiliter deliciosum ac dulce sit Deum clare conspicere, et ejus frui bonitate atque dulcedine in proprio fonte. Hinc de electis loquitur Deo Psalmista : *Ps.* XXXV, 9, 10. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, C et torrente voluptatis tuæ potabis eos : quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Siquidem in lumine gloriæ videbimus lumen æternum, fontale et increatum, cujus puritas est immensa, et claritatis, decoris ac deliciositatis ejus nullus est finis, nulla mensura. Hinc prima Petri habetur : *I Petr.* I, 8, 9. Videntes Deum exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Postremo, si delectabile est videre pulchrum pratum, pul- D chrum hominem, pulchrum exercitum, ac cetera quæ in creaturis speciosa dicuntur, quam delectabile est cernere fontem et causam universi decoris, præ cunctis et singulis infinite et incomprehensibiliter pulchrum? Et si tanta in rebus carnalibus delectatio sita est, quam incomparabilis delectatio in omnipotentis ac incircumscriptibilis Dei clara visione ac plena fruitione consistit? *I Cor.* II, 9. Ideo dicit Apostolus : Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ Deus præparavit diligentibus se et electis. Idcirco ait Hieronymus : Nullus labor durus, nullum tempus longum videri potest, quo gloria æternitatis acquiritur.

Tertio dico, quod æternæ felicitatis sit maxima plenitudo. Nam quamvis felicitas illa sit essentialiter aliquid unum ac simplex, videlicet clara et fruitiva visio Dei, quæ est præmium essentiale et felicitatis essentia, nihilo minus huic præmio essentiali tanta accidentalia gaudia ac præmia, tot bona, tot divitiæ, deliciæ et honores, conjuncta sunt, ut nec numerari queant nec comprehendi : visio scilicet humanitatis Christi et Virginis gloriosæ, intuitio atque societas omnium angelicorum spirituum et universorum sanctorum Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum, martyrum, confessorum ac virginum. Sed et post diem judicii erunt corpora electorum glorificata, et quatuor dotibus, utpote claritate, impassibilitate, subtilitate ac agilitate, ineffabiliter adornata ; et erit in cœlis, ut rationabiliter creditur, laus Dei vocalis, symphonia inæstimabiliter deliciosa, eritque ibi dulcissimus odor ; corpora quoque cœlestia et elementa erunt mirabiliter clarificata, speciosa, et ad intuendum jucunda. Ex iis ergo et aliis multis erunt innumerabilia gaudia Beatorum. Propterea dicit Gregorius : Si consideremus quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium ; temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Quæ enim lingua explicare, aut quis intellectus capere possit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris adsistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere gloriari?

Itaque, sicut ait Apostolus, « Non sunt *Rom.* VIII, 18.

condignæ passiones hujus temporis » ad A felicitatem cœlestem. Primo, quoniam passiones temporis hujus sunt parvæ, gloria illa est magna; secundo, quoniam passiones hujus vitæ sunt breves, beatitudo illa est æternalis. Propter hæc duo Apostolus *II Cor.* iv, 17. dicit : Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Tertio, quoniam passiones hujus temporis paucæ sunt respectu gaudiorum cœlestium, juxta illud *Sap.* iii, 5. libri Sapientiæ : Justi in paucis vexati, in B multis bene disponentur. Quarto, quoniam passiones justorum in hac vita habent consolationes spirituales divinas sibi annexas, dicente Apostolo : *II Cor.* i, 5. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra; et iterum, *Ibid.* 3, 4. Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Itaque futuræ felicitatis amore, despiciamus carnalia gaudia, vana solatia, mundanos honores, opes terrenas; *Mich.* vi, 8; *Deut.* iv, 9. et coram Deo in omnibus timorati simus, custoditi atque solliciti. Gema- C mus propter peccata nostra, defleamus nos ipsos, et ad supernam beatitudinem cordialiter suspiremus; sed et infernalium suppliciorum memoria, pavor, acerbitas, a nostris cordibus non recedat.

Refert S. Gregorius, quod tempore suo fuit in Roma mulier sancta nomine Redempta, duas habens discipulas : quarum una, nomine Romula, fuit mirabiliter virtuosa, quoniam summæ patientiæ et maximæ obedientiæ fuit, valdeque custodita in verbis et taciturna, atque orationibus qua- D si semper intenta. Sed Deus, qui electos suos in vita hac visitat et castigat, præfatæ Romulæ paralysim misit, ita quod multis annis in lectulo jacens, omnium pene membrorum fuit officiis destituta. Nec tamen unquam ad impatientiam mota fuit; sed tanto incessabilius Deum oravit atque laudavit, quanto quid aliud ageret in potestate non habuit. Quadam autem nocte spiritualem matrem suam præfatam vocavit, quæ cum alia sua discipula surgens, ad lectum jacentis venit. Quumque staret ibidem cum sua discipula, subito cœlitus lux emissa totam cellulam illam implevit, ita quod mater illa et ejus discipula adstantes, inæstimabili concuterentur pavore, et obrigescerent corpore. Cœpit namque quasi cujusdam magnæ turbæ ingredientis sonus audiri, ostium cellulæ concuti, ac si ingredientes se premerent; præfatamque lucem odor suavissimus est secutus. Mater vero prædicta et ejus discipula multitudinem ingredientium sentiebant, sed præ nimietate timoris ac luminis videre nil poterant. Quumque tantam lucem ferre non possent, cœpit prædicta Romula matrem suam consolari, dicendo : Noli timere, mater, non moriar modo. Quumque frequenter hoc diceret, cœpit lux emissa paulatim recedere; sed odoris suavitas ibi remansit usque ad quartam noctem, in qua Romula matrem suam rursus vocavit, et Sacramentum corporis Christi petiit atque accepit. Et ecce repente in platea duo chori psallentium supernorumque civium adstiterunt, quibus psallentibus et cœlestes exsequias exhibentibus sancta anima Romulæ a carne soluta est. Qua ascendente cum Sanctis illis in cœlum, quanto chori psallentium altius ascendebant, tanto cœpit levius psalmodia audiri, quousque sonitus psalmodiæ atque odoris suavitas per elongationem finiebantur.

Ex præclaro ergo exemplo hoc, discamus prospera mundi despicere, adversa æquanimiter sustinere, et usque ad finem in bonis actibus perseverare.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ESTOTE MISERICORDES, SICUT ET PATER VESTER COELESTIS MISERICORS EST. Luc. VI, 36-42.

SALVATOR in evangelio hodierno multa nobis proponit moralia documenta valde salubria. Et primo ad misericordiam nos hortatur, dicendo : *Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est.* Misericordia proprie virtus est qua quis miseriis aliorum cordialiter compatitur, realiterque succurrit pro posse. Misericordia itaque Deo non competit quantum ad primum istorum, quia compassionis affectus in Divinitatis invariabili impassibilique natura non cadit; nec quantum ad hoc Deus vocatur misericors, quia ut asserit Damascenus, misericors dicitur quasi cor miserum habens, miserum scilicet ratione pœnalitatis, quia compassio pœna quædam est. Sed quantum ad secundum, misericordia Deo potissimum convenit, quoniam omnibus indigentibus et miseris ad ipsum clamantibus piissime subvenit, ignoscit, gratiam præstat, bona corporalia *Matth.* v, 45. spiritualiaque largitur : imo ingratos ac pessimos sæpe misericorditer prævenit, tangit, illustrat, convertit et salvat, sæpe *Rom.* v, 20. tam gratiose, quod ubi abundavit delictum, abundat et gratia. Debemus ergo instar Patris cœlestis esse misericordes, proximis pie compatiendo, subveniendo, ignoscendo, et opera misericordiæ, tam spiritualia quam corporalia, pro viribus liberaliter impendendo, quemadmodum ad *Ephes.* IV, 32. Ephesios docet Apostolus : Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Matth.* v, 7. Christus quoque : Beati (inquit) misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Deinde aliud proponit Dominus documentum. *Nolite judicare, et non judicabimini.* Verbum hoc difficultatem sortitur, propter diversas auctoritates Scripturæ, in quarum aliquibus judicare jubemur seu admonemur, ut quum ait Salvator : Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate. *Joann.* VII, 24. Apostolus quoque affirmat : Spiritualis homo judicat omnia; *I Cor.* II, 15. et, Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur. *Ibid.* XI, 31. Sic et Michæas ait : Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam. *Mich.* VI, 8. Atque Psalmista : Judicate egeno et pupillo. *Ps.* LXXXI, 3. Quomodo ergo Christus ait tam absolute, Nolite judicare? Quibus tamen verbis concordat illud Apostoli : Tu quid judicas fratrem tuum? *Rom.* XIV, 10. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi; et, Unusquisque pro se rationem reddet Deo : *Ibid.* 12, 13. non ergo amplius invicem judicemus.

Pro horum concordantia est sciendum, quia ut Thomas scribit, judicium proprie sumptum, est actus judicis in quantum est judex. Judex vero dicitur, quasi jus dicens. Idcirco judicium est prolatio sententiæ secundum regulam juris. Unde judicium est actus justitiæ, tanquam virtutis inclinantis ad judicandum idonee; et est actus rationis atque prudentiæ, tanquam proferentis ipsum judicium. Judicium itaque in tantum est licitum, in quantum ex justitia et ratione per prudentiam informata procedit. Denique tria requiruntur ad hoc quod judicium de alio per modum sententiæ definitivæ sit licitum. Primo, ut procedat ex virtute justitiæ, non ex impetu passionis, cupiditate seu odio. Qui enim in magnis peccatis sunt, judicare non debent eos qui in eisdem aut minoribus sunt peccatis, secundum Chrysostomum. Secundo, ut procedat ex auctoritate præsidentis : quia non debet quis mittere falcem in messem alienam, id est non judicare nisi sibi subjectos. Tertio, ut proferatur secundum veram prudentiam. Si primum horum defuerit, vocatur judicium injustum atque perversum ; si secundum, vocatur usurpatum ; si tertium, vocatur suspiciosum aut temerarium. Hæc itaque inordinata judicia prohibet Christus, quum ait : « Nolite judicare ». De manifestis vero, et quæ bono fieri animo nequeunt, possumus judicare, quum dicat Salvator : Attendite a falsis prophetis ; a fructibus eorum cognoscetis eos.

Matth. vii, 15, 16.

Quoniam ergo debiles sumus in ratione, ita quod facile erramus et fallimur, atque ad passiones et vitia rectum judicium pervertentia proni sumus, Christus a multis periculis nos eripit et præservat, dum judicare nos prohibet. Et judicium istud inordinatum præcipue periculosum est ac cavendum imperfectis et passionatis hominibus ; et præsertim providendum est eis, ne proni sint judicare eos ad quos minus afficiuntur, et contra quos cito tentantur, ne passionibus vitiisque cæcati, de illis judicent vitiose. Sed se ipsum unusquisque discutiat, attendat, dijudicet, increpet et castiget. Hinc ait Cyrillus : Christus hic sedat et tollit pessimam consuetudinem et pravitatem animarum nostrarum, principiumque contemptus aliorum. Quum enim deceat homines circumspicere semetipsos, et secundum Deum conversari, hoc tamen multi non faciunt, sed examinant aliena, et si viderint aliquos infirmari aut cadere, tanquam propriarum culparum obliti, mox detrahunt. Præterea dubia in partem meliorem sunt interpretanda, non cum absoluta assertione, sed cum pia confidentia et æstimatione. Judicium quoque detestabile est, dum fertur sententia de secretis cordis absque sufficientibus signis ; item, dum judicatur de futuro hominis statu, hoc est, an debeat pœnitere an non : de hoc namque incerti consistimus, qualis scilicet quisque futurus sit ; et rursus, dum dubia in partem trahuntur pejorem.

Præterea quæri potest, an ex suspicione liceat judicare. Ad hoc Thomas respondet : Suspicio est opinio mali de alio, ex levibus causis concepta ; et procedere potest ex tribus. Primo, ex malitia suspicantis, qui sibi de propria malitia conscius, facile putat alios sibi similes in peccatis. Secundo, ex malo affectu ad alterum : sicut dum aliquis alium odit aut ei irascitur, facile suspicatur malum de eo. Tales igitur suspiciones sunt perversæ, sicut et causæ earum. Tertio procedit ex quadam experientia : unde secundum Philosophum, secundo Rhetoricæ, Senes sunt magis suspiciosi, tanquam aliorum defectuositates magis experti. Et ista suspicio est minus illicita, quoniam causa ejus est melior, certitudinique propinquior. Itaque non licet judicare ex suspicione procedente ex malitia suspicantis vel ex malo affectu ejus ad alium, nec ex suspicione procedente ex quadam experientia cum absoluta assertione. Insuper triplex est gradus suspicionis sive suspiciosi judicii. Primus, dum quis ex levibus causis aut signis, de bonitate alterius dubitat : quod est veniale peccatum, pertinens ad tentationem humanam, sine qua præsens vita non agitur, et ex humana infirmitate procedit suspicio ista. Secundus gradus est, quando ex levibus signis firmiter æstimat alium esse perversum : et hoc est mortale peccatum, et contra caritatem fraternam, et habet contemptum fratris adjunctum. Tertius gradus est, quando ex levibus causis proceditur ad punitionem alterius : et hoc adhuc gravius est, et contra justitiam.

Id quoque sciendum, quod quamvis dubia sint in melius interpretanda, quantum ad quamdam piam fiduciam, quoniam non debemus esse proni ad male sentiendum de alio ; tamen, quando impendendum est remedium contra peccatum, interpretanda sunt in partem pejorem, propter securitatem, non asserendo quod mala sint, sed de pejori timendo, et pœnam seu satisfactionem pro eis injungendo, ac si mala essent. Itaque, « nolite judicare » judicio quocumque inordinato secundum modos prætactos, « et non judicabimini » judicio reprobationis ac condemnationis, dummodo alia quoque servetis præcepta, et usque in finem perseveretis in bonis. De hoc judicio loquitur Christus: Qui verbum meum audit, habet vitam æternam, et in judicium non venit. A Joann. v, 24.

Nolite condemnare. Condemnatio ex judicio oritur, vel illud includit. Ideo, sicut non quodcumque, sed inordinatum dumtaxat prohibetur judicium, ita non quæcumque, sed inordinata condemnatio prohibetur, B videlicet propter incerta et levia signa aliquem condemnare, seu etiam non subjectum, vel affirmare aliquem finaliter esse damnandum, qui tamen pœnitere quotidie potest. Præsidentes vero et judices possunt, imo et obligantur impios condemnare, quando justitia id requirit. Aperte etiam sceleratos, secundum quod tales sunt, et eos quos in actu vitioso videmus, damnare et reprobare sub conditione explicita vel implicita licet, videlicet, nisi pœnituerint: ut si aliquem videamus adul- C terium aut homicidium scienter committere, nullum est dubium, quin in peccato exsistat mortali, damnationeque dignus sit, et nisi pœnituerit, in æternum damnabitur. *Et non condemnabimini* damnatione æterna a Deo, dummodo ex caritate Dei vitetur condemnatio aliorum inordinata, et perseveretur in bonis, ut tactum est.

Dimittite injurias vobis illatas : juxta illud ad Colossenses, Induite viscera misericordiæ, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus ali- D quem habet querelam; *et dimittetur vobis* a Deo, quod eum offendistis peccando, juxta illud Ecclesiastici : Relinque proximo tuo nocenti tibi; et tunc deprecanti tibi solventur peccata. Et ecce hæc est infinita misericordia atque dignatio superexaltati et incomparabilis Dei, quod vult illi dimittere sua peccata, qui ignoscit peccanti in se : quum tamen peccatum per comparationem ad Deum habeat enormitatem quodammodo in infinitum majorem, quam peccatum commissum in hominem per comparationem ejus ad hominem tantum, secundum quod Deus est majestatis, sanctitatis, et excellentiæ in infinitum majoris quam homo. Non ergo simus Deo ingrati, nec ad ignoscendum graves et tardi. Potest et ita intelligi: « Dimittite » ea quæ pauperes vobis debent, vel captos quos expedit dimitti, vel temporalia bona, secundum quod princeps Apostolorum asseruit, Ecce nos dimisimus omnia; « et dimittetur vobis » iniquitas vestra.

Coloss. III, 12, 13.

Eccli. XXVIII, 2.

Marc. X, 28.

Date consilium aut auxilium indigenti, et quod rationabiliter postulatur a vobis non denegetis, sed date ex caritate Dei ac proximi, secundum veræ discretionis censuram; *et dabitur vobis* a Deo gratia in præsenti et gloria in futuro, quum Deus sit omnium bonorum copiosissimus remunerator. *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Per hanc omnem circumlocutionem insinuatur, quod ineffabiliter copiosa erit retributio operum caritatis ac pietatis in cœlo : quæ retributio per mensuram exprimitur, quoniam præmium merito correspondet ac proportionatur, quemadmodum mensurato mensura ; et item, quoniam Deus secundum sapientiam suam omnia moderatur, atque in pondere, numero ac mensura constituit universa. Quamvis autem ista retributio seu mensura effective detur ab uno Deo, Christus tamen pluraliter loquitur, « dabunt », videlicet pauperes quibus opera pietatis impenditis, quia cooperantibus interventione illorum ac meritis datur hæc mensura seu merces. Itaque, « mensuram bonam », id est legitimam, quia non minus quam justum est dabunt, « et confertam », id est plenam, « et coagitatam », ut per compressionem plus capiat, « et supereffluentem », id est tam abundantem et cumulatam ut supereffluat undique, « dabunt in sinum vestrum », id est in gremio cordis, in fundo mentis, in secretissimo intellectus ac voluntatis, quia intellectus implebitur ac reficietur beatifica contempla-

Sap. XI, 21.

tione veritatis divinæ, voluntas quoque dulcissima fruitione bonitatis altissimæ.

Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis, id est, juxta exigentiam meritorum vestrorum vobis retribuetur; et sicut feceritis proximis vestris, juxta hoc Deus faciet vobis, videlicet prout opera vestra merentur : quoniam præmium correspondet merito, magisque pensatur secundum magnitudinem interioris affectus, quam operis exterioris; prout ait *Marc.* xii, 42, 43. Salvator, quod vidua quæ misit et obtulit duo minuta, plus omnibus misit. Unde *Joann.* xiv, 2. rursus Christus testatur : In domo Patris mei mansiones multæ sunt, id est diversi gradus præmiorum, juxta gradus ac differentias meritorum. Paulus quoque fatetur : II *Cor.* ix, 6. Qui parce seminat, parce et metet. Nec his obviat quod pro temporali merito datur merces æterna, et quod Deus electos supra condignum remunerat, reprobos vero citra condignum punit : quoniam ista mensuræ æqualitas, proportio, sive identitas, consideratur in genere : ut qui plus peccavit, plus puniatur; et qui plus promeruit, copiosius coronetur.

Dicebat autem illis quibus sermonem hunc fecit, præsertim discipulis suis, *et similitudinem* quæ subditur : *Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?* Hoc in corporalibus ita est; nec est similitudo tantum, sed veritas et res. Verumtamen Christus hoc pro similitudine introduxit, quia per hoc aliud designavit, videlicet quod etiam in spiritualibus ita est : utpote quod mente cæcus, id est ignarus, passionatus, negligens et carnalis, non est idoneus regere alios; sed tam ipse quam subditi ejus, ruunt, nunc quidem in foveam, id est vitiorum profunditatem, deinde in fove- *Job* xl, 8. am infernalem, de qua scriptum est : Facies superborum in foveam demerge. His verbis edocuit Christus, quod rectoribus, et prædicatoribus, ac prælatis necessariæ valde sint notitia divinorum, scientia Scripturarum, splendor virtutum, stabilitas mentis, ne facile conturbentur aut passionentur. Ridicula etenim, imo et periculosa res est speculator et ductor cæcus, doctor inscius, præco mutus, præcursor claudus, rector injustus : tales namque se ipsos aliosque præcipitant. Hinc ait Gregorius : Dum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est ut per præcipitium grex sequatur. Pastor enim se habet in populo sicut oculus in corpore. Propterea apud Jeremiam scriptum est : Quia stulte ege- *Jer.* x, 21. runt pastores et Dominum non exquisierunt, ideo omnis grex eorum dissipatus est.

Non est discipulus super magistrum. Hoc generaliter ita est, loquendo de magistro discipuloque formaliter : quia discipulus in quantum discipulus, inferior est magistro in quantum magister est; quamvis materialiter discipulus, id est homo qui est discipulus, possit esse magistro suo potentior, altior, sanctior, ingeniosior, imo et doctior. Si vero ad litteram per magistrum intelligatur ipsemet Christus, qui ait, Unus est magister vester Christus : *Matth.* xxiii, 10. certum est quod hoc magistro nullus discipulorum sit major; sed omnes valde sunt eo inferiores. *Perfectus autem omnis* discipulus *erit, si sit sicut magister ejus,* id est, si ei assimiletur per imitationem, aut conformetur. Non tamen talis discipulus erit perfectus simpliciter, sed in suo statu, gradu ac ordine. Si autem per magistrum Christus intelligatur, constat quod quanto plus quis hunc magistrum fuerit imitatus, tanto perfectior comprobetur : imo hujus magistri imitatio omnium est Christianorum perfectio.

Hæc autem locutus est Christus, ut se ipsum discipulis proponeret in exemplum. Tanquam dicat : Quum ego prætactas virtutes, præcepta, consiliaque impleverim, adversarios diligendo, inimicis benefaciendo, et cetera jam inducta agendo, decet ut et vos discipuli mei sic faciatis. Hinc alibi loquitur Christus : Exemplum dedi vobis, ut *Joann.* xiii, 15. quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Aut certe verba hæc protulit Christus, ad declarandum quod cæcus cæcum non valeat ducere, id est prælatus insipiens A alios regere : quia prælatus est velut magister subditorum suorum, ideo ipso errante, illi pariter errant, nec perfectiores sunt eo, secundum communem legem formaliterque loquendo. Verumtamen Deus electos suos non deserit, sed informat unctione superna et directione angelica.

Deinceps Christus unumquemque hortatur ad sui ipsius discussionem sollicitam ac diligentem custodiam, atque per aliam similitudinem instruit, cæcum a cæco duci non posse. *Quid autem vides fe-* B *stucam,* id est, parvum et veniale peccatum consideras, *in oculo fratris tui,* id est in proximo tuo, *trabem autem quæ in oculo tuo est,* id est grande et mortale peccatum proprii cordis, *non consideras?* quasi dicat Salvator : Stulte te habes in hoc, et contra caritatis ordinem atque justitiam agis. Hinc alio loco Christus dis- *Luc.* IX, 25. seruit : Quid proficit homo si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat? Caritas quippe incipit a se ipsa, et ordo caritatis ac justitia exigunt ut ho- C mo in primis corrigat, purget et curet se ipsum, aliis quoque exemplarem se præbeat, sicque idoneus sit eos arguere, ne in ejus negligentia scandalizentur. *Aut quomodo potes dicere fratri tuo,* id est proximo, *Frater, sine,* id est, permitte et patienter sustine, ut *ejiciam festucam de oculo tuo,* id est, parvum peccatum de corde tuo per correptionem et correctionem amoveam, *ipse in oculo tuo trabem non videns,* id est, in proprio corde majus sive mortale peccatum non pensans? Quasi dicat : Istud sapienter et ordinate facere nequis ; sed oportet ut in primis cures animam tuam, juxta illud : Medice, cura *Luc.* IV, 23. te ipsum. Unde ad Romanos dicit Apostolus : Qui alium doces, te ipsum non doces. *Rom.* II, 21.

Hypocrita: quia justum te simulas, alios increpando de parvis culpis, quum tamen sis vitiosus, non emendando te ipsum in magnis peccatis ; *ejice primum trabem de oculo tuo,* hoc est, per contritionem, confessionem et satisfactionem, in primis purga te ipsum a magnis excessibus. Et istud potissimum pertinet ad prælatos, et præsidentes ac judices. *Et tunc perspicies,* id est, mentaliter illuminatus eris et acute videbis, *ut educas festucam de oculo fratris tui,* secundum sensum expressum.

SERMO SECUNDUS

DE MISERICORDIA OPERIBUSQUE MISERICORDIÆ CORPORALIBUS AC SPIRITUALIBUS.

B*EATI misericordes, quoniam ipsi mi-* D *sericordiam consequentur.* Matth. v, 7.

Quemadmodum Deus a principio mundi *Gen.* I, 26, 27. condidit hominem ad imaginem et similitudinem suam, ita tam in veteri quam in novo Testamento admonuit ac præcepit ut homines sibi in virtutibus conformentur, atque in quibusdam operibus virtuosis ipsum pro viribus imitentur, ut Creator in sua creatura resplendeat, et creaturæ rationales suo Creatori se proportionabiliter conformantes, fiant ei amabiliores ac propinquiores, atque per hoc beatitudinem consequantur. Similitudo namque est causa et ratio dilectionis ; dilectio autem unit amantem amato ; in unione quoque cum Deo consistit rationalium creaturarum beatitudo. Hinc per Moysen Deus locutus est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et *Lev.* XI, 44, 45; XIX, 2; XX, 26, etc. iterum Moyses ait : Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo (quoni- *Deut.* XVIII, 13. am detestatur Dominus Deus omnem impietatem). Christus quoque in Evangelio : Estote (inquit) perfecti, sicut et Pater *Matth.* V, 48.

vester cœlestis perfectus est; atque in *Luc.* vi, 36. evangelio hodierno : Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Ecce quanta est dignatio summi omnipotentisque Dei ad mortales ac miseros homines, quod non solum dignatur et exhortatur, sed insuper jubet ut ipsi se ei conforment in virtutibus et in factis, ac per hoc ei similes nuncupentur. Certe in sæculo isto nobiles, divites et potentes indignanter accipiunt quod inferiores ac pauperes se eis conformare nitantur, nec æquanimiter ferunt quod eis pauperes ac subjecti similes asserantur: et tamen Deus superexaltatus, cujus excellentiæ nullus est finis, homines vult, dignatur, hortatur ac præcipit sibi assimilari ac similes nominari. Præterea in isto etiam consideremus quanta sit dignitas hominum proprio conformari Creatori, Deo incircumscriptibili et sublimi.

Quoniam itaque per misericordiam Deo conformari, in evangelio isto præcipimur, dicenda sunt aliqua de misericordia : et primo quid sit; deinde quæ sint misericordiæ opera, et qualiter ea facere debeamus. In primis igitur agnoscendum, quod misericordia est virtus per quam unus compatitur calamitati alterius, et ei pro posse succurrit. Ideo asserit Augustinus : Misericordia est animi condolentis affectus cum beneficii additamento, ut compatiamur proximo et largiamur ei de proprio. Insuper quædam sunt opera misericordiæ spiritualia, et quædam corporalia : et utraque sunt septem. Opera misericordiæ corporalia sunt ista: pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, hospitare peregrinum ac inopem, visitare infirmum, redimere captivum, sepelire mortuum. Opera vero misericordiæ spiritualia ista sunt: docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corripere atque corrigere peccantem, ignoscere injurianti, onerosos et graves patienter portare, et pro universis orare. Hæc quoque spiritualia misericordiæ opera sunt multo digniora ac sanctiora corporalibus misericordiæ operibus: primo, quia in se ipsis sunt præstantiora tanquam spiritualia bona, quæ corporalibus præeminent; secundo, quia per ea animabus succurritur, quæ corporibus incomparabiliter digniores exsistunt. Omnia igitur præinducta misericordiæ opera, tam spiritualia quam corporalia, debent exsequi Christiani secundum quod possunt, loco et tempore opportuno, dum causa requirit, seu ipsa indigentia proximi exigit.

Et ad hoc multa incitare possunt fideles ac inflammare. Primo, quia per opera misericordiæ Deo præcipue assimilamur. Deo quippe proprium est misereri ac parcere, quum natura ejus sit bonitas, dulcedo et pietas; punire vero et condemnare competit sibi ex demeritis iniquorum. Quum ergo maxima dignitas hominum sit Deo assimilari, debent actibus misericordiæ promptissimo corde esse intenti, ut proprio Creatori, Deo altissimo, conformentur. Hinc ait Ambrosius : Nihil ita commendat Christianum, ut miseratio caritatis.

Secundo, quia per opera misericordiæ fit homo præcipue amabilis Deo. Similitudo namque est causa amoris. Quum igitur per actus misericordiæ Deo præcipue assimilemur, constat quod etiam per eos Deo præsertim amabiles et cari efficiamur. Si itaque vis a Deo creatore ac salvatore tuo amari, imo et præcipue diligi, esto cordialiter pius et compassivus, liberaliterque succurrens. Nec solum dandus est panis siccus egenti, sed et potus ac vestis atque hospitium, et aliquid quod simul cum pane edatur. Hinc ait de Deo Psalmista : Diligit misericordiam et judi- *Ps.* xxxii, 5. cium. Salomon quoque in libro Proverbiorum : Misericordia et veritas non te de- *Prov.* iii, 3, 4. serant, et invenies gratiam coram Deo et hominibus; itemque, Facere misericordi- *Ibid.* xxi, 3. am et judicium, plus placet Deo, quam victimæ.

Tertio, quia per misericordiæ opera consequitur homo a Deo maxima dona gratiæ ac virtutum in vita hac, atque post vitam præsentem, felicitatem et gloriam copiosam. Quanto enim quis plus diligit aliquem, A tanto libentius ac abundantius præstat et communicat ei bona sua, quum diligere sit alicui bonum velle. Quum ergo jam dictum sit, quod homo per opera misericordiæ Deo præsertim amabilis fiat et carus, certum est quod Deus charismata gratiæ ac virtutum misericordibus cum præcipua liberalitate ac abundantia largiatur, dummodo opera misericordiæ exerceant eo modo quo debent, puta ex vera caritate, cum recta intentione, ad gloriam Dei, juxta mensuram facultatum suarum, B animo prompto.

Ps. xl, 2-4. Hinc ait Propheta : Beatus qui intelligit super egenum et pauperem ; in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus; Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. Ecce quot bona, quot fructus, quot præmia promittit et imprecatur misericordi. Porro ille super egenum et pauperem intelligit, qui ei pro posse caritative celeriterque C succurrit. Non enim sufficiunt pulchra verba aut compassio nuda, nisi in iis qui quod largiantur non habent. Hinc etiam ait venerabilis et misericors ille Tob. iv, 7-9, 12, 11. Tobias : Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors : si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si parum, etiam parum libenter impertiri stude. Fiducia magna erit apud Deum eleemosyna omnibus facientibus eam; et non patietur D animam ire in tenebras. Hoc est quod in Luc. vi, 30. Evangelio loquitur Christus : Omni petenti Act. xx, 35. te tribue; et rursus, Beatius est dare quam accipere. Non ergo dandum est uni tantum aut paucis, sed omnibus indigentibus, si adsit facultas, secundum exigentiam causæ, et loci ac temporis. Propter quod ait Ambrosius : Præcedentis misericordiæ beneficium perdit, qui putat sufficere quod semel donavit; ille autem ad Dominum integros misericordiæ fructus præmittit, a quo nullus pauper tristis recedit. Unde, secundum Augustinum, si desit corporale bonum quod detur petenti, dandum est verbum bonum, verbum consolatorium ac salubre.

Quarto, quia per misericordiæ opera non solum dimittuntur peccata in vita præsenti, sed et supplicia pro peccatis infligenda dimittuntur, aut totaliter, aut certe pro magna parte, in vita futura. Ait namque ipsemet Christus in Evangelio : Quod su- Luc. xi, 41. perest date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis; Salomon quoque : Per Prov. xv, 27. misericordiam et fidem purgantur peccata. Unde rursus ait Scriptura : Abscondi- Eccli. xxix, 15; iii, 33. te eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro vobis ad Dominum; quia sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccata.

Quinto, ad opera misericordiæ debet inducere magnitudo culpæ ac pœnæ immisericordium, puta eorum qui misericordiæ opera non exercent. Ait namque apostolus Jacobus : Judicium sine misericordia fiet Jacob. ii, 13. ei qui non fecerit misericordiam. Deus etenim facit hominibus secundum quod ipsi sibi invicem faciunt, hoc est secundum quod promerentur, mutuo se habendo, quemadmodum apud Matthæum Christus testatur : Qua mensura mensi fueritis, re- Matth. vii, 2. metietur vobis. Quod et in præsenti evan- Luc. vi, 38. gelio scribitur. Unde in libro Judicum habetur : Sicut feci, ita reddidit mihi Do- Judic. i, 7. minus. Qui enim misericordiæ opera non exercet pro posse, multa enormia incurrit peccata, et furibus ac homicidis atque raptoribus assimilatur. Ait enim gloriosus Hieronymus : Non solum decimæ non sunt nostræ, sed ad Ecclesias deputatæ; sed quidquid amplius quam nobis opus est a Deo accepimus, pauperibus erogare debemus. Si autem quod illis debetur, nostris cupiditatibus, carnalitatibus aut vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis ubi nos sumus, fame et nuditate moriuntur, noverimus nos de illorum animabus rationem in die judicii reddituros. His consonat illud B. Gregorii : Tot pene homines quotidie divites perimunt, quot morientium pauperum subsidia apud se abscondunt. Nam dum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur. Ex his innotescit, quam periculosum sit in vestibus, pecuniis ac ciborum generibus abundare, præsertim quum beatissimus Joannes Baptista docuerit : *Luc.* III, 11. Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat. Quidquid igitur Christiano de cibis, poculis, vestimentis, ac similibus rebus superfluit, indigentibus communicare debet ac dare.

Et ne ista alicui incredibilia nimisque dura ac rigida videantur, audiamus verba præcipuorum Doctorum et Patrum valde sanctorum. Ait equidem magnus ille Basilius : Si tibi fateris divinitus provenisse temporalia bona, an injustus est Deus, inæqualiter res nobis distribuens ? Cur tu abundas, ille vero mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille autem patientiæ braviis decoretur ? Famelici panis est quem tu detines; nudi tunica quam tu in conclavi conservas; discalceati calceus qui apud te marcescit; indigentis argentum quod possides inhumatum aut clausum. Quocirca tot indigentibus injuriaris, quot dare valebas. Insuper his omnino concordat quod beatissimus ait Ambrosius : Numquid iniquus est Deus, ut nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia, ut tu quidem esses affluens et abundans, alii vero egerent ? An idcirco magis sic accidit, quia et tibi voluit Deus benignitatis suæ experimenta conferre, et alium per virtutem patientiæ coronare ? Tu ergo, susceptis Dei muneribus, et in sinum tuum redactis, nihil reputas agere te iniquum, si multorum subsidia solus obtineas ? Quis enim tam injustus, tam avarus, quam qui multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam atque delicias facit ? Neque enim minoris est criminis, habenti tollere, quam quum dare possis et abundas, indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines; nudorum vestimentum est quod recludis; miserorum redemptio, pecunia quam in terra defodis aut in scrinio claudis. Tantorum ergo te scias bona invadere, quantis possis dare. — De hac demum materia multa adhuc essent dicenda : quæ ut vitetur prolixitas, alteri reserventur sermoni.

Postremo, quantum complaceant Deo opera misericordiæ, patet ex exemplo quod narrat Gregorius, dicens : Fuit quidam comes, Theophanius nomine, in disponendis sui comitatus negotiis et sæcularibus rebus quotidie occupatus, et nihilo minus operibus misericordiæ, præsertim hospitalitati, valde intentus. Qui tandem magna infirmitate tactus, et podagram habens, in tantum quod pedes ejus tumore ac sanie torquebantur, ad vitæ terminum venit. Et erat tunc turbulentissima aura et tempestas gravissima. Propter quod uxor ejus vehementissime flevit, dicens : Quid faciam ? Qualiter ad sepulturam te efferam, quæ propter tempestatem hanc, domum egredi nequeo ? Cui respondit maritus : Noli, mulier, flere, quoniam mox ut defunctus fuero, serenitas orietur. Quo dicto, protinus obiit, statimque serenitas est secuta. Quarto autem die suæ sepulturæ, conjux ipsius volens lapidem corpori viri superpositum deponere ac mutare, fecit aperiri sepulcrum. Quo facto, mox suavissimus odor exivit, ac si pro vermibus aromata de corpore defuncti fluxissent; pedes quoque ipsius sani et integri fuerunt inventi. Unde constat quod etiam homines sæculares, et nobiles ac principes, non obstantibus occupationibus suis in exterioribus, possunt actibus insistere virtuosis, et misericordiæ insudare operibus, hospitalitatique operam dare.

SERMO TERTIUS

DE EADEM MATERIA.

QUI *pronus est ad misericordiam, benedicetur.* A Prov. xxii, 9.

Præter rationes in præcedenti sermone inductas, ex quibus quilibet Christianus potest ac debet ad opera misericordiæ provocari ac inflammari, sunt adhuc aliæ plurimæ rationes ad hoc ipsum agendum idoneæ. Prima, quoniam tanta est virtus misericordiæ, atque tam specialiter complacent piissimo Deo misericordiæ opera, ut non solum in regno cœlesti præmientur ab eo, sed etiam in præsenti. Nec solum per infusionem spiritualium donorum gratiæ B ac virtutum, sed et per temporalium bonorum recompensationem remuneratur homo a Deo pro operibus misericordiæ : nam et in temporalibus solet bene succedere his qui misericordiæ operibus digne liberaliterque inhærent. Imo sæpissime contigit temporibus famis, quod Deus miraculose multiplicavit temporalia bona his qui tunc pauperibus liberalissime subvenerunt, sicut de hoc multa verissima leguntur exempla. Hinc ad Timotheum
I Tim. iv, 7, 8. scripsit Apostolus : Exerce te ipsum ad C pietatem : nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. Idcirco loquitur aptissime Augustinus : Si vis esse mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes diu tenere, ut recipias quod nunquam queas amittere; da modicum, ut recipias centuplum; da temporalem possessionem, ut recipias æternam hereditatem. Hoc idem affirmat Gregorius : Quidquid (inquiens) egeno tribuitur, si subtili D consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum, quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu percipitur. Recte ergo Salomon dixit : Qui pronus est ad Prov. xxii, 9.
misericordiam, benedicetur, hoc est, donis seu beneficiis Dei implebitur, ab hominibus quoque laudabitur. Benedictio equidem Dei, est collatio munerum ejus, et multiplicatio eorumdem. Hinc denuo Salomon ait : Benefacit animæ suæ vir mi- Ibid. xi, 17.
sericors. Nam quum alteri benefacit misericorditer succurrendo, sibi ipsi multo melius facit, multiplicem Dei gratiam ac retributionem copiosissimam promerendo, et partim nunc suscipiendo.

Secunda ratio est ad idem, quia lex Christi est lex totius caritatis et pietatis; et Christus in omni vita sua in terris peracta, summam et maximam caritatem ac misericordiam exhibuit ac impendit hominibus, imo quotidie incessabiliter exhibet. Hinc ad opera caritatis ac pietatis seu misericordiæ Christiani potissime obligantur. Nam et membra suo debent capiti conformari, sicut Joannes apostolus loquitur : Qui se dicit in Christo manere, debet, I Joann. ii, 6.
sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Idcirco fatetur Ambrosius : Omnis summa christianæ religionis, in misericordia et pietate consistit. Augustinus etiam in libro de Nomine christiano disseruit : Ille vere christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla movetur injuria, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit, cujus mensam nullus pauper occurrens ignorat, qui miseris auxiliatur, atque ad fletum aliorum fletibus provocatur.

Tertia ratio est, quoniam sine operibus misericordiæ, aliarum actus virtutum Deo non placent. Specialiter quoque opera misericordiæ orationibus ac jejuniis efficaciam præstant. Propterea dicit Leo Papa : Misericordiæ virtus tanta est, ut sine ea ceteræ si adsint virtutes, prodesse non A possint. Quamvis enim fidelis quis sit, et cautus ac sobrius, aliisque moralibus ornatus virtutibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. Hinc Tobiæ *Tob.* xii, 8. angelus Raphael ait : Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna. Unde ait Chrysostomus : Quum venis ad ecclesiam ad orandum, munera tecum porta, da non habentibus, et pete a Deo qui habet, ut oratio tua bonis operibus commendetur. Infirma est enim oratio quæ eleemosynarum largitate non est munita. Iterum ait : B Nil plus valet oratio quam eleemosynarum largitas, quoniam frustra, pro peccatis rogaturus, manus ad Deum expandit, qui has ad pauperem non extendit.

Quarta ratio est, quoniam tanta est virtus, dignitas et efficacia operum misericordiæ, quod quamvis in die judicii de omni opere bono ac malo sit facienda discussio, de solis tamen misericordiæ operibus Christus specialiter explicat peragendum judicium, et pro illorum adimpletione *Matth.* xxv, 34 et seq. felicitatem æternam esse retribuendam, et C pro illorum omissione infligendam damnationem perpetuam. Hinc universis misericordiæ actibus, tam corporalibus quam spiritualibus, omnis Christifidelis totis viribus semper intentus sit.

Ad quod etiam adhuc aliæ considerationes possunt et debent inducere. Prima est, quia omnes homines in natura conformes sunt, et in specifica unitate naturæ conveniunt. Ideo, sicut valde naturale est consortem naturæ diligere, ita omnino naturale censetur, consorti naturæ, videlicet D omni proximo in miseria constituto, condolere *Is.* lviii, 7. ac subvenire. Ideo Isaias ait : Quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Secunda consideratio est, quoniam omnes ex eisdem primis parentibus sumus. Ideo confratres et proximi sumus, et invicem misericordes esse debemus. Tertia, quia spiritualem confraternitatem *Malach.* ii, 10. simul habemus : quia ex uno patre Deo et una matre Ecclesia sumus renati. Quarta, quoniam omnes Christiani ejusdem sunt capitis membra. Ideo, sicut *Ephes.* iv, 15. in corpore naturali unum membrum subvenit *I Cor.* xii, 12 et seq. alteri, ita in populo christiano, qui est mysticum corpus Christi, unus debet alteri cordialiter compati atque succurrere. Quinta est, quia ejusdem Patris cœlestis filii sunt Fideles, et paternaliter ab illo dilecti sunt, juxta illud primæ Joannis : Videte qualem caritatem dedit nobis *I Joann.* iii, 1. Deus Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propterea per Malachiam asseritur : Numquid non pater unus omnium nostrum? *Malach.* ii, 10. Numquid non Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum ? Hac consideratione misereri ac subvenire oportet proximis in miseria positis, tanquam Dei filiis adoptivis. Sexta, *Rom.* viii, 15. est intuitio propriæ calamitatis ac indigentiæ. Ideo loquitur Augustinus : Nihil ad misericordiam sic inclinat, quam proprii periculi cogitatio. Unde in Proverbiis scribitur : Homo indigens misericors est. *Prov.* xix, 22. Septima est, quod homines tantam habent liberalitatem ad membra diaboli, hoc est ad homines divites ac nobiles seu potentes, quamvis iniquos, qui importunissime invitantur et delicate reficiuntur; Christus vero in membris suis, puta pauperibus bonis, invenire vix potest unum sustentantem.

Insuper is a quo eleemosyna petitur, debet quinque considerare. Primo, quod Christus petit in membris suis. Ideo pauperes debet attendere quasi Christum, quoniam Christum repræsentant, qui ait apud Matthæum : Quod uni ex minimis meis *Matth.* xxv, 40. fecistis, mihi fecistis. Ideo ait Hieronymus : Quoties manum extenderis pauperi, cogita Christum. Augustinus quoque in libro de Doctrina christiana affirmat : Christus petit a te, nec accipit, et offendis crudeliter. Potius dandum est bonis pauperibus, quam lascivis ac impiis filiis. Secundo, quid petit. Nam Christus in paupere petit quod suum est et quod ipsemet dedit, quemadmodum primo Paralipomenon David loquitur Deo : Tua sunt omnia; et *I Par.* xxix, 14. quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Valde ergo ingratus est qui de donis Dei abundanter habet in mensa sua, nec tamen vult dare parva et pauca Christo in membris suis petenti. Hinc loquitur Augustinus : O homo, dicit tibi Christus, Da mihi de eo quod dedi tibi; de meo quæro, et mihi non donas; da mihi, et reddam tibi; habuisti me largitorem, fac me tibi debitorem. Tertio, ad quid Christus in membris suis petit : quia ad hoc, ut pro parvis et minimis retribuat magna dona gratiæ in præsenti, et maxima dona gloriæ in futuro. Unde asserit Augustinus : O miser homo, cur fœneraris proximo tuo? Fœnerare Deo, centuplumque ab eo accipies, et vitam æternam possidebis. Quarto, quod ipsemet quotidie indiget Christum rogare pro gratia in hac vita atque pro gloria in futuro. Idcirco non neget Christo in suis membris quod petit, ne repellatur a Christo, secundum illud Proverbiorum : *Prov.* XXI, 13. Qui obturat aures suas ad clamorem pauperum, clamabit ipse, et non exaudietur. Quinto, quod nihil habeat a se ipso, et quod ipse quamvis sit ditior in temporalibus, pauper tamen mendicans ab eo forsitan ditior sit in spiritualibus, hoc est in gratia atque virtutibus, ac magis electus a Deo. Idcirco cum humilitate debet conferre, et se ipso pauperem meliorem ac feliciorem probabiliter reputare. Hinc ait Gregorius : Quisquis super eum cui aliquid donat, elationis se fastu extollit, majorem culpam incidit superbiendo, quam mereatur opem præbendo. Hinc affabiliter habere se debent divites ad mendicos, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* IV, 7. Congregationi pauperum te affabilem facito. Salomon quoque testatur : *Prov.* XIV, 31. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus, id est, Deo creatori pauperis facit injuriam, et contumeliam irrogat.

Præterea, quum sit duplex miseria, utpote pœnæ et culpæ, duplex quoque est misericordia : una qua laboramus ut proximus relevetur et emundetur a culpa, orando, hortando, corripiendo, corrigendo, docendo, consulendo. Et ad istud potissime pertinent spiritualia misericordiæ opera. Alia est misericordia qua satagimus ut proximus a miseriis pœnæ, seu corporalibus vel spiritualibus pœnalitatibus aut indigentiis, relevetur. Et sicut major valde est miseria culpæ quam pœnæ, sic multo benignius est conari ut proximus liberetur a malo culpæ, quam a malo pœnæ.

Postremo, duplex assignatur misericordia : una laudabilis, qua condolemus personæ; altera vituperabilis, qua condolemus et proximi culpæ, eam non corripiendo nec debite corrigendo. Unde Gregorius : Compassio, inquit, debetur homini, et rectitudo vitiis, ut in uno eodemque homine diligamus bonum quod factus est, et persequamur mala quæ fecit. Verumtamen etiam interdum cum discretione indulgendum est culpæ, sive in parte, sive totaliter, præsertim quando ex ignorantia excusante aut infirmitate processit, et dum peccans pœnitet, veniam poscit, atque ad emendationem se totum exponit, vel dum de graviori ejus ruina timetur, et absque derogatione boni communis correctio ejus potest differri, diminui aut dimitti.

Refert S. Hieronymus primo libro Vitaspatrum de S. Apollonio eremita, quod multorum sanctorum ac devotissimorum pater exstitit monachorum in desertis Ægypti, et multa egit miracula. Quodam autem tempore orta fame in regione Ægypti, habitatores terræ illius sanctitatem B. Apollonii cognoscentes, omnes simul cum uxoribus suis et filiis perrexerunt ad eum, cibum ac benedictionem ab ipso petentes. At ipse nil dubitans, ex his quæ ad usum Fratrum habuit, cœpit omnibus copiose donare. Quumque tres tantum sportæ ciborum superessent, quæ uno die sufficere poterant pro Fratrum refectione, Apollonius in conspectu omnium qui famis necessitate ad ipsum confluxerunt, elevatis ad Deum manibus dixit : Nonne omnipotentia Dei potest hæc multiplicare? Hæc dicit Dominus Deus : Non deficient panes A in sportis his, donec satiemur omnes de frugibus novis. Et factum est ita. Nam per quatuor menses continuos erogati sunt panes ad sufficientiam ex sportis illis; nec aliquid tanto tempore defuit.

SERMO QUARTUS

DE TEMERARIIS VITANDIS JUDICIIS, DE INJURIARUM REMISSIONE, AC DE ORDINATO MODO JUDICANDI ET CORRIPIENDI PROXIMOS.

N*OLITE judicare, et non judicabimini.* Luc. VI, 37. B

Christus in evangelio hodierno multa saluberrima nobis proponit documenta. Primo, ut simus misericordes : de quo in *Cf.* p. 207 et s. duobus præinductis sermonibus dictum est. Secundo, ut non judicemus. In quo verbo prohibuit nobis inordinata, incauta et nimis dura judicia, non autem judicia ordinata, caritativa, prudentialia, temperata, quum alibi dicat Salvator : *Matth.* XVIII, 15. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Non enim corripimus C aliquem, nisi judicemus eum esse culpabilem : ergo correptio judicium includit ac præsupponit. Denique actum evidenter bonum vel malum possumus judicare, non autem personam, actu cessante, cum certitudine absoluta : nam quolibet momento potest peccator veraciter pœnitere et tangi a Spiritu Sancto. Ideo loquitur Augustinus : Quum unusquisque aut vix aut non veram possit de se ipso proferre sententiam, quomodo potest judicare de alio, I *Cor.* II, 11. quum juxta doctrinam Apostoli, quid agatur in homine, nemo sciat, nisi spiritus D hominis ? Ex his patet, quam imprudenter et intimorate se habeant multi, qui facta aliorum tam proni sunt judicare ac vituperare, et facili occasione de interioribus animæ judicare præsumunt, atque ex quibuslibet factis præteritis adhuc judicant de persona, cum assertione quod sit talis et talis. Isti sunt homines incircumspecti, malitiosi et fatui, proni ad obloquendum, procaces ad irridendum; et dubia paratiores sunt trahere ad partem pejorem quam meliorem, in hoc arbitrantes se sapientes et virtuosos, quod alios de insipientia ac vitiis notant, judicant, arguunt et diffamant, quum potius obscuratum sit insipiens cor eorum, *Rom.* I, 21. atque inaniter ac damnabiliter complaceant sibimetipsis : quoniam proprias defectuositates, præsumptuositates et vitia non perpendunt, æstimantes se aliquid esse, quum nihil sint. *Galat.* VI, 3.

Præterea, præcipuum impedimentum quo plures, non solum sæculares, sed et religiosi, a spirituali profectu, et a virtute ac gratia Spiritus Sancti impediuntur, est quod incaute se habent judicando de aliis. Quanto etenim quis curiosior ac instantior est ad observandum et judicandum facta aliorum, tanto plus impeditur a sui ipsius saluberrima discussione et vera dijudicatione; et tandem sic excæcatur, quod etiam bona aliorum trahit in pejus, ac detrahit aliis, negligens prorsus se ipsum. Ideo Salomon ait : Qui observator est malorum, opprimetur ab eis. *Prov.* XI, 27. Apostolus quoque : Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Suo domino stat aut cadit. *Rom.* XIV, 4. Hinc sancti Patres in eremo singulariter vitabant incauta judicia, nec faciliter aliquem judicaverunt. Unde quicumque cupit Deo placere, in gratia permanere, in virtutibus quoque proficere, quotidie observet, discutiat, judicet et castiget se ipsum, propria peccata intueatur, aggravet, ulciscatur ; de aliis bene sentiat, quantum possibile est, seque illis reputet viliorem, A eo quod propriæ culpæ ac negligentiæ sibi certius constent quam culpæ et negligentiæ aliorum. Hoc totum docuit Christus *Luc.* VI, 37. brevi verbo quo dixit : « Nolite judicare ».

Amplius, ut a temerario judicio diligentius caveamus, verbo prætacto adjecit : In *Matth.* VII, 1, 2. quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Unde qui durus et asper est judicando de aliis, id meretur, ut Deus secundum justitiæ suæ rigorem terribiliter judicet ipsum. Verumtamen humana infirmitas est suspicari malum de aliis, quando B aliqua agunt de quibus incertum est an sint bona vel mala. Ideo loquitur Augustinus : Si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est definitivas firmasque sententias, vitare debemus. Verumtamen ex præinductis nolo concludere quin prælati et præsides, et omnes animarum curam habentes, debeant subditos suos considerare et facta eorum discutere : sic tamen, ut non negligant semetipsos.

Tertio, docet Salvator in evangelio isto, C ut neminem condemnemus : quod qualiter *Cf.* p. 205 A. intelligi debeat, in expositione textus præhabitum est. Unde quantumcumque quis videatur iniquus, non tamen debemus de ipsius desperare salute, sed potius ferventer et instanter orare pro ipso. Nec ex crudelitate, odio, ira aut impatientia proferenda est contra aliquem, quantumcumque sceleratum, damnationis sententia, sed ex zelo justitiæ, ut conservetur bonum commune, atque ex caritate, ut transgressor in vita hac pro suis puniatur excessi- D bus, ne æternaliter pereat, sed salvetur, quoniam pœnæ vitæ præsentis sunt medicinales. Summe vero cavendum est ne quis innocentem condemnet, et præsertim ne ex cupiditate id agat.

Quarto, docet Salvator in evangelio isto, *Luc.* VI, 27, 28, 35-37. ut dimittamus et ignoscamus forefactoribus nostris, quatenus Deus nobis ignoscat. Quid enim tam rationabile, quid tam justum, quam ut proximis suis misericors sit et ignoscens, qui Dei misericordiam consequi, æternam damnationem evadere, cœlestem beatitudinem adipisci desiderat? Quo igitur pacto misericordiam Dei implorant homines crudeles, implacabiles, invidiosi, vindicativi ? Sed forsan quis dicet : Magna mihi injuria facta est, pater meus occisus est, bona mea destructa sunt. Ad ista respondeo, quod secundum evangelicam Christi doctrinam, quilibet Christianus tenetur omnem hominem in hoc mundo, quantumcumque inimicum et injuriosum, spirituali amore diligere, et ejus salutem appetere; nec potest se licite propria et privata auctoritate ulcisci, nec ex invidia ad ultionem conari. Hinc semper ignoscendum est proximo quantum ad culpam, sed justa ac debita pœna expeti potest ex caritate et zelo justitiæ, secundum formam et ordinem juris, ab his ad quos pertinet de injuriatoribus judicare. Interdum vero virtuosius esset etiam pœnam propter Deum dimittere : quando videlicet injuriator de suo dolet excessu, nec amplius tale quid attentare proponit, nec alia rationabilis causa occurrit, propter quam laudabilius sit pœnam ab eo seu satisfactionem requirere, quam totum dimittere. Si enim injuriator ex hoc quod sibi pœna dimittitur, fieret ad male agendum audacior, et bonum commune inde turbationem incurreret, virtuosius esset pœnam exigere ex spirituali amore et zelo justitiæ, propter bonum reipublicæ, imo et propter salutem aut minorem saltem damnationem iniqui.

Quinto, docet in evangelio isto Christus, ut proni simus ad dandum. Generosi etenim est animi proclivem esse ad dandum, quoniam teste divino Dionysio, Bonum est diffusivum sui ipsius, et amor De Divin. nom. c. IV. communicativus est boni quod habet. Dare quoque spectat ad liberalem. Liberalitas vero facit hominem aliis valde acceptum et carum, secundum Philosophum. Porro, tenaces ac cupidi, et semper ad se ipsos reflexi, ignobilem habent mentem. Hinc in Actibus Paulus : Oportet (inquit) *Act.* XX, 35. reminisci verbi Domini Jesu, quia ipse dixit, Beatius est magis dare quam accipere. *Prov.* xxii, 9. Hinc in Proverbiis asseritur : Victoriam et honorem acquirit, qui tribuit munera ; *Eccli.* iv, 36. et in Ecclesiastico, Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. Sed jam, proh dolor ! pauci sunt, qui non sint proniores accipere quam præstare : *Philipp.* ii, 21. quoniam Paulo testante, Omnes quæ sua sunt quærunt. Et in Isaia habetur : *Is.* i, 23. Omnes diligunt munera, sequuntur retributionem. Nihilo minus multi plus abundarent, si proniores essent ad dandum, quoniam individuæ sortis sunt dare et dari. Nam et Deus misericordibus ac liberalibus etiam in temporalibus benedicit. Estque commune dictum : Qui non dat quod amat, non capit quod optat. In Proverbiis *Prov.* iii, 9, 10. quoque legitur : De primitiis frugum tuarum da pauperibus, et implebuntur horrea tua satietate. Non tamen prodigalitas commendatur, sed ex virtute datio ista debet procedere, discretioneque regi. Pensare quoque oportet cui sit dandum, puta egenis et bene utentibus, et quibus recta dictat ratio esse dandum.

Sexto, docet in evangelio isto Filius Dei, quam gloriosa et supercopiosissima sit bonorum retributio operum in futuro, quum *Luc.* vi, 38. ait : Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Quamvis etenim Deo altissimo serviendum sit principalissime propter puram bonitatem, atque immensam majestatem et sanctitatem ipsius, nihilo minus Christus humanam tarditatem agnoscens, præmium pollicetur, ut si tantæ perfectionis non sumus ut Deo servire curemus modo præfato, ex ejus puro et irreflexo amore, saltem mercedis desiderio accendamur. Non tamen opus est meritorium, nisi principaliter ex caritate nascatur.

Septimo, docet quam justa sint Dei judicia, *Ibidem.* dicens : Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Ut ergo gratiosum a Deo obtineamus judicium, simus sinceri in omnibus, omnem fraudem, calliditatem, duplicitatem, simulationem vitantes, et corde affectuoso atque promptissimo obsequentes Domino summo : *Prov.* x, 9. quia ut Salomon protestatur, Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Et princeps *I Petr.* ii, 1, 2. Apostolorum hortatur : Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et detractiones, et invidias, crescatis in salutem. Josue quoque ait : *Josue* xxiv, 14. Timete Dominum, et servite ei corde perfecto atque verissimo.

Octavo, docet quales esse debeant aliorum prælati, pastores, doctores, prædicatores, omnesque rectores ac præsidentes, dicendo : *Luc.* vi, 39. Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Itaque qui aliis præest aut prædicat, sit mente illuminatus, virtuosus ac stabilis, qui aliorum defectuositates æquanimiter valeat sustinere, nec ex illorum improbitate passionibus conturbetur, iram, indignationem, elationem, impatientiam admittendo, sed sua bonitate, humilitate, mansuetudine, patientia, aliorum malitiam, animositatem, iram, impatientiam vincat, sicut ait *Rom.* xii, 21. Apostolus : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Qui autem adhuc peccatis et passionibus subjacet, qui ad iram, impatientiam, animositatem, atque similia vitia faciliter concitatur, et mente obtenebratur, qualiter alios recte ducet, et a vitiis passionibusque purgabit? Heu, quanta est excæcatio, imo insania plurimorum, qui quum defectuositatibus pleni sint, nec satis in moralibus eruditi, neque virtutibus stabiliti, tamen ingerunt semetipsos ad regimen animarum, ad aliorum ducatum, ad cordium curationem, quum utique nil periculosius sit in mundo quam curam animarum habere ! Sit igitur quilibet timoratus ; et primo discamus regere nosmetipsos, sensualitatem domando, passiones et vitia superando, virtutibus inhærendo, rectamque rationem semper sequendo.

Postremo, docet Salvator ordinatum modum procedendi ad aliorum considerationem, increpationem et emendationem, *Luc.* vi, 41. dicendo : Quid vides festucam in oculo fratris tui, etc.? Circa quod quæri potest, an liceat vitioso prælato, seu prædicatori aut doctori male viventi, prædicare et alios increpare atque corrigere. Et videtur quod non, ex verbis Christi jam tactis. Item Thomas super quartum Sententiarum fatetur, quod is qui non implet quod docet et prædicat, mortaliter peccat. Præterea, Albertus, Thomas, Raimundus, aliique doctores, concorditer dicunt, quod sacerdos in omni actu officii sui quem facit indigne, utpote in mortali exsistens peccato, Epist. viii. peccat mortaliter : et hoc ex verbis S. Dionysii evidenter demonstratur. Ambrosiusque : Judicet (inquit) de errore et culpa alterius, qui in se ipso non habet quod judicet, ne quum de alio judicat, in se ipsum ferat sententiam. Et item Chrysostomus : Omnis (ait) sacerdos qui vult docere populum, primo doceat semetipsum : alioqui nec alium reprehendat aut doceat, ut si judicium Dei non evadit, opprobrium hominum non patiatur. Quemadmodum enim medicus ægrotus, argumentum suæ imperitiæ in proprio gestat corpore; sic prælatus iniquus se ipsum non curans, suæ stultitiæ indicium secum portat.

His auctoritatibus multi consentientes, affirmant quod si prælati seu prædicatoris aut judicis peccatum sit publicum, et tamen reprehendit aut prædicat seu judicat alium, peccat peccato præsumptionis et scandali; si vero peccatum ejus occultum sit, peccat peccato præsumptionis, si agit quæ dicta sunt. Aliqui autem dicunt, quod peccator, aut corripit seu corrigit alium ut prælatus, aut ut persona privata. Si ut prælatus, tunc, aut est peccator notorius, aut occultus : si notorius, peccat tam scandalizando quam suum officium indigne exsequendo; si occultus, tunc peccat indigne officiando. Porro si corrigit ut persona privata, non peccat, nisi forte peccato scandali, si notorius sit peccator; aliis tamen apparet, quod peccet etiam per præsumptionem. Thomas vero testatur, quod si peccatum prælati aut judicis sit occultum, incumbatque ei ex officio judicare

A aut increpare, potest cum timore et humilitate hoc facere, ita ut corde pœniteat et emendationem proponat antequam judicet sive corripiat. Præterea, juxta Theophilum, in præinductis verbis Christi quibus ait, Quid vides festucam, etc.? percutiuntur prælati et præsidentes qui quum subditorum peccata minima puniant, propria impunita relinquunt.

Ut autem unusquisque ordinate se habeat alios corripiendo, ista observet. In primis emendet se ipsum, quia ut Salo-
B mon loquitur, Justus prior accusator est Prov. xviii, 17. sui. Unde qui in eisdem aut majoribus est peccatis, indignus est corripere alium. Secundo, pie et mansuete hoc faciat, nisi forte quis quasi incorrigibilis videretur, aut specialis causa exigeret aliud. Hinc secundum Augustinum, raro et non nisi ex magna necessitate objurgationes sunt faciendæ. Tertio, ex caritate et zelo justitiæ agat hoc, non ex impetu passionis. Quarto, opportunitatem loci temporisque perpendat. Itaque qui alium vult purga-
C re, corripere, judicare, primo perpendat an sit in eadem vel majori culpa, et tunc primo corrigat semetipsum; si autem non est in eadem aut majori culpa, sed fuit, tunc misericordiam sibi exhibitam exhibeat proximo, et se hominem esse ac ruere posse consideret : sicque custoditus ac humilis sit, nec super alium se extollat, præsertim quia in alio aliqua forsitan bona sunt propter quæ tolerandus est, vel in prædestinatione divina forte est magnus.

Legitur in Vitaspatrum, quod Pater cu-
D jusdam cœnobii Fratrum misit ad abbatem Moysen, ut veniret et judicaret quemdam Fratrem culpabilem. Itaque sanctus abbas Moyses tulit sportam magnam vetustam quam implevit arena, et super dorsum suum eam portavit; aliam quoque parvam sportam cum modica arena ante se bajulavit. Quumque cœnobium introiret, dixerunt ad eum : Quid est hoc, Pater? Respondit : Ista magna sporta cum sua arena peccata mea sunt, quia multa et magna sunt, et non adspicio ea; sed

sporta hæc parva est culpa proximi mei, A et posui illam coram me, atque in ea exerceor, et propria peccata non pondero. Quibus auditis, compuncti sunt Fratres, et dimissa est Fratri illi culpabili culpa sua. Nos ergo tam sancti abbatis sequamur doctrinam. Sed multi sunt vani, audaces, incustoditi, proni reprehendere alios etiam in minimis, qui si ab alio increpentur, mox indignantur : ideo obtenebrati sunt mente. Quorum errorem, præsumptionem atque superbiam semper vitemus, et increpationes cum gratiarum actione suscipiamus.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE INCOMPARABILI INÆSTIMABILIQUE ELECTORUM BEATITUDINE.

NON *sunt condignæ passiones hujus* B *temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. VIII, 18.

Hæc est evangelicæ legis doctrina et
christianæ sapientiæ fides, quod in visione
divinæ essentiæ clara et immediata per
speciem, angelorum ac hominum consi-
stat felicitas. Propter quod oravit Prophe-
Ps. LXXIX, ta : Deus virtutum, converte nos, et ostende
4, 8, 20. faciem tuam, et salvi erimus. Et Christus
Joann. XIV, obedienti promisit : Manifestabo ei me
21. *Ibid.* XVII, 3. ipsum. Et rursus ad Patrem : Hæc est (in-
quit) vita æterna, ut cognoscant te verum C
Deum. Hanc autem beatificam, præstantis-
simam ac deliciosissimam Dei visionem
putaverunt summi philosophi non solum
hominibus, sed angelis quoque impossibi-
lem esse, eo quod Deus sua actualitate,
claritate et perfectione immensa, univer-
sorum spirituum creatorum naturam et
dignitatem in infinitum transcendat, ac
prorsus immensæ perfectionis consistat.
Propter quod per speciem creatam clare
in se ipso non valet videri. Idcirco, secun-
dum approbatos theologos, non nisi per D
increatam speciem a Beatis conspicitur,
ita quod ipsa divina essentia loco intelligi-
bilis speciei unitur mentibus Beatorum, sic
quod ipsa est quod videtur, et quo videtur, seu objectum et forma. Sicque quemadmodum Deus se per suam intuetur essentiam, ita Beati ipsum per suam essentiam beatifice contemplantur. Quis ergo nunc capere queat, quanta sit ista Beatorum felicitas, quanta gloria, quanta nobilitas, quanta excellentia, imo et deificatio quam sublimis, taliter Deo uniri, sic eo repleri, atque ad libitum eo plenarie frui; tam clare et immediate infinitam illam, increatam, supersplendidissimam ac superpulcherrimam lucem conspicere?

Denique Sancti divinam essentiam clare per speciem cognoscendo, clare et immediate ac facialiter vident, noscunt, intelligunt quidquid in Deo est et quidquid est Deus. Ideo splendide, immediate et delectabilissime contemplantur totam superaltissimam Trinitatem, et omnem ipsius mutuam intuitionem et superardentissimam dilectionem, mutuam complacentiam ac fruitionem, emanationem quoque et communicationem ad intra; conspiciunt qualiter Filius generetur a Patre, et Spiritus Sanctus profluat ab utroque, qualiter ipse Spiritus Sanctus sit Patris et Filii dulcissimus nexus, jucundissimum osculum, æternus complexus. Insuper, quamvis futura gloria illa, quantum ad principale essentialeque præmium, sit clara et fruitiva visio Dei, seu fruitio ejus completa, nihilo minus alia bona quamplurima et accidentalia præmia, præclara gloriæ dona et innumerabilia gaudia, essentiali præmio sunt conjuncta, et præsertim post generalem resurrectionem erunt annexa, videlicet : visio humanitatis Christi et Virginis gloriosæ ac omnium Beatorum, et jucundissima eorum societas, quatuor corporis dotes, melodia cœlestis, admiranda suavitas, ac mutua gaudiorum redundantia ab uno in alium. Itaque, quum Deus, qui est beatificæ fruitionis objectum, sit æterna et incommutabilis veritas, infinita ac superpurissima bonitas, incircumscriptibilis pulchritudo, immensa dulcedo, increata et prorsus interminata felicitas, sapientia, opulentia, omnipotentia ac dignitas penitus illimitata, bene et subtiliter asserit S. Thomas, quod beatitudo Sanctorum in patria, quum sit tanti boni immediata visio sive fruitio, sit dignitatis quodammodo infinitæ. Quumque accidens denominet suum subjectum, beatitudo illa cives cœlestes facit quodammodo infinitæ dignitatis ac excellentiæ esse. O quam incomprehensibile bonum est præmium tantum!

Rom. VIII, 18. Certe, sicut Apostolus ait, nequaquam condignæ sunt passiones, labores, tribulationes, aut meritoriæ actiones vitæ præsentis, ad gloriam tantam, ad tam consummatam, securam, æternalem, et contentativam, satiativam seu plene quietativam felicitatem. Imo, ut Augustinus disseruit, tanta est pulchritudo divinæ justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, ut quamvis in ejus clara et fruitiva visione non liceret nisi una die manere, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni divitiis, deliciis atque honoribus, merito contemnerentur, imo et omnes adversitates æquanimiter sustinerentur. Non sunt ergo condignæ passiones vitæ præsentis ad gloriam illam, quum passiones vitæ hujus sint parvæ et breves ac paucæ, gloria vero futura, magna et ineffabilis, imo quodammodo A infinita, et vere æterna ac multiplex exstet, et status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ideo apte sanctus dixit Gregorius : Si consideremus quæ et quanta nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Vere, ut Propheta Apostolusque testantur, Oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit, quæ Deus suis præparavit electis. *Is.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9.

Si tam desiderabile et jucundum est videre unum civem cœlestem in sua gloria B et decore, quale gaudium est totam cœlestis Jerusalem conspicere societatem, omni serenitate, tranquillitate, exsultatione perfusam, impletam et superimpletam, indissolubili ac fervidissima caritate conjunctam, inviolabili securitate munitam? Quod si in contemplatione felicium creaturarum humanitatisque Christi et Virginis benedictæ tanta consistit lætitia, tanta felicitas in contemplatione et fruitione supergloriosissimi Creatoris, essentialiter ac incircumscriptibiliter boni et pulchri, veri, C divitis et perfecti, delectabilis, gratiosi, convenientis, dulcis atque amabilis, qui universis et singulis infinite et prorsus incomparabiliter eminet, melior, amabilior, pulchrior, dulcior convenientiorque consistit ; quam incomparabilis et superexuberans consistit beatitudo et gloria? Utique sicut qui nudo corpore in calidissimo fornace jaceret, se ipsum præ tormentorum excessu non caperet, quoniam totus calamitate et pœnis esset repletus, præoccupatus et victus ; sic Sancti in patria tam D indicibili beatitudine sunt repleti, quod se ipsos præ gaudio et exsultatione capere vix videntur. Ideo scriptum est, quod quasi scintillæ in arundineto discurrent, et quasi vituli de armento tunc salient. *Sap.* III, 7; *Malach.* IV, 2. Erunt namque in ipsa increatæ beatitudinis immensa plenitudine quasi in pelago quodam profundissimo demersi atque absorpti.

Nullum itaque tempus appareat nobis longum, nullus labor molestus, nulla tribulatio gravis, quibus tantam adipisci felicitatem valemus. Studeamus semper cor mundum habere et in caritate proficere : *Matth.* v, 8. siquidem beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et quo Deum nunc purius ferventiusque diligimus, eo ipsum in æternum clarius jucundiusque videbimus. Nulla ergo passionum caligine, nulla ira, impatientia, cupiditate, injustitia, aversione patiamur mentis nostræ aciem A inquinari. Et in primis omnem excutiamus ignaviam et torporem, omnem carnalitatem et dissolutionem ; omnique diligentia suam quisque custodiat mentem, et fructuose occupet eam, potissimum quum omni hora possimus tantæ beatitudinis promereri augmentum. Faciamus igitur omne opus Dei diligenter, ferventer, gaudenter, ad laudem et gloriam ejus.

SERMO SEXTUS

QUALITER NON DEBEAMUS JUDICARE ; ET DE MULTIPLICI JUDICIO.

NOLITE judicare, et non judicabimini. Luc. VI, 37.

I *Cor.* I, 24. Sciens Filius Dei sapientia Patris æterni *Gen.* VIII, 21. pronitatem cordis humani in malum, et debilitatem ac fallibilitatem intellectus nostri, atque deflendam perversitatem ex superbia et curiositate manantem, qua singuli quique, nobis ipsis relictis et neglectis, proclives ac temerarii sumus alios judicare, accusare, contemnere et damnare, saluberrime docuit ac rationabilissime jussit ut neminem judicemus. Quo verbo ab innumerabilibus periculis et peccatis nos præservavit atque retraxit, si tamen obtemperare dignemur, et non, indomitorum instar equorum ac furentium canum, recalcitremus ac remordere conemur. Verumtamen verbum hoc Salvatoris difficultatem habet ad intelligendum, præsertim *Joann.* VII, 24. quum alibi dicat Salvator : Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium *Matth.* XVIII, 15. judicate ; et rursus, Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Neminem autem corripimus, nisi quem culpabilem judicamus : sicque correptio præsupponit et includit judicium. Denique præsidentes subditos suos judicare tenentur.

Est igitur advertendum, quod judicare tripliciter sumitur. Primo, stricte ac B proprie : et sic judicare est per definitivam sententiam ex auctoritate aliquid determinare. Et ita eorum dumtaxat est judicare qui jurisdictionem super aliquem habent, sive in foro exteriori et contentioso, sive in foro interiori et conscientioso. Sicque asserit Thomas in secunda secundæ : Judicare, proprie nominat actum judicis in quantum est judex. Judex vero, ut ait Isidorus, dicitur, quasi *jus dicens*. Unde judicium sic sumptum, pertinet ad prælatos et præsidentes. In foro autem C conscientioso spectat etiam ad confessores, quibus incumbit de confitentium judicare peccatis, et pœnam seu satisfactionem pro culpa ex auctoritate quadam imponere. Itaque judicium sic proprie sumptum, in tantum est licitum, in quantum est actus justitiæ. Porro, ad hoc ut sit justitiæ actus, tria sunt requisita : primum, ut ex inclinatione justitiæ, non ex aliqua passione aut prava radice, procedat ; secundum, quod ex legitima procedat auctoritate ejus qui judicat ; tertium, ut secundum rectam D proferatur rationem seu directionem prudentiæ, et secundum regulas juris. Quodcumque autem defuerit horum, erit vitiosum judicium : quia si desit primum, vocatur judicium perversum ; si desit secundum, vocatur usurpatum ; si tertium, dicitur temerarium sive suspiciosum, ut A quando de dubiis et occultis quis ex levibus conjecturis et signis judicare præsumit.

Secundo, judicare sumitur communiter et extense : et ita est idem quod aliquid tale aut tale affirmare aut æstimare, videlicet verum aut falsum, bonum aut malum, licitum sive illicitum reputare. Sicque ad quemlibet ratione utentem aliquo pertinet modo, Deo per Jeremiam dicente:
Jer. xv, 19. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Et maxime debet unusquisque actus proprios judicare secundum quod potest, B ut de bonis gratias Deo agat, de malis
I *Cor.* xi, 31. pœniteat, dicente Apostolo : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.

Tertio, judicare sumitur communissime pro quacumque apprehensione, qua aliquid apprehenditur ut est, vel ut conveniens seu nocivum. Et ita judicium ad irrationalia animalia quoque, atque ad quamlibet cognitivam ac appetitivam spectat potentiam. Nam ovis, viso lupo, judicat eum sibi nocivum, et fugit; visaque matre, judicat eam sibi convenientem, et currit C ad eam. Juxta hunc sensum, unaquæque potentia cognitiva, secundum philosophos, judicat de suo objecto. Unde in
Job xxxiv, 3; xii, 11. libro Job habetur : Nonne gustus escas dijudicat, et fauces comedentis saporem ?

Itaque, dum in evangelio hodierno lo-
Luc. vi, 37. quitur Christus, « Nolite judicare », sumitur judicare secundo modo. Et intelligendum est verbum hoc Salvatoris, non de quocumque judicio, sed de judicio inordinato, utpote de judicio perverso, et usurpato, ac temerario seu suspicioso. Quod ut D clarius intelligatur, oportet scire, quod judicii secundo modo accepti diversæ sunt causæ et varii gradus : quia interdum procedit ex evidentia facti, ut si quis videat quempiam furtum aut homicidium perpetrantem ; interdum ex evidentibus signis, ut si inveniatur nudus cum nuda in lecto, cum circumstantiis violentam suspicionem causantibus. Sicque malum de proximo judicare, nulla est culpa, et cuilibet licet, ut communiter scribunt doctores.

Verumtamen in his modis duobus, non reor licitum cum æquali certitudine malum de aliquo judicare. In primo etenim modo, cum absoluta certitudine judicare de proximo licet ; in secundo autem, generaliter loquendo, non licet hoc, sed cum quadam præcipua probabilitate. Non enim certitudinaliter sequitur, Iste et ista simul in lecto inventi sunt nudi, ergo sunt fornicati : quia staret quod mas sectus esset aut frigidus, aut per impios compulsi essent simul jacere. Legitur quoque de S. Bernardo, quod religionem nondum ingresso, impudica puella se injecit ac sociavit in lecto ; ille vero cum omni modestia in extremam lectuli se collocans partem, mansit castissimus. Insuper, quamvis de nobis ipsis ac aliis, ad tempus scire pro certo possimus nos esse in peccato mortali, non tamen cum absoluta certitudine scire valemus nos ipsos aut alios esse in caritate et gratia, sine revelatione divina. Propterea, quamvis ex evidentia facti, de nobis ac aliis certitudinaliter judicare possimus esse nos in culpa mortali ; non tamen sic, quod simus simpliciter boni, videlicet in caritate et gratia constituti, aut quod actio nostra sit meritorie bona, quamvis sit bona ex genere. Nihilo minus possunt in aliquo apparere tot et tanta meritoriæ bonitatis ac sanctitatis indicia, quod cum certitudine multum probabili et valde præcipua liceat judicare eum vere meritorie bonum, seu in caritate existentem et Deo acceptum, quum illa indicia revelationi æquipollere veraciter videantur.

Tertio, judicatur malum de proximo ex levibus causis et signis. In quo judicio triplex est gradus. Primus, dum quis ex levibus causis aut signis, incipit dubitare de proximi bonitate : et hoc veniale exstat peccatum, ex infirmitate humana procedens ; nec hoc proprie appellatur judicium, sed magis suspicio. Secundus gradus, dum ex hujusmodi signis firmiter sentit aut asserit de proximo quod sit malus : quod proprie vocatur judicium. Et si malum quod taliter de proximo judicat, mortale peccatum sit, tunc taliter judicare est mortale peccatum, quum sit caritati et rectæ rationi contrarium, justitiæ quoque atque prudentiæ derogativum. Tertius gradus, dum ex levibus causis et signis, non dumtaxat taliter judicat, sed etiam ad proximi punitionem procedit, affligendo aut accusando eum assertive, quasi de facto : et hoc prædictis est gravius, quum tam caritati quam justitiæ magis contrarietur. Hæc ergo judicia prohibet Christus, dicendo : « Nolite judicare ».

Porro, si interrogetur, an ex suspicionibus liceat judicare, respondent Thomas, Durandus, Joannes, et alii, quod suspicio propriissime sumpta, est opinio mali de alio, ex levibus causis et signis concepta. Oriturque talis suspicio ex origine triplici. Primo, ex malitia suspicantis, qui sibi de propria malitia conscius, faciliter judicat alios sibi esse consimiles. Secundo, ex malo affectu ad alium : sicut qui alium odit aut ei irascitur, malum de ipso facile suspicatur. Hujusmodi autem suspiciones quum sint perversæ, sicut earum origines, non licet judicare ex eis. Tertio procedit suspicio ex experientia quadam. Unde juxta Philosophum secundo Rhetoricæ, senes sunt magis suspiciosi, quia ex temporum diuturnitate aliorum defectus magis experti sunt, et verisimilius eos conjiciunt atque considerant : juxta illud in Ecclesiastico, *Eccli. xxxiv, 9.* Vir in multis expertus, cogitabit multa. Estque suspicio ista minus culpabilis, quia plus de certitudine habet, et ex causa meliori procedit.

Quum autem sit triplex suspicio, utpote levis seu temeraria, quæ ex levibus causis procedit et signis; alia vero sit suspicio probabilis, ut dum multa aut probabilia signa mali apparent; tertia autem sit suspicio violenta, quæ ex signis valde verisimilibus et quasi cogentibus profluit : præfata suspicionis definitio, de suspicione propriissime sumpta præstatur, utpote de suspicione levi ac temeraria. Suspicio autem probabilis, et violenta, quanto plus A de certitudine sortiuntur, tanto minus proprie suspiciones vocantur. Nec ex suspicione probabili licet malum judicare de alio cum assertione, quia multipliciter falli quis posset; tamen judicare ex ea est minus culpabile quam ex temeraria suspicione, loquendo in genere. Imo veniale peccatum est, si in suspicione sistatur; si autem usque ad assertionem de malo alterius procedatur, mortale esse peccatum præsumitur, si malum quod alteri imputatur exsistat mortale. Ex quibus omnibus B innotescit, quam periculosum sit inordinate de proximis judicare, potissimum religiosis, quorum est soli Deo et sibi ipsis vacare. Ideo, Climaco protestante, Qui judicat, usurpat sibi quod Dei est, et tanquam blasphemiæ reus probatur.

Denique, circa hæc verba Christi, Nolite *Luc. vi, 37.* judicare, ait Cyrillus : Christus Dominus noster sedat et tollit hic pessimam consuetudinem et passionem animarum nostrarum, principiumque contemptus aliorum. Quum enim deceat homines circum- C spicere semetipsos, atque secundum Deum conversari, hoc tamen multi non faciunt, sed examinant aliena, et si viderint aliquos infirmari aut cadere, tanquam propriorum obliti defectuum, detrahunt. Postremo, quum homo omni possit momento a Spiritu Sancto tangi et pœnitere, quamvis possimus certitudinaliter judicare aliquem esse in mortali peccato, dum eum in actu hujusmodi vitii videmus intentum, tamen actu cessante, certitudinaliter judicare non possumus eum adhuc in culpa D esse mortali.

Non igitur simus ad judicandum præcipites et incauti, sed potius juxta Christi doctrinam, simus misericordes et peccantibus condolentes, atque pro ipsis orantes; et cetera spiritualia misericordiæ opera tanto instantius ac copiosius exerceamus, quanto corporalia misericordiæ opera minus exercere valemus : quæ tamen pio affectu exercere non desistamus. Et judicet, corripiat ac castiget unusquisque se ipsum, ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO SEPTIMUS

QUAM FACIAT SIBI TERRIBILEM JUDICEM DEUM, QUI PRONUS EST CONFRATRIS SUI DICTA VEL FACTA TEMERE JUDICARE.

QUID vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Luc. vi, 41.

I Cor. i, 24. Christus sapientia Dei Patris, sciens sibi Joann. v, 22. omne judicium a Deo Patre esse collatum, et quam periculosum sit nobis judicare I Reg. xvi, 7. de aliis, quorum corda non intuemur, nec I Cor. ii, 11. scimus quid agatur in eis, consultissime prohibet nobis temeraria et incauta judicia : quæ sunt religiosis summe vitanda, quia non solum ad meliorem, sed item ad tutiorem viam tenentur, et ad quotidianum obligantur profectum, a quo pronitas ac temeritas judicandi de aliis, præsertim impediunt hominem. Nihilo minus quidam sunt religiosi, ut sic loquar, irreligiosi, intimorati, incustoditi ac stolidi, circa aliorum defectus et excessus observandos, describendos, dijudicandos, recitandos proni, curiosi, solliciti, se ipsos miserabiliter negligentes, imo fratres ipsis devotiores et spirituales patres suos judicare temere præsumentes. Quorum unicuique ait Salvator : Luc. vi, 41, 42. Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Et quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine ut ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

Ex quibus æternæ, increatæ ac infinitæ Sapientiæ verbis ostenditur, quod volens corripere, judicare, corrigere, docere exhortarive alium, debet in primis corripere, judicare, corrigere, exhortari et instruere semetipsum. Qui enim in majoribus aut eisdem est vitiis, alium judicare, corripere aut corrigere est indignus. Propter A quod ait Salvator : Medice, cura te ipsum; Luc. iv, 23. et Apostolus : Qui alium doces, te ipsum Rom. ii, 21. non doces. In Ecclesiastico quoque asseritur : Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Eccli. xxi, 30. Et rursus Dominus loquitur: Ex ore tuo te judico, serve Luc. xix, 22. nequam. Hinc super illud Matthæi, Nolite Matth. vii, 1. judicare, scribit Chrysostomus : Non oportet exprobrare delictum, aut eum qui peccato aliquo præventus est, insolenter obruere, nec persequi jurgio, sed monere consilio. Non enim illum, sed temetipsum B profecto condemnas, et facis tibi ipsi terribilius esse judicium, cogisque adversus te diligentissimam etiam de minimis fieri ultionem : ut enim diligentius tua examinentur peccata, legem primus ipse posuisti, severius de his quæ proximus peccaverat judicando. Sunt autem hæ diabolicæ tentationis insidiæ : nam qui severe discutit aliena, nunquam propriorum reatuum merebitur veniam. Et rursus : Si nullum (inquit) aliud haberemus peccatum, pro hoc solo nos gehennæ tradi satis abunde- C que sufficeret : quippe qui in aliorum delictis severi et amarissimi judices residemus, nostras autem trabes oculis nostris infixas non cernimus, qui aliena etiam minima tam sollicite perscrutamur, et ad condemnandos ceteros omne vitæ nostræ tempus absumimus.

Præterea, ut sciamus quæ judicia sint vitanda, quæ amplectenda, oportet advertere quod multiplex est judicium. Primum est judicium discretionis, quo inter bonum et malum, inter verum et falsum D discernitur, et bonum ac verum eligitur, malum ac falsum abjicitur : de quo in Job fertur, Numquid qui non amat judicium, Job xxxiv, 17.

sanari potest? Et istud judicium debet A quilibet circa se et circa subjectos exercere, si aliquibus præsit. Secundum est judicium commendabile, quod vocatur judicium propriæ discussionis, quo homo post propriæ vitæ diligentem examinationem judicat se talem qualis est : de quo I *Cor.* xi, 31. ait Apostolus, Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Tertium est judicium tolerabile, puta judicium definitivum seu assertivum de aliorum inexcusabilibus malis, quæ bono nequeunt animo *Matth.* vii, 16. fieri : de quibus Salvator, Ex fructibus B (inquit) eorum cognoscetis eos. Quartum est judicium utile, scilicet judicium præsidentis, secundum regulas juris : juxta *Prov.* xxix, 14. quod in Proverbiis habetur, Rex qui in veritate judicat pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. Quintum est judicium inutile, utpote judicium suspicionis, tamen absque pleno consensu rationis : *Ps.* cxviii, 39. de quo orat Psalmista, Aufer opprobrium meum quod suspicatus sum. Sextum est judicium detestabile. Quod fit quatuor modis. Primo, dum fertur sententia de se- C cretis cordis sine sufficientibus signis : quod ad temerarium spectat judicium, quod non procedit ex certa notitia, neque ex vera prudentia. Secundo, dum dubia trahuntur in partem pejorem. Tertio, dum judicatur de futuro hominis statu, videlicet quod aliquis sit in vitiis suis mansurus, aut filius perditionis futurus. Quarto, dum contra jus assumitur exsecutio judi- I *Cor.* v, 12. cialis : contra quod dicit Apostolus, Quid mihi de his quæ foris sunt judicare?

Insuper, super illud, Nolite judicare, as- D serit Augustinus : Nil aliud nobis hoc loco præcipi puto, nisi ut ea de quibus dubium est quo animo fiant, in partem meliorem interpretemur. Quædam namque et bono et malo animo fieri possunt : de quibus judicare temerarium est, maxime ut damnentur, id est, in pejorem partem trahantur. Duo autem sunt in quibus temerarium judicium vitare debemus : videlicet dum incertum est quo animo aliquid factum sit, aut incertum est qualis futurus sit qui nunc bonus aut malus apparet. Non ergo reprehendamus ea de quibus nescimus quo animo facta sint; nec ita reprehendamus quæ manifesta sunt mala, ut ejus qui fecit emendationem desperemus.

Præterea, juxta doctores, quædam sunt mala quæ bono animo fieri nequeunt, quoniam in sua ratione deformitatem peccati includunt, ut blasphemare, desperare, furari, latrocinari : de quibus judicare permittitur, quum certum sit quod sint mala. Alia sunt bona ex genere, quæ tamen male fieri possunt, ut dare aliquid mendicanti pro laude humana. Tamen quia aliorum nos latet intentio, talia sunt judicanda in bono, et probabiliter bona censenda, nisi verisimilia ad oppositum apparerent indicia. Juxta quod in Evangelio loquitur Filius Dei : Quum facis eleemosynam, noli *Matth.* vi, 2. tuba ante te canere, hoc est signa ostentationis monstrare. Alia autem sunt bona ex sua natura et propria ratione, quæ male fieri nequeunt : ut sunt eliciti et immediati actus virtutum, quibus secundum Augustinum, nullus directe utitur male, sicut diligere Deum, atque aliarum virtutum opera adimplere secundum intentionem, formam et modum Dei præcipientis, puta ex fide et caritate, ad gloriam Dei. Et talia sunt absolute bona et laudabilia judicanda in generali; tamen in particulari nos latet an actus nostri seu aliorum sint tales, absque revelatione divina, quum ignoremus an in caritate simus et gratia. Porro alia sunt opera indifferentia, utpote nec bona nec mala ex genere, ut levare festucam, fricare barbam. De quibus judicare illicitum est, quum agentis intentionem non videamus; sed interpretanda dicuntur in melius, non utique cum assertione, quia hoc esset incautum, quum sit incertum, sed cum quadam pia æstimatione et spe, qua semper de proximis meliora debemus confidere et sentire, nisi evidentia mali oppositi appareant signa.

Hinc, ut præclarissimus ille theologus et doctor irrefragabilis, Alexander magnus, videlicet Alexander de Hales, fatetur, ad simplices et subjectos etiam monachos A pertinere potest judicium assertivum de manifestis et inexcusabilibus malis, loquendo de judicio interioris intelligentiæ et rationis, quod dicitur judicium adhæsionis, quo judicamus aliquem male egisse Deumque offendisse. De his autem de quibus multum probabilia malitiæ signa apparent, præsertim quæ suspicionem efficiunt violentam, licet eisdem cum condecenti probabilitate absque assertione temeraria judicare. Ex quibus judiciis procedere potest et debet proportionata correptio : quia B de manifestis malis, quæ scilicet bene fieri nequeunt, corripiendus est frater cum assertione, quod scilicet sit culpabilis ; de probabilibus vero malis corripiendus est moderatius et cum probabilitate, nec pia excusatio fratris est repellenda.

Deinceps communiter dicitur, quod de manifeste malis judicare permittimur, reprobando factum, non judicando aut condemnando personam. Contra quod objici posset, quod factum personam denomi- C net : si ergo factum est malum, ergo et faciens. Rursus, quem actu mortaliter peccantem conspicimus, mortaliter vitiosum esse scimus, judicareque possumus. Et respondendum, quod personam judicare seu condemnare licite possumus ex evidentia facti, non quidem simpliciter, hoc est pro toto tempore atque finaliter, sed pro tempore certo, videlicet quamdiu in mortalis peccati actu esse conspicitur.

Simus ergo oculati, rigorosi, solliciti, considerando, discutiendo, dijudicando ac D castigando proprias culpas ; pii autem circa confratres. Et facillime ex toto corde omni injurianti indulgeamus, quemadmodum in evangelio hodierno docet Salvator, dicendo : Dimittite, et dimittetur vobis ; date, et dabitur vobis : eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur *Luc.* VI, 37, 38. vobis. Quo constat, quod sicut homo se habet circa proximos suos, sic Deus habet se circa illum. Unde qui fratribus suis caritativi, pii liberalesque sunt ex totis præcordiis, consilium auxiliumque præstantes secundum vires, et quod effectu non valent, agunt affectu, nec amari, acuti durique sunt alios judicando, conquerendo, aut ultionem quærendo, sed gratiam sibi communicatam in alterutrum administrant : *I Petr.* IV, 10. hi specialem et maximam a Deo gratiam adipiscuntur. Judicare autem de aliis, summe periculosum est passionatis et amaris hominibus, potissimum de his a quibus offensos se arbitrantur, et circa quos minus bene afficiuntur. Si autem unusquisque se ipsum rite discutiat, tot calamitates, defectuositates, vitia atque pericula intuebitur in se ipso, quod non occupabit se inordinate cum alio, nec temere judicabit de aliquo, nec querulosus erit, neque detractor, neque facile offendetur : imo omni adversitate et confusione se dignum putabit, atque in propria causa patrocinari studebit.

Postremo, Christus in evangelio isto dicens, Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? *Luc.* VI, 39. percutit et condemnat quorumdam infelicium ambitionem, qui proprias defectuositates non intuentes, quum sint vani, passionati et ad se ipsos vitiose reflexi, ad fratrum suorum ducatum adspirant, officia amant, ad prælationem se ingerunt, etsi non evidenter, tamen latenter ; et quod hominibus insinuare verentur ac sciri verecundantur, hoc mente coram Deo et Sanctis ejus gerere non formidant. O quam fœda est cordis eorum coram Deo pictura ! Imperfectum ergo suum intueantur, et quam periculosum sit præsidere advertant ; atque divini rigorem judicii pertimescentes, cum timore et tremore suam operentur *Philipp.* II, 12. salutem. Ad laudem, etc.

DOMINICA V POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

OMNES UNANIMES IN ORATIONE ESTOTE. I Petr. III, 8-15.

GLORIOSUS apostolici agminis princeps, in præsenti epistola totam vitam Christianorum sapienter ac sufficienter instituit, docet et ordinat. *Omnes unanimes in oratione estote,* id est, unanimiter Deum invocate, et ab ipso concorditer petite ea quæ pertinent ad salutem. Unanimitas namque præcipue est necessaria jugiterque servanda universis Christicolis, non solum in oratione, sed et in cordium affectionibus, fidei veritatibus, oris confessionibus, Deique laudibus ac virtuosis operibus. Propter quod ad Romanos affectuosissime ait apostolus Paulus : *Rom.* xv, 5, 6. Deus patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere, secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum. *Compatientes,* ut unus alteri pie et caritative condoleat mente, succurratque opere, sicut ait Salvator : *Luc.* vi, 36. Estote misericordes. Nempe, ut ait Apostolus, *Ephes.* iv, 25. sumus invicem membra atque confratres. Compassio quoque alleviat gravamen ejus qui percipit alium sibi compatientem, quemadmodum sustinens grave pondus, sentit relevamen dum alius secum oneri se supponit, prout secundo Rhetoricæ ait Philosophus. *Fraternitatis amatores,* id est confratrum, seu communionis eorum, optando quod omnes se invicem fraternaliter ac spiritualiter diligant, quia commune bonum potissimum est amandum. *Misericordes,* tam spiritualia quam corporalia misericordiæ opera pro viribus exercendo. *Modesti,* id est mo- A deramen servantes in factis vestris, eo quod virtus consistat in medio. Propter quod ait Apostolus : Modestia vestra nota *Philipp.* iv, 5. sit omnibus hominibus. *Humiles,* propriam parvitatem ac defectuositatem pensando, neque in aliquo vos ipsos inaniter extollendo.

Non reddentes malum pro malo, hoc est pravum opus pro opere pravo, vos ipsos inordinate vindicando (si autem secundum ordinem juris ultio fiat, non redditur malum culpæ pro malo culpæ, sed malum B pœnæ pro malo culpæ : et hoc malum pœnæ est bonum, quum sit opus justitiæ), *nec maledictum pro maledicto,* id est verbum injuriosum sive convitium pro verbo injurioso sive convitio; *sed econtrario benedicentes* maledicentibus vobis, id est bonum pro malo reddentes, quemadmodum loquitur Christus : Diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus vobis. *Luc.* vi, 27, 28. Unde scriptum est : Benedicite persequentibus vos ; benedicite, et nolite maledicere. *Rom.* xii, 14. *Quia in hoc vocati estis,* hoc est, idcirco ad fidem C catholicam vos Deus vocavit seu gratiose perduxit, quatenus jam dicta opere impleatis, benedicendo maledicentibus vobis, etc., *ut benedictionem hereditate possideatis,* id est, a Deo benedicamini in æternum, nunc percipiendo ab eo charismata gratiarum, atque post vitam hanc dona gloriæ æternalis, sicque in die judicii inveniamini inter eos quibus dicturus est Christus : Venite, benedicti Patris mei; *Matth.* xxv, 34.

possidete paratum vobis regnum a constitutione A mundi.

Deinceps confirmat ea quæ dixit, auctoritate Psalmistæ. *Ps.* xxxiii, 13 et seq. *Qui enim vult vitam diligere,* id est vitam beatam vere efficaciterque appetere, *et videre,* per felicem experientiam, *dies bonos,* id est dies gloriæ cœlestis, in qua nullum est malum. Dies autem vitæ præsentis pleni sunt malis pœnæ et culpæ, id est tribulationibus, miseriis et peccatis. Propter quod loquitur *Matth.* vi, 34. Christus in Matthæo : Sufficit diei malitia *Ephes.* v, 16. sua. Et Paulus hortatur : Redimentes tempus, B quoniam dies mali sunt. Quamvis autem in cœlo non sint dies multi per noctium intervalla, sed unus dies continuus *Is.* lx, 19. ac æternus (juxta illud : Non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam; in Apoca*Apoc.* xxi, 23. lypsi quoque Joannes ait : Civitas non eget sole neque luna, nam claritas Dei illuminabit eam; unde et in Zacharia legitur : *Zach.* xiv, 7. Erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox), tamen dies iste pluraliter C designatur, quoniam sua perpetuitate omne tempus includit. Propter quod in Mi*Mich.* v, 2. chæa de Christo habetur : Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. *Coerceat linguam suam a malo,* id est, a verbis illicitis, maledictoriis, murmuratoriis, injuriosis eam refrenet, sicut et Paulus hortatur : *Ephes.* iv, 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non *Jacob.* i, 26. procedat. Unde et Jacobus ait : Si quis putat se religiosum esse, hoc est devotum et legi seu religioni christianæ subjectum, non refrenans linguam suam, hujus vana D est religio, id est falsa et ficta devotio. *Et labia ejus ne loquantur dolum,* id est, labia sua domet, ne verba proferant fraudulenta, verbis adulatoriis maledicenti loquendo quasi ei non indignetur, et tamen occulte insidiando eidem. Propter quod admonet Augustinus : Non aliud pectus tegat, et aliud lingua proferat.

Declinet autem a malo culpæ (juxta il*Eccli.* xxi, 2. lud Ecclesiastici : Quasi a facie colubri fuge peccata), id est, a vitiis se avertat, et ea detestetur ac odiat; *et faciat bonum,* hoc est, opera virtutum viriliter aggrediatur. Hæ enim sunt duæ partes justitiæ. *Inquirat pacem,* id est, quantum potest conetur pacem habere cum proximis, etiam inimicis, occurrendo eis in omni caritate, humilitate et patientia, sicut ait Propheta: Cum his qui oderunt pacem eram pacifi- *Ps.* cxix, 7. cus. Unde ad Romanos habetur : Si fieri *Rom.* xii, 18. potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Hæc est pax temporalis, quam si cum proximis perversis habere non possumus, tamen pacem pectoris habeamus ad eos, ut mens nostra contra eos non perturbetur, sed semper tranquilla sit, secundum quod fieri potest et decet. Siquidem de perversitate et vitiis impiorum valde pium est contristari. *Et persequatur eam,* hoc est, perfecte et stabiliter eam sequatur, pro ea constanter laborando, atque adeptam indesinenter custodiendo.

Quia oculi Domini super justos, id est, eos qui prædicta perseveranter observant, Deus misericorditer adspicit, fideliter protegit, et æternæ felicitatis retributione remunerat. Ad id quippe oculus magis dirigitur, quod magis diligitur. *Et aures ejus in preces eorum* intentæ sunt, id est, paratus est eos exaudire, secundum quod in Proverbiis fertur : Longe est Do- *Prov.* xv, 29. minus ab impiis, et orationes justorum exaudiet. Alibi quoque ait Scriptura : Ora- *Eccli.* xxxv, 21. tio justi penetrat cœlos. Verum ut ait Salvator, oportet semper orare, et non de- *Luc.* xviii, 1. ficere : quia Deus non semper exaudit æque celeriter, sed nunc citius, nunc tardius, secundum ordinem sapientiæ suæ. Propter quod Jacobus apostolus ait : Mul- *Jacob.* v, 16. tum valet deprecatio justi assidua. Deinceps, oculi et aures in incircumscriptibili ac simplicissimo Deo spiritualiter intelligendæ sunt, atque realiter idem sunt, utpote intellectus, et cognitio ac miseratio ejus; et pluraliter exprimuntur propter diversitatem suorum effectuum, et cognitorum ac auditorum. *Vultus autem Domini,* id est adspectus divini rigoris, est *super facientes mala,* hoc est inobedientes divinis præceptis, ut puniat eos in æternum, nisi vere et condigne pœniteant. Unde in illo psalmo adjungitur : Ut perdat de terra memoriam eorum. (*Ps.* xxxiii, 17.) Et rursus idem ait Propheta : Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. (*Ps.* xx, 10.)

Consequenter docet et admonet Archiapostolus, ne propter adversa cessemus ab actibus virtuosis. *Et quis est qui vobis noceat, si boni,* id est virtutis, seu Christi essentialiter boni secundum quod Deus est, *æmulatores,* id est amatores et imitatores, *fueritis?* Sed quia contra hoc objici posset, quod justi ab impiis lædi possunt, spoliari, diffamari, imo interfici, sicque nocumentum eis inferri videtur; ad hoc protinus S. Petrus respondet : *Sed et si quid patimini propter justitiam, beati* eritis. Tanquam dicat : Quamvis iniqui inferant justis corporalia damna, tribulationes et vulnera, hæc tamen justis plus prosunt quam nocent, dummodo ea propter Deum æquanimiter patiantur : quia per ea crescunt in gratia, remissionem culpæ, liberationem a pœnis futuris, beatitudinisque præcipuum adipiscuntur augmentum, sicut ait Salvator, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (*Matth.* v, 10.)

Denique, ut id clarius intelligatur, sciendum quod quædam sunt bona hominis prima et principalia, quæ ei invito auferri non valent, et per quæ Deo placet, ac felicitati propinquat seu eam meretur. Et ista sunt bona hominis simpliciter, ut sunt gratia, virtutes et dona Spiritus Sancti, ac opera virtuosa : idcirco eorum amissio est nocumentum hominis, absolute loquendo. Alia autem sunt bona hominis secundaria et minus principalia, ut res temporales, hominis fama, proles, sanitas corporalisque vita. Quæ sunt bona hominis secundum quid, et possunt ei invito auferri : unde eorum amissio non est hominis nocumentum simpliciter, sed secundum quid. Imo incomparabiliter plus prodest eorum ablatio propter justitiam, quando Dei intuitu et amore patienter suscipitur, quam prosit eorum possessio. Imo si alicui propter sua peccata hæc auferantur, et ipse pro suis peccatis hoc sustineat cum pœnitentia vera, adhuc prodest ei multipliciter valde. Hinc asserit Christus : Beati estis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. (*Matth.* v, 11, 12.) Unde in collecta legit Ecclesia, Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas : quia videlicet si patienti adversa non dominetur proprii cordis impatientia, ira, invidia, aut alia culpa spontanea, adversitatum illatio sibi non nocet simpliciter, sed proficit multipliciter. De hoc in sermone plura dicentur. Itaque, si quid patimini propter justitiam, id est ob hoc quod justi estis, justeque agitis, seu propter fidem aliamve virtutem, aut propter increatam justitiam, quæ Deus est, beati eritis in æternum in cœlo, et nunc beati estis in spe et merito.

Timorem autem eorum ne timueritis. Timor hic capitur pro objecto timoris, videlicet pro malis pœnalibus seu adversis, quæ solent timeri, et circa quæ timor servilis versatur; ut sit sensus : « Timorem eorum », id est adversa quæ iniqui possunt inferre, « ne timueritis », quemadmodum docet Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt. (*Ibid.* x, 28.) *Et non conturbemini* propter adversa vitæ præsentis, hoc est, pacem mentis non amittatis, nec frangamini quibuscumque adversis, quum Filius Dei testetur : In patientia vestra possidebitis animas vestras. (*Luc.* xxi, 19.) Et si quis non sit ita perfectus quin sustineat primos vel etiam fortes motus timoris atque tristitiæ, non tamen vincatur ab eis, neque consentiat tentamentis, sed Christi passionem ac futuram remunerationem intueatur, ac Dei auxilium invocare non negligat. Ideo subditur : *Dominum autem Christum sanctificate,* id est, firmiter conservate, et in sanctitate ac justitia honorate, ejusque sanctitatem ac majestatem considerate, *in cordibus vestris,* ut nequaquam propter adversa recedatis ab eo, sed contemplatione ipsius omnia invictissime toleretis. Dicimur equidem Deum sanctificare, dum ei in sanctitate et justitia non omittimus ministrare, ita quod quantum in nobis est, per opera virtuosa eum esse sanctum et omni honore dignissimum demonstramus.

I Petr. III, 13. Postremo, circa illud, «quis est qui vobis noceat », etc., agnoscendum quod, Æmulari, sumitur in Scripturis quatuor modis. Primo, pro indignari, juxta illud in Ezechiele : Erat statutum idolum zeli, ad provocandum æmulationem. *Ezech.* VIII, 3. Secundo, pro invidere, secundum illud ad Romanos : Non in æmulatione et contentione. *Rom.* XIII, 13. Tertio, pro amare, juxta quam significationem ait Apostolus : Æmulor vos Dei æmulatione. II *Cor.* XI, 2. Quarto, pro imitari, secundum quod in Proverbiis scribitur : Non æmuleris hominem injustum ; *Prov.* III, 31. atque in Psalmo, Noli æmulari in malignantibus. *Ps.* XXXVI, 1. Tamen in hoc verbo Psalmistæ accipi potest etiam pro indignari et invidere.

SERMO PRIMUS

DE UNANIMITATE, PACE CONCORDIAQUE FRATERNA ; DEQUE VITIOSIS VITANDIS COLLOQUIIS.

P*ROHIBE linguam tuam a malo.* Ps. XXXIII, 14.

Sacratissimus archiapostolus Petrus in præsenti epistola saluberrime nos informat in multis. Primo, ut in bonis actibus simus unanimes. Quemadmodum enim caritas Dei et proximi cunctis fidelibus maxime necessaria est, ita et ea quæ directe et proprie ex caritate sequuntur, ut sunt pax atque concordia. Unanimitas autem idem est quod concordia, utpote diversorum animorum in idem consensus : et istud de bona unanimitate et concordia intelligi debet. Est namque et vitiosa concordia, seu unanimitas prava eorum qui confœderantur in malis. Unde in Actibus Apostolorum habetur, quod Samaritani unanimiter intendebant Simoni mago, postea vero S. Philippo diacono. *Act.* VIII, 11. *Ibid.* 6, 12. Itaque, sicut amplectenda est bona concordia nascens ex caritate, qua plures in his quæ sunt divini obsequii et animarum concernunt salutem, concordant (de qua ait Propheta : Deus inhabitare facit unius moris in domo, *Ps.* LXVII, 7. seu unanimes, secundum aliam translationem); ita concordia mala est fugienda. Ideo nulli consentiamus in rebus illicitis, sicut multi, ex carnali amore aut propter temporalia commoda, consentiunt cognatis et caris ac familiaribus seu sociis suis in malis, etiam ad persequendum, nocendum ac detrahendum his a quibus directe læsi non sunt. Contra quod in Ecclesiastico dicitur : Noli pro amico inimicus fieri proximo. *Eccli.* VI, 1. Unde et Tullius contestatur : Hoc amicitia vera requirit, ut intuitu amicorum nil turpe, nil agamus illicitum. Itaque qui alium vere sincereque diligit, si viderit eum contra quempiam inordinate moveri seu irrationabiliter concitari, non debet ei protinus consentire, adstare, succurrere, sed increpationem ac informationem impendere, et pie mediando litigantes ad concordiam revocare : quia ut loquitur Christus, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth.* V, 9.

Præterea, quam necessaria sit bona ista concordia omnibus Christianis, constat ex eo quod ad Philippenses tam affectuosissime ait Apostolus : Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericor- *Philipp.* II, 1, 2.

diæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes. Idem enim sapere nos oportet in his quæ sunt fidei ac salutis. Propter quod asserit Leo Papa : Gratia Patris cœlestis, non dissimiles, non discordes, sed unum sentientes unumque amantes adoptavit heredes : ad unam reformatos imaginem oportet animum habere conformem.

Insuper, non cum hominibus tantum, sed cum Deo quoque et angelis debemus *Job* xxii, 21. habere concordiam, juxta illud Job : Acquiesce Deo, et habeto pacem ; et per hoc B habebis fructus optimos. Apostolus quo- *Rom.* v, 1. que ad Romanos : Justificati (inquit) ex fide, pacem habeamus ad Deum. Porro concordia vera ad Deum, est tam in adversis quam in prosperis uniri et consentire voluntati divinæ, et gratias ei referre, non murmurare, neque ad iram impatientiamve moveri. Hinc asserit Leo Papa : Quid est pacem habere cum Deo, nisi velle quod jubet, et nolle quod prohibet ? Concordiam autem habere cum angelis, est eorum sanctis inspirationibus consentire C ac libenter obedire. Præterea, si desideras scire an veram cum Deo pacem atque concordiam habeas, conscientiam tuam examina ; et si non fueris tibi conscius de aliqua culpa mortali, spera de meliori.

Ad amorem vero et diligentem conservationem concordiæ, duo nos debent inducere. Primo, quod ipsa tam singulariter grata ac placita est tam Deo quam homi- *Eccli.* xxv, 1, 2. nibus, secundum illud Ecclesiastici : In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : D concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. Secundo, quia ut ait Bernardus, Non est in terra expressior similitudo angelicæ conversationis, quam unitas et concordia vitæ *Ephes.* iv, 3. socialis. Ideo semper esse debemus solliciti servare unitatem et concordiam spiritus in vinculo pacis, quia concordia est omnium virtutum custoditrix, sicut discordia cunctarum est dissipatrix virtutum, dicente Hieronymo : Sicut per concordiam par- A væ res crescunt, ita per discordiam res maximæ dilabuntur.

Secundo princeps Apostolorum docet nos in præsenti epistola, ut proximis simus compatientes. Ad quod nos debet movere, primo conformitas naturæ : nam et bruta quamplura ejusdem speciei sibi invicem compatiuntur, ut patet de porcis. Secundo, caritas fraterna, quæ exigit ut sicut de bono proximorum lætamur, ita de eorum adversitate et casu tristemur. Tertio, quia nos ipsi in multis miseriis atque periculis sumus. Quarto, quia per hoc divinæ pietatis miserationem mereamur. Quinto, quoniam Christus et omnes Sancti valde compassivi fuerunt. Nam et Christus videns civitatem Jerusalem, futu- *Luc.* xix, 41. ram ejus ruinam deflevit. Et sanctus Job protestatur : Flebam super eo qui affli- *Job* xxx, 25. ctus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Paulus quoque ad Corinthios disseruit : Quis infirmatur, et ego non infir- II *Cor.* xi, 29. mor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ?

Deinceps, sicut malum culpæ incomparabiliter pejus est malo pœnæ, videlicet corporali infirmitate temporalique damno, et persecutione humana ; sic multo plus contristari debemus et compati proximis propter eorum peccata, quam propter eorum mala pœnalia. Sed, proh dolor ! pauci sunt tales, sed pene omnes plus pensant ac dolent corporalia incommoda, quam animarum pericula et peccata. Nempe, si viderint proximi domum comburi, condolent et succurrunt ; si autem ipsum proximum viderint igne libidinis æstuare et fornicari, a risu vix abstinent. In talibus non sunt christianæ viscera pietatis, nec fulget cordi eorum illuminatio Spiritus Sancti, sed contenebrati sunt oculi eorum interni. Hinc loquitur Augustinus : Pia est ista tristitia et beata compassio, alienis vitiis tribulari, non implicari ; mœrere, non hærere ; dolore contrahi, amore non attrahi. Verumtamen de pravorum justis castigationibus atque tormentis ex zelo justitiæ seu etiam ex spirituali amore lætari, in quantum eis pœnæ salubres sunt, et per eas bonum conservatur commune, non exstat illicitum, sed potius virtuosum.

Tertio docet Archiapostolus, ut simus *I Petr.* III, 8. fraternitatis amatores. Idcirco commune bonum, generalemque omnium mutuam caritatem ac pacem cordialissime semper desiderare et amare debemus, atque orando, loquendo, hortando, reconciliando, ac pacifice exemplariterque vivendo, conari ad hoc, ut inter Christifideles sit caritas, pax et conversatio pia. Unde unusquisque paterfamilias ita se debet in propria domo habere, totisque viribus providere, ut in domo sua sit pax, nec inter domesticos suos inveniatur discordia : quod ut facilius impetret, ipsemet pius et pacificus esse debet, ac ceteris virtutibus de quibus in ista epistola mentio fit, adornari.

Ibidem; Luc. VI, 36. Quarto docet, ut simus misericordes, sicut et Christus in præcedentis dominicæ evangelio docuit : de quo in sermonibus præfati evangelii multa sunt dicta.

Quinto docet, ut simus modesti, ut scilicet in omni exteriori motu, incessu, vestitu, gestu et verbo medium teneamus seu moderamen, levitates, vanitates petulantiasque vitando, quemadmodum Augustinus hortatur : In omnibus motibus vestris nil fiat quod cujusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Ambrosius quoque : Est (inquit) in ipso motu, incessu et gestu tenenda verecundia. Dispositio enim mentis in corporis apparatu cognoscitur, ita quod quædam vox animi est corporis motus. Hinc exterior levitas, vanitas, curiositas atque loquacitas, interioris levitatis, vanitatis, curiositatis et dissolutionis sunt signa. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* XIX, 26, 27. Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus ; amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, annuntiant de illo. Ex quibus patet eorum fatuitas qui de vestium et similium exteriorum curiositate et pompa reprehensi, dicere solent : Non est de exterioribus cura, dummodo interiora sint bona.

Sexto docet, ut humiles simus. Nam sicut coram Deo et hominibus odibilis est *Eccli.* X, 7. superbia, ita humilitas efficit hominem Deo hominibusque amabilem. Quid autem sit humilitas, et de motivis atque effectibus ejus, in diversis sermonibus multa sunt introducta.

Septimo docet, ut in omni adversitate simus plenarie patientes. Ideo propter ad- *I Petr.* III, 9. versa non contristemur, sed considerando quanta sit eorum utilitas dum æquanimiter tolerantur, gloriemur in eis, Deoque gratias referamus, quemadmodum in exordio suæ epistolæ Jacobus exhortatur : Omne gaudium existimate, quum in varias *Jacob.* I, 2. tentationes incideritis. Simus itaque semper virtutibus præmuniti ac custoditi, in tantum ut nullius hominis improbitate, vituperatione, detractione, seu quacumque inordinata locutione, irrisione aut injuriatione, provocemur ad impatientiam, ad inordinatam locutionem, ad opus illicitum, ad minorationem caritatis, aut beneficiorum subtractionem : quia hoc esset vinci a malo, et reddere malum pro malo. *Rom.* XII, 21, 17. Cujus oppositum docuerunt Christus atque Apostoli. Unde et Psalmista fatetur : Dixi, Custodiam vias meas, ut non delin- *Ps.* XXXVIII, 2. quam in lingua mea ; posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me. Hinc et Archiapostolus ad suæ confirmationem doctrinæ introducit verba Psalmistæ : Quis est homo qui vult vitam, *Ps.* XXXIII, 13, 14. etc. ? Prohibe linguam tuam a malo, etc.

Vitanda sunt ergo universa colloquia vitiosa, superflua, verba detractoria, pungitiva, mendosa, fraudulenta, ac juratoria, imo et otiosa, quum Judex summus testetur : De omni verbo otioso quod lo- *Matth.* XII, 36. cuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii. Quod si ita est de verbis otiosis, quale fiet judicium de verbis detractoriis, pungitivis, mendosis, ceterisque similibus ? Hinc ad vitandum verba illicita copiosissime nos hortatur Scriptura. Ait etenim Salomon : In multiloquio non de- *Prov.* X, 19. erit peccatum ; et iterum, Stultus verba *Eccle.* X, 14. multiplicat ; itemque, Vidisti hominem ve- *Prov.* XXIX, 20. locem ad loquendum ? Stultitia magis spe-

randa est, quam illius correctio. Hinc in A
Ecclesiastico multa scribuntur, videlicet :
Eccli. xx, 5. Odibilis est, qui procax est ad loquendum ;
Ibid. 8. Qui multis utitur verbis, lædit animam suam ;
Ibid. xix, 7. Ne iteres verbum durum et
nequam. Simus igitur circumspecti, maturi ac timorati in verbis.

Postremo in epistola ista hortatur nos
I Petr. ii, 19 et seq. Archiapostolus, sicut et ante jam fecit, ut
patientes jugiter exsistamus, nec adversarios fidei atque justitiæ vereamur, imo pro veritate et æquitate simus parati mori, sicque Christum cum sanctitate et de- B
bita reverentia nostris in cordibus veneremur, quemadmodum Salomon loquitur :
Cf. in *Prov.* vii, 1. Fili, honora Deum, et valebis ; præter eum
vero ne timueris alienum. Hinc in Isaia
Is. li, 12. habetur : Quis tu ut timeas ab homine
mortali, et a filio hominis qui quasi fœnum arescit ? Unde iterum ait Scriptura :
Prov. xxix, 25. Qui timet hominem, cito corruet ; item-
Eccli. xxxiv, 16. que, Qui timet Deum, nihil trepidabit.
Quæ omnia intelligenda sunt, non quod prælati ac præsidentes non sint ordinate filialiterque timendi, in quantum sunt Dei vicarii ; sed quod non debeamus homines formidare carnali et vili timore, ita ut ex eorum timore a Deo et justitia recedamus.

Denique, quam placitum et acceptum sit Deo, propter eum ignoscere inimicis, patet ex sequenti exemplo. Miles quidam regem quemdam occidit. Quadam vero vice, filius regis occisi obviavit militi illi. Qui videns se non posse evadere, procidit ad pedes regis, postulans sibi propter Deum ignosci : filius itaque regis misericordia motus, ei indulsit. Postea filius regis intravit ecclesiam ; quumque ante imaginem crucifixi inciperet adorare, imago illa amplexata est eum, dicens in persona Christi ad eum : Quoniam hodie fecisti misericordiam cum occisore patris tui, ego quoque tecum misericordiam facio, et omnia tua peccata tibi indulgeo, nec a meo separaberis regno.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM TURBÆ IRRUERENT IN JESUM, UT AUDIRENT VERBUM DEI, ETC. Luc. v, 1-11.

In evangelio hodierno describitur, quam C
ferventer homines ad Christi prædicationem confluxerunt, et quam sapienter docuit eos, quam eminenter etiam per miracula prædicationem suam corroboravit. Ait itaque Lucas : *Quum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei.* Ex quibus verbis docemur, quod cum maximo impetu ac fervore concurrebant ad eum undique etiam multitudines copiosæ, ita quod se invicem comprimebant, et
Luc. viii, 45. ipsummet Christum tangebant. Quis enim
sanæ mentis non affectaret tam pulchrum D
ac dulcem virum adspicere, tam sapientem et eloquentem audire, tam virtuosum et sanctum attingere, tot et tantorum miraculorum operatori approximare ? Unde in Revelationibus S. Brigittæ legitur, quod beatissima virgo Maria dixit ad Brigittam : Tam gratiosus ac dulcis fuit Filii mei adspectus, tamque speciosus fuit vultus ipsius, quod quicumque desolati et tristes vultum Filii mei adspexerant, mox consolationem senserunt, ita quod dicere consueverunt : Eamus ad Filium Mariæ, ut ex ejus intuitu consolemur. Nec mirum, quoniam ipse est de quo dixit Propheta :
Speciosus forma præ filiis hominum, dif- *Ps.* xliv, 3.
fusa est gratia in labiis tuis ; propterea benedixit te Deus in æternum. Deinceps multi Sanctorum tantæ leguntur sanctitatis et gratiæ fuisse, quod quasi ange-

licum vultum habebant, resplendentibus in eorum facie mirabili serenitate atque fulgore : quanto magis id de Christo credendum, Coloss. II, 9. in quo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter habitavit, non solum per gratiam sicut in ceteris Sanctis, sed et per hypostaticam unionem ac beatificam fruitionem?

Præterea, qualiter propter plures ac varias causas turbæ confluxerunt ad Christum, interdum præhabitum est. Hic tamen ad eum concurrisse scribuntur, « ut verbum Dei », hoc est prædicationem Christi, « audirent »; vel, « Verbum Dei », id est ipsummet Christum loquentem, qui est æternum increatumque Verbum Patris altissimi, Joann. I, 1. juxta illud Joannis : In principio erat Verbum, etc.

Et ipse stabat secus stagnum Genesareth : Ibid. VI, 1. quod alio nomine vocabatur mare Galilææ, quia in illa fuit provincia; et mare Tiberiadis, a civitate Tiberiade sibi vicina. *Et vidit duas naves stantes secus stagnum,* hoc est prope littus stagni præfati. *Piscatores autem,* videlicet Petrus, Joannes et Jacobus, *descenderant,* id est, naves suas egressi, aquam circa littus intraverant, *et lavabant retia sua,* ut purgata convolverent, quia nil ceperant, et volebant ad tempus a piscatione cessare. *Ascendens autem* Jesus *in unam navim, quæ erat Simonis,* scilicet Petri, et fratris ejus Andreæ, ut aliqui dicunt : quia Matthæus Matth. IV, 18; Marc. I, 16. et Marcus dicunt, quod Jesus invenit Petrum et Andream simul piscantes; *rogavit eum a terra reducere pusillum,* id est navim ad modicum spatium a terra in aquam dirigere, ut competenter distaret a ripa, quatenus ab omnibus melius posset audiri. Ideo quippe navim intravit, quia turbæ cœperunt eum comprimere, atque in terra cum eis stans, non poterat tam convenienter a cunctis audiri ac adspici sicut in navi stans, ubi nemini dorsum vertit in faciem, sed in omnium stetit adspectu : nam turbæ stabant circa littus.

Porro, in hoc ostenditur summa Christi A humilitas, dignatio, mansuetudo et pietas, quod Petrum pro tam parva re, tam modeste rogavit, cui præcipere potuit : docens prælatos, ut proniores sint pie humiliterque hortari quam districte præcipere, magisque cupiant diligi quam timeri. Sed econtrario agunt indiscreti, qui ad præcipiendum proclives sunt, gladium sine causa idonea extrahentes, atque per hoc se ipsos ac subditos periculis exponentes : quibus per Ezechielem improperat Deus, Cum austeritate imperabatis ovibus meis Ezech. XXXIV, 4. B et cum potentia.

Et sedens in navi, *docebat de navicula turbas.* Navim nunc vocat naviculam, quoniam parva erat, et navigium egenorum. Sed quid prædicavit nunc Christus, Evangelista non exprimit, sicut nec omnia ejus miracula aliquis Evangelistarum in particulari prosequitur, imo nec omnes simul. Tanta vero de ejus documentis atque miraculis conscripserunt, quantum ad ædificationem Ecclesiæ, ad fidei confirmationem, ad salutem fidelium sufficere C noverant, inspirante ac moderante Spiritu Sancto. Recte quoque asseritur, quod sedens docebat, quoniam sedere doctorum ac judicum est.

Ut cessavit autem loqui, hoc est prædicatione finita, *dixit ad Simonem* Petrum, volens eum remunerare pro obsequio prænarrato, imo præinductam prædicationem volens per miraculum confirmare et audientium cordi imprimere, specialiter quoque Petrum ejusque socios ad suam agnitionem, amorem ac venerationem inducere : D *Duc in altum,* hoc est, navim a littore amplius amove ad loca ubi aqua profundior est. Vel ideo dicit, « in altum », quoniam aqua plus distans a littore altior est quam quæ ripæ propinquior est, prout in libro de Sphæra probatur. *Et laxate retia vestra in capturam,* hoc est, ad capiendum pisces ea extendite. Dixit autem Christus singulariter Petro, « duc in altum », quoniam hoc ab eo solo fieri potuit; pluraliterque adjunxit, « laxate », quia a pluribus id aptius fieri quivit. —

Porro mystice per Petrum designantur perfectiores, ad quos præcipue pertinet in altum ducere, id est profunda scrutari mysteria, et difficiliora cognoscere, atque de talibus inferiores instruere, ut in libro de De Eccl. hier. c. v. Ecclesiastica hierarchia divinus Dionysius scripsit. Per adjutores vero Petri signantur inferiores, ad quos pertinet retia laxare, hoc est verba ordinate connexa ad aliorum conversionem exprimere.

Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, id est tu, Jesu, qui tantæ es auctoritatis ut rite voceris Præceptor, cui et protinus obedire condignum est, *per totam noctem laborantes* ad capiendum pisces, *nihil,* hoc est nullum piscem, *cepimus.* Quod quamvis naturaliter accidere potuerat, sicut quotidie accidit, divina tamen dispensatione tunc sic evenisse opinor, ut Christi potestas in sequenti miraculo clarius reluceret, atque per hoc alii plus roborarentur in fide, Deumque amplius glorificarent. *In verbo autem tuo,* hoc est propter hanc tuam locutionem, et ex spe capiendi pisces merito obeditionis, qua tuis verbis jam obediemus, *laxabo rete* ad piscandum cum meorum adjutorio sociorum. Et in hoc promptitudo obedientiæ S. Petri commendatur, quia secundum naturam videbatur tunc infructuosum laxare retia, quum naturaliter non appareret spes capiendi pisces.

Et quum hoc fecissent, concluserunt Simon Petrus ac socii ejus, *piscium multitudinem copiosam.* In quo docemur, quam fructuosum sit obedire. Denique, juxta intelligentiam spiritualem, quemadmodum Petrus Christo jubente laxavit retia ad piscandum, quamvis ante tanto tempore et conatu nihil cepisset; ita prælati, et doctores ac prædicatores, juxta sacræ Scripturæ præceptum seu exhortationem extendere debent spirituale rete, id est coordinata seu apte connexa et condependentia documenta, ad aliorum conversionem, instructionem, profectum, cum fiducia subventionis divinæ ; sicque vicissim Domino auxiliante multum proficient, in quibus A ante nil profecerunt. Propterea Timotheo scripsit Apostolus : Insta opportune, importune. II Tim. iv, 2. *Rumpebatur autem rete eorum,* hoc est, partim rumpi cœpit. Non tamen aliquis excidit piscis : quod etiam miraculum fuit.

Et annuerunt sociis qui erant in alia navi, videlicet Jacobo et Joanni, *ut venirent* ad eos navigio, *et adjuvarent eos.* Annuerunt autem, id est, nutu seu signo, non verbis, insinuaverunt, quia præ admirationis magnitudine loqui vix poterant, et B præ reverentia Christi vix loqui audebant. Sic et spirituales piscatores, videlicet prælati et prædicatores, quum se viderint non posse ad portum salutis universos perducere, quos de sæculo isto velut ex procellosissimo mari aliqualiter abstraxerunt, atque ad pœnitentiam induxerunt, alios viros idoneos debent in adjutores quærere, invitare, assumere, ut conversos ac pœnitentes custodiant, dirigant, accendant, et ad finem beatum perducant. Sed quidam superbi et præsumptuosi sunt nimis, C qui de propriis viribus ac virtutibus fatue confidentes, aliorum auxilium sibi necessarium non arbitrantur, quum tamen se ipsos regere insufficientes probentur.

Et venerunt ex alia navi, *et impleverunt* omnes simul *ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.* Quo patet, quod maxima piscium multitudo exstitit capta. Ita et spiritualiter, pluribus verbum Dei digne ac efficaciter prædicantibus, plurimi convertuntur. Porro, per naviculas designantur particulares Ecclesiæ seu congregationes D devotæ, quæ pene merguntur, dum multi recenter conversi in eis sunt, in quibus vitiorum reliquiæ et pronitates ad vitia manent : in quibus tam ipsi quam alii sæpe periclitantur, dum alii nondum ita perfecti sunt ut illorum imbecillitates valeant æquanimiter tolerare.

Quod quum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens. Honor enim virtuoso debetur atque prælatis : ideo sicut Petrus credidit Jesum esse maximæ sanctitatis et auctoritatis, ita et magnam ei reverentiam exhibebat. Nempe et ante miraculum istud credidit Jesum esse Christum, quando videlicet Andreas frater ejus *Joann.* I, 41, 42. dixit ad eum, Invenimus Messiam qui dicitur Christus, et duxit eum ad Jesum, ut Joannes ait : unde viso miraculo isto, aucta fuit in eo hæc fides. *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine,* hoc est, tibi tam potenti, magno et sancto ego tam vilis et fragilis adsistere sum indignus. Itaque ex magnitudine miraculosi effectus, majestatem causæ, videlicet excellentiam Christi, pensavit; et quia opposita juxta se posita clarius innotescunt, quo Petrus Christi virtutem excellentiamque magis consideravit, eo propriam parvitatem ac fragilitatem evidentius intellexit, humiliusque expressit. Unde Christum a se exire rogavit, non nisi ex profundissima humilitate; spiritualem vero ejus præsentiam et gratiosam adsistentiam valde optavit. Et *Matth.* VIII, 8. centurioni similis fuit dicenti : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, etc. Similis quoque fuit sponso Virginis gloriosæ, qui voluit eam ex simili causa relinquere, tanquam cohabitatione illius indignus, secundum quosdam Sanctorum. De spirituali vero et gratiosa præsentia semper optanda dicit Gregorius : Si te peccatorem consideras, necesse est ut a te Dominum non repellas.

Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant, id est, vehemens admiratio occupavit totaliter corda Petri et sociorum ipsius, ex consideratione tanti prodigii : cujus admirabilitatem tanto certius noverant, quanto in arte piscatoria peritiores fuerunt. Si autem quæratur, qualiter tot pisces ibi tam subito convenerunt, faciliter respondetur, quod Christus omnipotenti sua virtute, angelico quoque obsequio, potuit pisces diversis ex locis illuc cito adducere, imo et pisces de novo creare.

Præterea, sicut Petrus viso hoc signo, nil meritis suis adscripsit, neque inaniter gloriatus est, sed totum se humiliavit, et Christo gratias egit, atque ipsius præsentia se fatebatur indignum; ita dum prædicator quosdam aut multos converterit, totum divinæ attribuat pietati, et gratias Deo agens nullatenus extollatur, imo se indignissimum arbitretur ut per eum Spiritus Sanctus talia operetur, et Domino se prosternat. Ex his quoque ostenditur magnitudo devotionis fervorisque Petri, quod ipse solus ad genua corruit Christi, quum tamen senior esset. *Similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis* in piscando, circumdedit stupor. Conformiter omnem hominem stupor merito implet, quando subtiliter pensat a paucis Christi Apostolis idiotis totum mundum *Act.* IV, 13. tam celeriter fuisse conversum ad tam incomprehensibilem fidem ac arduissimam legem, quod omni pene miraculo mirabilius reputatur : in quo et facta olim miracula, tanquam in suo effectu satis relucent. Unde nec opus est ea sæpius iterari, quanquam Deus ex sua misericordia infinita frequenter iteravit ea, ad excitandam hominum tarditatem, qui præterita non advertunt, nec inchoationem ac processum Ecclesiæ sagaciter intuentur, atque ad confutandam hæreticorum infideliumque animorum insaniam.

Et ait ad Simonem Jesus. Quemadmodum enim Christum specialiter honoravit, et humilius ei genua flexit, sic meruit singulariter consolari et honorari a Christo : quoniam cor contritum et humiliatum *Ps.* L, 19. Deus non despicit, sed exhilarat, et confortat. Unde et primo Regum Dominus protestatur : Quicumque glorificaverit me, *I Reg.* II, 30. glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. *Noli timere,* inordinato timore, ex consideratione tuæ fragilitatis et culpæ, ex contemplatione quoque signi hujus et excellentiæ meæ, ut ideo petas me exire a te; sed in consideratione pietatis et gratiæ meæ respira et gaude. Hoc etiam omnibus nobis servandum est. *Ex hoc enim,* hoc est cito post tempus istud, vel post istud piscationis officium ; aut certe, « ex hoc », id est merito hujus obedientiæ tuæ ac reverentiæ mihi exhibitæ, loquendo de merito congrui, non condigni; *homines eris capiens,* hoc est, prædicator et apostolus eris, et prædicationibus, miraculis, orationibus, exemplis et meritis tuis, multos convertes, et intra Ecclesiam colliges, sicut intra sagenam colliguntur detinenturque pisces. Nam et ipsa Ecclesia comparatur sagenæ, Christo *Matth.* XIII, 47. dicente : Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare. Juxta quam similitudinem apud Jeremiam loquitur Deus : *Jer.* XVI, 16. Ecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur eos.

Et subductis ad terram navibus, utpote duabus præfatis naviculis, *relictis omnibus,* id est cunctis qui aderant ibi hominibus, vel omnibus quæ ibi habebant, scilicet navibus et contentis in eis, *secuti sunt eum,* hoc est, per tempus et aliquale spatium ex reverentia Christi iverunt cum eo; postea tamen redierunt ad sua, secundum doctores. Nam alia die post hæc ad apostolatum vocati fuerunt, et ex tunc non A redierunt ad propria. De hoc plenius scripsi super Matthæum et Lucam. *Matth.* IV, 20; *Luc.* V, 11.

Postremo, a Joanne aliquid huic miraculo simile scriptum est, scilicet qualiter *Joann.* XXI, 3 et seq. post Christi resurrectionem, Apostoli isti piscantes tota nocte, nihil ceperunt, sed mane facto, Christo eis dicente, Mittite in dexteram navigii rete, ceperunt mox centum quinquaginta tres magnos pisces; et ibi pro miraculo additur, quod quum tanti essent, non est scissum rete. Hic vero, ad insinuandum aliud miraculum, fertur quod B rete rumpebatur, et naviculæ pene demergebantur, quum tamen pisces non elaberentur. Idcirco per illam piscium captionem de qua scribit Joannes, designatur electorum collectio intra triumphantem Ecclesiam, in qua nulla scissura est, nullum prorsus periculum; per hanc vero, collectio credentium intra Ecclesiam militantem, in qua boni malis miscentur, atque diversa occurrunt pericula, hæreses quoque et schismata.

SERMO SECUNDUS

QUALITER AUDIENDA SIT PRÆDICATIO VERBI DEI.

A*URIS bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.* Eccli. III, 31.

Qualiter Christiani debeant audire prædicationem verbi cœlestis a suis superioribus ac prædicatoribus, ex hodierno evan- *Luc.* V, 1. gelio declaratur. Nam dicit Lucas, quod turbæ irruerunt in Jesum, ut audirent verbum Dei.

Primo igitur debent Christifideles copiose atque concorditer properare ad locum prædicationis : quod est contra eos qui lente accedunt tardeque veniunt, ita quod principium prædicationis non audiunt, nec plenam informationem suscipiunt. Videmus quam copiose ac celeriter pauperes pergunt ad locum in quo aliqua C magna eleemosyna singulis tribuetur, ut integer panis aut nummus : quanto magis universi credentes festinare deberent ad locum prædicationis, quum verbum Dei sit refectio mentis, panis et potus cordis, et vera opulentia animæ, quia confortat ac recreat mentem, virtutibus ditat eam? Hinc in Ecclesiastico dicitur : *Eccli.* XV, 3. Cibabit illum (utpote hominem justum Deus) pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit eum. Præterea, quo anima in æternum victura et summæ Trinitatis ima- D gine decorata, præstantior est vili, immundo mortalique corpore, eo plus festinandum esset ad prædicationis auditionem, quam ad materialium panum susceptionem. Nec solum est festinanter eundum ad publicam A prædicationem, sed etiam ad quemcumque virum devotum, ad salubrem exhortationem et piam instructionem paratum.

Verumtamen multi jam libentius tendunt ad audiendum vanas confabulationes, ad garriendum, ad comessationes et potationes gulosas (quæ omnia sunt venena et mors animarum), quam ad audiendum verbum salutis. De quibus prædixit II *Tim.* IV, 4. Apostolus prima ad Timotheum : A veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tales ergo sciant se esse spi- B ritualiter mortuos, hoc est in peccato mortali damnationisque statu, quia plus diligunt vanitatem quam veritatem, mortem culpæ quam vitam gratiæ, carnalia et terrena quam spiritualia et superna, imo plus quam Deum omnium creatorem. Quod enim quis amplius diligit, de hoc libentius loqui audit, et ad illud magis festinat.

Secundo fideles debent verba prædicationis et salubris exhortationis cum magna aviditate audire, et diligenter advertere, non sicut verba hominis, sed ut verba C *Galat.* I, 11, 12. Dei omnipotentis, quemadmodum ad Galatas tangit Apostolus. Deus namque per os prædicatorum et vicariorum suorum sermocinatur. Audiendo enim verba salutis, discit homo sapientiam veram, in qua salus sua consistit, ita quod sine ea nequit salvari. Hinc in Proverbiis Salomon contestatur : *Prov.* II, 4, 5. Si sapientiam quæsieris quasi pecuniam, et quasi thesaurum effoderis eam, tunc intelliges timorem Dei, et scientiam Dei invenies. Qui ergo veraciter sapientiam appetit salutarem, id est sacræ Scri- D pturæ doctrinam, tam diligenter ac fervide quærat eam, quam diligenter ac fervide quærunt avari pecuniam et thesauros in loco quo sciunt eos esse absconditos. Porro sapientiam quærit, qui verba prædicationis, exhortationis et informationis cum desiderio audit. Auditus namque sensus est disciplinæ, quoniam audiendo, informationem et sapientiæ incrementum accipit homo. Propter quod in Proverbiis iterum habetur : *Ibid.* I, 8. Audi, fili mi, disciplinam patris tui ; itemque, Audiens sapiens, sapientior erit. *Prov.* I, 5. Hinc scriptum est : Audi mandata vitæ; auribus percipe, ut scias viam prudentiæ. *Baruch* III, 9. Via autem prudentiæ est vera discretio, ut in omnibus ordinate nos habeamus. Præterea, quanto sapientia salutaris seu sacræ Scripturæ doctrina pretiosior ac desiderabilior est omni pecunia et thesauro, tanto est utique avidius incessabiliusque quærenda et conservanda. Est autem incomparabiliter pretiosior illis, quemadmodum in Proverbiis legitur : *Prov.* III, 15. Pretiosior est sapientia cunctis opibus ; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Unde et rursus ait Sapiens : Præposui sapientiam regnis et sedibus, et *Sap.* VII, 8. divitias nihil esse duxi in comparatione illius.

Contra hæc agunt qui verba prædicationis, exhortationis et instructionis cum somnolentia et tædio audiunt, imo ex somnolentia non audiunt, et præ tædio non advertunt : quod est signum animæ vitiis mortuæ. Nam sicut corporalem cibum diu abominari, est signum infirmi moriturique corporis ; sic verbum Dei non affectare, sed fugere, est signum languidæ, imo et mortuæ animæ, juxta illud Psalmi : Omnem escam abominata est anima eorum, *Ps.* CVI, 18. et appropinquaverunt usque ad portas mortis. Omnem ergo somnolentiam, torporem et mentis distractionem in prædicatione et exhortatione ac informatione salubri abjiciamus.

Tertio Christiani debent verba prædicationis et salutis memoriter retinere, quoniam magna negligentia est oblivioni hæc tradere, et multa inde mala contingunt, videlicet de peccatis in peccata corruere. Idcirco Propheta loquitur Deo : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. *Ps.* CXVIII, 11. Hinc Moyses ait : Ne obliviscaris verborum Domini Dei tui, et ne excidant de *Deut.* IV, 9. corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Unde in lege Moysis, animalia non ruminantia reputabantur immunda et ad edendum inepta ; *Lev.* XI, 3-7 ; *Deut.* XIV, 6-8. animalia vero ruminantia judicabantur munda et esui apta. Per animalia ruminantia intelliguntur homines diligentes, qui verba Dei quæ audierunt et sciunt, mente revolvunt, memoriter tenent, frequenter considerant, quatenus juxta eadem vivant. Unde de viro justo fertur in *Ps.* i, 2. Psalmo : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. A

Contra hæc agunt quamplurimi qui prædicatione et exhortatione seu informatione audita, mox ad inutilia se effundunt, confabulantur, cachinnant, nec quid prædicatum sit diligenter recogitant, similes animalibus non ruminantibus ac immundis. B Qui autem totum retinere non valet, aliqua saltem retineat, et ea præsertim quæ sibi utiliora sunt pro suorum exstirpatione vitiorum et adeptione virtutum. Hinc S. Joannes Chrysostomus, Constantinopolitanus archiepiscopus, consuevit subditos suos sibi hinc inde obviantes interrogare de iis quæ prædicavit, atque oblitos acriter increpavit : per quod eos induxit ad tenacem ac diligentem prædicationum suarum memoriam.

Quarto credentes debent verba prædicationis ac salutis cum obedientia veloci C *Matth.* iv, 18-22. audire, quemadmodum Petrus, Joannes et Jacobus, Christo hortante, protinus adimplere cœperunt quod eis commisit. Ad hoc equidem ordinatur moralis instructio et prædicatio de pertinentibus ad salutem, ut juxta eas vivamus. Propter quod Jacobus *Jacob.* iv, 17. ait apostolus : Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi ; atque Psalmi- *Ps.* cx, 10. sta : Intellectus bonus omnibus facientibus eum, id est opere adimplentibus quod agendum esse intelligunt. Imo, ut prin- D *II Petr.* ii, 21. ceps Apostolorum testatur, Melius est non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum reverti. Itaque qui superbus est, audita prædicatione contra superbiam, protinus se emendet, de sua elatione pœniteat, confiteri proponat, satisfacere studeat ; et quanto erat superbior, tanto ad profundiorem se donet humilitatem, quia contraria contrariis curantur. Similiter, qui avarus aut luxuriosus est, dum contra vitia quibus sordet, audierit prædicari, statim pœniteat, et sicut de superbo prætactum est agat : quoniam Christus testatur, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes *Luc.* xiii, 3, 5. simul peribitis. Nec admittenda est mora, quia quo in peccatis quis diuturnius jacet, eo difficilius surgit, et tempore infirmitatis sua infirmitate sic premitur, ut per eam ad pœnitendum minus aptus reddatur ; talisque pœnitentia ex timore servili damnationis æternæ plus solet oriri, quam ex amore Dei et zelo virtutum : ideo ad salutem non prodest. Unde periculosissimum ac stolidissimum est differre. Propter quod Ecclesiasticus docet : Non tardes *Eccli.* v, 8, 9. converti ad Dominum, et ne differas de die in diem ; subito enim veniet ira Dei, et in die vindictæ disperdet te.

Verumtamen quidam sunt ita indurati et excæcati, ut ex prædicatione non solum non proficiant, sed et pejores reddantur : quia dum contra vitia quibus fœdantur, audiunt prædicari, irrident aut indignantur. Qui distant longissime a salute, quum Salomon fateatur : Egestas et ignominia ei *Prov.* xiii, 18. qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Semper ergo dociles atque tractabiles simus, quoniam in Ecclesiastico scriptum est : Cor durum *Eccli.* iii, 27, 29. male habebit in novissimo, et cor nequam gravabitur doloribus.

Quinto audienda sunt verba prædicationis cum imitatione Christi perseverante atque finali, ut prædicatione finita, fideles qui adfuerunt, Christum spiritualiter imitentur imitatione stabili et completa. In cujus signum Petrus et socii ejus corpora- *Luc.* v, 11. liter secuti sunt Christum, quum prædicationem ejus audissent. Ita et nos Christum in virtutibus imitemur, quemadmodum ipse hortatur : Qui mihi ministrat, me se- *Joann.* xii, 26. quatur. Discamus ergo a Christo, quia mitis *Matth.* xi, 29. est et humilis corde ; simus timorati, maturi et custoditi in omnibus. In cibo, potu, vestitu, somno et possessionibus rerum sit quilibet moderatus ; futurum Dei judicium et infernale supplicium a nostris nunquam recedat memoriis ; linguam a superfluis et illicitis restringamus eloquiis ; divina semper observemus præcepta A et mandata Ecclesiæ.

Legitur de S. Clemente, qui fuit filius nobilissimi civis Romani, et de imperatoris progenie nati, quod quum Clemens iste adhuc puer erat atque gentilis, avidissimus fuit ad cognoscendum veritatem et animæ rationalis immortalitatem : unde studio philosophiæ ferventer intentus fuit. Quumque Barnabas apostolus Romam venisset, et prædicare cœpisset ibidem fidem Christi, S. Clemens accepit eum in suo hospitio. Et quum B. Barnabas retulisset B Clementi de sapientia, sanctitate atque miraculis Petri apostoli, Clemens valde accendebatur videre et audire Petrum apostolum : unde post modicum tempus, rebus suis dispositis, venit a Roma ad Terram sanctam, et S. Petro invento, fidelissime ac familiarissime ei adhæsit. Sed et S. Petrus specialissime dilexit Clementem, ex quo tam ferventissimus fuit cognoscere veritatem : unde postea cum B. Clemente venit Romam. Quumque beatissimus Petrus ex divina revelatione agnosceret tempus suæ passionis ac mortis instare, convocatis fidelibus, ordinavit S. Clementem suum in papatu successorem. Mortuo igitur S. Petro, Clemens Papa innumerabiles Romanos ac alios per se ipsum et per suos discipulos ad fidem Christi convertit, et multa præclarissima fecit miracula.

SERMO TERTIUS

QUÆNAM SINT TURBÆ, PER PETRI NAVICULAM SPIRITUALITER INTELLECTÆ, QUAS CHRISTUS DOMINUS DOCET.

SEDENS *Jesus in navicula docebat turbas*. C Luc. v, 3.

Per naviculam Petri, quam Christus intravit et in qua sedens docuit plebem, intelligitur universalis Ecclesia militans, id est contra hostes suæ salutis pugnans, atque in hoc sæculo peregrinans, quæ *Matth.* xvi, 18, 19; *Joann.* xxi, 15-17. beatissimo Petro archiapostolo fuit commissa. Quæ Ecclesia quamvis sit magna et navis prægrandis, nihilo minus comparatione triumphantis Ecclesiæ appellatur navicula : triumphans namque Ecclesia, id est tota cœlestis curia, multitudine, dignitate, D perfectione et gloria vehementer excedit militantem Ecclesiam. Secundo, Ecclesia militans dici potest navicula ob suam humilitatem, quoniam sui ipsius reputatione est parva.

Sed quæri potest, cur Ecclesia vocetur navis sive navicula. Et respondendum, quod mundus iste inferior seu præsens sæculum nequam, comparatur turbulentissimo mari, in quo innumerabiles demerguntur. Quemadmodum autem per navim transfretant homines aquas maris, ita per Ecclesiam militantem deducuntur homines de hoc sæculo turbulento ad portum salutis æternæ, hoc est ad societatem et gloriam triumphantis Ecclesiæ. Unde, quemadmodum olim tempore diluvii nullus mortem evasit, nisi qui cum Noe fuit *Gen.* vii, 7 et seq. ; I *Petr.* iii, 20. in arca; sic modo nemo evadit mortem infernalis miseriæ, nisi qui cum Christo fuerit in Ecclesia per fidem et caritatem. Si ergo volumus perpetuæ damnationis pericula secure evadere, oportet ut simus membra Christi filiique Ecclesiæ, ut non solum per fidem, sed et per caritatem Christo jungamur, atque Ecclesiæ incorporemur : et hoc esse non potest, nisi omne mortale vitemus peccatum, virtutibus quoque decoremur, quæ contrariantur peccatis. Oportet ergo ut veraciter humiles simus, vere mansueti, devoti, patientes, casti, sobrii, caritativi, omnem detestantes A ac repellentes superbiam, omnem iram, impatientiam et rancorem, omnem avaritiam, gulam, luxuriam atque acediam, omnem transgressionem præceptorum Dei et Ecclesiæ seu prælatorum. Unde quotiescumque quis mortaliter peccat, toties in præfato mergitur mari; et si ante fuit in caritate, peccando mortaliter, Ecclesiæ navim elabitur, atque in rete cadit diaboli.

Quoniam itaque defectuosi valde et ineffabiliter fragiles sumus, hinc post prædictum naufragium navi alia indigemus, B per quam de vitiorum profundo trahamur, et ad sinum Ecclesiæ reducamur. Hinc secundo per navim Petri designatur pœnitentia, per quam ex vitiorum fluctibus enatamus, et Christo atque Ecclesiæ denuo incorporamur, sicque in statu salutis reponimur et in portu fiduciæ. Et quia humanum est frequenter cadere et iterum surgere, divina pietas misericordissime ordinavit quod sacramentum Pœnitentiæ jugiter iterari potest quamdiu durat hæc vita, quæ non est nisi via ad vitam futu- C ram. Quotiescumque ergo de mortali peccato conscius tibi es, non differas pœnitere et de Dei offensa summe dolere; ruinam tuam deplora, quod de membro Christi filioque Ecclesiæ, factus es membrum, filius ac minister diaboli, eo quod summo et incommutabili bono, Deo vivo et vero, præposuisti ista carnalia et caduca, contra Dei præceptum talibus adhærendo. Verumtamen non desperes, sed veniam postula, confiteri festina, satisfacere cura; noli in statu damnationis jacere, et in peccatis D coram Deo fœtere, a Creatore tuo esse aversus, et diabolo per impiam voluntatem esse conjunctus.

Tertio per navim intelligi potest crux Christi, quia per illam Christus eduxit suos electos de hoc sæculo nequam, de fluctibus vitiorum, de limbo inferni seu
Joann. XII, 32. patrum, quemadmodum dixit : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me
Zach. IX, 11. ipsum. Et Zacharias dicit Christo : Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Denique omnes veraciter christiani conjungendo se per fidem et caritatem cruci Christi, hoc est dominicæ passioni, seu Christo propter ipsos crucifixo (juxta illud Apostoli : Christo confixus sum cruci), merito passionis Christi et sanctæ crucis virtute evadunt pericula hujus sæculi nequam, et ad æternæ salutis portum pertingunt. *Galat.* II, 19.

Quarto per navim intelligi potest sancta humilitas, quæ sicut B. Antonio cœlitus dictum est, universos laqueos inimici evadit, et hominem ad alta cœlorum perducit. Similiter, per navim obedientia potest intelligi, quæ compendiosissime ducit ad regnum perpetuum. Postremo, per navim intelligi potest cœnobitica religio, quæ est compendiosissima ac securissima via ad beatitudinem æternalem. Sed et caritas per navim potest intelligi, quia per caritatem Deo unimur, ad patriam gradimur, æternaliterque salvamur; nec aliquid prædictorum potest quempiam absque caritate ad Deum perducere, aut nomen navis rite habere.

In præfatis itaque navibus, hoc est in Ecclesia, in pœnitentia, in dominicæ passionis memoria, in humilitate, obedientia, caritate, perseveremus; et qui religionem intravit, in ea secundum suæ vocationis *Ephes.* IV, 1. exigentiam ambulet digne Deo, ut a Christo in navi sedente instrui mereatur. Christus quippe adhuc in militanti Ecclesia sedet, quia per fidem et caritatem in men- *Ibid.* III, 17. tibus fidelium residet, habitat et quiescit, atque per unctionem internam, per angelicam inspirationem, per prælatorum ac prædicatorum sermocinationem docet credentes, quemadmodum gratiosissime docuit duos adolescentes, de quibus in quarto libro Vitaspatrum sic legitur :

Abbas Macarius dixit : Sedente me in eremo Scythi, venerunt ad me duo juvenes, quorum unus incepit barbam habere, alius nondum, cupientes habitare in eremo. Quos quum vidissem delicate nutritos, dixi ad eos : Non potestis ferre rigorem vitæ ac eremi hujus. Qui constantes manserunt, sperantes in Dei auxilio; et me A eis formam monstrante, ædificaverunt sibi cellulam. Quibus dixi : Facite sportas, et date eas custodibus ecclesiæ, ut pro eis afferant vobis panes. Post hæc recessi ab eis. Ipsi vero vixerunt secundum quod docui eos, et non venerunt ad me per tres annos. Propterea admirabar, rogavique Deum, jejunans per unam hebdomadam, ut ostenderet mihi conversationem eorum. Post hoc ivi ad eos. Quumque pulsassem, salutaverunt me cum silentio; et facta oratione, sedi, et nullus eorum lo- B quebatur mihi; postea manducavimus simul. Et facto vespere, dixerunt ad me : Vadis hinc ? Respondi : Non, sed hic dormiam. Posuerunt ergo mihi mattam in angulo uno, et sibi in alio, posueruntque se ad dormiendum. Ego autem oravi Deum ut ostenderet mihi operationem eorum, statimque apertum est tectum cellæ eorum, et facta est lux in ea quasi dies fuisset; sed ipsi lucem illam non viderunt. Quumque me dormire putarent, ille major tetigit minorem in latus, surrexe- C runtque simul; expandentes quoque manus in cœlum, steterunt cum silentio. Videbam autem dæmones quasi muscas venientes ut sederent super illum juniorem. Vidi etiam angelum Dei habentem in manu igneum gladium, et dæmones expellentem ab illo juniori, sed illi majori non poterant dæmones appropinquare. Circa mane vero reclinaverunt se; et ego feci me quasi evigilatum, et ipsi fecerunt similiter. Et legi duodecim psalmos cum illis; et per unumquemque versum de ore illius majoris exivit flamma ignis, et ascendebat in cœlum; similiter, illo juniore os aperiente, quasi funiculus * igneus egrediebatur de ore ipsius, et pertingebat in cœlum. Discedens deinde ab eis, dixi : Orate pro me. Ipsi vero satisfecerunt mihi tacentes. Et cognovi quod ille major perfectus esset; minorem vero adhuc dæmones impugnabant. Porro post paucos dies dormivit in Domino ille major et senior frater, et post eum tertio die ille junior frater. — Ecce quam vere ait Salvator : Spiritus ubi vult, spirat. Quis *Joann.* III, 8. enim comprehendere queat, quam miraculosa fuerat tota conversatio illorum duorum fratrum in eremo, quos nullus hominum docuit, et tamen in tam brevissimo tempore ad tam angelicam ac perfectam vitam venerunt ?

* *alias* fumiculus

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE UNANIMITATE, PACE ET FRATERNA IN BONO CONCORDIA.

O*MNES unanimes in oratione estote.* D I Petr. III, 8.

Beatissimus apostolici ordinis princeps in compendiosissima hodierna epistola multipliciter ac saluberrime nos informat. Primo, ut unanimes simus, sicut et Christus *Marc.* IX, 49. *Matth.* V, 9. in Evangelio jubet, dicendo : Pacem habete inter vos. Et rursus : Beati (inquit) pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Miseri ergo sunt discordes et contentiosi, quum reputentur servi filiique diaboli, et ab Ecclesia alieni, dicente apostolo Paulo : Si quis videtur contentiosus esse, nos ta- I *Cor.* XI, 16. lem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Et rursus : Non est (inquit) *Ibid.* XIV, 33. Deus dissensionis, sed pacis.

Denique, quamvis Christifideles debeant in omni bono actu esse unanimes, nunc tamen specialiter exhortatur Archiapostolus, ut in oratione exsistant unanimes, quatenus concorditer exorando, gratiam conservandi unanimitatem, caritatem aliasque virtutes adipiscantur a Deo. Specialiter quoque unanimiter debemus orare, quia omnes veraciter christiani, sunt unus exercitus Dei, jugiter prælians contra aciem vitiorum et impugnationes diaboli. Quum ergo eosdem adversarios, et adversarios valde fortes, atrocissimos ac callidissimos, habeamus, et eadem nobis instent pericula, et pericula prorsus gravissima, utpote amittendi gratiam in præsenti et gloriam in futuro, ac incidendi damnationem æternam, omnino nobis incumbit necessariumque consistit ut in oratione unanimes simus, auxilium Dei et ejus defensionem ac salutarem postulantes triumphum : quemadmodum in libris Regum et Paralipomenon, ac Machabæorum et Judith, multoties legitur, quod filii Israel contra adversarios pugnaturi, Deum ferventer, instanter, unanimiter invocabant, non verbis dumtaxat, sed et jejuniis, abstinentiis, ciliciorum indutionibus et lacrimarum effusionibus, cum omni humiliatione, compunctione et confessione. Si igitur illi contra hostes visibiles pugnaturi, pro temporali morte evadenda ita egerunt, quanto magis veri Israelitæ et milites Christi, quibus incessabile contra invisibiles ac crudelissimos hostes bellum est, Deum indesinenter debent cum omni compunctione, lacrimatione, humiliatione, confessione et corporis castigationibus invocare, quatenus æternæ mortis evadant pericula, et gaudia impetrent sempiterna ?

I Reg. VII ; *II Par.* XX ; *I Mach.* III, 46 et seq. ; IV ; *Judith* IV, 8 et seq. ; IX.

Quum ergo in periculosissimo statu simus et mutua ope indigeamus, oremus pro invicem. Nec unus impediat alterum, nullus nostrum adjutor sit dæmonum, fratrem suum perturbando, gravando, aut quovis modo scandalizando, seu aliquo modo ad culpam in verbis aut factis trahendo ; sed quæ pacis sunt, sectemur, et quæ *Rom.* XIV, 19. ædificationis sunt, in invicem custodiamus. Unusquisque exemplariter conversando, ferventer agendo, irreprehensibiliter incedendo, ædificet et inflammet suos confratres. Opportunis quoque temporibus exhortemur nos invicem verbis sacris ad prælium spirituale, ad unanimitatem, ad mutuam opem, ad omnem virtutem, juxta illud Apostoli : Adhortamini vos ipsos per *Hebr.* III, 13. singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

Denique, sicut caritas, ita et filia ejus ac germen, vera unanimitas, cunctis fidelibus summe necessaria perhibetur. Propter quod affectuosissime monet Apostolus : Si qua consolatio in Christo, si quod *Philipp.* II, 1, 2. solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes. Unanimitas autem idem est quod concordia, utpote diversorum animorum in idem consensus. De quo Leo Papa : Gratia (inquit) Patris cœlestis, non dissimiles, non discordes, sed unum sentientes unumque amantes adoptavit in filios et heredes ; ad unam reformatos imaginem oportet animum habere conformem. Hæc sancta concordia inter præcipua computatur bona a sapiente quodam, qui fatetur : In tribus bene- *Eccli.* XXV, 1, 2. placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. Imo, ut sanctus ait Bernardus, non est in terris expressior angelicæ conversationis similitudo, quam unitas et concordia vitæ socialis, præsertim in cœnobiis. Ideo semper solliciti simus *Ephes.* IV, 3. servare unitatem et concordiam spiritus in vinculo pacis. Quod quam summe ac singulariter necessarium sit religiosis, sanctus pandit Hieronymus in Regula sua, loquens : Nulla pro certo vita deterior, quam simul degere corpore et non mente ; et vere infelices sunt quibus inest, non una, sed diversa voluntas. Sit itaque vobis semper unus affectus, una fraternitas, una voluntas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia, ne quod placet uni, displiceat alteri, et quo gaudet unus, alter tristetur : sicque habere poteritis religio- *Ps.* LXVII, 7. nis propositum, si in domo Domini habitetis unanimes.

Verumtamen est quædam concordia mala, et unanimitas vitiosa eorum qui confœderantur in rebus illicitis, quemadmodum quidam, ex carnali affectu aut commodi temporalis intuitu, aut ex communi quem contra aliquem conceperunt rancore, in *Act.* XXIII, 6 et seq. pravis concordant : sicut Pharisæi et Sadducæi apostolum Paulum unanimiter impugnabant ; quorum concordiam detestandam subtiliter sanctus dissolvit Apostolus, bonam inter eos discordiam seminando. Itaque nulli in rebus illicitis consentiamus, nec quispiam partialitatem in Christi congregatione inducat, aut aliquem sibi fraudulenter alliciat, nec errantem seu contendentem defendat amicum, nec foveat male discordem ; sed simus vere concordes in notitia veritatis, in bonitatis et virtutum amore, in verbis et confessionibus oris, Deique laudibus, et observantiis regularibus, cunctisque sanctis operibus. Propter quod ardentissime beatus oravit *Rom.* XV, 5, 6. Apostolus : Deus patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere, secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum. Hæc felix concordia in cantu et psalmodia, ac ceteris exercitiis virtuosis, caritatem valde fovet, conservat, auget ac perficit : nam sicut ex caritate emanat, sic eam alit ac roborat. Imo quælibet virtus per proprias actiones conservatur atque perficitur : idcirco in exercitiis humilitatis, patientiæ, mansuetudinis et aliarum virtutum nos ipsos assidue actuemus.

Præterea, quæritur circa prætacta, an discordia et dissensio sint peccata mortalia. Et videtur ex præinductis quod imo, præsertim quum dissensionem inter peccata mortalia Apostolus numeret. Ad hoc Thomas in secunda secundæ respondet : q. XXXVII, a. 1. Concordia est actus caritatis qui diversorum corda in unum conjungit : primo et maxime in bonum divinum, quia in Deo A eos connectit, et summo ac incommutabili bono adhærere facit eosdem ; secundario autem in bonum proximorum, ut scilicet velint quæ proximis spiritualiter prosint. Quum ergo concordiæ opponitur discordia, constat eam esse peccatum. Dupliciter autem concordia per discordiam tollitur. Primo directe et per se, dum quis scienter et ex intentione discordat ab alio in bono divino vel fraterno, puta in spiritualibus rebus et actibus ad Dei honorem et cultum, seu proximorum profectum sive sa- B lutem, spectantibus, in quibus cum aliis concordare deberet : et hoc ex suo genere est peccatum mortale, quum sit caritati contrarium. Secundo per accidens, ut quando aliqui in principali bono consentiunt, sed in aliquibus quæ sunt circa illud dissentiunt, quia uni istud melius veriusve videtur, alteri istud : et ista discordia est præter intentionem, nec est peccatum, nec caritati opponitur, nisi sit cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, vel aliquis pertinaciter propriæ æstimationi C adhæreat. Hinc dissensio seu discordia *Act.* XV, 39. inter Paulum et Barnabam orta, non fuit peccatum, quia erat per accidens, nec fuit circa ea quæ sunt de necessitate salutis.

Ecce hic S. Thomas apertissime asserit, quod scienter et ex proposito discordare ab alio in bono divino, in quo cum illo concordare deberet, sit ex suo genere culpa mortalis. Hoc advertant ac metuant, seque emendent, qui in psalmodia aut divino obsequio dissonanter et discorditer habent se ex proposito et scienter, imo ex D passione et aversione, sive ut alium gravent, et suam in hoc mitigent iram ac ulciscantur injuriam in loco, actu et tempore, ubi et quando potissimum omni caritati, devotioni, ædificationi et unanimitati studendum est : ex quibus omnibus eorum excessus non mediocriter aggravatur.

Præterea, sicut discordia contrarietatem importat in interioribus actibus et motibus voluntatis, ita contentio in locutionibus. Contrarietas autem loquentis, uno modo pensatur ex intentione loquentis seu contendentis, secundo ex modo loquendi. A Quantum ad primum, considerandum est an quis resistat veritati an potius falsitati; quantum ad secundum, pensandum est an talis modus loquendi seu contrariandi, negotiis et personis conveniat. Contentio itaque quæ est impugnatio veritatis cum inordinato modo loquendi, est mortale peccatum. Sicque accipit eam Ambrosius : Contentio, inquiens, est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Porro contentio quæ est impugnatio falsitatis cum acrimonia moderata, est laudabilis. Quod B si modus excedatur, erit veniale peccatum, nisi in tantum excedatur quod alii graviter scandalizentur. Propter quod dixit Apostolus : Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. *II Tim.* II, 14. Contentio autem quæ non est cum intentione impugnandi veritatem, sed qua quis defendit quod sibi verum apparet aut justum, non est perfecta contentio nec mortale peccatum. Sumendo ergo contentionem secundum suam perfectam rationem qua est mortale peccatum, ille contendit in judicio qui veritatem impugnat justitiæ. Ex quo constat, quam enormiter peccent religiosi qui in capitulo suam defendunt offensam seu culpam, et cum præsidente contendunt; quum etiam et si vere innocentes consisterent, non nisi modeste deberent se excusare, scientes quod in multis offendimus omnes. *Jacob.* III, 2.

Postremo, discordia atque contentio, in quantum sunt vitia, ex superbia aut inani gloria oriuntur, dum quis proprio sensui aut voluntati immoderate innititur, pertinaciterque adhæret. Hinc inter superbos et ambitiosos semper sunt jurgia et frequentes discordiæ; *Prov.* XIII, 10. inter humiles vero, mansuetos et caritativos invenitur concordia.

SERMO QUINTUS

DE CARITATE ET COMPASSIONE FRATERNA, ALIISQUE VIRTUTIBUS QUÆ MAXIME COENOBITAM DECENT.

E*STOTE compatientes, fraternitatis* C *amatores, misericordes, modesti et humiles.* I Petr. III, 8.

Quoniam divina lege invariabiliter est sancitum ut sicut se habet homo ad proximos suos, ita se Deus ad hominem habeat, hinc frequentissime ac seriosissime sacra hortatur Scriptura, ut simus non solum Deo devoti ac subditi, sed proximis quoque caritativi, pii et subvenientes. Idcirco in præsentis dominicæ epistola, gloriosissimus princeps Apostolorum hortatur nos primo ut simus « compatientes ». Om- D nibus ergo afflictis, tentatis, captivis et lapsis pie condoleamus, maxime in peccata collapsis, quum malum culpæ sit incomparabiliter deterius malo pœnæ. Ideo Paulus hortatur : Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. *I Thess.* V, 14. In Ecclesiastico quoque docetur : Non desis plorantibus in consolatione; et non te pigeat visitare infirmum. *Eccli.* VII, 38, 39. Itaque fratres nostros corporaliter spiritualiterve infirmos pie et compassive portemus; et si quempiam tentatum aut discordantem viderimus, ad ejus relevamen ac pacificationem fideliter laboremus, Deum orando et ipsum hortando, seu alio modo. Contra hæc agunt quidam prorsus pusilli ac nimium imperfecti, qui quum personaliter onerosi sint et portari indigeant, pieque tolerentur, alios tamen portare non volunt : imo si quid gratiæ alicui impendatur, aut sufferatur, seu omnia instar aliorum non egerit, protinus indignantur, detrahunt, judicant, conqueruntur. Isti sunt indiscreti, ingrati, immisericordes, et pietate quæ eis exhibetur indigni : ideo se emendare non differant.

Insuper docet princeps Apostolorum, ut simus « fraternitatis amatores », id est fratrum nostrorum et communionis eorum dilectores. Propterea bonum commune ac generale, omnium mutuam sanctam dilectionem, pacem atque concordiam semper cordialissime appetamus, et pro viribus procuremus, orando, monendo, pacificando et amabiliter conversando. Sed hujus oppositum agunt perversi, qui sunt membra satellitesque diaboli, qui inter fratres discordiam seminant, magisque gloriantur si inter quosdam ad quos non satis sincere afficiuntur, viderint dissensionem et aversionem, quam pacem, consensum ac dulcem caritatis affectum.

I *Petr.* III, 8.
Prov. VI, 19.

Amplius, juxta Archiapostoli documenta, simus « misericordes », non crudeles. Viscera enim impiorum crudelia; et non est sensus ubi abundat amaritudo. Beati autem misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Actibus ergo totius pietatis simus pro posse semper intenti, et pro communi bono Ecclesiæ, pro universis peccato oppressis, pro vivis ac mortuis ferventissime intercedere non cessemus, præcipue pro propinquis, commissis et benefactoribus.

I *Petr.* III, 8.
Prov. XII, 10.
Eccli. XXI, 15.
Matth. V, 7.

Simus quoque « modesti » in omnibus, ut sanctus hortatur Isidorus doctor et episcopus : Sit in gestu tuo gravitas, in motu simplicitas, in incessu honestas; nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nil petulantiæ aut insolentiæ vel levitatis in incessu tuo appareat. Denique gestus hominis, maxime religiosi, in omni actu sit gratiosus absque mollitie, et quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, et maturus sine protervitate ac turbulentia, ut Hugo de S. Victore disseruit. Qui iterum ait : Temperanda est facies et modificanda in gestu suo, ut nec proterve exasperetur, nec molliter dissolvatur, sed semper habeat dulcedinem rigidam et dulcem rigorem. Itaque in motu et incessu, in verbo, vestitu omnique gestu moderamen servemus, ut sic, juxta Apostolum, modestia nostra nota sit omnibus. Unde et Augustinus : In omnibus (inquit) motibus vestris nil fiat quod cujusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Dispositio namque mentis in corporis apparatu relucet, ita quod quædam vox animi est corporis motus. Hinc exterior levitas, discursus, curiositas atque loquacitas, interioris instabilitatis, levitatis, curiositatis et dissolutionis sunt indicia. Propter quod in Ecclesiastico fertur : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, annuntiant de illo. Hinc quoque Salomon loquitur : Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus (quia videlicet per exteriora, interiora cognoscunt).

I *Petr.* III, 8.
Philipp. IV, 5.
Eccli. XIX, 26, 27.
Prov. XXVII, 19.

Quum ergo hæc ita se habeant, quid est quod nos religiosi sacerdotesque Domini, nos viri barbati et in religione antiqui, sumus tam dissoluti in moribus, tam immoderati in verbis, tam pueriles in risibus, tam præcipites in eundo, ita ut sæpius instar picarum currere videamur et prosilire? Non solum in loco colloquii et inter nos, sed et interdum in divinis et coram extraneis taliter nos habemus, Deum inhonorantes, proximos scandalizantes, nec solum confundentes nos ipsos, sed et sanctæ religioni ac sacris ordinibus derogantes. Et dici potest de nobis : Homo quum in honore esset, non intellexit. Quid ergo incumbit nobis, nisi vel emendatio magna, aut pœna intoleranda ?

Ps. XLVIII, 13, 21.

Denique, ultra prætacta Archiapostolus jubet ut « humiles » simus. Quamvis enim, teste Scriptura, coram Deo et hominibus odibilis sit superbia, in nullo tamen genere hominum tam detestanda ac monstruosa, tam fœda et odienda exstat superbia sicut in religiosis, quos oportet esse mor-

I *Petr.* III, 8.
Eccli. X, 7.

tuos mundo atque in omnibus resignatos, A nec aliquid sæculi hujus appetere, sed subjectione et abjectione gaudere : quod et eorum prætendit habitus atque professio. Ideo elatus monachus est monstrum turpissimum coram Deo ; humilitas autem facit religiosum Deo et suis confratribus valde amabilem, et ad omnem disponit profectum.

Amplius, ad perfectam patientiam summus Apostolus nos hortatur, in tantum ut *I Petr.* III, 9. nulli malum pro malo reddamus, nec maledictum pro maledicto, sed maledicenti- B bus benedicamus : quia in hoc vocati sumus potissimum nos religiosi, ut tali ac tanta patientia benedictionem Dei hereditemus, et æternaliter possideamus. Oportet etenim ut religiosus in omnibus frangat, vincat, abneget, vitaliterque mortificet semetipsum, propriam voluntatem, appetitum naturæ, desideria culpæ ; subsannationes quoque, injurias, derisiones, tribulationes, exercitationes, quasi aquam dulcifluam bibat, atque in talibus quasi *Jacob.* I, 2. in omnibus divitiis glorietur, omne repu- C tans gaudium quum in varias tentationes inciderit, ut Christi sectetur vestigia, et *I Petr.* II, 21. suo Domino pro se multa passo aliqualiter conformetur.

Subinde, in hodierna epistola introducit *Ps.* XXXIII, 14. primus et summus Apostolus verba Psalmistæ, ad demonstrandum quam necessa- *Ps.* CXXXIX, 12. ria ad salutem sit refrenatio linguæ. Vir enim linguosus non dirigetur in terra ; et *Eccli.* XX, 8. qui multis utitur verbis, lædit animam su- *Prov.* X, 19. am. Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est, sicut de hoc multa sunt D in præcedentibus sermonibus allegata.

Præterea in ista epistola tangitur ratio cur propter adversitates et persecutiones non debeamus ab actibus bonis cessare, quum dicitur : Quis est qui vobis noceat, *I Petr.* III, 13. si boni, id est virtutis, seu Christi essentialiter boni secundum quod Deus est, æmulatores, id est amatores ac imitatores, fueritis ? quasi dicat, Nullus : quia etsi iniqui persequantur ac spolient atque interimant justos, totum hoc ineffabiliter prodest eis, et ad copiosissimam eis cooperatur salutem, dummodo æquanimiter ferant. Unde S. Petrus subjungit : Si quid *Ibid.* 14. patimini propter justitiam, beati eritis. Et Christus : Beati (inquit) estis quum *Matth.* V, 11, 12. maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint; gaudete in illa hora, quia merces vestra copiosa est in cœlo. Sunt autem quædam bona hominis vere et absolute, quæ ei invito auferri non queunt, ut sunt spirituales divitiæ, gratia et virtutes, ac dona et fructus Spiritus Sancti, ac merita sua. Cetera sunt quæ ei etiam non volenti possunt auferri, quæ non sunt bona ejus nisi secundum quid. Itaque, si quis Frater devotus et vere religiosus ac speciali gratia decoratus, propter zelum suæ justitiæ et propter opera virtuosa videat se contemni, gravari, aut a quibuslibet promotiunculis ad officia impediri, non frangatur, nec contristetur, nec cesset a bonis, sed Deo regratietur, qui quosdam a se valde electos atque dilectos non permittit exterioribus implicari neque ad prælationes perduci, sed potius in abscondito *Ps.* XXX, 21. vultus sui sibi soli vacare, et spiritualibus ac divinis, nocte ac die, pura, fixa, amorosa ac libera mente intendere.

SERMO SEXTUS

QUAM FELICITER IRRUANT IN JESUM BONI RELIGIOSI, QUAM FELICISSIME AUTEM ATQUE DELICIOSISSIME VERI CONTEMPLATIVI.

QUUM *turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei,* etc. Luc. v, 1. A

Exemplo turbæ istius docemur, quam avide et ferventer debeamus verbum Dei audire. Irruamus ergo et nos in Jesum, ut audiamus verbum Dei. Sed quum Dominus Jesus ad dexteram sedeat Dei Patris *Marc.* xvi, 19; *Ephes.* i, 20. et in throno gloriæ ejus, quomodo poterimus nos vermiculi in terra repentes, in ipsum irruere? Verum ad hoc faciliter respondetur. *Act.* xvii, 27, 28. Non enim est Christus longe ab unoquoque nostrum, quia in ipso (secundum quod Deus est) vivimus, movemur, B et sumus; et sicut æternaliter est, ita ubique est. Qui et veraciter protestatur : *Matth.* xviii, 20. Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Sed quid est in Jesum hoc modo irruere? Et respondendum, quod in Jesum irruere, est ad ipsum ferventer accedere, juxta illud : *Ps.* xxxiii, 6. Accedite ad eum, et illuminamini. Apostolus quoque : *Hebr.* iv, 16. Adeamus (inquit) cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. Porro accessus iste ad incircumscriptibilem et ubique præsentissimum Deum, spiritualis est C et mentalis, non corporalis; sicque ad Christum accedere, est se ad ejus gratiam præparare, ipsius auxilium invocare, ejus gratiosam inhabitationem, allocutionem internam, illuminationem supernam desiderare, ipsum diligere, contemplari et colere, spiritualiterque proficere. De quo salubri secretissimoque accessu ait ad Hebræos sanctus Apostolus : *Ibid.* xii, 22, 23. Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis, et Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et judicem omnium D Deum. Quanto autem prætactos ferventius atque frequentius facimus actus, tanto impetuosius bona impetuositate, hoc est laudabilius ac celerius, in Jesum irruïmus.

Deinceps, in Dominum Jesum Christum salubriter irruit, qui ejus vestigia efficaciter affectuoseque sequitur, qui ejus humilitatem, mansuetudinem, patientiam, paupertatem, constantiam, caritatem sectatur, discens ab ipso quia mitis est et *Matth.* xi, 29. humilis corde, et sciens quod omnes qui *II Tim.* iii, 12. volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur, nec timendi sint qui *Matth.* x, 28. corpus occidunt, sed incomparabiliter sit timendus qui potestatem habet corpus et animam perdere atque projicere in gehennam. Itaque, qui in adversis Christi amore lætatur, qui in omnibus prompte obedit intuitu ejus qui factus est obediens Patri *Philipp.* ii, 8. usque ad mortem, qui sinceriter et ferventer abnegat semetipsum, et crucem *Luc.* ix, 23. suam portat quotidie, qui non solum viam *Ps.* cxviii, 32. mandatorum currit, sed semitam quoque evangelicorum consiliorum volat ac pervolat, in observantiis sanctis fervens, universa quæ Ordinis sunt strenue implens, iste feliciter irruit in Jesum.

Verumtamen adhuc invenitur sublimior atque felicior irruentia quædam in Jesum, de qua fertur in Canticis : Tenui illum, *Cant.* iii, 4. nec dimittam; et rursus, Quis mihi det te *Ibid.* viii, 1, 2. fratrem meum, ut inveniam te foris, et deosculer apprehendamque te? Ipse quippe est Sponsus cœlestis, cujus amore *Ibid.* ii, 5. languet anima sancta viatrix, sitiens ad illum quemadmodum desiderat cervus ad *Ps.* xli, 2. fontes aquarum. Hæc ergo sublimior in Jesum irruentia, est amorosus ipsius amplexus, osculumque occultum, dum anima Deitatis amore succensa, levat se super se, *Thren.* iii, 28.

et summæ lucis primæque veritatis contemplationi infigitur, A tamque profunde, amorose ac limpide incomprehensibilem contemplatur, miratur, et ei unitur, imo immergitur, quod in divitias gloriæ ejus interminabiles rapitur, et in infinitæ beatitudinis abyssum demergitur, atque in increatæ majestatis immensitatem saluberrime absorbetur. Et tunc amore devicta, pudoris oblita, eum qui essentialiter et vere interminabiliter bonus, pulcher, dulcis ac sapiens est, brachiis amplectitur caritatis, ac totis deosculatur præcordiis. B Tuncque veraciter audit, plane intelligit, *Ps.* LXXXIV, 9. sine difficultate advertit, quid loquatur in ea Dominus Deus Jesus Christus sponsus cœlestis, qui tunc instruit eam secretius, et verba arcana loquitur ei, consolaturque eam, et multa ei revelat.

His igitur modis gradatim accedamus et irruamus in Jesum. Et quia nemo repente fit perfectus et summus, sed paulatim proficitur, accedamus et irruamus in Christum : primo, per suæ humanitatis speculationem, per suæ obedientiæ, caritatis C et patientiæ, humilitatis, paupertatis, constantiæ ac mansuetudinis assiduam considerationem, ardentem, indefessam et stabilem imitationem; deinde, per suorum beneficiorum ac promissorum attentionem, præsertim per suæ dignissimæ incarnationis ac passionis intuitionem, cruciformemque assecutionem; deinceps, per suæ puræ et infinitæ bonitatis, æternæ ac supersplendidissimæ veritatis ferventissimam contemplationem sincerissimumque amorem; et postremo, per osculum cœliforme atque amplexum internum supernaturalem prætactum.

Denique, sic irruamus in Jesum, ut audiamus Verbum Dei, videlicet ipsummet, de quo ait Evangelista : In principio erat *Joann.* I, 1. Verbum. Unde fatetur Propheta : Audiam *Ps.* LXXXIV, 9. quid loquatur in me Dominus Deus; itemque, Beatus homo quem tu erudieris, Do- *Ps.* XCIII, 12. mine. Qui enim ab istis transitoriis et terrenis se abstrahit, et ab omni carnali, sensuali, privato amore se purgat, seque intus et extra custodit, ut Deo sincerius queat vacare ac ejus succendi amore : is utique audit frequenter Deum sibi intus loquentem et sua unctione se instruentem, I *Joann.* II, 27. et divino acquiescit instinctui atque angelicæ inspirationi. Cum tali equidem homine est sermocinatio Dei, et in eo quasi *Prov.* III, 32. in thalamo requiescit, et loquitur ad cor *Osee* II, 14. ejus.

Præterea, audiamus Dominum Salvatorem nobis in Scripturis incessanter loquentem, per suos quoque vicarios superiores nostros nos admonentem et corripientem, seu per fratres nostros salubriter nos affantem ; et obedientes simus in omnibus istis, ut cum omni diligentia et reverentia opus Dei agamus, vocatione hac digne conversari conemur, in cunctis virtutibus quotidianum sortiamur profectum, ut simus coram Deo quotidie magis ac magis solliciti, custoditi et timorati, atque in verbis et factis amplius ordinati, et omni die magis perfecti, imperturbabiles, stabiliti. Ad laudem et gloriam Dei.

DOMINICA VI POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

QUICUMQUE BAPTIZATI SUMUS IN CHRISTO JESU, IN MORTE IPSIUS BAPTIZATI SUMUS.
Rom. vi, 3-11.

HORTATUR nos sanctus apostolus Paulus in præsenti epistola ad vitiorum devitationem, spiritualemque innovationem, atque virtuosorum operum continuationem usque in finem. Et ad hoc inducit primo hanc rationem, quoniam in Baptismo purgati sumus ab omni peccato : ergo de cetero decet nos a vitiis abstinere. Itaque ait : *Quicumque baptizati sumus,* id est a vitiis emundati ac loti in fonte Baptismi, *in Christo Jesu,* in institutione, fide et operatione Christi, hoc est secundum quod ipse instituit ac præcepit, dicens : *Matth.* xxviii, 19. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Christus quoque fidem Trinitatis edocuit et intus infudit. Ipse quoque principaliter baptizat, quia ut Deus intus purgat a culpa gratiamque largitur, atque ab ejus passione Baptismus ac alia sacramenta efficaciam suam sortita sunt. Idcirco ad Joannem *Joann.* i, 33. Baptistam Deus ait de Christo : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Sacerdos vero ministerialiter est baptizans. *In morte ipsius,* id est virtute ac merito suæ passionis et mortis, *baptizati sumus.* Vel, « in morte ipsius », hoc est in similitudine mortis Christi, « baptizati sumus », quatenus, sicut Christus semel mortuus est carne, et semper vivit spiritu, sic nos per Baptismum semel mortui omni iniquitati, deinceps A semper vivamus justitiæ. Trina namque immersio baptizati in aqua, designat triduum sepulturæ seu mortis Christi ; elevatio autem ex aqua, resurrectionem Christi significat. Hinc secundæ expositioni consonat littera sequens. Declarans namque qualiter in morte Christi baptizati dicamur, adjecit :

Consepulti enim sumus cum illo, id est, Christo sepulto assimilati sumus, *per Baptismum,* id est in Baptismo : nam mersio baptizati in aqua, significat sepelitionem B Christi sub terra ; *in mortem* peccati seu vitæ prioris, quæ fuit iniqua, id est ad hoc ut moriamur peccato. *Ut quomodo Christus surrexit a mortuis,* id est a loco atque consortio mortuorum, *per gloriam,* id est gloriosam omnipotentiam, *Patris :* quia divina, non humana virtute, surrexit. Vel, « per gloriam Patris », id est per Verbum æternum carni unitum, quod est gloria Patris, quemadmodum scriptum est : Gloria patris, filius sapiens. *Prov.* x, 1. Isaias quoque de hac gloria seu Filio Patris ait : C Revelabitur gloria Domini, et *Is.* xl, 5. videbit omnis caro Salutare Dei nostri. Nam Christus secundum quod Deus, suscitavit corpus suum, imo se ipsum secundum quod homo est. *Ita et nos in novitate vitæ ambulemus,* hoc est, pristinis vitiis exstirpatis, virtuose vivamus et christiformiter conversemur, sicque renovetur *Ps.* cii, 5. ut aquilæ juventus nostra, et in splendore gratiæ ac virtutum refloreat anima A nostra.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, hoc est, si instar plantæ seu arboris, eradicati fuerimus a prioribus culpis, et firmiter conformati fuerimus similitudini mortis ejus, scilicet Christi, hoc est vestigiis dominicæ passionis, conformando nos passioni Christi in castigatione proprii corporis, et compassione mentis ac mortificatione propriæ voluntatis (sicut princeps Apostolorum hortatur : I *Petr.* II, 21. Christus passus est pro nobis, vobis B relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus ; alibi quoque loquitur Paulus : *Galat.* V, 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis) ; *simul et resurrectionis erimus,* id est, tunc etiam complantabimur seu conformabimur similitudini resurrectionis Christi, *Rom.* VI, 4. ambulando in novitate vitæ, quæ per Christi resurrectionem figuratur. Mors quippe et resurrectio Christi non solum sunt res, sed etiam sacramenta seu signa : ita quod mors Christi significat vitiosæ ac veteris C vitæ exstirpationem ; resurrectio autem Christi, spiritualem mentis renovationem, *Coloss.* III, 1. juxta illud ad Colossenses : Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Si ergo in vitiorum mortificatione in Baptismo collata manserimus, non redeundo ad vitia, tunc resurrectioni Christi similes erimus, cœlestem conversationem habendo in terra.

Hoc scientes quia vetus homo noster. Expositores quos legi, ita exponunt hunc locum : « vetus homo noster », hoc est fo- D mes peccati, *simul crucifixus est,* id est, virtute et merito passionis Christi debilitatus est. Vel, « vetus homo noster », id est conversatio vetus et prava, « simul crucifixus est », hoc est, morte Christi deleta est, quoniam Christus abstulit sua passio- *Ibid.* II, 14. ne peccata mundi, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, ut ad Colossenses plenius scribit Apostolus ; *ut destruatur corpus peccati,* id est congeries *Matth.* VI, 23. vitiorum. De quo corpore ait Salvator : Si fuerit oculus tuus nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. — Verumtamen videtur hic passus aliter et magis consonanter ad litteram sic posse exponi : « vetus homo noster », id est quilibet nostrum secundum suam vitiosam ac veterem conversationem, « simul crucifixus est », hoc est simul cum Christo cruci affixus, per præfigurationem et obligationem. Per hoc namque quod crucifixus est Christus, monstravit quod unusquisque fidelium, si velit salvari, debeat Christum sequi, tollendo crucem suam quotidie, prout ipse Salvator disseruit : Qui vult venire post *Luc.* IX, 23. me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Ad hoc quoque nos obligat crucifixio Christi Domini nostri, quoniam non est servus *Joann.* XIII, 16. major domino suo. Vel, « vetus homo noster », id est quilibet nostrum secundum originale peccatum ab Adam contractum, « simul crucifixus est », id est huic peccato mortificatus, quia in Christi passione liberati sumus ab isto peccato. « Ut destruatur corpus peccati », hoc est, caro nostra multis peccatis fœdata destruatur, non quantum ad esse naturæ, sed culpæ, quemadmodum alibi scribit Apostolus : Mortificate membra vestra quæ sunt super *Coloss.* III, 5. terram. Et Christus testatur : Si oculus *Matth.* XVIII, 9. tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. *Ut ultra non serviamus peccato,* hoc est, non subdamur, nec superemur a vitiis, quia ut apud Joannem habetur, Om- *Joann.* VIII, 34. nis qui facit peccatum, servus est peccati. Et Petrus asserit : Iniqui sunt servi corru- II *Petr.* II, 19. ptionis ; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est.

Qui enim mortuus est peccato, id est a vitiis emundatus ; vel, « qui mortuus est », hoc est configuratus morti Christi, per susceptionem Baptismatis ; *justificatus est a peccato,* hoc est, liber factus est ab eo, nec subjacet vitio. Baptismus equidem liberat a pœna et culpa.

Si autem mortui sumus cum Christo, id est ejus passioni et morti conformati, atque a culpis mundati, *credimus quia* *simul etiam vivemus cum Christo,* quia A in hac vita vivemus in eo per gratiam, et in futuro per gloriam. *Scientes* per fidem certissimam : de qua scientia ait beatus *Job* xix, 25. Job, Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum ; *Joann.* xi, 24. et Martha, Scio quia resurget frater meus in resurrectione in novissimo die ; *quod Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur,* id est, de cetero non morietur : quia ad immortalem ac impassibilem vitam surrexit, quum impassibilitas sit dos corporis glorificati. *Mors illi ultra non* B *dominabitur,* id est, læsionem ei non inferet, nec animam a suo corpore separabit. *Quod enim mortuus est peccato,* id est peccatorum nostrorum demerito, seu propter expianda et auferenda mundi peccata, *Is.* liii, 5. juxta illud Isaiæ, Vulneratus est propter iniquitates nostras, et attritus est propter scelera nostra ; *mortuus est semel,* in die Parasceves. De qua die loquitur Deus apud Zachariam : Auferam iniquitatem terræ illius in die una. *Zach.* iii, 9. Tunc enim Pater per Christi passionem abstulit peccata Ecclesiæ, quæ est terra Christi. *Quod autem vivit* post resurrectionem, *vivit Deo,* hoc est ad gloriam Dei, quia Christus in quantum homo, est et vivit ad honorem et gloriam superbeatissimæ Trinitatis, tanquam servus illius. De quo apud Isaiam loquitur Deus : Ecce servus *Is.* xlii, 1. meus, suscipiam eum.

Ita et vos, o Christifideles, *existimate vos mortuos quidem esse peccato,* hoc est liberatos a vitiis merito Salvatoris, quantum ex parte ipsius est, *viventes autem Deo,* hoc est ad gloriam Dei, agendo quæ ei sunt placita, *in Christo Jesu Domino nostro,* id est per meritum et gratiam ejus, et permanendo in eo, tanquam in mediatore, salvatore et capite. Ipse namque protestatur : Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet. *Joann.* xv, 6.

SERMO PRIMUS

QUALITER VITA CHRISTI EST EXEMPLAR VITÆ CHRISTIANORUM.

N*EMO venit ad Patrem, nisi per me.* C Joann. xiv, 6.

Ista sunt verba Christi in sermone quem post Cœnam novissimam fecit Apostolis. In quibus docet Salvator, quod nemo possit Deo Patri uniri, nisi in Christum credendo, et ejus virtutes sectando. Idcirco, secundum Augustinum, vita Christi exemplar est conversationis omnium Christianorum.

Ad hoc enim quod aliquis Deo complaceat justeque conversetur, primo requiritur conceptio boni propositi, juxta illud *Is.* xxvi, 17.18. juxta LXX. Isaiæ : A facie tua, Domine, concepimus D spiritum salutis. Unde in Proverbiis Salomon profitetur : *Prov.* xvi, 1. Hominis est animum præparare, id est se ipsum ad bona disponere, concipiendo bonum propositum. Et Augustinus affirmat : Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te, id est absque tua cooperatione ; quia debet homo facere quod in se est. Propter quod per Zachariam Dominus ait : Convertimini ad me, et *Zach.* i, 3. convertar ad vos. Ab hoc proposito longe sunt qui adhuc permanent in affectu peccandi. Sed quidam sunt qui post aliquod tempus se emendare proponunt, et interim in suis fœditatibus jacent : quorum stultitia magna est, quod tantis periculis se exponunt in differendo, quum dicat Salvator, Vigilate, quia nescitis diem neque horam : *Matth.* xxv, 13. interim quoque tot bona omittunt, et Creatori suo ita ingrati sunt. Hæc propositi boni conceptio designatur per Christi conceptionem purissimam de Spiritu Sancto.

Secundo, ad bonam conversationem exigitur spiritualis regeneratio, juxta illud : *Joann.* III, 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. In qua regeneratione homo moritur sibi ipsi et vanitati, et incipit vivere Deo per gratiam et virtutes, quæ in Baptismate conferuntur. Hæc regeneratio designatur per Christi nativitatem sanctissimam.

Tertio, requiritur operum bonorum continuatio, et spiritualis profectus virtutum, quoniam sola perseverantia coronatur, et in virtutibus non proficere est deficere. Hæc continuatio designatur per virtuosissimam Christi conversationem in sæculo isto. Oportet itaque Christi humilitatem, patientiam, caritatem, ceterasque virtutes stabiliter imitari, et in eis proficere, ut in bonis operibus efficiamur quotidie promptiores, diligentiores ac ferventiores. Sed hujus contrarium agunt multi qui in principio suæ conversionis seu alicujus bonæ exercitationis ferventes sunt, sed paulatim tepescunt; et quanto aliqua opera bona agunt frequentius, tanto hæc agunt remissius. De quibus ait Apostolus ad Galatas, *Galat.* III, 3. quod quum spiritu cœperint, carne consummantur. Unde bona quæ faciunt ex quadam arida consuetudine, faciunt sine gustu et absque custodia mentis atque fervore. Sic vadunt ad Missam, et corde vago ac indevoto stant coram Altissimo : quod valde damnabile esse constat ex eo quod *Jer.* XLVIII, 10. Jeremias testatur, Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Isti advertant quod *Apoc.* II, 4, 5. Christus ait ad quemdam : Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age : alioqui veniam tibi *Ibid.* III, 15, 16. cito. Itemque : Scio opera tua, quia nec calidus es, nec frigidus ; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Unde qui est in statu salutis, puta in caritate et gratia, nisi fuerit corde custoditus et timoratus jugiter coram Deo, cito cadit et vin- *Eccli.* XXVII, 4. citur. Propter quod ait Scriptura : Si non in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est mens tua. A Apostolus quoque : Cum metu (inquit), timore *Philipp.* II, 12. et tremore vestram salutem operamini.

Quarto, exigitur pugnatio contra aciem vitiorum tentamentaque dæmonum, quia ut dicitur in Job, Militia est vita hominis *Job* VII, 1. super terram, id est continua pugna contra invisibiles hostes humanæ salutis, et contra vanitates mundi ac desideria carnis. Contra quæ omnia nisi prævaluerit homo, peribit, dicente Apostolo ad Timotheum : Non coronatur nisi qui legitime II *Tim.* II, 5. certaverit. Et Propheta hortatur : Viriliter *Ps.* XXX, 25. B agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Ista pugnatio designatur per Christi tribulationem quam a Judæis diu ac frequenter sustinuit : quia verbis et factis persequebantur eum, jam conando ut eum præcipitarent, jam ut la- *Luc.* IV, 29. *Joann.* X, 31. pidarent; et contumeliosissima verba dixerunt ad eum, videlicet : Insanit, dæmo- *Ibid.* 20. nium habet ; In principe dæmoniorum *Matth.* IX, 34. ejicit dæmonia ; Homo vorax, potator vi- *Ibid.* XI, 19. ni. Contra quæ omnia Christus per suam insuperabilem patientiam pugnavit atque C prævaluit. Potest quoque pugnatio ista designari per tentationem Christi in deserto, in templi pinnaculo, in monte excelso.

Quinto, requiritur labor pœnitentiæ post ruinam, et remedium. Estque necesse ut juxta magnitudinem multitudinemque excessuum sit magnitudo contritionis internæ et pœnitentiæ : graviora quippe delicta gravius sunt delenda ; nec sufficit labiis dicere, Peccavi, sed cordialiter dolere opor- II *Reg.* XII, 13. tet, et proportionabiliter ac condigne. Et periculosum est pœnitentiam istam dif- D ferre, quia ut scribit Gregorius, Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud. Sicque perducitur homo ad consuetudinem pravam, quæ tanquam lapis gravissimus deprimit mentem ejus, et a vera pœnitentia impedit eum, ita quod vix aut difficulter resurgit. Hic labor designatur per Christi acerbissimam passionem.

Sexto, requiritur recollectio mentis ad Deum, per cessationem ab occupationibus exterioribus. Oportet enim sæpe mentem ad Deum levare, et coram eo conscientiam A examinare, atque de pertinentibus ad salutem meditari, de brevitate et incertitudine vitæ præsentis, de rigore divini judicii, de beneficiis Christi, de inferni tormentis, de supernorum civium felicitate ac gaudiis. Ista recollectio designatur per Christi requiem in sepulcro.

Septimo, oportet sæpe gratiarum charismatibus innovari, et in sacratioribus diebus speciali devotione ornari, atque cum ampliori mentis alacritate ac puritate Deo vacare ac ministrare, ejusque laudi- B bus ac orationibus et exercitiis virtuosis insistere : sicut in festis præcipuis, et tempore quadragesimali, et in Adventu. Hæc innovatio per Christi resurrectionem signatur. Unde in hodierna epistola dicit *Rom.* VI, 4. Apostolus : Quemadmodum Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ *Ephes.* IV, 23. ambulemus ; et alibi, Renovamini spiritu mentis vestræ. In Isaia quoque habetur : *Is.* LVIII, 13, 14. Si glorificaveris Dominum, implebit splendoribus animam tuam.

Octavo, debet interdum adesse aliqualis C saltem contemplatio divinorum : quia quicumque est in caritate et gratia, habet etiam donum sapientiæ secundum aliquem gradum ; et per illud potest ac debet interdum contemplari quam bonus et gloriosus est Dominus Deus noster, quam omnipotens et perfectus, quam pius, liberalis et justus, et quanta est caritas ac misericordia ejus super homines, quam ineffabilem beatitudinem præparavit suis ele- *Coloss.* III, 2. ctis. Hinc ait Apostolus : Quæ sursum sunt sapite. Ista contemplatio per Christi ascensionem significatur.

Postremo, finis ac præmium omnium prædictorum, utpote beatitudo æterna, designatur per Christi consessum in dextera Dei Patris. *Marc.* XVI, 19. Unde in Apocalypsi asserit Christus : *Apoc.* III, 21. Qui vicerit, faciam eum sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus. In evangelio quoque Joannis dicitur : *Joann.* XVII, 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi.

Itaque omnia jam prætacta ad christianam vitam spectantia habere et exercere conemur, et usque in finem perseveremus in eis. Legitur de quodam rege, quod fuit conversus ad fidem Christi ; quumque baptizari deberet, et unum pedem posuisset in aqua, interrogavit ubi esset major pars hominum mortuorum et regum ac principum. Responderunt ei qui aderant, quod in inferno. Tunc stolidus ille pedem suum retraxit, dicens se velle venire post hanc vitam ubi major pars hominum esset. Et ita ad infidelitatem suam reversus, die tertio aut circiter exspiravit, atque in infernum descendit. Non consideravit ille infelix, quod quanto plures sunt in inferno, tanto major est eorum calamitas : nam sicut in cœlo unus Sanctus auget felicitatem alterius, sic in inferno unus damnatus alterius auget miseriam. Idcirco in condemnatis locum non habet illud commune dictum : Solatium est miseris socium habere in pœnis.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

NISI ABUNDAVERIT JUSTITIA VESTRA PLUS QUAM SCRIBARUM ET PHARISÆORUM,
NON INTRABITIS IN REGNUM COELORUM. Matth. v, 20-24.

CHRISTUS in evangelio hodierno docet, D quam magna sit evangelicæ legis per- *Matth.* VII, 14. fectio, et item quam arcta sit via salutis, atque quam magnus ac metuendus sit rigor divini judicii. Itaque, sicut Matthæus ait, *Jesus* Christus in sermone quem fecit in monte, inter cetera *dixit discipulis* A *suis : Nisi abundaverit justitia vestra plus quam* abundat justitia *Scribarum et Pharisæorum,* id est, nisi justiores, virtuosiores seu perfectiores fueritis Scribis et Pharisæis (Scribæ autem fuerunt doctores Judæorum, et Pharisæi erant religiosi eorum), *non intrabitis in regnum cœlorum,* hoc est, æternam salutem non acquiretis, sed damnabimini in æternum. O quam formidanda est comminatio ista ! primo, propter tanti boni amissionem ; secundo, propter tanti mali acquisitionem. B

Deinceps ratio hujus sententiæ Christi potest tripliciter assignari. Primo, quoniam Scribæ et Pharisæi, quamvis vera et salutaria docuerunt, non tamen secundum propriam doctrinam vixerunt. Hinc ait Salvator : Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia quæcumque dicunt, facite ; secundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim et non faciunt. *Matth.* xxiii, 2, 3. Secundo, quia Scribarum et Pharisæorum justitia fuit servare præcepta legis secundum superficialem intellectum C eorum, videlicet, non occidere, non mœchari, vitando dumtaxat opera exteriora iniqua, non desideria prava : quia per præcepta hujusmodi putabant prohiberi opera, non affectum. Talis autem justitia non sufficit ad salutem. Et juxta hunc sensum loquitur Christus hoc loco, prout verba pandunt in textu statim sequentia. Tertio accipi potest, quasi specialiter dictum ad Apostolos, ac prælatos, qui ex speciali vocatione, professione, gradu sive officio, ad perfectionem tenentur : idcirco eorum non D est circa communia languere, sed oportet ut subditorum vitam virtutum perfectione transcendant, quum habeant eos purgare, docere et virtuosos efficere.

Verumtamen Christus dixit hæc verba prout ad universos pertinent Christianos. Nam subdit : *Audistis quia dictum est antiquis,* id est, populo Judæorum de Ægypto egresso Deus per Moysen jussit : *Non occides* hominem ; *qui autem occiderit,* prætermisso ordine juris, *reus erit* *Exod.* xx, 13. *judicio* damnationis, id est, mortem corporalem meretur, et etiam condemnationem æternam, quæ est mors pessima. *Ego autem dico vobis,* quia non solum occidere prohibeo, sed protestor *quia omnis qui irascitur fratri suo,* hoc est proximo, ira inordinata, rationem excæcante, *reus erit judicio,* hoc est accusatione coram divina justitia. Hoc est dicere : Ego legem non solvo, sed impleo, perficio et expono, et *Matth.* v, 17. ad perfectam ac sufficientem justitiam doceo ac perduco. In lege namque aperte prohibetur homicidium, quum dicitur, Non occides ; *Exod.* xx, 13. sed lex non exponit perfecte qualiter intelligendum sit illud præceptum. Sed Christus id fecit, dicendo : « Omnis qui fratri suo irascitur », id est, vindictam inordinate desiderat, seu nocumentum inferre proponit, « judicio reus » est.

Quocirca sciendum, quod aliqui Judæorum per præcepta illa negativa, Non occides, non furaberis, non mœchaberis, *Ibid.* 13-15. æstimabant sola opera prohiberi, non cogitationes et affectiones ad opera vitiosa ; nec putabant eas esse peccata, nisi in opus procederent : cujus oppositum docuit Christus. Imo ex lege et Prophetis potest oppositum demonstrari, quum Michæas dicat : Væ qui cogitatis inutile ; *Mich.* ii, 1. Zacharias quoque, Malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. *Zach.* vii, 10. Per Jeremiam quoque Dominus ubertim præcepit : Revertimini a cogitationibus vestris pessimis. *Jer.* xxv, 5 ; xxxv, 15 ; xxxvi, 3, 7. Imo peccatum non est in opere exteriori, nisi ex interiori deformitate et inordinatione. Peccatum quoque potissime est aversio mentis a Deo.

Qui autem dixerit fratri (id est proximo) *suo, Raca,* id est, verbum indignationis, interiorem iram manifestantis, protulerit, tamen in generali atque confuse, nec certam vituperationem aut contumeliam inferens, sed interiorem commotionem per verbum indignationis in generali aperiens ; *reus erit consilio,* id est tractatu quo investigatur qua pœna torquendus sit quem constat esse damnandum. *Qui autem dixerit* proximo suo, *Fatue,* id est, commotionem iracundiæ suæ per verbum contumeliosum, manifestam et certam vituperationem significans, effuderit; *reus erit gehennæ ignis,* id est pœnæ infernalis.

Ecce triplex gradus culpæ, cui correspondet triplex gradus reatus seu pœnæ. Est enim ira latens in corde. Cujus pœna est, mereri reprobationis judicium, et esse judicio dignum. Est etiam ira prorumpens in vocem indignationis ac vituperationis in generali: quod primo est gravius. Ideo ejus pœna est, prolatio sententiæ contra eum : quæ pœna etiam est gravior prima. Est quoque ira in verbum contumeliosum certæ aspernationis prorumpens : quod primis duobus est gravius. Ejusque pœna est, ignis gehennæ : quæ prætactis est gravior pœnis; et tamen duæ illæ pœnæ ordinantur et tendunt ad pœnam hanc tertiam. Loquitur enim Salvator de ira prout est mortale peccatum, videlicet ex rationis consensu cum affectu nocendi injuste. Dicere autem « raca » ex tali ira, est gravius; sed dicere « fatue » ex iræ commotione, gravissimum est. — Insuper, secundum Hieronymum, « raca » est verbum Hebraicum, significans vacuum aut inane; idem dicit Chrysostomus. Remigius vero cum præfatis testatur, quod sit nomen Hebraicum; sed addit, quod sit interjectio indignantis. Augustinus autem affirmat, quod sit vox non significans aliquid determinate, sed solum commoti cordis passionem, cujusmodi sunt interjectiones. Sed istud faciliter concordatur, quia secundum Chrysostomum, quamvis significet vacuum aut inane, id est stultum, hic tamen accipitur juxta usum loquentium Judæorum, utpote interjectionaliter, secundum modum expositum, prout quælibet regio habet aliquod exprobratorium verbum. Possent hic multa induci de ira, quando et qualiter sit peccatum; sed de hoc in sermonibus mentio fiet.

Sed circa prædicta oritur quæstio, quia *Act.* I, 1. de Christo scriptum est, Cœpit Jesus facere et docere, quomodo ergo nunc tam districte damnat eos qui proximum nomi- A nant fatuum, quum ipsemet post resurrectionem suam dixerit duobus discipulis: O stulti et tardi corde ad credendum! *Luc.* XXIV, 25. Apostolus quoque ad Galatas : O insensati *Galat.* III, 1. (inquit) Galatæ ! Et respondendum, quod quum verba sint signa et notæ conceptionum animæ, ex ipsa cordis intentione et affectione considerantur virtus et culpa in verbis. Dum ergo verba prætacta dicuntur non animo calumniandi aut aspernandi, sed instruendi, et caritative corripiendi, non sunt illicita.

B Ex præhabitis infert Salvator : *Si ergo,* hoc est, quum non liceat irasci fratri, aut dicere ei « raca », vel « fatue », idcirco si *offers munus tuum,* hoc est oblationem corporalem vel spiritualem, *ad altare* materiale in templo; vel, « ad altare » spirituale in anima, quod est fides, secundum Augustinum, vel caritas, secundum Gregorium. Nil enim acceptum est Deo nisi in fide et caritate agatur atque fundetur, et per eas Deo exhibeatur. *Et ibi,* videlicet in loco et tempore oblationis, *recordatus* C *tus fueris quia frater* (hoc est proximus) *tuus habet aliquid,* hoc est justam querelam, *adversum te,* propter injuriam a te ei illatam, ita quod ei in aliquo forefecisti. Si enim tu eum offendisti, ipse habet adversum te, non tu contra eum. Si vero ipse te offendit, tu habes adversus eum; sed tunc sufficit ut ei ignoscas sicut vis tibi a Deo ignosci, nec oportet te facere quæ sequuntur : quæ tamen si feceris, opus est magnæ perfectionis, caritatis et pietatis, maximumque a Deo præmium D consequeris.

Relinque ibi munus tuum ante altare, id est, inchoatum obsequium seu oblationem intermitte seu suspende, actu aut proposito, hoc est realiter inde cessando, aut mentaliter proponendo agere quæ sequuntur loco et tempore opportuno; *et vade prius reconciliari fratri tuo,* hoc est, placa et satisfac ei, veniam postulando, et satisfaciendo, secundum exigentiam culpæ. Obsequium enim seu servitus nostra Deo non placet nisi ex caritate procedat:

quam non habet, imo et contra justitiam A agit, qui fratri a se læso non studet reconciliari ac satisfacere. Eundum est autem pedibus corporis, si commode fieri possit, ut si frater offensus non longe sit haberique valeat. Alias eundum esset pedibus mentis, hoc est desiderio atque proposito, quatenus proponas et optes ei statim satisfacere quantum in te est : quod quia non vales, intendas eum accedere et placare congruo loco et tempore. In his quoque pensanda est mensura offensæ, hoc est magnitudo injuriæ proximo irrogatæ, quæ B quanto major exstiterit, tanto celerius laboriosiusque conandum est ut reconcilietur offensus. Interim vero debemus munus ante altare relinquere, id est non facere seu continuare opera bona nisi primo proponamus ire tempore apto ad fratrem offensum ut reconcilietur : quod plane propositum exsequi mox oportet dum convenienter fieri poterit.

Porro, secundum Chrysostomum et Cassianum, ad caritatis perfectionem præcipue pertinet, ut etiam ille qui læsus est, C studeat mitigare forefactorem, non solum illatam dimittendo injuriam, sed et blando sermone cor ejus placando, quatenus de cetero sincerum ad se gerat affectum. Si enim possum alterius quamvis injuriatoris perversitatem curare, et animam ejus de morte peccati eripere, primo accedendo ad eum et pacem reformando inter eum et me, et tamen non facio hoc, videor non esse perfectus in caritate Christi, qui etiam pro iniquis sanguinem suum fudit, *Rom.* v, 6. nec proximi, quem possum a D tanto liberare periculo humiliando me ipsum. Dicit ergo Chrysostomus : Ne dicas, Ille mihi nocuit, ille mihi satisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria tuæ salutis jubet te Dominus amicitias facere, tu potius nocitus seu nocumentum perpessus, debes nocentem rogare, ut duplicem gloriam consequaris : unam, quia nocitus es; alteram, quia prior rogasti. Festina ergo inimicum tuum prævenire ad amicitias, ne forsitan te tardante, ille præveniat ad rogandum, et rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Nam si ille tibi nocuit, et ille te rogat, infructuosa est amicitia tua. Quam enim justitiam fecisti ante Deum, si rogatus te placaveris?

Et tunc veniens, hoc est, localiter rediens, vel intentionem tuam ad id quod cœperas, revocans, *offeres munus tuum,* hoc est, inchoatum Dei obsequium prosequeris, spiritualem aut corporalem hostiam immolando. Spirituales autem hostiæ sunt devota oratio, Dei laudatio, cordis compunctio, præceptorum impletio.

Heu, quam male et pessime observant Christiani hanc Christi doctrinam, quia faciliter offenduntur, difficulter placantur, facili occasione injuriose loquuntur, atque pro parva offensa grandem cupiunt ultionem inferre, imo rogati vix possunt induci ad ignoscendum forefactoribus suis! Plures quoque sunt tam duræ cervicis animosæque mentis, ut quamvis notabiliter forefecerint proximis suis, dedignantur tamen et verecundantur veniam postulare ab eis. Considerent, quæso, isti, quam longe distent ab evangelicæ legis observatione, et per consequens a salute.

SERMO SECUNDUS

QUALITER LICEAT IRASCI, ET QUALITER NON.

NE *sis velox ad irascendum, quia ira* A *in sinu stulti requiescit.* Eccle. VII, 10.

Ira inter septem peccata mortalia computatur. Quum ergo ex suo genere sit peccatum mortale, merito Salomon exhortatur ne simus proni ad irascendum. Cui omnino concordat quod in prima sua Canonica *Jacob.* I, 19. ait apostolus Jacobus : Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Sed his atque similibus auctoritatibus Scripturarum con- *Ps.* IV, 5. trariari videtur quod ait Psalmista, Irascimini, et nolite peccare : quam auctorita- B *Ephes.* IV, 26. tem allegat, allegandoque approbat Paulus. Ergo prophetico apostolicoque testimonio ira est commendabilis. Insuper de Christo *Marc.* III, 5. scriptum est apud Marcum : Contristatus est super cæcitate cordis eorum, circumspiciens eos cum ira. Omnis autem motus qui fuit in Christo, laudabilis exstitit.

Est itaque advertendum, quod sicut odium est unum septem mortalium vitiorum, nihilo minus est quoddam odium *Ps.* CXXXVIII, 21, 22. bonum. De quo fatetur Propheta : Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? Perfecto C *Ps.* CXVIII, 113. odio oderam illos. Itemque : Iniquos odio habui. Hoc quippe perfectum atque laudabile odium, est odire iniquos secundum quod tales sunt, non in quantum sunt : imo ut homines, sunt amandi. Ita, quamvis ira generaliter sumpta dicatur mortale peccatum, est tamen aliqua ira bona, laudabilis, virtuosa. Ira namque est appetitus vindictæ propter illatam injuriam. Hæc autem vindicta bene et male potest optari et exerceri, videlicet, secundum rectæ rationis judicium et ordinem juris, et D etiam modo perverso. Interdum etenim ira prævenit rationem : et ista est ira inordinata; et vocatur ira per vitium, quoniam actum rationis impedit ac perturbat. Interdum ira sequitur rationem, ita quod ratio sponte iram assumit, ut actum virtutis robustius atque virilius exsequatur. Est etiam naturale ut appetitu superiori ac intellectivo, utpote voluntate, secundum rationem moto, appetitus inferior sensitivus subsequenter moveatur et cooperetur : sicque ira sequitur rationem ac voluntatem, et eis deservit, sicut inferius suo superiori. Ista ergo est ira laudabilis, et vocatur ira per zelum, quia movetur contra injustitiam secundum rationis censuram; estque actus virtutis moralis quæ dicitur vindicativa, quæ est pars justitiæ. De qua ira dicit Gregorius : Tunc robustius ratio contra peccata erigitur, quum ira subdita rationi famulatur. Et iterum : Cavendum (inquit) summopere est, ne ira quæ ut instrumentum virtutis assumitur, rationi dominetur, ne quasi domina præeat, sed tanquam ancilla ad obsequium parata, a tergo rationis nunquam recedat.

Denique de hac ira intelligenda sunt verba Chrysostomi asserentis : Qui ex causa irascitur, reus non est. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Justa ergo ira, mater est disciplinæ, id est debitæ correptionis ac punitionis. Unde non solum non peccat qui cum causa irascitur, sed econtra, nisi iratus fuerit peccat, quoniam irrationabilis patientia vitia seminat, negligentiam nutrit, nec solum malos sed etiam bonos trahit ad mala. Hinc quoque ait Bernardus : Irascere, et noli *Ps.* IV, 5. peccare. Peccabis autem nimis irascendo, peccabis etiam omnino non irascendo. Nam non irasci ubi irascendum est, est nolle emendare peccatum; plus vero irasci quam irascendum est, est peccatum peccato adjicere. A Præterea, sicut idem ait Bernardus, Ira est naturalis affectio hominum, sed abutentibus bono naturæ fit ira gravis perditio. Unde, secundum eumdem Bernardum, Irasci debemus vitiis, præsertim propriis culpis, deinde et proximorum peccatis. Propterea iterum ait : Occupemus iram in quibus expedit. Nolite irasci eis qui vobis transitoria auferunt, qui convitia inferunt, qui infligunt supplicia. Ostendam autem vobis cui debeatis irasci : irascimini ei quæ sola potest nocere, utpote B propriæ iniquitati. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Qui huic perfecte irascitur, ceteris non movetur. Insuper his concordat quod in libro de Profectu religiosorum habetur : Affectus iræ datus est homini ut irascatur peccatis et malis suggestionibus, atque ex indignatione non patiatur se trahi ad consensum peccati, et ut reprimat motus malos in se et in aliis ubi congrue potest, ulciscaturque Dei injurias et transgressiones præceptorum ipsius, secundum quod C spectat ad ipsum. Et tunc dicitur zelus *Marc.* III, 5. justitiæ : sicut Christus legitur iratus fuisse Pharisæis et aliis non recte agentibus. Nunc autem in vitium deformata est ira, et contra rationem in furorem conversa, ut more phrenetici moveatur homo contra hominem, contra amicum et proximum, et contra se ipsum, interdum etiam contra insensibilia et irrationabilia, imo, quod pessimum est, interdum contra Deum et Sanctos.

Præterea quæri potest, quando et qua- D liter ira sit peccatum mortale. Et respondendum, quod ira potest esse immoderata dupliciter. Primo, ex parte vindictæ in quam tendit, ut si pro parva injuria cupiat quis inferre magnam vindictam. Et hæc ira ex suo genere est peccatum mortale, quoniam caritati contrariatur, quæ *I Cor.* XIII, 5. non irritatur, nec cogitat malum; contrariatur quoque justitiæ, quia majorem expetit ultionem quam culpa meretur et justum est. Potest tamen esse venialis propter parvitatem nocumenti illati, vel propter modicitatem commotionis rationem prævenientis. Secundo, ira potest esse immoderata quantum ad modum irascendi, quando videlicet nimis fervescit : sic enim fit vitiosa, quamvis in finem tendat laudabilem, puta ad correctionem peccantis, punitionemque culpæ et conservationem justitiæ. Ira vero hoc modo immoderata, sive intus quoad commotionem, sive foris quantum ad iracundiæ signa, non est ex suo genere mortalis, nisi in tantum crescat, quod faciat hominem a caritate Dei aut proximorum excidere : quod fit dum impedit hominem ab eo ad quod tenetur, aut inducit eum ad faciendum aliquid contrarium caritati sive justitiæ. Itaque auctoritates Scripturæ et Sanctorum quæ protestantur iram esse omnino culpabilem ac vitandam, intelligi possunt de ira dicta per vitium, de qua et in evangelio hodierno loquitur Christus, dicendo : Qui irascitur fratri suo, reus erit *Matth.* v, 22. judicio. Unde et Hieronymus asserit : Definita sententia est, ut ira omnino tollatur. Si jubemur, id est monemur, percutienti alteram præbere maxillam, et inimicos *Ibid.* 39, 44. diligere, et pro persequentibus exorare, omnis occasio iræ aufertur.

Præterea, ira ista per vitium, præsertim quæ est mortale peccatum, valde vitanda est. Primo, quoniam hominem intus omnino deordinat, et coram Deo deturpat ac inhonestat : et hoc ideo, quoniam rationem excæcat, et ita efficit hominem brutis consimilem fatuisque conformem. Propter quod, sicut in themate tactum est, Salomon cohortatur : « Ne sis velox ad irascen- *Eccle.* VII, 10. dum, quoniam ira in sinu stulti », id est in corde fatui, « requiescit ». Nam eo ipso quo quis talem iram admittit et retinet, merito stultus vocatur. Propter quod in Job asseritur : Virum stultum interficit iracundia. *Job* v, 2. — Secundo, quoniam hominem foris contemptibilem reddit, et insano similem facit. Ira namque cito ac evidenter apparet in visu, in facie, in voce et gestibus. Ideo ait Hieronymus : Quid iracundo furor suus

A confert, quem sævissimis exagitat stimulis, et ita ab omni consilio efficit alienum, ut dum irascitur, insanire credatur? Et ita per iram homo alios scandalizat, sicque et aliis graviter nocet. — Tertio, quia per iram fit homo aliis onerosus et ad socialem vitam ineptus, impacificus quoque et turbulentus, juxta illud Proverbiorum : *Prov.* xviii, 14. Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Et iterum Salomon loquitur : *Ibid.* xxvii, 4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati spiritus quis poterit sustinere? Hinc dicit B Gregorius : Per iram justitia relinquitur, gratia vitæ socialis amittitur, mansuetudo perditur, lux veritatis repellitur. Unde in *Eccli.* xxviii, 11. Ecclesiastico habetur : Vir iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit pacem. — Quarto, quia per iram fit homo dæmonibus similis. Est namque, ut divinus Dionysius adstruit, De Divin. nom. c. iv. in dæmonibus amens furor, phantasia proterva, et irrationabilis concupiscentia. Similiter in hominibus iracundis vigent amentia quædam, furor et phantasia proterva. Ideo C etiam iracundi merito fatui appellantur, quoniam in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* xxi, 15. Non est sensus ubi abundat amaritudo. *Ephes.* iv, 31. Hinc dicit Apostolus : Omnis amaritudo, et indignatio, et ira, et clamor tollatur a vobis. — Quinto, per iram fit homo specialiter ineptus ad gratiam, et Spiritus Sancti inhabitatione indignus, quoniam Cf. *Is.* lxvi, 1, 2. *Ps.* lxxv, 3. *Matth.* v, 9. Spiritus Sanctus super quietum et humilem requiescit, et in pace factus est locus ejus, diligitque pacificos. Quum ergo ira D faciat hominem turbulentum, inquietum et animosum, constat quod Spiritus Sancti inhabitationem et gratiam vehementer impediat. Ideo quidam sanctus eremita asseruit : Iracundus homo quamvis mortuos suscitet, Deo placere non potest; et item, Sicut hospitem fumus expellit de domo, sic ira expellit Spiritum Sanctum de cordis habitaculo.

Sed nunc breviter aliquid est tangendum de remediis contra iram. Quorum primum est, consideratio prædictorum malorum quæ homo per iram incurrit. Nam quædam quamvis in se sint multum delectabilia atque suavia, tamen propter mala annexa vitantur : quanto magis ira in se ipsa amara vitanda est, quum ex ea tot mala sequantur? Secundum est, aversio considerationis eorum quæ provocant iram, ut scilicet homo cesset attendere mala sibi aut suis illata, convertendo se ad alias meditationes et occupationes salubres. Quum enim ira sit quædam affectio, utpote appetitus vindictæ, oritur ex aliqua prima apprehensione; et qui apprehensionem illam abscindit, se ad alia convertendo, faciliter vincit iram, quia cessante causa cessat effectus. Tertium est, consideratio mansuetudinis et patientiæ Christi atque Sanctorum, præsertim intenta meditatio passionis dominicæ. Si enim mansuetudinem et patientiam Christi rite pensemus, et quanta pro nobis pertulerit, meditemur, omnem iram impatientiamque repellimus, imo adversa cum gaudio sustinemus. Quartum est, consideratio multiplicis fructus et gratiæ ac salutis, quam iram vitando, refrenando, vincendo, acquirimus. Ait namque Salvator : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt *Matth.* v, 4. terram; et Psalmista : Mansueti hereditabunt *Ps.* xxxvi, 11. terram, et delectabuntur in multitudine pacis. Quum enim ira sit quædam animi amaritudo, turbulentia et afflictio, mansueti qui iram vincunt, specialiter gaudent pace interna, et dulces sunt mente. Sanctus quoque Dionysius in epistola Epist. viii. ad Demophilum monachum protestatur, quod Moyses, Joseph et David, ideo maximam apud Deum gratiam invenerunt, quoniam mites fuerunt. Unde Psalmista loquens de Deo : Exaltabit (inquit) mansuetos *Ps.* cxlix, 4. in salutem.

Quintum est, quoniam omnes in sæculo isto sumus comperegrini et conviatores, ad unam beatitudinis patriam proficiscentes : idcirco debemus mititer ad invicem conversari, atque ad progrediendum in via virtutum mutuo jugiter exhortari. Hinc Joseph fratribus suis profecturis dicebat :

Gen. XLV, 24. Ne irascamini in via. Sextum est, consideratio adversitatum quæ possunt accidere, et contra eas se per rationem et mansuetudinem præmunire, quoniam jacula prævisa minus feriunt. Atque, ut ait Gregorius, mala mundi patientius toleramus, si contra ea per patientiæ clypeum præmunimur. Nam qui corporali congressuri sunt bello, primo discunt artem pugnandi et armant se, et quid eis accidere possit præcogitant, ut ea evadant. Septimum est, facere sibi consuetudinem resistendi primis motibus iræ, ipsamque iram intra se clausam tenere et suffocare, ne foris per verba et signa erumpat. Octavum est, Dei adjutorium jugiter atque cum omni fiducia invocare. Et hoc potissimum necessarium est his qui vel ex naturali dispositione, aut ex consuetudine, ad iram proclives sunt : nam et quilibet contra illa vitia debet specialius instantiusque pugnare, ad quæ se proniorem cognoscit. Superbi autem et magni in oculis suis, celerius et implacabilius irascuntur : quo enim se ipsos arbitrantur majores, excellentiores aut digniores, eo illatam sibi injuriam magis exaggerant, et gravius vindicare nituntur, quamvis sit parva.

Postremo, quadruplex est irascentium genus. Nam in quibusdam fervor iracundiæ cito incenditur, et cito exstinguitur. In aliis cito accenditur, sed difficulter exstinguitur : et isti sunt deteriores. In quibusdam tarde accenditur, et tarde exstinguitur. In ceteris tarde accenditur, et cito exstinguitur : et isti sunt aliis meliores. Sed, heu ! multi sunt nomine, non virtutibus christiani, qui instar canum, A sæpissime et pro causis levissimis irascuntur, et irascendo jurant, perjurant, aliosque perturbant, contristant, et a devotione ac pace mentis impediunt, atque tam irrefrenate se habent ut bruta. Isti sunt ministri et membra diaboli, et non Christi. Emendent ergo se ipsos, et quanta mala ex eorum proveniant ira, pensent.

Recitat Augustinus in libro de Civitate Dei, quemadmodum quidam philosophi, scilicet Stoici, dixerunt, omnes animæ B passiones, videlicet iram, tristitiam, timorem, etc., esse vituperabiles, et animæ morbos. Quumque unus de illis philosophis esset quadam vice in navi, adessetque alius quidam adolescens lascivus et levis, orta est in mari grandis tempestas. Cœpit ergo philosophus ille formidare et pallidus fieri, sed juvenis ille imperterritus mansit, lætus et cantans. Postmodum tranquillitate reversa, adolescens ille insultavit philosopho, eo quod timuisset, et ipse mansisset imperterritus et jucundus. C Respondit philosophus : Quid mirum si tu tam malam perdere vitam non timuisti, ego autem tam bonam amittere vitam expavi? Hujus simile contingit quotidie. Nam quidam vitæ vitiosæ ac perditæ, tempore tempestatum et fulgurum non verentur, quia se ipsos non amant veraciter, nec quid eis accidere possit perpendunt sapienter; aliqui vero boni et sapientes in talibus metuunt, et quid contingere eis valeat intuentur. Non tamen in talibus est immoderanter timendum, sed homo debet se D Deo committere, ipsum invocare, ac signo se crucis munire.

SERMO TERTIUS

QUALITER DEBEAMUS NOS PROXIMIS RECONCILIARE.

Memento novissimorum tuorum, et desine inimicari, et abstine te a lite. A Eccli. xxviii, 6, 10.

Perfectio rationalis creaturæ est, assimilari suo Creatori secundum modum sibi possibilem et decentem. Consideremus ergo qualiter Deus se habuit et quotidie se habet ad homines. Certe a principio mundi, genus humanum graviter ac multipliciter suum offendit Creatorem ac Deum, atque peccando inimicitias fecit inter Deum et se: nihilo minus Deus a principio mundi, per se ipsum, per angelos sanctos, per B Patriarchas, Prophetas ac alios homines sanctos, præcipue per prælatos et prædicatores bonos, quos misit ad homines, invitavit eos ad faciendum ac conservandum pacem et amicitiam secum. Præterea, quum filii Israel, tempore Sedeciæ regis et ante, Deum gravissime et supergravissime offendissent, idola venerando, Prophetas occidendo, innocentem sanguinem effundendo, aliaque horrenda facinora, quæ in Ezechiele propheta tanguntur, committendo; et ob hoc Deus minaretur eis capti- C vitatem et destructionem per regem atque exercitum Chaldæorum: nihilo minus Deus piissimus, ex sua misericordia infinita, misit sæpissime ad prædictos filios Israel seu populum Judæorum Prophetas suos, hortans et invitans per eos populum illum ad pœnitentiam, ad amicitiam, ad salutem I *Joann.* iv, 9. et pacem. Deinde Pater æternus unigenitum Filium suum misit in mundum universis sceleribus plenum, ut induceret homines ad pœnitentiam, ad caritatem et pacem secum. Propter quod ait Apostolus: D II *Cor.* v, 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.

Apoc. xix, 16. Si igitur Deus majestatis immensæ, Rex regum et Dominus universorum, cujus excellentiæ nullus est finis, tam gratiosissime et supermisericordissime dignatus est homines prævenire, quibus nunquam forefecit, imo quibus tam ineffabiliter beneficia multa et magna donavit, et a quibus pro tot beneficiis, tot et tantas recepit ingratitudines, injurias, rebelliones, contumelias atque blasphemias; si, inquam, dignatus est hos taliter prævenire, hortando invitandoque eos ad suum amorem, ad pacem salutarem, ad beatitudinem æternalem: quanto magis nos miserrimi atque vilissimi peccatores, deberemus merito non solum ire ad eos quibus forefecimus, ad reconciliandum nos ipsis, videlicet veniam postulando et satisfaciendo, sed etiam laborare pro reconciliatione ejus a quo læsi et injuriam passi sumus, solliciti ex caritate pro ejus salute, ne in aliqua maneat culpa, ne Deum offendat, ne æternaliter pereat? Ad minus ergo oremus pro talibus, et omni industria qua valemus, ad nostram eos amicitiam revocemus. Porro, si duo aut plures sibi invicem forefecerunt, ita quod singuli obligantur veniam postulare, tunc pertinet ad virtutem, præsertim ad caritatem ac humilitatem, ut unusquisque illorum studeat alium prævenire, veniam deprecando ac satisfaciendo.

Insuper, quum post Christi ascensionem totus mundus præter Judæos esset idololatriæ deditus, et innumerabilibus maximisque repletus criminibus, nihilo minus Deus misit Apostolos et eorum coadjutores *Act.* xiii, 46, 47. ad omnia gentium regna, ad omnem populum, tribum et linguam, hortans ac deprecans eos converti ad se et ad suum divinum amorem, ad pacem dulcissimam et gloriam sempiternam.

A Ecce quam infinita et prorsus incomprehensibilis est caritas, misericordia et liberalitas Dei ad homines, et quanta econtrario est hominum ingratitudo, perversitas atque inobedientia circa Deum, cujus vestigia sequi contemnunt, cujus præcepta transgrediuntur, pro cujus amore sibi invicem renuunt indulgere. Attendamus quod ait Apostolus : Legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. *II Cor.* v, 20. Circa quæ verba ait in homilia Gregorius : Erubescat humana superbia, confundatur B unusquisque, si non prior satisfaciat proximo, quum ipse qui offensus est Deus, per suos nos rogat legatos ut ei reconciliemur, de nostris dolendo peccatis, atque de cetero inhærendo virtutibus.

Amplius, juxta modum offensionis debet esse modus reconciliationis, ut qui alium verbis offendit, verbis satisfaciat, et ultro hoc agat quod requirit justitia. Unde qui alium offendit detrahendo, satisfacere debet famam ei restituendo; et qui abstulit aliena, restituat ea. Generaliterque loquen- C do, juxta juris tenorem vel prudentium virorum judicium satisfactio seu reconciliatio est agenda.

Præterea, ex his quæ a Deo acceperunt, Christifideles debent Creatori suo liberaliter ac devote offerre : *Ps.* xv, 2. non quod Deus bonorum nostrorum indigeat, sed in recognitionem gratissimam quod omne bonum ab ipso collatum est, et ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, atque ad alios pios usus. Et præsertim offerendæ sunt animo prompto ac læto debitæ oblationes, ad D quas cunctis temporibus obligantur fideles. Similiter decimæ atque primitiæ, et cetera quæ debentur Ecclesiæ, sunt promptæ ac fidelissime persolvenda. Nec ex hoc aliquis depauperatur, imo a Deo copiosissime remuneratur : primo, temporalium rerum majorem abundantiam acquirendo; secundo, corporalem sanitatem adipiscendo; tertio, peccatorum remissionem; quarto, gratiæ ac virtutum infusionem; quinto, æternæ gloriæ beatitudinem obtinendo. Ecce quam grata et placita est Domino Deo devota oblatio, decimarum solutio, et aliorum quæ ad Ecclesiam pertinent exhibitio caritativa.

Deinceps ex præinductis monstratur, quam districta et ardua sit Christi doctrina, quam perfecta sit lex evangelica, quam vere angusta et arcta sit salutis via : quia *Matth.* vii, 14. tam faciliter meretur homo pœnam gehennæ, tamque caritative, mansuete ac juste tenentur homines invicem conversari, ne mutuo se offendant, ne irascantur, ne reconciliari et satisfacere negligant. Quæ omnia studiosissime impleamus, atque in omni caritate, pietate et æquitate pariter conversemur.

Legitur quod sanctissimi patres, Epiphanius episcopus Cypri, et abbas Hilarion, quadam vice pariter vescebantur. Quumque S. Epiphanius posuisset aliquid coctæ carnis ante B. Hilarionem, dicens, Abba, manduca; respondit Hilarion : Ex quo factus sum monachus, non gustavi aliquid tale coctum. Cui Epiphanius præsul respondit : Et ego ex quo habitum istum accepi, non permisi dormire quemquam habentem aliquid contra me, nec ego dormivi aliquid habens contra aliquem. Tunc dixit abbas Hilarion : Ignosce mihi, quia conversatio tua major est.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUOMODO BONI RELIGIOSI IN NOVITATE VITÆ AMBULANTES, SE VIRTUTIBUS VITÆ CHRISTI CONFORMARE DEBEANT.

QUOMODO *Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. VI, 4.

Quidquid pro nostra salute egit pertulitque Salvator, nostra est instructio. Quum Philipp. II, 6, 7. enim in forma Dei esset, per deitatis naturam Patri æterno vere æqualis, incomprehensibiliter exinanivit se ipsum, nostram sibi hypostatice assumendo naturam, ut totius atque plenissimæ humilitatis nobis præberet exemplum : ut scilicet in omnibus humiliemus, parvi pendamus et sapienter dejiciamus nos ipsos ; neque ex hoc unquam inaniter gloriemur, scientes quod quantumcumque humiliaverimus et parvi penderimus nos, nihil est comparatione humilitatis profundissimæ Christi. Joann. XIII, 16 ; XV, 20. Quum itaque non sit servus major domino suo, imitemur Christi humilitatem ut possumus ; atque in hoc compleatur humilitas nostra, ut quum totis viribus humiliaverimus nos ipsos in omnibus, recognoscamus ac fateamur nos nil condignum egisse. Sic et in ceteris est considerandum ac peragendum virtutibus, ut scilicet Domini nostri patientiam, mansuetudinem, fortitudinem, obedientiam, puritatem, sobrietatem et caritatem toto posse sectemur, nec quid condignum nos facere arbitremur, præsertim quum et Dominus in Luc. XVII, 10. Evangelio dixerit : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fePs. XVIII, 7. cimus. Ecce Filius Dei propter nos a summo cœlo descendit in hunc mundum A inferiorem, et propter nos pauper effectus II Cor. VIII, 9. est. Imo in summa paupertate, incomparabili patientia, in omnium virtutum plenitudine conversari dignatus est inter hoBaruch III, 38. mines, viam salutis nobis demonstrans et dicens : Ego sum via, veritas et vita ; neJoann. XIV, 6. mo venit ad Patrem, nisi per me. In prætactis ergo virtutibus ipsum sectemur ; et sicut ipse resurrexit a morte, « ita et nos ambulemus in vitæ » assidua « novitate », non solum in præfatis perseverando virtutibus, sed et incessabiliter satagamus proB ficere in eisdem, ut anima nostra quotidie renovetur, virescat, copiosiusque resplenPs. CII, 5. deat.

Denique « in novitate vitæ » ambulamus, quando quotidie cum recenti fervore, cum ferventiori vigore, cum vigorosiori constantia Deo servimus ; quum pristinis consuetudinibus, et sæcularibus moribus atque mundanis affectibus omnino renuntiamus ; quando cum tanta alacritate, humilitate, devotione, compunctione, lacrimis, patientia et fervore Deo jam famulamur, cum C quanta promptitudine, elatione, vanitate, impatientia, libidine olim in sæculo obsequebamur diabolo, quanquam Deo majestatis immensæ incomparabiliter devotius, ardentius, humilius perfectiusque esset jugiter ministrandum.

Insuper « in novitate vitæ » ambulamus, quando soli vivimus Creatori, qui olim non Creatori, sed nobis ipsis tantummodo viximus. Dum enim ad se ipsum inordinate reflexus est homo, et contra Dei præcepta, monita sive consilia quærit ac diligit commoda sua, opes terrenas, proprias libertates, delectationem illicitam, temporalem honorem, laudem inanem, tunc vivit sibi, non Deo : etsi vivat vita naturæ, mortuus tamen est morte culpæ. Quum vero tota mente in Deum conversus est, illum super omnia pure amans, neque se ipsum nec aliud quidquam nisi in Deo, secundum Deum et propter Deum diligens, tunc vivit Creatori, non sibi, et cum *Galat.* II, 20. Apostolo dicere potest : Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.

Istud autem ad religiosos potissimum pertinet, ut scilicet quotidie magis ac magis abnegent, deserant, frangant, vincant mortificentque se ipsos, quatenus per plenariam privati ac improbi evulsionem amoris, ad sincerissimam caritatem pertingant : qua adepta, Deus erit tota eorum intentio, appetitio, delectatio, opulentia, spes, refugium, quies. Verum ad istud non facile pervenitur. Difficile, et nisi Dei adsit copiosum subsidium, prope impossibile est propriam sic superare naturam, tamque complete a se ipso averti, ut homo nec benedictione, nec maledictione, nec laude, nec vituperiis moveatur, nulla irrisione, persecutione, molestia incurvetur, nulla externa inquietudine pacem amittat internam, malitque in omnibus despici, subjici, injurias ferre, nesciri ac jugiter obedire, quam aliquid reputari, aut quomodolibet sublimari. Et tamen nisi quis talis efficiatur, nisi sic deficiat, mortificetur et a se ipso salubriter avertatur, nil sui relinquens sibi, non potest ad monasticam perfectionem, nec ad caritatis pertingere apicem. Ideo frater Zacharias, super quem sanctissimus abbas Moyses vidit Spiritum Sanctum descendere, ab eodem Moyse interrogatus, Quomodo possum fieri monachus? primo ex humilitate se projecit ad pedes illius tam sancti abbatis, dicendo : Me interrogas, Pater ? Deinde respondere compulsus, accepit cucullum suum, et eum suppeditans, ait : Nisi sic conculcatus fuerit homo, non potest fieri A monachus; hoc est, nisi se ipsum ita conculcet, frangat, subjiciat, ab aliis quoque se conculcari, injuriis affici, humiliari, irrideri permittat, non potest ad monachalem pertingere perfectionem.

Heu, ad ista quid dicimus, aut dicere quid poterimus, qui pro modicissima forsan injuria, pro uno verbo aut signo, mente et corpore indisponimur et turbamur, conquerimur, ultionemque petimus, aut, quod periculosius est, nos ipsos ulciscimur? Quumque per Moysen dixerit Deus, B Qualem quis læsionem intulerit, talem *Lev.* XXIV, 20; *Exod.* XXI, 23-25; *Deut.* XIX, 21. sustinere cogetur, nos tali simplici non contentamur vindicta, sed duriora rependimus, et pro uno verbo forsitan duro, multa hujusmodi retribuere non veremur. Et unde hæc tanta in nobis pullulant vitia, nisi quia de illorum sumus catalogo de quibus prædixit Apostolus, *II Tim.* III, 2. Erunt homines se ipsos amantes, elati, cupidi? Vivit namque in nobis amor ille maledictus, amor proprius et privatus, quo ad nos vitiose reflectimur, nec ea per quæ Christo C conformari, a culpis purgari, gratiis adimpleri, Deo placere, et maximam possemus beatitudinem obtinere, æquanimiter ferimus : imo furimus contra ea, videlicet contra adversa, quorum toleratio pia est compendiosissima ad beatitudinem via. Discamus ergo nos ipsos in solo Deo diligere, quoniam se in se amare, est se false amare veraciterque odire; et in omni quod agimus, laboramus aut patimur, non nisi Dei honorem et veram quæramus salutem. Sed et pro communi bono laborare, orare, D satagere, est Deo gratissimum.

Refert Climacus, quod in cœnobio illo sanctissimo in quo multis stetit diebus, erat vir sanctus nomine Menas, post abbatem primus in regimine et dispensationibus rerum cœnobii. Qui quum feliciter migrasset ad Christum, et exsequiæ pro ipso solenniter agerentur, repente totus chorus in quo jacuit sanctum corpus, bono ac suavissimo replebatur odore. Quumque ex permissione abbatis loculum discooperuissent, viderunt omnes, et ipsemet

Climacus, ex pedibus sancti illius duos A fontes emanare, et quasi unguenti optimi odorem diffundere. Tunc beatissimus abbas dixit : Videte, Fratres, ecce sudores et labores pedum illius vere sicut unguentum Deo oblati sunt, et ei complacuerunt. Hoc exemplo discant in officiis constituti, in ipsa exsecutione sui officii non nisi Dei honorem et commune quærere bonum, non aliquid libertatis aut carnalis commoditatis transitoriive honoris exquirere; nec ad officia habita aut habenda quispiam inordinate afficiatur, quoniam numerari culpæ non queunt quæ ex ambitione procedunt. Sed in Deo sit salutare nostrum *Ps.* LXI, 8. et gloria nostra, auxilium nostrum, spes nostra, et omnis consolatio, affectio atque intentio nostra.

SERMO QUINTUS

DE VITUPERIO IRÆ, ET MANSUETUDINIS LAUDE.

O*MNIS qui irascitur fratri suo, reus* B *erit judicio.* Matth. v, 22.

Dominus et Salvator in evangelio hodierno districte nos instruit, terribiliter comminatur; et quam arcta sit via salutis, *Matth.* v, 20. testatur in principio, dicens : Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Sic et religiosis dici potest : Nisi abundaverit justitia vestra plus quam hominum mundanorum, non introibitis in regnum cœlorum. Non enim claustralium est circa communia langue- C re; et tamen sancti Patres vere fatentur, quod nisi religiosus quotidie discat se frangere, proprias voluntates abjicere, per regularis disciplinæ semitas proficisci, custodite et timorate coram Altissimo conversari, multo deterior fit quam fuit aut esse potuit in mundo : quod revera est nobis semper pensandum, atque terribile verbum, præsertim his qui negligenter se habent. Sed, proh dolor ! quidam suis peccatis et negligentiis in tantum obtenebrantur, ut dici sibi vix tolerent, vix eis valeat D persuaderi, quod negligenter se habeant : imo se esse aliquid arbitrantur, non revolventes quod in Apocalypsi loquitur *Apoc.* III, 17. Deus, Quomodo dicis quia dives sum et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper, cæcus et nudus ? Tales igitur grandi egent instructione.

Insuper Christus Dominus, evangelicæ legis districtionem, perfectionem excellentiamque demonstrans : Audistis (inquit) *Matth.* v, 21, 22; *Exod.* XX, 13. quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit consilio; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Ecce quantam sinceritatem, quantam cordis munditiam, quantam patientiæ ac mansuetudinis virtutem exigit Deus a nobis.

Denique, quum ira sit unum mortalium vitiorum, constat quantum sit fugienda, et maxime consuetudo seu assiduitas irascendi. Contra quam unusquisque tanto incessabilius ac fortius prælietur, quanto ad eam se esse procliviorem ex naturali dispositione aut usu maligno, experimentaliter intuetur. Verumtamen est ira per zelum, quæ ex rationis judicio sponte assumitur, ut contra vitia fortius insurgatur, et opus virtutis efficacius exsequatur. Hæc est ira laudabilis, quæ (secundum Gregorium) rationem sequitur ut ancilla, nec præcedere debet ut domina. Bernardus quoque de ira hac loquens : Occupemus (inquit) iram in quibus expedit, ne ad illicita A inutiliaque prorumpat. Nolite irasci his qui vobis transitoria auferunt, qui convitia inferunt, qui supplicia ingerunt. Irascimini ei quæ sola potest nocere, propriæ scilicet iniquitati. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Qui suis peccatis perfecte irascitur, ceteris non movetur. — Sed, heu! quia ad minima quæque quorum nobis concessus est usus inordinate afficimur, si aliquid horum nobis subtrahatur, aut ab eo cui concessa fuit, res male tractetur, aut non satis cito fuerit B restituta, instar brutorum irascimur, et per verba ac signa interiorem monstramus insaniam. Fugienda igitur nobis est ira, quoniam maxime decet omnem religiosum mansuetudo.

Ira vero præcipue ei illicita indecensque consistit. Primo, quoniam coram Deo et angelis sanctis facit hominem aspernabilem, inordinatum, deformem, fatuo similem et bruto conformem, quoniam vehementer excæcat, perturbat et agitat mentem. *Job* v, 2. Ideo ait Scriptura : Virum stultum interficit C iracundia. *Eccle.* vii, 10. Et Salomon loquitur : Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti quiescit. Est etenim ira fervor iniquus interiora devastans, et flamma gratiam Dei consumens. Propter quod ait Bernardus : Immanis bestia draco est, flatu igneo quidquid attigerit necans, non solum bestias terræ, sed et volucres cœli. Hunc ego iracundiæ spiritum reor. Quanti etiam sublimis vitæ, ut videbatur, flatu illius draconis misere satis in os ejus ruerunt, qui melius sibi ipsis irasci poterant D ne peccarent.

Secundo, quoniam ira per exteriora sua indicia est aliorum multum scandalizativa, facitque hominem hominibus contemptibilem et insensato consimilem. Ira namque per suos effectus evidenter erumpit et prodit se ipsam, atque in tantum irascentem dementat, ut quidquid sibi pro tunc videtur, quidquid suggerit passio, justum ac licitum arbitretur. Idcirco dicit Gregorius : Menti furore ebriæ omne quod recte dicitur, perversum videtur; et omne ad quod ira instigat, rationabile judicat. Itemque : Per iram, inquit, sapientia perditur, ut quid quove ordine agendum sit, nesciatur. Hinc Seneca dixit : Tibi irascenti nihil volo licere, quoniam te irascente, omnia putas tibi licita esse.

Tertio, quoniam ira in se ipsa pœnalis est, et quædam afflictio cordis. Sunt etenim quædam vitia in se delectabilia, maxime quæ ad tactum gustumque pertinent. Alia in se ipsis sunt pœnalia, sicut invidia, ira, indignatio, amaritudo, impatientia, inordinatus timor ac mœror. Idcirco ait Hieronymus : Quid iracundo suus confert furor, quem sævissimis exagitat stimulis, et ita ab omni facit consilio alienum, ut dum irascitur, insanire credatur? Ideo in Ecclesiastico legitur : Non est sensus ubi abundat amaritudo; *Eccli.* xxi, 15. et iterum, Vir iracundus incendit litem. *Ibid.* xxviii, 11. Sicque ira est aliis quoque valde nociva.

Quarto, quoniam ira de habitaculo mentis Spiritum Sanctum expellit, et suæ gratiosissimæ inhabitationis ac susceptionis inhabilem et incapacem statuit animam. Dominus enim, juxta antiquam translationem, per Isaiam protestatur : Super quem requiescet spiritus meus, nisi super quietum et humilem? *Cf. Is.* lxvi, 1, 2. Ira equidem efficit hominem inordinatum, confusum, turbulentum, inquietum et animositate inflatum. Hinc ait Gregorius : Per iram, Spiritus Sancti splendor excutitur, qui super quietum et humilem requiescere dicitur, *Ibidem.* quia dum ira menti quietem subtrahit, suam Spiritui Sancto habitationem claudit. Ideo sanctus quidam asseruit eremita : Sicut fumus hospitem expellit de domo, sic ira Spiritum Sanctum ab animo; et denuo, Iracundus homo etiamsi mortuos suscitet, Deo non placet.

Quinto, quoniam ira facit hominem aliis onerosum, et ad socialem vitam ineptum. Propter quod Salomon contestatur : Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; *Prov.* xxvii, 4. et impetum concitati spiritus ferre quis poterit? *Ibid.* xviii, 14. Rursusque : Spiritum (inquit) ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Propterea dixit Gregorius : Per iram justitia relinquitur, gratia vitæ socialis amittitur, perditur mititas, et lux veritatis repellitur.

Quum ergo tot mala, tot nocumenta inferat ira tam irascenti quam aliis, eam penitus detestemur ac fugiamus ; et Christi atque Sanctorum mansuetudinem patientiamque pensantes, omnem iracundiæ et impatientiæ commotionem vitemus, mites ac patientes nos ipsos in omnibus exhibeamus, nisi in quantum ira per zelum requirit temperatum iracundiæ motum, ut actus justitiæ efficacius exsequatur. Denique propriis defectibus et peccatis in tantum indignemur ac irascamur, quod contra alios nequaquam irrationabiliter moveamur. Unde et in divinis, si quis forte in psalmodia et cantu inordinate, aut aliqualiter dissonanter seu somnolenter se habeat, non protinus immoderanter commoveamur; sed peccata propria quibus ibi per omissionem et commissionem culpabiles sumus, intueamur, et quod tam irreverenter et indevote nos in divinis habemus, tristemur et deploremus. Porro, si quis adhuc tam pusillus et infirmus consistit, ut interiorem iræ commotionem vitare vix queat, saltem a verbis inordinatis et iræ eruptionibus caveat. Propter quod ait Ambrosius : Resiste iræ si potes, cede si non potes; si præoccupaverit et impleverit ira mentem tuam, locum tuum ne deseras : locus tuus patientia est. Isidorus quoque ait : Si non potes iram vitare, tempera; si non potes furoris ortum cavere, cohibe eum et tene silentium : tacendo citius vincis.

Consideremus indesinenter omnem patientiam et mansuetudinem Christi in sua ignominiosissima passione, martyrumque in gravissimis eorum suppliciis, ut sic patientiam et mansuetudinem insuperabilem veraciter addiscamus. Nec cessemus Dei adjutorium invocare, et per præscientiæ ac boni propositi clypeum contra adversa omnia muniamur, siquidem jacula prævisa minus molestant. Recordemur quod divinus Dionysius in epistola ad Demophilum asserit, Moysen, Joseph et David præcipuam apud Deum gratiam invenisse, quia mites fuerunt. Faciamus nobis consuetudinem præliandi contra vitia, maxime contra ea ad quæ proniores nos experimur. Nemo alteri dicat, Raca, seu verbum indignationis, iram interiorem pandentis; nec fatuum proximum appellemus, hoc est, ab omni verbo contumelioso, vituperationem certam et evidentem designante, nos reprimamus, quum hoc ex suo genere sit peccatum mortale etiam gravius detractione, sicut rapina est gravius crimen quam furtum. Epist. VIII.

Postremo de ista materia Climacus ait : Quemadmodum aqua missa in ignem exstinguit flammam, ita profluvium lacrimarum pœnitentiæ et devotionis exstinguit omnem indignationis et iræ furorisque ignem. Inirascibilitas victoria est naturæ, in injuriarum insensibilitate ex agonibus sudoribusque adveniens. Mititas est immobilis constantia animæ, in ignominiis et bonæ famæ divulgationibus se uniformiter habens. Principium inirascibilitatis, est silentium labiorum in conturbatione cordis; medium vero inirascibilitatis, est silentium cogitationum in exili conturbatione animæ; finis vero, fixa tranquillitas in insufflatione spirituum immundorum. Furor est leviter vertibilis motus, morum deformitas, et animæ inhonestas. Quemadmodum lumine apparente recedunt tenebræ, ita ex fragrantia et odore humilitatis omnis amaritudo, ira et furor exterminantur. Multa alia valde accommoda scribit de præsenti materia.

Acquiescamus ergo Apostolo exhortanti : Omnis amaritudo, et indignatio, et ira, *Ephes.* IV, 31.
et clamor tollatur a vobis, cum omni malitia. Quod si quis ex sua paupertate ad iræ commotionem pronus et velox est, nullus tamen perseveret in ira, dicente Apostolo : Sol non occidat super iracundiam vestram. *Ibid.* 26.
In quibusdam namque ira cito accenditur, sed cito exstinguitur. In

aliis cito accenditur, sed difficulter exstinguitur A : quod pessimum esse constat. In nonnullis tarde accenditur, et tarde exstinguitur : quod malum est. In aliquibus vero tarde accenditur, et cito exstinguitur : quod ceteris melius judicatur. Ideo juxta prætacta nos regulemus, iram et ceteras passiones vincamus.

SERMO SEXTUS

DE RECONCILIATIONE FACIENDA ANTE OBLATIONEM.

S*I offers munus tuum ante altare, et ibi* B *recordatus fueris quia frater tuus,* etc. Matth. v, 23, 24.

Ps. x, 8. Sicut ait Propheta, Justus Dominus, et justitias dilexit. Ideo exigit ut qui alterum verbo læsit aut facto, seu aliquo modo offendit, satisfaciat ei antequam aliquid obsequii offerat Deo, prout requirit justitia. Quemadmodum enim non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sic nec opus bonum ex genere a Domino acceptatur, nisi qui offensus est juste reconcilietur, præsertim quum ingratum exstet Spiritui C Sancto quidquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. Ad istud autem, qui offendit, jure naturali atque divino tenetur. Deinceps, extra caritatem nil complacet Deo. Caritas vero reconciliationem istam requirit. Nec solum ante oblationem Deo exhibendam, eundum est ad fratrem (id est quemcumque proximum in hoc mundo degentem) offensum, ad eum sibi reconciliandum ; sed specialiter ad summum et præstantissimum fratrem illum Dei Unigenitum, qui nostram assumendo naturam, D factus est frater noster : quem quicumque offendit, primo eum sibi reconciliet, pœnitendo, veniam postulando, confitendo et satisfaciendo. Sed et Pater cœlestis, Deus Trinitas, universitatis Creator, primo omnium est placandus ; et antequam ei aliquid immolemus, humillime deprecemur ut præteritis nostris indulgeat culpis.

« Si » ergo, o homo, « offers munus tuum ante altare », hoc est, oblationem corporalem aut spiritualem, videlicet aliquem actum ad Dei honorem, volueris facere in templo materiali et ejus altari, sive in altari spirituali et templo interiori, puta in anima et in fide seu caritate ; « et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet adversum te aliquid », utpote justam querelam, eo quod ei in aliquo forefecisti : « relinque ibi munus tuum ante altare », hoc est, inchoatum sive intentum obsequium seu sacrificium intermitte aut suspende, actu vel proposito, realiter inde cessando, aut ipsum differendo, aut mentaliter proponendo agere quæ sequuntur, loco et tempore opportuno ; « et vade prius reconciliari fratri tuo », eum placando et ei satisfaciendo, et veniam postula, ac juxta exigentiam injuriæ fratri tuo a te irrogatæ, recompensationem ei impende. Eundum est autem pedibus corporalibus, si congrue fieri poterit, ut si proximus qui offensus est, non sit longe et possit haberi. Alias pedibus mentis, videlicet affectu atque proposito, est eundum, ut mox ei satisfacere cupias : quod quia non potes, proponas eum accedere et placare opportuno loco et tempore.

Porro, quo injuria proximo facta, est major, et quo ipse qui offensus est, dignior exstat aut melior, eo velocius diligentiusque conandum est ut ei satisfiat et reconcilietur. Istud itaque de necessitate salutis est, secundum expositionem Augustini dicentis : Si tu eum offendisti, ipse habet adversum te, non tu contra eum. Si vero te ille offendit, tu habes adversus eum ;

sed tunc sufficit ut ei ignoscas sicut vis tibi a Deo ignosci. Verumtamen necessarium est culpam fratri ignoscere, etiam antequam veniam petat, secundum quod *Marc.* XI, 25. exigit caritas. Et Christus disseruit : Quum statis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra. Satisfactio autem exigi potest ex caritate et zelo justitiæ, secundum juris tenorem, processum et formam, quanquam laudabilius sit pœnam quoque dimittere, nisi forte hoc cedat in derogationem justitiæ et detrimentum boni communis, et is qui forefecit, ex hoc insolentior fiat, audaciorque ad injuriandum : tunc enim pro ejus salute est ut reprimatur per pœnas. Si ergo alium non offendisti, sed ipse te, non teneris ad ea quæ dicta sunt : quæ tamen si feceris, opus est perfectionis, et magnæ caritatis ac pietatis, copiosumque meritum consequeris.

Unde, secundum Chrysostomum et Cassianum, ad caritatis pertinet perfectionem, ut etiam is qui læsus est, forefactorem suum studeat mitigare, non solum illatam dimittendo injuriam, sed et blandis sermonibus cor ejus caritative mulcendo, quatenus de cetero sincerum ad se gerat affectum. Nempe si alterius quamvis injuriatoris tui potes aversionem curare, ejusque animam de morte peccati eruere modo jam tacto, nec tamen hoc facis, non videris esse in caritate perfectus, nec imitator Christi sincerus, qui pro adversariis sanguinem suum fudit. Imo, quum debeamus Deum altissimum super omnia incomparabiliter semper diligere, debemus omnem ejus inhonorationem atque offensam pro posse vitare : idcirco satagendum est nobis ut et injuriatorem a Dei offensa et odio proximi, ac aliis vitiis in quæ forsan corrueret, præservemus, eum præveniendo et mitigando. Dicit namque Chrysostomus : Ne dicas, Ille mihi nocuit, ille mihi satisfacere debet, non ego illi. Si enim pro gloria et incremento tuæ salutis jubet te Dominus amicitias facere, tu potius nocitus, hoc est nocumentum perpessus, debes nocentem rogare, ut duplicem consequaris coronam : unam, quoniam nocitus es; alteram, quia prior rogasti. Festina ergo inimicum tuum prævenire ad amicitias, ne forsitan te tardante, ille præveniat ad rogandum, et rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Nam si ille tibi nocuit, et ille te rogat, infructuosa est amicitia tua. Quam enim fecisti justitiam ante Deum, si rogatus te placasti ?

Quum ergo prædicta peregeris, « tunc veniens », hoc est, localiter rediens, vel intentionem tuam ad id quod cœperas seu proposueras, revocans, « offeres munus tuum », id est, intentum seu inchoatum Dei obsequium prosequeris.

Præterea, perfectio hominis est, ei assimilari ad cujus imaginem similitudinemque creatus est. *Gen.* I, 26, 27. Quum ergo Deus æternus, a principio mundi, et deinceps per universas ejus ætates, ab hominibus innumerabiliter, gravissime et ineffabiliter prorsus injuriatus, offensus, inhonoratus et contemptus, nihilo minus per cunctas mundi ætates, per se ipsum divino instinctu, per angelos sanctos, videlicet per eorum inspirationes et custodias, per Patriarchas, Prophetas, aut alios homines sanctos, invitaverit transgressores, et prævenerit eos ad suam dilectionem et gratiam, eos hortando et reducendo, imo et per varia beneficia ac promissa id peragendo, et tandem unigenitum Filium suum mittendo in mundum, I *Joann.* IV, 9. et per ejus passionem sibi reconciliando genus humanum, atque per ejus Apostolos ceterosque discipulos, ubique terrarum homines sceleratos ad suam amicitiam, reconciliationem et concordiam inducendo, et ultra hoc sempiternam eis beatitudinem pollicendo, gratiarum quoque copiosa offerendo charismata; debemus nos peccatores vilissimi, Dominum Deum nostrum naturaliter bonum ac pium in isto fideliter imitari, non solum injuriatoribus nostris donando dum veniam petunt, aut pœnam simul cum culpa dimittendo eisdem etiam antequam postulent, vel accedendo A veniamque rogando eos quos verbo, signo factove læsimus, sed insuper eos a quibus læsi sumus præveniendo, et omni modo nobis possibili ipsos ad pacem et amicitiam nostram trahendo, et ultra hæc omnia benefaciendo eisdem.

Præterea, si duo aut plures sibi invicem forefecerint, ita quod singuli remissionem a se mutuo postulare tenentur, tunc ad caritatem humilitatemque spectat, ut unusquisque eorum conetur alterum in petendo veniam et satisfaciendo, si exigit, B prævenire. Qui autem alium læsit obloquendo, tenetur ei restituere famam.

Sed inter hæc consideranda, imo et deploranda est duritia, animositas, indiscretio, excæcatio atque perversitas aliquorum, qui facillime offenduntur, et ad veniæ postulationem difficiles inveniuntur. Qui non solum non curant injuriatores suos sibi reconciliare, prævenire, mulcere, sed induci vix queunt ut ab injuriatis et læsis a se veniam deprecentur, et quod pejus est, quidam tam incircumspecti, tam inconsideratissimi grossissimique consistunt, ut quamvis revera verbo, aut signo aut facto forefecerint fratribus suis, et perturbaverint eos, non tamen advertunt, nec volunt advertere, nec culpam suam fateri ac veniam flagitare, sed in sua persistunt duritia, et contra Christi doctrinam ac jussionem transeunt ad altare, orant, sacrificant, communicant, offerunt, et alios scandalizant, et totum ad graviorem suam damnationem. Advertant hi verba Gregorii circa verba illa Apostoli, Pro Christo legatione fungimur, II *Cor.* v, 20. tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo : Ecce peccando, inter Deum et nos inimicitias et discordias fecimus, et tamen ut ei reconciliemur, ipsemet nos hortatur. Erubescat ergo humana superbia, confundatur unusquisque, si non prior satisfaciat proximo, quum et ipse qui offensus est, ut ei reconciliari debeamus, legatis intervenientibus obsecrat Deus. Cui honor et gloria in æternum. Amen.

DOMINICA VII POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

HUMANUM DICO, PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRÆ. Rom. VI, 19-23.

GLORIOSUS gentium Doctor, in præsenti epistola ad virtutum exercitia multum pie et rationabiliter ac multipliciter nos hortatur. Nam ait : *Humanum dico,* id est, leve præceptum ac rationabile documentum vobis propono : et hoc, *propter infirmitatem carnis vestræ,* hoc est corporis vestri fragilitatem et fomitis inclinationem ad mala, ex quibus contingit quod non estis dispositi ad ardua præcepta implenda. Doctrina namque et jussio proportionanda est capacitati eorum quibus proponitur : idcirco infirmis et imperfectis non sunt statim sublimia documenta difficiliaque præcepta proponenda. Unde ad *I Cor.* III, 1, 2. Corinthios ait Apostolus : Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; quasi parvulis in Christo lac dedi. Deinde ponit præceptum. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ,* id est carnalibus vitiis, utpote gulæ atque luxuriæ, in quibus est evidentior ac maxima turpitudo, *et iniquitati,* id est spiritualibus vitiis, *ad iniquitatem,* hoc est de uno vitio ruendo in aliud, juxta illud *Eccli.* III, 29. Ecclesiastici : Peccator adjiciet ad peccandum. Tales sunt perseverantes in malis : peccatum namque quod per pœnitentiam non deletur, pondere suo trahit ad aliud. Talibus Dominus per Isaiam minatur : *Is.* V, 18. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. *Ita nunc,* agnita veritate, *exhibete membra vestra servire justitiæ,* id A est cunctis virtutibus, manibus eleemosynam dando, pedibus ecclesiam visitando, auribus verbum Dei audiendo, ore Deum laudando, *in sanctificationem,* id est, ad hoc ut ad sanctitatem pertingatis, quatenus casto corpore mundoque corde Domino serviatis, juxta illud Deuteronomii : *Deut.* XVIII, 13. Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo.

Consequenter inducit rationem ad hoc. *Quum enim servi essetis peccati,* id est, dum pravis concupiscentiis ac vitiis obe- B distis, *liberi fuistis justitiæ,* id est, Domino justitiæ caruistis, atque extranei a rectitudine æquitatis fuistis, non obtemperando divinis præceptis : quod veræ libertati maxime derogat. Libere autem servit Deo, qui servit ei libenter et sponte : ideo ad peccandum liber est, qui est servus peccati.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, hoc est, quid utilitatis consequebamini ex peccatis, quando inique vixistis, *in quibus nunc erubescitis,* id est, de quo- C rum vitiorum turpitudine nunc ad Deum conversi verecundamini? Peccator namque, post suam conversionem, divinitus illustratus, et per hoc peccati deformitatem cognoscens, erubescit de vitiis in quibus aliquando gloriabatur, quemadmodum in Ezechiele scriptum est : *Ezech.* XXXVI, 32. Erubescite, et confundimini super viis vestris, dicit Dominus. *Nam finis illorum,* id est finalis merces vitiorum, *mors est,* id est æterna damnatio. Vel, mors hæc temporalis, est finis, hoc est terminus, vitiorum, quia post mortem hanc non possunt impii in turpibus actibus delectari, nec vitia exercere carnalia. *Nunc vero liberati a peccato,* per Christi passionem, per Baptismatis sacramentum et pœnitentiam propriam, per gratiæ infusionem, *servi autem facti Deo,* hoc est, divinis obedientes præceptis, seu evangelicis acquiescentes consiliis ad gloriam Dei, *habetis fructum vestrum,* id est bonorum operum meritum, *in sanctificationem,* hoc est proficiens vobis ad sanctificationem animarum vestrarum, quia per operum bonorum merita animæ efficiuntur formaliter sanctæ, ita ut fructus iste potest dici sanctificatio animæ. *Finem vero,* id est finale consummatumque præmium bonorum operum, habetis jam in spe *vitam æternam,* quæ est beatitudo et merces Sanctorum. De qua apud Joannem *Joann.* XVII, 3. ait Salvator ad Patrem : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. Itaque quidquid in vita hac agimus, ordinare debemus ad hoc, ut coram Deo mentem puram et sanctam habeamus ; ipsaque puritas vitæ præsentis, ad futuram felicitatem tanquam ad præmium est ordinanda.

Deinde ostendit Apostolus, quod finis vitiorum est mors atque damnatio. *Stipendia enim peccati,* hoc est retributio debita quæ pro peccato infligitur, est *mors* temporalis et infernalis : quia pro peccato originali inflicta est mors corporalis, atque carentia beatificæ visionis, sicut adhuc infligitur in æternum infantibus morientibus absque Baptismo ; pro peccato autem actuali mortali infligitur æterna A damnatio, utpote pœna damni, quæ est divinæ visionis carentia, et pœna sensus, videlicet punitio ignis gehennalis.

Gratia autem Dei, id est ex gratia seu per gratiam Dei, datur justis pro præmio *vita æterna,* quæ est cœlestis ac plena felicitas. Non dicitur hoc, merita excludendo, sed ad insinuandum quod principaliter adscribendum sit tantum præmium pietati ac gratiæ Dei, qui etiam ultra condignum remunerat. Electi quippe per gratiam merentur vitam æternam. Idcirco tam meri- B tum quam præmium nostrum, primo et maxime dependet atque procedit ex pietate Dei, et gratia ejus quam causat in nobis. Et quoniam beatitudo ista seu vita æterna est supernaturalis, non potest homo eam promereri per pura naturalia, sed per dona supernaturalia, gratuita et infusa, inter quæ primum est gratia gratum faciens : idcirco ex ea et per eam acquiritur et confertur ista felicitas. Et hoc, *in Christo Jesu Domino nostro,* hoc est, per meritum suæ passionis datur gratia ista C hominibus, atque per idem meritum aperta est janua regni cœlestis, quoniam Christus pro originali satisfecit peccato, ob cujus reatum Sancti in limbo retardabantur a gloria. Unde et infantuli baptizati ante annos discretionis decedentes, merito Christi eis in Baptismate applicato, beatitudinem sortiuntur. Denique vita seu beatitudo æterna consistit in Christo Jesu, tanquam in objecto et causa effectiva principali, secundum divinam ejus naturam. Tota enim Trinitas superbenedicta, D est causa efficiens et objectum beatitudinis omnium electorum.

SERMO PRIMUS

DE GRADIBUS TIMORIS, ET QUOMODO DEO SERVIENDUM CORDE PERFECTO ATQUE VERISSIMO.

TIMETE Dominum, et servite ei corde A *perfecto atque verissimo.* Josue XXIV, 14.

In his verbis tria tanguntur. Primum est, ut Deum timeamus; secundum, ut serviamus ei corde perfecto; tertium, ut id ipsum agamus corde verissimo. Quid est Deum timere? Ejus intuitu a peccatis discedere, quemadmodum in Proverbiis *Prov.* XV, 27. habetur : Per timorem Domini declinat unusquisque a malo. Unde rursus Salomon *Ibid.* XIV, 27. in Proverbiis loquitur: Timor Domini, fons vitæ, ut declinet a ruina mortis. Si autem B iste recessus a vitiis fiat ne pro eis infligatur supplicium, vocatur timor servilis : qui non est meritorius apud Deum, quia non agit amore boni, sed formidine mali pœnalis. Præterea, si malum culpæ vitetur ne Deus inhonoretur, offendatur aut amittatur, vocatur timor sanctus et filialis, ex sincera Dei caritate procedens. De quo in Ecclesiastico multa conscripta sunt, utpote : *Eccli.* I, 22. Timor Domini, corona justitiæ; et, *Ibid.* XXIII, 37. Nihil dulcius quam timere Deum; et, *Ibid.* XXV, 14. Timor Domini super omnia se posuit. Si C vero vitetur peccatum partim formidine culpæ, videlicet ne Deus offendatur, partim formidine pœnæ, ne damnatio infligatur, vocatur timor initialis, dummodo principalius metuatur Dei offensa seu culpa. Propter quod timor iste est meritorius, nec sine caritate habetur.

Itaque in themate præassumpto, sanctus et præclarissimus ille Josue hortatur nos, ut Deum filiali, sancto et casto vereamur timore, tanquam optimum, piissimum, dulcissimum atque carissimum patrem, ne D eum in aliquo offendamus, et ne elongemur aut separemur ab eo, quem in omnibus et super universa diligimus, et in quo solo tota nostra salus consistit. Videmus enim in sæculo isto, quod boni, probi ac dociles filii valde diligunt suos parentes, et eorum offensionem ac inhonorationem sollicite vitant : quanto magis amare debemus Patrem cœlestem et omnipotentem, Deum et Creatorem nostrum, qui omnibus creaturis infinite melior amabiliorque consistit, et a quo totum quod sumus et habemus, accepimus, atque ex ejus singulari ac summo amore universa peccata vitare, quia per nil nisi per peccata inhonoratur, offenditur, separatur? Scriptum est enim : *Eccli.* I, 20. Plenitudo sapientiæ, est timere Deum; itemque: *Ibid.* 13, 28. Timenti Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis benedicetur; qui autem sine timore Dei est, non potest justificari.

Secundo, hortatur nos Josue ut serviamus Deo « corde perfecto ». Quid est Deo servire? Mandata ejus implere. Et quid est Deo servire corde perfecto? Hoc est mandata ejus servare cum omni diligentia atque custodia cordis, sicut ait Psalmista : *Ps.* IX, 2; LXXXV, 12; CX, 1; CXXXVII, 1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, id est mente recollecta ac stabili, tibi soli intenta, non vaga et intimorata. Denique Deo servimus, non solum per bona opera exteriora, videlicet eundo ad divina Officia, eleemosynas dando, orando, genua inclinando, sed multo plus per actus interiores, videlicet in ipsum credendo, in eo sperando, ipsum fervide diligendo, ejus honorem et gloriam in omnibus intendendo, eum fideliter contemplando, salutaria meditando. Isti sunt actus dignissimi, per quos Deus potissimum colitur, honoratur, eique servitur, quemadmodum primo Regum Samuel exhortatur : *I Reg.* VII, 3. Præparate corda vestra Domino, et servite illi soli.

Tertio, sanctus Josue nos hortatur ut serviamus Deo corde verissimo. Quid est Deo servire corde verissimo? Et respondendum, quod quum triplex sit veritas, utpote veritas vitæ, veritas doctrinæ, veritasque justitiæ, servire Deo corde verissimo, est Deo servire corde ab omni iniqua operatione, ab omni falsitate, ab omni simulatione, calliditate et obliquitate penitus alieno. Est enim necessarium ad salutem, ut omne opus mortaliter culpabile evitetur, omnis quoque error contrarius fidei et determinationi Ecclesiæ repellatur, et ea quæ directe contrariantur justitiæ, scilicet duplicitas, hypocrisis, versutia, abjiciantur : quia ut in Job asseritur, *Job* XXXVI, 13. Simulatores et callidi provocant iram Dei. *Prov.* XIV, 17. Salomon quoque fatetur : Vir versutus odiosus est. Et in Ecclesiastico inducitur : *Eccli.* II, 14. Væ duplici corde et labiis scelestis.

Præterea, his documentis concordant quæ in epistola hodierna proponit nobis *Rom.* VI, 19. Apostolus, dicens : Sicut per membra nostra inhonoravimus Creatorem nostrum altissimum, serviendo peccatis per ea, hoc est exhibendo ea instrumenta ad male agendum, videlicet linguam ad blandiendum, mentiendum, detrahendum, garriendum ac decipiendum, et ita de aliis membris nostris, per quæ multa commisimus vitia; sic nunc per membra nostra honoremus Deum et Creatorem nostrum, universis membris bene utendo, et bona per ea agendo ad gloriam Creatoris. Quemadmodum enim totum quod sumus et habemus, a Deo accepimus, sic totum ad Dei honorem, laudem et gloriam convertere et referre seu ordinare debemus.

O quam perverse et impie agunt miseri peccatores, qui se ipsos ac sua ad dæmonum vertunt obsequia, qui in peccatis se occupant, atque ad Creatoris contumeliam abutuntur se ipsis et bonis desuper datis ! Ecce si rex aut princeps terrenus alicui militi daret equum, arma, pecunias ad militandum ac serviendum sibi fideliter, quantum indignaretur rex aut princeps si miles ille non solum hoc ipsum non faceret, sed insuper adversario regis seu principis sui se sociaret, consentiret ac deserviret : nonne incomparabiliter plus Deus justus et sanctus indignari potest ingratissimis impiisque hominibus, quibus corpus et animam, membra et vires, bona exteriora, imo et supernaturalia dona largitus est ut sibi fideliter obsequantur? Et tamen non solum non agunt hoc, sed ad Creatoris injuriam diabolicis consentiunt tentamentis, concupiscentias suas sequuntur, Dei et Ecclesiæ transgrediuntur præcepta. Nonne justissima apparebit horum damnatio in die judicii, imo et protinus dum egrediuntur de corpore, juxta illud Isaiæ, *Is.* III, 11. Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet?

Amplius, quo Deus omnipotens omni creatura melior exstat ac dignior, tanto reverentialius ac diligentius serviendum est ei. Quid ergo tam vile ac erubescibile, sicut quod post conversionem nostram, pigriores, negligentiores frigidioresque sumus in Dei obsequio, quam ante eramus in servitute diaboli, carnis et mundi? Certe per multas horas confabulari, jocari, ac ceteris pravitatibus immorari, non erat tunc laboriosum aut tædiosum; et tamen jam per unam horam orationibus devotis, meditationibus sanctis, divinis laudibus occupari, difficile nobis ac tædiosum consistit. Nondum ergo tam fervidi sumus in Dei obsequio, sicut eramus in vitiorum dæmonumque servitio. Erubescamus itaque, deploremus et emendemus culpas, ingratitudines et negligentias nostras : quia ut in Ecclesiastico habetur, *Eccli.* II, 22. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, et non in manus hominum.

Præterea, quam turpia atque enormia sint peccata nostra præterita, diligentissime attendamus, de quorum fœditate et gravitate jam verecundamur; sed ita de eis nunc pœniteamus, ne nobis in die judicii nostri particularis aut universalis valeant objici, ne tunc de eis coram Deo et Sanctis ejus ac aliis confundamur. Consideremus sagaciter quam vehementissime erubesceremus, si universa peccata nostra nobis coram paucis hominibus objicerentur ac recitarentur. Quam erubescibile ergo erit, coram Deo et Sanctis ejus ac aliis ea manifestari nobisque objici? Deinde autem, post tantam confusionem infligetur æterna damnatio.

Postremo, per hoc quod in exordio hujus epistolæ ait Apostolus, Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, *Rom.* VI, 19. docentur fideles, præsertim prælati ac prædicatores, ut discreti et pii sint in præcipiendo ac instruendo, capacitatem et dispositionem subditorum seu proximorum pensantes, nec alta atque subtilia pro humana laude aut commodo temporali proponant, sed ea quæ magis ædificant audientes : cujus tamen oppositum multi vani et scioli agunt.

Legitur in Vitaspatrum, quod unus discipulorum sancti abbatis Pastoris transivit ad aliam regionem pro quodam negotio, venitque ibi ad quemdam abbatem et eremitam, qui fuit vir famosus ac litteratus, ita quod multi quotidie venerunt ad eum pro informatione ac consolatione. Præfatus autem discipulus abbatis Pastoris, loquens cum illo eremita, inter cetera recitavit ei multa de sanctitate atque virtutibus abbatis Pastoris, ita quod eremita ille proposuit, tempore sibi vacante, visitare abbatem Pastorem. Post aliquot itaque dies arripuit iter, et primo venit ad prædictum abbatis Pastoris discipulum. Qui cum magno gaudio et honore suscepit eremitam præfatum; deinde intravit cellam abbatis Pastoris, dicens ad eum : Quidam vir magnus A de loco remoto venit huc, cupiens loqui tecum. Post hoc introduxit eremitam illum ad abbatem Pastorem, et exiit. Quo egresso, cœpit eremita ille loqui cum abbate Pastore de rebus altis et difficilibus sacræ Scripturæ eloquiis. Porro abbas Pastor penitus tacuit, et nullum verbum respondit. Ideo tandem eremita ille admirans et tristis exivit, dixitque Fratri præfato : Putabam quod senex iste responderet mihi, et ecce nullum verbum mihi respondit. Tunc Frater ille intravit ad abbatem B Pastorem, et dixit : O abba Pastor, vir iste qui tantum habet honorem in loco suo, venit ad te, et tu nihil locutus es ei ? Respondit abbas Pastor : Vir iste de cœlo est, ego autem de terra sum. Hoc audito, Frater ille exivit, et dixit ad eremitam : Abbas iste Pastor non cito loquitur de divinis Scripturis et altis materiis. Tunc eremita ille rursus ingressus est cellam abbatis Pastoris, dixitque : Quid faciam, abba Pastor, quia passiones et peccata adhuc dominantur mihi ? Tunc C abbas Pastor exhilaratus, respondit : Modo bene venisti; nunc os meum aperiam, et implebo illud bonis. Cœpitque abbas Pastor de virtutibus et vitiis valde sapienter conferre cum eremita prædicto. Qui auditis verbis abbatis Pastoris, dixit : Vere hæc est via salutis. Et ita cum ingenti lætitia recessit, gratias agens Domino Deo et Fratri præfato, quod tam sanctum virum vidit atque audivit. Hoc exemplo docemur loqui de pertinentibus ad salutem, omni vanitate exclusa.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM TURBA MULTA ESSET CUM JESU, NEC HABERENT QUOD MANDUCARENT, ETC. Marc. VIII, 1-9.

IN evangelio hodierno describitur præclarum Christi miraculum. Et textus quantum ad sensum litteralem, difficultatem D non habet : ideo immorandum non reor. Ait itaque Evangelista : *Quum turba multa esset cum Jesu.* Quam magna enim fuerit turba ista, in fine evangelii hujus A panditur, quo habetur : Erant quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres. *Nec haberent quod manducarent,* quia victualia quæ secum detulerant, consumpserunt. *Convocatis discipulis* suis, hoc est Apostolis, quibus tanquam familiaribus et amicis sua manifestavit secreta. In quo etiam præsidentibus ac prælatis saluberrimum dedit exemplum, ut in rebus magnis utantur subditorum consilio, et *Joann.* III, 8. prius de agendis tractent cum eis. Spiritus enim ubi vult, spirat; et interdum revelat simplicibus atque humilibus quæ a magnis et litteratis abscondit, quemadmodum apud Matthæum Christus ait ad *Matth.* XI, 25. Patrem : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Unde et *Prov.* III, 32. Salomon in Proverbiis loquens de Deo : Cum simplicibus (inquit) sermocinatio ejus. *Ait illis : Misereor super turbam,* hoc est, fami et indigentiæ ac lassitudini ejus condoleo, *quia ecce jam triduo sustinent me,* id est, per tres dies mecum manserunt, et C ita quæ secum tulerunt, consumpta sunt. In hoc autem quod tamdiu permanserunt cum Christo, patet amor eorum ad ipsum, et devotio ad ipsius doctrinam ac signa. Nam statim ante istud miraculum fecit Jesus multa valde miracula. Unde in Matthæo *Matth.* XV, 30. legitur : Accesserunt ad Jesum turbæ multæ, habentes secum mutos et claudos, cæcos, debiles, et alios multos infirmos; et projecerunt eos ante pedes ejus, et curavit eos. Atque, ut evangelista Matthæus enarrat, post hæc protinus fecit quod mo- D do describitur. Itaque propter tot et tanta Christi miracula, et propter eloquentiam, sapientiam consolatoriamque præsentiam ejus, tam continue secum manserunt. *Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via* ex fame et lassitudine. *Quidam enim ex eis de longe venerunt,* quibus majus instabat periculum, nisi a Christo fuissent refecti.

Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine ? quasi dicant : Non videtur fieri posse. In quo patet imperfectio discipulorum, quia adhuc rudes fuerunt. Nam paulo ante viderunt quemadmodum Christus ex quinque panibus duobusque *Matth.* XIV, 15 et seq. piscibus saturavit quinque millia virorum, qualiter etiam, sicut jam dictum est, statim ante hæc verba fecit tam multa prodigia : unde considerare debuerant, quod eadem virtute posset et istis de victualibus providere. *Et interrogavit eos.* Non ex ignorantia interrogavit, sed ut ex discipulorum B responsione, magnitudo miraculi evidentius innotesceret. *Quot panes habetis ? Qui dixerunt : Septem.* Habebant quoque paucos pisciculos, secundum Matthæum. *Ibid.* XV, 34.

Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes et præfatos pisciculos, omnia simul ante se ponens, *gratias agens* secundum quod homo, Deo Patri, seu toti supergloriosissimæ Trinitati, omnium bonorum omnipotenti datori ac liberalissimo fonti. Quid autem gratias agendo dixerit, non exprimit Evangelista, sed expressit Joannes Lazari suscitationem describens. Unde apud Joannem legitur : Jesus elevatis sursum oculis, dixit, *Joann.* XI, 41. Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. *Fregit* panes, forsitan et pisciculos, atque frangendo multiplicavit panes potestate sua divina increata, immensa, sive per creationem, ut probabilius dicitur (quia, secundum Augustinum, omnipotentia Domini fons panum fuit), seu aliter; *et dabat discipulis suis* panes fractos et multiplicatos, *ut apponerent* panes turbæ. Nam et inter discipulorum manus creduntur panes fuisse multiplicati usque ad abundantiam. *Et apposuerunt turbæ. Et habebant* discipuli *pisciculos paucos; et ipsos benedixit,* ac benedicendo multiplicavit, sicut de panibus dictum est; *et jussit apponi* turbæ. An simul benedixit ac multiplicavit panes atque pisciculos, an seorsum, non satis certum videtur.

Et manducaverunt, et saturati sunt, id est sufficienter, non gulose, refecti. Sed quid biberunt ? De hoc Evangelista nil scribit, sed poterat omnipotentis virtus A Christi panibus et piscibus dare vim taliter reficiendi quod potu non eguerunt. *Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas,* id est, Apostoli, et forsitan aliqui alii discipuli cum eis impleverunt septem cophinos ex reliquiis cibariorum. In quo magnificentia signi hujus ostenditur. *Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia.* Apud *Matth.* xv, 38. Matthæum absolute dicitur quod erant quatuor millia. Consuetudo Scripturæ est de minutiis numeri ac temporis non curare, sicut in Genesi sæpissime legitur quod homines vixerunt tot aut tot annis : quod non est intelligendum præcise, quasi omnes illi ultimo die anni obierint. Erant ergo quatuor millia, præter pueros et mulieres. Pueri vero in Scripturis vocantur, qui annum nondum attigerunt vicesimum, quasi inepti ad bella procedere, ut in libro Numerorum habetur. *Num.* I, 3, 20 et seq.

Porro de mystico hujus evangelii intellectu in sermone mentio fiet.

SERMO SECUNDUS

DE SEX CONSIDERATIONIBUS EX QUIBUS POTISSIMUM LIQUET IMMENSITAS MISERICORDIÆ DEI AD HOMINES ; ET QUO MENTIS DESIDERIO AUDIENDUM SIT VERBUM DEI, IPSIQUE CHRISTO ADHÆRENDUM PER TRIDUUM.

MISERERIS omnium, Domine, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Sap. XI, 24. B

Sicut in oratione ait Ecclesia, Deus omnipotentiam suam parcendo et miserando maxime manifestat. Quod enim iniquis gratiam conversionis infundit, corda illorum immutans, et quo vult ea inclinans, imo in instanti de malo in bonum vertens, opus est infinitæ potentiæ, solique Deo omnipotenti possibile. Propter quod asserit Augustinus, quod justificatio C impii est majus opus Dei quam creatio mundi. Præterea, ad personas potentes, magnanimes ac sublimes potissimum pertinet promptitudo misericordiæ. Propter quod etiam Tullius de Julio imperatore fatetur, quod nulla virtus fecit eum ita laudabilem, ut sua clementia. Hinc reges et præsides debent esse misericordes. Propter quod Salomon loquitur : Firmatur clementia thronus regis. *Prov.* xx, 28.

Apoc. XIX, 16. Itaque Deus, rex regum et dominus universorum, vere piissimus est, nec possu- D mus ejus misericordiam satis mirari, quod tamdiu ac patienter sustinet peccatores, imo gravissimis peccatoribus benefacere non desistit. Primo, quoniam indesinenter conservat eos in esse et vita naturali. Quum enim nulla creatura possit per momentum subsistere aut in esse manere, nisi Deo continue conservante, constat quod misericordissimus Deus impios quoque ac pessimos conservat in esse, vivere, ceterisque donis naturæ. Magna fuit misericordia David regis, quod adversarium suum Saulem regem in manus suas bis lapsum non interfecit, nec a militibus suis occidi permisit; verumtamen dixit ad illum : Videat Deus patrum nostrorum, et judicet inter me et te, et ulciscatur me de te. I *Reg.* XXIV, 4 et seq.; XXVI, 7 et seq.; XXIV, 13. Sed incomparabiliter major est misericordia Dei super iniquos, quorum non interitum sed salutem exspectat et vult, quemadmodum in Ezechiele habetur : Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat ? *Ezech.* XVIII, 23.

Secundo, patet immensitas misericordiæ

Dei in hoc quod non solum bonis, sed et malis pravissimisque hominibus, necessaria vitæ et bona exteriora tam liberaliter exhibet, victum, vestitum, divitias et honores. Quis proprium inimicum taliter nutrit ? *Luc.* vi, 35. Hinc ait Salvator : Altissimus benignus est super ingratos et malos. Nam ut *Matth.* v, 45. Matthæus plenius scribit : Solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.

Tertio, quoniam peccatores a morte temporali ac æternali quotidie et tamdiu tuetur. Quandocumque enim quis peccat mortaliter, meretur immediate non solum æternaliter condemnari, sed corporaliter quoque occidi, eo quod tantam faciat Deo creatori suo injuriam. Unde, secundum Augustinum, peccator indignus est pane quo vescitur, terra quam calcat, aere quem respirat, et propria vita qua vivit, imo omni beneficio Dei ; idque meretur qui mortaliter peccat, ut omnis creatura contra eum insurgat, et Creatoris sui injuriam ulciscatur in eo. Quum ergo diabolus sit tam atrocissimus hominum hostis, certissimum est quod mortaliter transgredientem paratissimus sit protinus corporaliter trucidare, ejusque animam ad inferos rapere : idque perageret si permitteret Deus. II *Cor.* i, 3. Sed ipse Pater misericordiarum et Deus totius consolationis hoc prohibet, et sceleratos tamdiu a duplici morte tuetur. Hinc *Thren.* iii, 22. in Threnis dicitur : Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus. Et Isaias : *Is.* i, 9. Nisi Dominus Sabaoth (inquit) reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.

Quarto, quoniam unicuique homini quantumlibet impio, ingrato ac perfido, ex ordinatione divina adest angelus sanctus, per quem Deus bona inspirat hominibus, atque a multis peccatis retrahit ac custodit iniquos.

Quinto, quoniam indesinenter per divinos instinctus, per angelicas inspirationes, per hominum prædicationes et exhortationes, per Scripturas, per dona et beneficia sua, per Sanctorum miracula et exempla, A invitat peccatores ad pœnitentiam, offerens se paratissimum ad ignoscendum, sicut per Ezechielem testatur : *Ezech.* xviii, 32, 23. Revertimini et vivite, quia nolo mortem morientis (id est inique agentis, aut quod debitum est negligentis), sed ut convertatur et vivat. In Isaia quoque scriptum est : *Is.* xxx, 18. Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri. Hinc et beatissimus princeps Apostolorum in sua secunda protestatur Canonica : II *Petr.* iii, 9. Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad B pœnitentiam reverti.

Sexto, quoniam pœnitentibus veniamque petentibus, non solum universa indulget peccata, sed insuper pretiosissima atque supernaturalia Spiritus Sancti dona, gratiam gratum facientem et virtutes largitur, infundit, conservat ; et animas paulo ante tam turpes, tam vitiosas ac fœdas, tam innumerabilibus enormibusque peccatis sordentes, tam misericordissime adspicit, visitat, ornat, implet, amplectitur, et intime sibi unit atque conformat, in C tantum ut frequenter ubi plus abundavit delictum, abundet plus gratia. *Rom.* v, 20.

Itaque, quum talis et tanta sit bonitas, caritas et misericordia Dei ad homines, non simus ei ingrati, nec indulta pœnitentiæ tempora infructuose pertranseamus, sed fructuose ac salubriter expendamus ; et Deum cordialiter in omnibus et super omnia diligentes, cum omni diligentia et gratitudine, perseveranter et infatigabiliter obsequamur eidem.

Præterea, hanc misericordiam Dei docet D nos evangelium præsens, quoniam Christus, Deus et homo, adspiciens populum copiosum se assequentem, dixit Apostolis : Misereor super turbam. *Marc.* viii, 2. Si enim corporali penuriæ et fami turbæ illius misertus est, multo amplius miserebitur spirituali indigentiæ et fami animarum nostrarum, si ad eum nos convertamus. Quo etenim anima corpore exstat præstantior, et quo major est miseria carere virtutibus quam corporalibus alimentis, eo Dominus noster Jesus Christus pronior est animabus misereri ac subvenire, virtutibus eas ditando ac spiritualiter reficiendo, quam vilibus mortalibusque corporibus. Clamemus ergo cum plena fiducia et incessanti instantia ad Dominum Deum nostrum, ut animas nostras reficiat, roboret, ditet, jugiterque conservet, gratiarum charismata infundendo, infusa perficiendo, atque ad finem saluberrimum perducendo. Hinc enim ad *Hebr.* IV, 16. Hebræos hortatur Apostolus : Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Secundo docemur ex evangelio hodierno, ut cum turba hac verbum Dei cum ingenti mentis desiderio audiamus, et Christo ac ejus vicariis, prælatis prædicatoribusque devotis stabiliter adhæreamus ac fervide. *Luc.* XI, 28. Beati enim qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. *Joann.* VIII, 47. Et, Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Rursusque *Ps.* XVII. 26. scriptum est : Cum sancto sanctus eris. Illis ergo applicare se debet Christianus, a quibus virtutum exempla, sapientiæ documenta, consiliorum moderamina possit accipere. Illorum quoque consortia sunt vitanda, qui trahunt ad vitia, ad ludos, jocos, cachinnos, curiositates et carnalitates. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* XIII, 1. Qui communicaverit superbo, induet superbiam; et rursus, *Ibid.* VIII, 18, 19. Cum audace non eas in via, quoniam tanquam nihil est ante illum sanguis. Denique gulosi et lubrici ad sua alliciunt inquinamenta socios suos.

Tertio ex evangelio isto docemur Christo adhærere per triduum. Possunt autem per tres dies intelligi contritio cordis de omni peccato, confessio oris plenaria, et satisfactio operis digna. Quemadmodum itaque omni hora peccamus, saltem in venialibus culpis, sic omni hora de nostris peccatis cordialiter doleamus, ingemiscamus, veniam deprecemur, et congruo tempore confiteamur, quoniam in confessione omnia lavantur. Confessio quoque sit pura, plena, aperta, cum pudore de turpitudine vitiorum, cum humili recognitione propriæ defectuositatis ac vilitatis, cum fervi- A do desiderio divinæ miserationis. Satisfactio demum sit condigna, prout magnitudo exegerit culpæ. Nam satisfactio seu pœnitentia quam facit homo in mortali exsistens peccato, non est sufficiens nec Deo accepta, sed recuperanda. — Insuper, per tres dies istos intelligi possunt tres status divini obsequii, scilicet status incipientium, status proficientium, et status perfectorum. Et in unoquoque istorum adhærere debemus Deo per caritatem, humilitatem ac proficiendi conatum : ut ex Dei amore omnia B faciamus ad ipsius honorem ; per humilitatem, omnem profectum nostrum, et quidquid in nobis exstiterit boni, Deo fideliter adscribamus; atque per jugem proficiendi conatum, semper ad meliora ac *Hebr.* VI, 9. viciniora saluti tendamus. Nec unquam in vita hac nos apprehendisse putemus *Philipp.* III, 13. bonum quo gradimur, aut sufficere quod jam fecimus, quum dicat Apostolus : *Galat.* VI, 3. Qui se putat aliquid esse quum nihil sit, ipse se seducit. Imo quotidie in vera humilitate, in sancta obedientia, in stabili C mansuetudine, in insuperabili patientia, in sincerissima Dei et proximorum omnium caritate conemur proficere, sicut hortatur Apostolus : *I Cor.* XII, 31. Æmulamini charismata meliora; et Christus in Evangelio : *Luc.* XIX, 13. Negotiamini dum venio. Siquidem stare et non progredi, est a bonis cessare atque retrogradi. — Iterum, per tres dies istos intelligi possunt principium operis boni, prosecutio ejus, et perseverantia in eodem usque in finem, seu felix consummatio in eodem. Debemus igitur bona opera D fideliter inchoare, viriliter continuare, salubriter consummare, quoniam *Matth.* X, 22; XXIV, 13. qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. — Postremo, per tres dies istos possunt intelligi tres ætates hominis principales, videlicet pueritia, juventus, senectus. In quibus Domino Deo adhærere atque servire debemus, quatenus ei soli, pueritiæ florem, juventutis vigorem ac senectutis maturitatem plenarie offeramus. Cujus contrarium agunt multi, quoniam pueritiam ac juventutem in vanitatibus voluptatibusque volunt consumere, et solas senectutis fæces Deo offerre, quum tamen de crastino sint incerti. Isti sunt Deo nimis ingrati, qui suam pueritiam ac juventutem tam fervide amant, et tamen pueritiæ ac juventutis auctorem ac conservatorem in eis tam multipliciter enormiterque offendunt.

Quarto ex evangelio isto docemur moderato ac simplici victu esse contenti. Christus enim, non diversa nec delicata pretiosaque alimenta contulit turbæ, sed panem tantum atque pisciculos. Convivia namque delicata ac splendida Deo non placent, animam perimunt, corpori quoque nocent : quia in conviviis talibus regnant ventris ingluvies, gulæ voracitas, linguæ loquacitas, deinde dissolutio et choreæ, deinde dominatur libido et immunditia detestanda. In hujusmodi demum conviviis sunt expensæ superfluæ; et unde multis posset subveniri pauperibus, in paucorum expenduntur delicias. Taliter ergo *Luc.* XVI, 22. convivantibus reservatur societas divitis *Ibid.* VI, 25. epulonis in inferis, quum dicat Salvator : *Ibid.* 24. Væ vobis qui saturati estis; et, Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.

Itaque ex evangelio isto discamus Christi caritatem ac misericordiam imitari, sicut in Vitaspatrum de duobus legitur Fratribus. Erant enim duo Fratres simul in eremo habitantes. Quumque unus eorum gravem incurrisset tentationem, et in vitium carnis lapsus fuisset, atque ob hoc desperare vellet et reverti ad sæculum, alter rogavit eum ut secum rediret ad eremum, quatenus simul pœnitentiam agerent. Et quum ille qui peccavit non acquiesceret ei, dixit innocens Frater ille : Ecce, carissime frater, ego dimidium tui peccati super me capio, et pro te dimidium pœnitentiæ huic peccato debitæ facere volo : tantum hoc rogo, ut simul redeamus in eremum. Tunc Frater ille culpabilis, compunctus in verbis tantæ caritatis et compassionis sui confratris, acquievit exhortationibus ejus, rediitque in solitudinem secum, et condignam ibidem pœnitentiam fecit. In quibus impletum est quod Salomon dixit : Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita. *Prov.* XVIII, 19.

SERMO TERTIUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE CONVIVII DE QUO IN EVANGELIO HODIERNO LEGITUR, ET DE SEPTEM PANIBUS QUOS CHRISTUS QUOTIDIE FIDELIBUS SUIS APPONIT.

V*ENITE ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. XI, 28. Hæc sunt verba Christi.

Matth. VII, 14. Quoniam Salvatore testante, Arcta est via quæ ducit ad vitam, atque angusta *II Tim.* II, 5. porta salutis; et ut fatetur Apostolus, Non coronatur nisi qui legitime certaverit : constat quod omnes Christo veraciter servientes, graves ac varios interdum habent *Matth.* XI, 12. labores, præsertim quia regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Salubriter quippe violenti sunt, qui vincunt se ipsos, et dominantur animo suo : quæ om- *Prov.* XVI, 32. nia absque labore non adimplentur. Hos ergo qui in præsenti exsilio laboribus pœnitentiæ exercentur, et tribulationibus tentationibusque gravantur, Christus invitat ut eum accedant per fidem, dilectionem et invocationem, promittens quod eos reficiet pane vitæ et intellectus, sanctis me- *Eccli.* XV, 3. ditationibus, cœlestibus consolationibus, caritatis ardoribus, futuræ felicitatis prægustibus, æternæ et increatæ suæ bonitatis atque dulcedinis gratiosis saporibus; ita

quod ex certissima experientia fatebun- A
Ps. xxx, 20. tur : Quam magna multitudo dulcedinis
Thren. iii, 25. tuæ, Domine ! Itemque : Bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum. De taliter refectis Propheta loquitur
Ps. cxliv, 7. Deo : Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Istud spirituale convivium figuratum est per corporale convivium de quo in evangelio isto fit sermo. Itaque per quatuor millia illa quæ Christus pavit ex septem panibus ac paucis pisciculis, designatur universitas populi christiani, doctrinam quatuor Evangelistarum implen- B tis, et quatuor virtutes cardinales habentis. Christifideles ergo hujusmodi reficiuntur a Christo septem panibus, id est septem donis Spiritus Sancti.

Primus panis, est donum sapientiæ. Hæc sapientia est cognitio divinorum saporosa et affectiva, quæ non habetur nisi ab exsistentibus in caritate et gratia. De qua ait
II *Cor.* iii, 18. Apostolus : Nos autem revelata facie, id est mente illuminata, gloriam Domini speculantes, id est divinæ majestatis altitudinem ac beatitudinem contemplantes. Per C hoc etenim donum illuminat Spiritus Sanctus mentem ad summæ Trinitatis ac simplicissimæ Deitatis contemplationem aliqualem in hac vita habendam, ut fideliter contemplemur quam magna et infinita est bonitas, perfectio et felicitas Dei nostri, quemadmodum ad Ephesios orat et ait
Ephes. i, 17. Apostolus : Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, in agnitione ejus. Hic est nobilissimus et mentem valde confortans ac lætificans panis, ad cujus gustum et esum
Ps. xxxiii, 9. hortatur Propheta, dicendo : Gustate, et D videte quoniam suavis est Dominus; item-
Ibid. 6. que, Accedite ad eum, et illuminamini.

Secundus panis, est donum intellectus. Intellectus enim, in quantum est unum de septem donis Spiritus Sancti, est supernaturalis et infusus habitus per quem rationes credendorum cognoscimus, seu aliqua argumenta veritatis fidei christianæ inspicimus, utpote quoniam Deus hanc fidem per diversa confirmavit miracula, et innumerabiles sanctissimi viri sic crediderunt. Ex veteri quoque Testamento omnia probantur quæ credimus. Pro quo pane orat Psalmista, dicendo : Da mihi intellectum, et *Ps.* cxviii, 34.
scrutabor legem tuam. Hic autem intellectus non est informis, sed formata notitia credendorum, seu rationum propter quas credimus.

Tertius panis, est donum consilii, per quod illuminamur atque dirigimur a Spiritu Sancto ad intelligendum quid magis expediat in agendis, et quid sit consulendum in illis, præsertim in his in quibus naturalis deficit ratio, et quæ ad evangelica Christi consilia pertinent. In quibus omnibus tot sunt circumstantiæ et varietates considerandæ, tamque difficile est invenire quid magis expediat, quod supernaturali directione et illuminatione Spiritus Sancti vehementissime indigemus. Ideo Sapiens asserit : Quis hominum poterit *Sap.* ix, 13, 17.
scire consilium Dei, aut quis hominum poterit cogitare quid velit Deus, nisi tu, Domine, dederis sapientiam, et miseris spiritum tuum de cœlis ?

Quartus panis, est donum fortitudinis, per quod supernaturaliter confortamur a Spiritu Sancto ad exsequendum invicte ea quæ per donum consilii cognovimus esse agenda, secundum illud ad Ephesios : Con- *Ephes.* vi, 10.
fortamini in Domino et in potentia virtutis ejus.

Quintus panis, est donum scientiæ. Hæc autem scientia quæ est donum, non est scientia acquisita humana, sed supernaturalis infusa, per quam de creaturis bene sentimus ac judicamus, easque vere et affective cognoscimus : utpote, quod in eis non sit finis ultimus statuendus, imo quod in se ipsis vanitati subjectæ sint, ideoque *Rom.* viii, 20.
ad Deum sint referendæ, nec appetendæ nisi in quantum proficuæ aut necessariæ nobis sunt ad pertingendum ac adipiscendum ultimum finem. Hæc est salutaris scientia de qua ait Scriptura : Dedit illi sci- *Sap.* x, 10.
entiam sanctorum. De qua loquitur Isaias :
Divitiæ salutis, sapientia et scientia. *Is.* xxxiii, 6.

Sextus panis, est donum pietatis, per quam bene et pie afficimur seu benevoli sumus ad proximos, in quantum ad Dei imaginem et similitudinem sunt plasmati, sicque eisdem pro viribus subvenimus. 1 *Tim.* IV, 7. De qua ait Apostolus : Exerce te ipsum ad pietatem.

Septimus panis, est timor Domini filialis, castus et sanctus, optime mentem confortans ne peccatis succumbat : de quo pane dictum est sæpe. Unde in Ecclesia- *Eccli.* XXV, 15. stico scriptum est : Beatus cui datum est habere timorem Dei.

Præterea per pisciculos panibus junctos, possunt intelligi dona gratiæ gratis datæ. Quæ parva sunt valde respectu donorum Spiritus Sancti, quoniam bonis ac malis communia sunt, neque per se efficiunt hominem Deo acceptum; et tamen conferuntur a Spiritu Sancto, dicente Apostolo: I *Cor.* XII, 8-10. Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii genera linguarum, alii discretio spirituum, etc. Per hæc dona gratiæ gratis datæ, efficiuntur hominibus dulciora exercitia virtutum atque donorum. Possunt quoque per istos pisciculos intelligi scientiæ et virtutes acquisitæ ac naturales, quæ bene utentibus cooperantur ad bene vivendum, ad spiritualem profectum, ad contemplationem cœlestium.

Denique, quamvis hos cibos Deus det effective immediate per se ipsum, quantum ad habitus infusos creatos, dispositive tamen, et ministerialiter ac instrumentaliter dedit eos hominibus per beatos Apostolos, quia per impositionem manuum *Act.* VIII, 17; XIX, 6. eorum dabatur Spiritus Sanctus in signo sensibili, et per prædicationem eorum disponebantur corda hominum ad illuminationem divinam.

Postremo, si ita a Christo refici affectamus, sequamur ejus vestigia, et ei stabiliter adhæreamus, carnalia solatia aspernando, mundi honores ac vanitates vitando, locum pœnitentiæ, secretum orationis, arcem contemplationis introeundo, ut soli Deo saltem interdum omni die vacemus. Unde de sancto abbate Arsenio legitur, quod quum adhuc in palatio esset imperatoris, venit ad eum vox de cœlo, dicens : Arseni, si vis salvari, fuge homines. Post aliquot dies Arsenius dixit ad Deum : Domine, volo salvus fieri, et nescio quomodo. Venitque iterum vox de cœlo, et dixit : Arseni, si vis salvari, fuge homines, tace, quiesce. Quibus auditis, S. Arsenius universa quæ mundi sunt dereliquit, eremumque ingressus est. In qua quinquaginta quinque annis Deo in omni sanctitate, abstinentia et rigore servivit, atque post hoc in Deo felicissime obdormivit.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE VIRTUTUM SPLENDORE, GRATIARUM PULCHRITUDINE, ET PLERISQUE ALIIS RELIGIOSORUM ORNAMENTIS.

QUEM fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis ? Rom. VI, 21.

Quantus sit splendor virtutum, quanta gratiæ pulchritudo, quanta venustas donorum Spiritus Sancti, quanta item sit vitiorum deformitas, concupiscentiæ turpitudo, inhonestas ac fœditas omnis peccati mortalis, nullus mortalium in hac vita comprehendere valet aut eloqui, nec potest per doctissimos quosque plene describi. Et hoc certissime innotescit, si effectus A gratiæ ac virtutum, concupiscentiæ quoque et vitiorum rite considerentur. Ecce enim quantumcumque sublimis sit alicujus rationalis seu intellectualis creaturæ dignitas naturalis seu natura specifica, non tamen per se accepta est Creatori, nec ad promerendum idonea. Sed tanta est dignitas gratiæ gratum facientis, quod quantumcumque sit modica aut remissa, tamen per eam constituitur rationalis creatura in esse supernaturali ac deiformi, atque ad promerendum idoneo ; et ipsa rationalis B creaturæ essentiam in tantum perornat, perficit et exaltat, quod Creatori altissimo fit accepta, grata ac placita, in tantum quod et singula opera ejus quæ gratia informantur, sunt Deo accepta, spiritualiter viva, et æternæ meritoria vitæ.

Denique caritatis infusæ dignitatem et excellentiam nemo potest exprimere. Per caritatem namque fit homo supernaturaliter similis Deo, fit adoptivus filius Dei, servus et membrum Christi; fit heres Creatoris coheresque Salvatoris, *Rom.* VIII, 17. amicus Altissimi, C socius angelorum, particeps electorum ; fit anima ejus sponsa cœlestis Sponsi, amatrix et amplexatrix, thronus et tabernaculum Dei viventis ; fit homo miles æterni Regis, fit spiritualiter vivus, speciosus ac floridus, Deo amabilis et conjunctus, adhærens ac lucidus. Virtutes quoque ceteræ infusæ, per gratiam et caritatem formatæ ac decoratæ, reddunt hominem Deo acceptum et æternam beatitudinem promereri potentem, ad bona agenda perfacilem, contra aciem vitiorum impugna- D tionesque dæmonum fortem, munitum, armatum, victoriosum.

Ecce quomodo gratia, virtutes et dona, fructus et opera bona hominem ornant, sublimant, deificant, honorabilem ac beatum efficiunt. Econtra vitiorum ineffabilis est deformitas, fœtor, caligo, vilitas, horror, damnatio : quia per ea fit homo displicens Deo et prorsus aversus ab eo, spiritualiter mortuus, et omni cadavere coram Deo fœtidior; fit servus et membrum diaboli, minister peccati, dæmonum servus, Creatorisque inimicus et ei odibilis; fit anima ejus diaboli detestanda adultera, æternæ damnationi obnoxia, omnique bruto incomparabiliter pejor et vilior. Per actum virtutis adipiscitur homo beatitudinem æternalem ; per mortale peccatum, damnationem perpetuam gehennalem. Quam ineffabiliter ergo differunt ac distant ab invicem virtus et vitium, meritum et demeritum, quorum tam diversi sunt effectus, tam indicibiliter diversum distansque præmium ? Præterea, hæc ipsa partim tangit Apostolus in præsenti epistola, dicens : Quum servi essetis peccati, liberi fuistis *Rom.* VI, 20. justitiæ. Quo constat, quod peccando reddatur homo servus peccati, et a dominio justitiæ alienus : et ita fit Belial, id est absque Domini jugo, subjectus diabolo.

Deinde, dicendo, « Quem fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? » ostendit quam vehemens sit erubescibilitas, inhonestas fœditasque peccati, quum sit aversio a fonte totius lucis, puritatis et honestatis, et ejus præceptis ac rectæ rationi contrarium : idcirco non solum est infructuosum, sed summe quoque nocivum. Et quanto quis plenius desuper illustratur, tanto vilitatem ac turpitudinem vitiorum clarius contemplatur, et amplius inde verecundatur. Quum ergo delectatio peccati tam brevis sit, et erubescentia atque punitio quæ ei debentur, tam diuturnæ, imo perpetuæ, vitemus omne peccatum, omnem actum immundum, omne verbum et opus quodlibet inhonestum. Nemo faciat in secreto de quo verecundaretur in publico, ne de illorum sit numero de quibus ait Apostolus : Quæ in occulto *Ephes.* V, 12. fiunt ab eis, turpe est dicere. Siquidem Christo testante : Omnis qui male agit, *Joann.* III, 20, 21. odit lucem, nec venit ad eam, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. Erubescamus ergo quotidie, et vehementissime coram Deo verecundemur, quod in ejus obsequio tam imperfecte, tam irreverenter et culpabiliter nos habemus, quod quotidie A tot mala committimus, tot bona omittimus, quod toties etiam in orando, psallendo, meditando et celebrando sumus distracti, instabiles, et miserrime atque vanissime evagantes ; dumque summo objecto, Deo immenso, incomparabili et incircumscriptibili bono essemus toto corde intenti, de rebus vilissimis cogitamus. Dicat quilibet omni die, se ipsum discutiens, *I Esdr.* IX, 6. ex corde cum Esdra : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt B super caput meum, et peccata mea creverunt usque ad cœlum. Sicque humiliemus et despiciamus semper nos ipsos ; et si quid boni in nobis est, Deo cum gratiarum omni actione attribuamus, accusantes nos ipsos quod donis Dei tot mala miscemus.

Rom. VI, 21. Insuper, dicendo Apostolus, Finis illorum, scilicet vitiorum, mors est, pandit quod vitia ad æternæ calamitatis perdu- *Ibid.* 22. cunt interitum. Dicendo quoque, Servi facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam, C docet quod meritorii actus sanctificant hominem, atque ad vitam gloriæ perducunt eumdem. Quum ergo hæc ita se habeant, quæ est ista ignavia et insipientia nostra, quod tam remissi sumus ad proficiendum in gratia, in omni virtute, dono et fructu Spiritus Sancti, quum tamen omni hora tam copiose ac mirabiliter possimus in eis proficere ac ditari, atque æternam beatitudinem nobis tam inæstimabiliter accumulare, exuberantissimum nobis thesaurum congregare, reponere, obtinere D in cœlis ? Heu ! cur ad declinandum quotidiana et quæ putantur minuta peccata sumus tam segnes, tam incuriosi, tam negligentes, quum tamen per illa a spirituali profectu tam vehementer ac lamentabiliter impediamur ?

Impleamus ergo quod in exordio hodier- *Ibid.* 19. næ epistolæ hortatur Apostolus : Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Itaque, sicut ante per linguam servivimus impietati verborum et suggestionibus dæmonum, vana, mendosa, perjura, pungitiva, fraudulenta, lasciva, detractoria proferendo ; sic modo per linguam serviamus Deo atque virtutibus, ab omnibus verbis hujusmodi abstinendo, et sola utilia, ædificatoria ac Deum honorantia verba loquendo, alacriter quoque psallendo, orando, et devote cantando. Quemadmodum item per visum offendimus Deum ac variis deservivimus vitiis, libidinose inspiciendo, choreas et spectacula intuendo, aut alios provocando, vana hauriendo, illicitis consentiendo, nunc pompose, nunc furiose videndo : sic nunc per visum Deum honorare semper conemur, ab omnibus talibus abstinentes, et oculos nostros undique cohibentes, potissimum in divinis ; ea vero intueamur per quæ ad Dei contemplationem et amorem, ad compunctionem et devotionem possumus adjuvari.

Amplius, quemadmodum per auditum variis modis peccavimus, illicita verba aut carmina libenter audiendo ; sic modo per auditum veneremur Creatorem, pristina illa vitantes peccata, et verba salubria atque divina officia cupide advertendo. Et sicut per tactum multipliciter atque enormiter Deum offendimus, sic nunc illa omnia fugiendo, reprimamus tactum inverecunde prosilientem, et disciplinemus castigemusque corpus nostrum. Sicut item per gustum peccavimus valde in cibis ac potibus crapulosis, voluptuosis, assiduis, sic modo per abstinentias atque jejunia satisfacere et Deum honorare non differamus. Rursus, sicut per vestes curiosas, pompaticas, superfluas, pretiosas peccavimus, sic modo in vili et abjecto gloriemur vestitu. Et ventrem quem vitiose replevimus, virtuosa esurie affligamus. Pedes quos ad currendam viam perditionis male laxavimus, nunc in cœnobio, in cella, in camera contineamus. Manus quæ diversorum fuerunt criminum instrumenta, modo non extendamus nisi ad opera virtuosa.

Nec corporis membra dumtaxat, sed et A inferiores animæ vires Deo potissimum nunc subdamus. Et voluntatis libertatem qua toties contra Dei præcepta pravissime sumus abusi, nunc sub obedientia sancta, sub regulari observantia coarctemus; rationem seu intellectum in Scripturis et in pertinentibus ad salutem solummodo occupemus. Vana et frivola, atque injuriarum recordationem a memoria excludamus; Dei vero præcepta, consilia, documenta, beneficia, propria quoque peccata, et quæ nos scire oportet aut expedit, includamus eidem. Sicque totum quod sumus sive habemus, in Creatoris cultum honorificentiamque vertamus, et cum beatissima Maria Magdalene tot de nobis inveniamus *Luc.* VII, 37 et seq. et Deo immolemus holocausta quot in nobis prava habuimus oblectamenta. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO QUINTUS

DE PANIBUS AC PISCIBUS SPIRITUALIBUS, QUIBUS BONI RELIGIOSI A DOMINO MISERICORDITER PASCUNTUR.

MISEREOR *super turbam, quia ecce* B *jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Marc. VIII, 2.

Si Dominus et Salvator, turbæ ipsum per tres dies sequenti, corporalique fame, siti ac lassitudine laboranti, misertus est, ac pabulum contulit copiosum, ita quod plurimum superfluxit; quanto magis religiosis ipsum per universum vitæ suæ spatium devote sectantibus, qui se per vota solennia ad incessabilem Domini Jesu Christi imitationem ac juge obsequium adstrinxerunt, miserebitur Christus, eos C exuberanter reficiet, gratiosissime confortabit, suaviter quoque potabit? Et sicut *Marc.* VIII, 6, 7. turbam illam septem panibus ac paucis refecit pisciculis, ita et nos totidem reficiet panibus.

Qui ergo sunt septem panes hi spirituales? Responderi posset, quod sint septem dona Spiritus Sancti, seu theologicæ tres virtutes, et quatuor cardinales. Sed nunc alii septem assignandi sunt panes. Sunt enim quatuor sensus seu expositiones et intelligentiæ sacræ Scripturæ. Qui quam- D vis suaviter reficiant animam, non tamen ei sufficiunt ad salutem, nisi et alii tres panes addantur, videlicet : panis sacramentalis, de quo asserit Dominus, Nisi *Joann.* VI, 54. manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis; panis quoque bonæ operationis (de quo item testatur Salvator, Meus cibus est, ut faciam volun- *Ibid.* IV, 34. tatem Patris mei qui misit me; et de quo ait Apostolus, Non auditores legis justi *Rom.* II, 13. sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur : imo scienti bonum et non fa- *Jacob.* IV, 17. cienti, peccatum est illi); et panis divinæ conservationis : nam quantumlibet quis Scripturas intelligat, Sacramentum altaris accipiat, et præcepta adimpleat, tamen nisi conservetur a Deo in bonis, confortetur in tentationibus, et præservetur a malis, non potest salvari.

Est igitur primus panis spiritualis, quo nunc a Deo in solitudine religionis reficimur, sensus litteralis sacræ Scripturæ. Qui sensus interdum est historialis : ut ea quæ in Evangelio de Christi incarnatione, nativitate, circumcisione, apparitione, miraculis, persecutionibus, passione, resurrectione, ascensione leguntur. Et præsertim, quantum ad libros novi Testamenti, sensus litteralis libri Actuum Apostolorum est historicus. Interdum vero sensus iste litteralis historicus, est in se ipso valde sublimis, pinguis, salubris et deliciosus : ut A ea quæ, sicut jam dictum est, de Christo litteraliter historialiterque scribuntur. In quorum lectione, meditatione, auditione, mens humana fidelis, sancta caritate vehementer accenditur, in fide firmatur, in spe consolidatur, ad gratiarum actionem inducitur, in humilitate, patientia, mansuetudine omnique roboratur virtute : ut *Joann.* I, 14. quum legimus, quod Filius Dei propter *Baruch* III, 38. nos factus est homo, conversatus in mundo, suspensus in ligno, quod tanta per se *Joann.* XIX, 18; *Act.* X, 39, 40. ac suos discipulos fecit miracula, quod re- B surrexit a mortuis die tertia, quod coram *Act.* I, 9; II, 2 et seq. discipulis ascendit in cœlum, atque eisdem misit Spiritum Sanctum. Porro interdum sensus litteralis est moralis, tam in novo quam veteri Testamento : ut ea quæ ad evangelicæ ac Mosaicæ legis spectant præcepta et consilia documentaque ethica, in quibus evangelicæ legis perfectio et excellentia elucescunt. Et hic sensus litteralis moralis, in novo Testamento spiritualior, perfectior devotiorque esse non dubitatur, ut patet potissime apud Mat- C thæum. Quandoque sensus litteralis, allegoricus esse videtur, ut quum docet Scriptura quid debeat credi; aliquando vero anagogicus perhibetur, sicut dum cœlestis patriæ beatitudinem pandit, et quid ibi sperandum sit, edocet.

Sæpissime sensus litteralis et historialis in se ipso aridus satis insipidusque censetur, non utique in novo Testamento compendiosissime scripto, sed in veteri, quod novi præfigurativum exstitit Testamenti, et rudi datum est populo : ideo D multa scribuntur in eo in se ipsis sterilia, *Deut.* XXXII, 13. in quibus oportet sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Deinceps in libro Psalmorum sensus litteralis et historialis sæpe omnino sublimis, pinguis, suavis est, ut in psalmis qui ad litteram de Christi mysteriis sunt conscripti; aliquando sensus litteralis et historialis in eis non est ita deliciosus, fecundus et altus.

Verumtamen dum Scriptura quadruplicem sensum habere asseritur, distinctio sensuum illorum formaliter sumitur, prout unus et idem Scripturæ locus multipliciter explanatur. Nec sic sensus illi coincidunt, nec putandum quod quilibet passus Scripturæ quadrupliciter aut multipliciter possit exponi, quum psalmus ille, Miserere *Ps.* L, 3. mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, nec allegorice de Christo, nec anagogice de Beatis exponi queat. Imo frequenter ejusdem scripturæ sensus litteralis est multiplex.

Itaque secundus panis sacræ Scripturæ, quo in præsenti reficimur, est sensus tropologicus seu moralis : ut quando ex eo quod ad litteram Christus fecisse aut pertulisse legitur, quid nos quoque qui ipsi- I *Cor.* XII, 27. us membra sumus, agere et pati debeamus, instruimur. Omnis etenim Christi actio est nostra instructio : unde ex hoc quod ipse non solum obediens factus est *Philipp.* II, 8. Deo Patri usque ad mortem crucis, sed Virgini quoque matri et ejus obedivit mi- *Luc.* II, 51. nistro, docemur quod volens perfectus fieri et omnem implere justitiam, omnem humilitatem, caritatem et pietatem, non solum superioribus suis in arduis, sed æqualibus quoque et inferioribus debeat obtemperare ac ministrare, et cum omnibus humillime conversari. Hoc ergo pane refecti, implemus quod ait Joannes apostolus in sua Canonica, Qui se dicit in I *Joann.* II, 6. Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare; et quod princeps ait Apostolorum, Christus passus est pro I *Petr.* II, 21. nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; et quod ipsemet deprompsit Salvator, Qui vult venire post *Luc.* IX, 23. me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Quod ad religiosos potissimum spectat, quos indesinenter oportet vincere et frangere semetipsos, et sua corpora castigare, ut cum Propheta dicere valeant Deo, Propter te *Ps.* XLIII, 22. mortificamur tota die; et, Propter verba *Ps.* XVI, 4. labiorum tuorum ego custodivi vias duras : quanquam hoc totum viris vere spiritualibus, fervidis et perfectis delectabile sit atque facillimum.

Tertius panis, est sensus allegoricus, A quo ex his quæ ad litteram de membris Christi conscripta sunt, quid de Christo credendum sit, informamur. Sic enim multa ad litteram de Joseph, Samsone, David et Salomone, et aliis Sanctis scripta, de Christo allegorice exponuntur. Et quæ in se ipsis modicæ sunt virtutis ac parvi saporis, fortissimi sunt vigoris et admirandæ suavitatis : ut quod Joseph salvator mundi est appellatus, dominus Ægypti effectus, a fratribus venditus; quod David prostravit Goliath, quod Salomon sibi desponsavit regis Ægypti filiam, quod Samson portas Gazæ abstulit media nocte. In quibus omnibus Christi sunt mysteria præsignata.

Gen. XLI, 45. 41; XXXVII, 28. I Reg. XVII, 49. III Reg. III, 1. Judic. XVI, 3.

Quartus panis, est anagogicus sensus, quo ea quæ de militanti Ecclesia ejusque membris litteraliter scripta sunt, de triumphanti explanantur Ecclesia. Hic panis subtilis ac nobilis est, et vehementer delectat. Præterea, quæ de superbeatissima Trinitate ac simplicissima Deitate, de ejus excellentia, æternitate, beatitudine, perfectione, sapientia, omnipotentia ad litteram scripta sunt, possunt anagogicæ intelligentiæ appellari, quoniam mentem maxime super se elevant.

Quintus panis, est Eucharistia, pretiosissimus panis vitæ præsentis, frumentum electorum, et vinum germinans virgines, Zach. IX, 17. panis sacramentalis, in quo ipse fons gratiarum, fons omnium deliciarum, Deus et homo, verissime et superincomprehensibiliter, dignantissime et supergratiosissime continetur. Quem panem possumus et debemus spiritualiter omni hora comedere. Omninoque decet nos religiosos, sacerdotes, tam religiose ac sacerdotaliter conversari, ut simus idonei per gratiam Dei quotidie hunc panem consecrare, Deo Patri offerre, atque salubriter manducare. B Quid enim aliud operari habemus, nisi incessanter ad hoc nos disponere, et universa quæ agimus ad tam divinissimum opus referre, ut tota nostra conversatio sit ad celebrandum jugis præparatio?

Sextus panis, est bonæ operationis, ut omni momento simus actibus sanctis intenti, et in observantiis Ordinis strenui, omnem otiositatem, pigritiam negligentiamque vitantes, et opus Dei quotidie reverentialius atque perfectius adimplentes, C per quod corda nostra optime reficientur ac roborabuntur.

Septimus panis, est gratiosa et incessabilis conservatio Dei, quæ in omni bono conservet, tueatur, confortet et ad beatam consummationem perducat.

SERMO SEXTUS

DE SEPTEM EFFECTIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ.

SI *dimisero eos jejunos, deficient in via.* Marc. VIII, 3.

Quemadmodum corpus materialibus indiget alimentis, ne in vita ista deficiat, ita et anima incorporeis refectionibus eget, ne in via deficiat peregrinationis præsentis. Reficit ergo nos Spiritus Sanctus septem spiritualibus panibus, per quos isto in loco intelligo septem salutares effectus D quos Deus per sacram Scripturam operatur gratiose in nobis, atque per eos animas nostras reficit, exhilarat et confortat.

Primo namque Scriptura docet nos Deum verum cognoscere, et hoc per considerationem creaturarum, juxta illud Isaiæ: Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Is. XL, 26. Apostolus quoque : Invisibilia (inquit) Dei per ea quæ facta Rom. I, 20.

sunt conspiciuntur; sempiterna quoque A virtus ejus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, qui scilicet Deum non cognoverunt. Unde et in libro Sapientiæ legitur : *Sap.* xiii, 1, 5. Vani sunt omnes homines quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est; a magnitudine enim speciei creaturæ poterit Creator cognoscibiliter videri. Siquidem ordo rerum, et ipsa consistentia universi, scala est ascendendi ad Creatoris *Eccle.* iii, 14. notitiam, qui fecit omnia ut timeatur: quia idcirco tam mirabiliter et potenter, tam B præclare ac sapienter creata produxit, ordinavit atque connexuit, quatenus ex horum omnium speculatione, ad ipsius Creatoris amorem, pariter et timorem, cultum et venerationem excitemur ac elevemur. *Prov.* xvi, 4. Propter quod Salomon loquitur : Universa propter se ipsum operatus est Dominus. *Jer.* v, 21, 22. Et apud Jeremiam Dominus ait : Audi, popule stulte, qui non habes cor. Me non timebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit? Intumescent fluctus ejus, et C non transibunt illud. Quibus verbis Deus increpat eos qui ex consideratione operum ipsius magnalium in creaturis, eum non timuerunt. — Secundo, docet Scriptura nos Deum cognoscere per supernaturales suos effectus, utpote per miracula, per quæ utriusque Testamenti veritas maxime comprobatur; tertio, per oracula Prophetarum, et per documenta Apostolorum et Evangelistarum. Deinceps, per miracula, et oracula ac documenta hæc ipsa, docet nos sancta Scriptura de Deo ea cognoscere D quæ omnem naturalem rationem transcendunt : ut quod ipse in unitate essentiæ trinus est in personis, quod Verbum æternum humanam assumpsit naturam ex Virgine, et cetera quæ fides docet de Deo esse tenenda.

Secundus Scripturæ sacræ effectus est, quod vere et certe nos instruit quid de nobis ipsis ceterisque creatis debeamus sentire : qualiter scilicet primo facti sint primi parentes et omne genus humanum propter beatificam Dei fruitionem adipiscendam, et qualiter beatitudine hac privati, simus per Christi passionem redempti, qualiter in fine mundi resuscitandi.

Tertius effectus est, quod Scriptura ostendit legentibus eam, ipsorum defectus et vitia, omissiones et commissiones iniquas. Ideo religiosis illi præsertim studendi sunt libri in quibus quid eis desit, quam negligenter se habeant, quantum a perfectione deficiant, magis inveniunt: ut sunt Collationes et Instituta Patrum, *Cassianus.* liber Climaci, Vitaspatrum, homiliæ Eusebii Emiseni, Profectus religiosorum, sermones S. Bernardi, similesque devoti tractatus, inter quos fulget opusculum S. Bernardi ad Fratres de Monte Dei. Dum enim legimus quam sancte, quam rigorose, perfecte sobrieque vixerunt et qualia nobis documenta dereliquerunt sancti Patres, cogimur vitam nostram despicere, et nos ipsos pro nihilo reputare. Hinc diligens lectio Scripturarum sæpe plus prodest quam meditatio sive oratio. Per Scripturas namque Deus noster loquitur nobis, et vitia nostra nobis ostendit.

Quartus effectus est, quod ad spiritualem profectum nos exhortatur, et qualiter proficiendum sit docet; jamque beatitudinem promittendo, jam supplicia comminando, ad virtuosa invitat nos opera. De his Scripturæ effectibus ait Hieronymus : Utere lectione divina vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando, et pulchriora agendo. Scriptura etenim speculum est, fœda ostendens et corrigi faciens. Gregorius quoque : Sacra (inquit) Scriptura oculis mentis quasi speculum opponitur, ut sibi interna nostra facies videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra conspicimus; ibi sentimus quantum proficimus, quantumve a profectu distamus. Dum itaque in scripturis canonicis sive authenticis, aliquid de vitiis et negligentiis ac defectuositatibus quæ insunt nobis, legimus aut legi audimus, ingemiscamus, pectus tundamus, cordialiter compungamur, contristemur, et deploremus nos ipsos, et emendationem condignam firmissime proponamus, ac protinus exsequamur ; quum vero de bonis quæ forsitan insunt nobis aliquid ibi audimus aut legimus, Deo regratiemur, et ea custodiamus, atque in ipsis proficere non cessemus.

Quintus effectus est, quod multipliciter ac salubriter nos informat de divinis mysteriis, de secretis Dei effectibus, de ecclesiasticis sacramentis, multisque rebus atque eventibus nos ipsos concernentibus. Hinc ait Chrysostomus : In Scripturis ignorans invenit quod addiscat ; contumax, quod formidet ; laborans, præmia ; pusillanimis, mediocres justitiæ cibos, qui etsi pinguem non faciunt animum, non tamen mori permittunt eumdem. Qui autem magnanimis est, spirituales ibi invenit escas, quæ perducunt eum prope ad angelorum naturam ; qui vero vulneratus est a diabolo, invenit ibi cibos medicinales, et salutem per pœnitentiam. Iterum ait : Quanto plus quis in sacris Eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit. Porro, qualiter ad Scripturarum medullam, ad profundam earum notitiam, ad veritatum sanctarum saporem aptius perveniatur, docet Hugo de S. Victore dicendo : Ad sacræ Scripturæ cognitionem, opus est intima compunctione magis quam profunda investigatione, suspiriis quam argumentis, crebris gemitibus quam copiosis argumentationibus, lacrimis quam sententiis, oratione quam lectione, gratia lacrimarum quam scientia litterarum, cœlestium contemplatione magis quam terrestrium occupatione. Denique hujus rei signum certissimum est, quod viri sanctissimi, quamvis quodammodo idiotæ, tamen per prædicta ad saporosam ac profundissimam Scripturarum intelligentiam pervenerunt, quemadmodum de beatissimis patribus Martino et Francisco refertur, et de sanctis patribus quorum collationes Cassianus describit, cognoscitur.

Sextus effectus est, quod Deitatis nos inflammat amore, et per hoc, a sæculi A vanitate et omni carnali avertit affectione. Docet enim Scriptura, quam infinite et incomparabiliter bonus, amabilis, dulcis, pulcher, sapiens, dives, potens, perfectus et beatus sit Deus, quam ineffabilis sit misericordia ejus in nobis, quanta sit ejus ad nos caritas, quam multa, magna et copiosa sint beneficia ejus, quam inæstimabilia bona nobis promisit ac præparavit in cœlis. Ex quibus omnibus debemus ejus amore validissime, atque totaliter inexstinguibiliterque accendi, et B nunquam ab eo averti, et semper esse solliciti ne prævaricemur in eum.

Septimus effectus est, sublimitas contemplationis, et exuberantia spiritualis consolationis ac delectationis, quas Deus per Scripturas operatur in nobis. Docet namque nos sacra Scriptura, quemadmodum a terrenis, caducis et carnalibus rebus debeamus cor nostrum abstrahere, et ab omni inordinata affectione et occupatione circa eas nos elongare, sicque ad divinorum meditationem, ad summi boni C contemplationem atque ad assiduam recordationem assurgere, et in Dei contemplatione gaudere, consolari, et ad omnia Deo placentia promptissimum fieri. Unde ait Bernardus : Quum in virtutibus fueris diutius exercitatus, roga tibi lumen devotionis dari, diem serenissimum et sabbatum mentis, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato jam corde currens viam *Ps.* CXVIII, 32. mandatorum Dei, ut quod prius cum amaritudine et gravamine faciebas, de cetero D cum summa dulcedine agas et delectatione. Verum ad hanc perfectionem pauci, ni fallor, perveniunt in hac vita. Neque enim si aliquando aliquis hanc habere videtur, continuo credat sibi necesse est, maxime si novicius est. Pius enim Dominus pusillos talibus blanditiis solet allicere. Sed noverint qui hujusmodi sunt, gratiam hanc eis concessam, non præstitam, ut in die *Eccli.* XI, 27. bonorum memores sint malorum, et in die malorum memores sint bonorum. Longe aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis hujus felici jucunditate fruuntur. A Multi vero tota vita sua ad hoc tendunt, et nunquam pertingunt : quibus tamen, si pie et perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatorie est negatum. Qui autem ad hanc devotionis perveniunt gratiam, cavendum est eis ne per indiscretio- *Rom.* XII, 1. nem destruant corpus suum : ideo rationabile sit eorum obsequium, et exercitatio moderata.

Marc. VIII, 7. Postremo, per paucos pisciculos qui (ut in evangelio legitur hodierno) panibus B erant adjuncti, et dulcem dabant saporem, rite intelliguntur delectationes exercitiis virtuosis annexæ. Quælibet enim virtus propriam habet delectationem suæ operationi adjunctam.

His igitur panibus atque piscibus reficiamur quotidie, abundantes in opere Domini semper, *I Cor.* XV, 58. et ad ejus amorosam adhæsionem jugiter adspirantes, nosque in ipso assidue occupantes, et custoditi ac ferventes in omnibus, et illud Psalmistæ implere nitentes : Oculi mei semper ad Dominum. *Ps.* XXIV, 15. Cui honor et gloria in æternum. Amen.

DOMINICA VIII POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

DEBITORES SUMUS NON CARNI, UT SECUNDUM CARNEM VIVAMUS. Rom. VIII, 12-17.

DOCET nos sanctus Apostolus in præsenti A epistola, non secundum carnalia desideria, sed secundum rectæ rationis dictamen, et maxime juxta Spiritus Sancti instinctum esse vivendum. Nam ait : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Hoc est, quamvis aliquo modo obligemur carni tanquam animæ instrumento, videlicet ut ei necessaria ministremus in victu, vestitu, somno, habitaculo, non tamen sic ei obligamur, ut ejus concupiscentiis acquiescamus, quum et 1 *Petr.* II, 11. princeps Apostolorum hortetur : Obsecro B vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam; et alio loco *Rom.* XIII, 14. Paulus : Carnis curam ne feceritis in desideriis. *Si enim secundum carnem,* id est secundum desideria carnalia, *vixeritis, moriemini,* morte culpæ in sæculo isto (unde ad Timotheum scribit Apostolus : 1 *Tim.* V, 6. Vidua quæ in deliciis vivit, vivens mortua est), deinde morte damnationis perpetuæ in inferno. *Si autem spiritu,* id est virtute et gratia Spiritus Sancti; vel, « spiritu », id est rationis judicio; *facta carnis mortificaveritis,* C id est, affectus et opera ejus superaveritis, *vivetis* per gratiam in præsenti, vitaque gloriæ in futuro. Huic documento naturalis consonat ratio. Media namque sunt disponenda secundum exigentiam finis. Quum ergo caro sit animæ instrumentum, et ordinetur ad spiritum rationalem sicut ad finem, regenda est taliter, quod animæ serviat, cooperetur et prosit ad hoc quod ipsa anima ad beatitudinem perducatur. Hinc qui secundum carnem conversatur, pervertit hunc ordinem, dominam ancillæ subjiciens, utpote rationem sensualitati, sicque se ipsum brutis incomparabiliter deteriorem ac viliorem constituens.

Insuper, quia mortificantes opera carnis inordinata vivent per gratiam, declarat Apostolus quoniam tales sunt adoptivi filii Dei. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur,* hoc est, a Spiritu Sancto reguntur, et ejus instinctu ducuntur, atque ipsius fervore impelluntur ad bona : unde de Christo dicitur, quod agebatur a Spiritu in *Luc.* IV, 1. desertum; *hi sunt filii Dei,* id est filii adoptivi per gratiam specialem et filialem amorem, juxta illud primæ Joannis : Vi- 1 *Joann.* III, 1. dete qualem caritatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur et simus.

Quemadmodum autem Deus omnipotens movet ceteras creaturas ad naturales operationes et fines, per generalem influxum; sic rationalem creaturam movet ad actus meritorios, supernaturalemque finem, per specialem influxum seu directionem, quæ providentia appellatur. Præterea electos Deus singulariter movet et regit, providens eis non solum sufficienter, sed etiam efficaciter, de omnibus necessariis ad salutem, ita quod divinæ inspirationi acquiescunt, gratiamque suscipiunt. Idcirco magis dicuntur agi a Spiritu Sancto, quam moveri aut regi.

Ad actum namque meritorium non solum requiritur gratia habitualis, sed etiam actualis motio Spiritus Sancti mentem excitantis ad bonum. Propter quod Isaias asserit : Domine, omnia opera nostra operatus es in nobis. *Is.* xxvi, 12. Unde Apostolus protestatur : Deus est qui operatur in nobis velle et perficere. *Philipp.* ii, 13. Deinceps, ad hoc quod anima capax sit hujus supernaturalis motionis Spiritus Sancti, indiget quibusdam supernaturalibus habitibus, per quos aptetur ac disponatur ad suscipiendum prompte motionem prætactam. Et habitus isti vocantur dona Spiritus Sancti, quæ septem sunt, et sunt habitus supernaturales infusi, per quos anima fit bene prompteque mobilis, docilis ac dirigibilis a Spiritu Sancto. Et quicumque est in caritate et gratia, habet secundum aliquem gradum hæc dona, agitur quoque a Spiritu Sancto quantum exigit status salutis.

Insuper ponitur ratio cur moriemur, si secundum carnem vixerimus. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore,* hoc est, jam tempore evangelicæ legis et gratiæ, non est vobis datus spiritus ad serviendum Deo servili timore, videlicet formidine pœnæ, ut olim tempore legis Mosaicæ, quæ comminatione pœnarum induxit homines ad Dei obsequium ; *Deut.* xxviii, 15 et seq. *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei,* id est spiritum cujus gratia homines adoptantur in filios Dei, *in quo,* id est cujus instinctu, *clamamus* corde seu ore : *Abba (Pater).* Duo sunt nomina, unum Hebræum, aliudque Latinum, idem significantia. Et est sensus, quod in Spiritu Sancto vocamus Deum Patrem, tanquam adoptivi filii ejus, ex caritate ad ipsum fiducialiter et affectuose dicentes : Pater noster qui es in cœlis. *Matth.* vi, 9.

Glossa per spiritum servitutis, intelligit Spiritum Sanctum, a quo cordibus Judæorum incussus fuit timor servilis. Qui in quantum est timor, est bonus, quoniam retrahit a peccato et disponit ad gratiam ; sed quantum ad servilitatem, non est bonus, neque a Spiritu Sancto. Dicitur ergo A Spiritus Sanctus, spiritus servitutis, ratione sui effectus, quia facit servire. Per spiritum vero adoptionis, intelligit Glossa eumdem Spiritum Sanctum homines per gratiam adoptantem. Et concordat Glossa Augustino dicenti : Cave ne ex eo quod ait, Spiritum servitutis, et, Spiritum adoptionis, diversum intelligas, quum sit unus atque idem Spiritus, qui in Trinitate dicitur Spiritus Sanctus : quod et Apostolus innuit, dicens, Iterum. Sed propter diversos effectus dissimiliter nominatur. Nam B et de eodem Spiritu subditur : Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Alias duas expositiones hujus loci introduxi in commentario super epistolas Pauli. Ista pro præsenti sufficiat. Verumtamen præhabita non ita sunt intelligenda, quin in veteri Testamento plurimi acceperunt spiritum adoptionis filiorum Dei. Imo omnes electi habuerunt hunc spiritum, non autem ex lege, neque per legem, quoniam gratiam non continebat nec dabat sicut lex nova, C sed ex Deo per fidem qua crediderunt in Christum venturum explicite sive implicite.

Præterea, quod in Spiritu Sancto clamemus, Abba (Pater), et Deum vere Patrem vocemus, hinc constat : *Ipse enim Spiritus* Sanctus *testimonium reddit spiritui nostro,* hoc est, testificatur animæ nostræ, eamque cognoscere facit per inspirationem internam, aut per revelationem apertam, *quod sumus filii Dei* adoptivi, quamdiu manemus in caritate et gratia.

D Testificatio ista multipliciter potest intelligi. Primo, per manifestam revelationem, sive immediate fiat a Deo, sive per angelum : sicque cognoscit homo certitudinaliter esse se adoptivum filium Dei, sicut noverunt Apostoli, aliique viri perfecti. In quorum persona loquitur Paulus : Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. I *Cor.* ii, 12. Sic agnovit Abraham esse se filium Dei, et se esse in caritate, quum in Genesi Dominus locutus

Gen. xv, 1. est ei : Ego protector tuus et merces tua A magna nimis. Ezechias quoque certissime *IV Reg.* xx, 3. dixit : Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto. — Secundo, fit testificatio ista per quamdam bonæ spei consolatoriam infusionem : et sic virtuosi communiter sciunt se esse in caritate, non omnino certitudinaliter, sed conjecturaliter seu probabiliter. — Tertio, fit per propriæ conscientiæ diligentem discussionem : ut dum homo se ipsum bene examinans, non habet remorsum mortalis peccati, sed Dei mandata B custodit, et verba salutis audit libenter. Ista sunt probabilia signa caritatis et gratiæ, sicut in prima Canonica sua ait Joan- *I Joann.* III, 21. nes : Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, etc. — Insuper, quoniam teste Gregorio, Exhibitio operis est probatio caritatis, dum Spiritus Sanctus efficit nos in divino obsequio promptos, alacres et constantes, tunc utique per opera ista testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus : quoniam sicut vita naturalis cognoscitur per C actus et motus vitales ac naturales, sic vita gratiæ per actus virtuosos.

Si autem filii Dei jam sumus per gratiam adoptantem, *et heredes* erimus in patria per gloriam beatificantem. Filiis siquidem adoptivis debetur pars aliqua hereditatis paternæ. *Heredes quidem Dei* erimus, æternaliter possidendo bona Do- *Ps.* XXVI, 13. mini in terra viventium, quæ nec oculus *I Cor.* II, 9. vidit, nec auris audivit. Et bona hæc erunt tres animæ dotes et quatuor corporis dotes, et cetera ad beatitudinem pertinentia. Felicitas namque est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Imo ipsemet Dominus Deus est objectalis hereditas atque felicitas civium supernorum : quæ tota habetur a singulis, a nullo autem, imo neque ab omnibus, totaliter; sicque dividitur in quantum diversimode participatur, seu magis vel minus clare conspicitur. Hereditates vitæ præsentis terminantur in morte; sed illa a morte sanctorum sumit exordium, juxta illud : Quum dederit di- *Ps.* CXXVI, 2, 3. lectis suis somnum, ecce hereditas Domini. *Coheredes autem Christi,* id est, beatitudinis Christi consortes atque participes erimus. Nam ipse est heres principalis, et nos simul cum illo beatitudinem consequemur.

SERMO PRIMUS

QUOMODO CONANDUM CUILIBET CHRISTIANO, UT AD ORIGINALIS JUSTITIÆ CONFORMITATEM REDEAT.

QUICUMQUE Spiritu Dei aguntur, hi D *filii sunt Dei.* Rom. VIII, 14.

Sicut beatus ait Gregorius, Sic mirabiliter conditi sumus, ut Deus rationem, ratio animam, anima corpus possideat. Nam et primos parentes ita condidit Deus, quod in eis per originalem justitiam ipsis concreatam, corpus subjectum exstitit animæ, anima rationi, ratio Deo. Et quamdiu ratio in eis mansit Deo subjecta, mansit et sensualitas subdita rationi, corpusque animæ; sed quum contra Dei præceptum ratio consensisset suggestioni iniquæ, statim caro cœpit esse rebellis animæ, et sensualitas rationi. Ad hoc igitur quilibet Christianus debet conari quotidie, imo et incessanter, ut quantum sibi possibile est, ad originalis justitiæ conformitatem propinquet ac redeat.

Studeamus ergo in primis corpus nostrum subjicere animæ, ita illud regendo ut aptum sit animæ cooperari ac deservire in bonis operibus ad felicitatem ducentibus. Idcirco corpus nec immoderata abstinentia est debilitandum, nec delicatis superfluisque refectionibus nutriendum; sed medium tenere laudabile est. Ait namque Hieronymus : Corporis debilitas nimia etiam animæ vires frangit, mentis quoque ingenium marcescere facit. Quidquid cum modo et temperamento fit, salubre est. Optimus in omni re modus est, et laudabilis est ubique mensura. Hinc ait Gregorius : Caro nostra adjutrix esse debet animæ in opere bono; aliquando autem est seductrix in malo. Si ergo ei plus quam debemus tribuimus, hostem nutrimus; et si necessitati ejus quæ debemus non tradimus, civem necamus. Reficienda est itaque, sed usque ad hoc ut in opere bono nobis sufficiat.

Denique, sicut regendum est corpus quantum ad cibum et potum, ita etiam quantum ad vestitum et somnum, ut nullus vestimenta superflua, curiosa, pomposa, provocativa aut nimium pretiosa sibi fieri faciat, habeat aut induat; sed sicut
Luc. III, 11. beatissimus docuit Baptista Joannes, Qui habet duas tunicas, id est unam superfluam, det non habenti, et qui habet escas superfluas, similiter faciat. Conformiter observandum est moderamen in somno, ne plus quam natura requirit quis dormiat aut in lecto quiescat, præsertim ne dormiendo seu jacendo et pigritando, divinum omittat Officium. Imo somnus ille superfluus et immoderata repausatio carnis, corporali vitæ et sanitati plurimum obest, et obtusam efficit mentem, atque multorum incentivum est vitiorum. Propter quod ait Cato :

Plus vigila semper, somno ne deditus esto :
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Prov. VI, 9. Salomon quoque effatur : Usquequo, piger, dormies? Quando consurges ex somno tuo?
Ibid. XX, 13. Hinc iterum scriptum est : Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Nempe qui diligit somnum, etsi exteriori egestate non opprimatur, opprimitur tamen egestate interna ac spirituali, quæ est virtutum carentia, operumque bonorum negligentia. Talis namque tempus suum infructuose expendit, multa bona omittit, et etiam in diversa peccata dilabitur.

Insuper debemus corpus nostrum subjicere animæ, non solum in præinductis, videlicet observando moderantiam in cibo, potu, somno, vestitu, sed etiam exteriores sensus ab excessibus circa sua objecta frenando, et singula quæque corporis membra ab usu illicito coercendo. Custodiendus ergo et reprimendus est visus exterior, ne incaute adspiciat quod desiderare non licet, ne viri et feminæ se mutuo indecenter intueantur, potissimum in ecclesia et in divino obsequio. Ab intuitu quoque chorearum, spectaculorum, jocorum et illicitorum ludorum, atque similium vanitatum, refrenandi sunt oculi, sicut orat Deum Psalmista : Averte oculos *Ps.* CXVIII, 37.
meos ne videant vanitatem. Et istud præcipue est servandum, quoniam si quis talia adspiciendo, in ipsis complacentiam habuerit seu consensum, particeps fit iniquitatis illorum, dicente Apostolo : Non solum mor- *Rom.* I, 32.
te sunt digni qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Consimiliter refrenandus est auditus ab auscultatione verborum detractionis, irrisionis, mendositatis, lasciviæ, omniumque illicitorum sermonum, quemadmodum in Ecclesiastico habetur : Sepi aures tuas spinis, et noli audire lin- *Eccli.* XXVIII, 28.
guam nequam; et ori tuo facito ostia, et seras auribus tuis. Si autem quis se avertere nequeat ne audiat hujusmodi verba, cor suum custodiat et avertat, ne audiat ea libenter aut complacenter : alias particeps fieret vitiositatis verborum illorum. Imo et tristem ostendat vultum, quo innotescat prave loquenti quam male loquatur, et quam invite audiantur verba ipsius. Propter quod in Proverbiis asseritur : Ven- *Prov.* XXV, 23.
tus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Ecclesiastes quoque dicit : Per tristitiam vultus corrigitur *Eccle.* VII, 4.
animus delinquentis.

Pariformiter reprimendus valde est tactus ab osculis, amplexibus et palpationibus libidinosis atque incautis, quia in talibus faciliter incurritur mortale peccatum. Quod si quis ex talibus senserit se carnaliter stimulari, alterari, et quod detestabilius esset, carnaliter pollui et fœdari, absque dilatione se retrahat, doleat et emendet. Alias mortaliter peccaret, secundum quod scribit Bonaventura, et ponit exemplum : ut si quis serpentem in gremio teneat, a quo intoxicari se experitur, nec abjicit eum, talis est causa propriæ mortis corporalis. Itaque quidquid carnalem generat concupiscentiam aut stimulum corporis, sive sit confabulatio, sive adspectus, sive applicatio lateris ad latus, aut amplexus, seu attactus, vel oscula, prorsus cavendum est. Imo, quamvis quis esset tam virtuosus quod ex talibus nil mali gigneretur in eo, vereri tamen debet ne sit alii peccandi occasio per prædicta. Amplius, refrenandus est gustus, ne in cibis ac potibus voluptatem aut superfluitatem requirat, sed necessitatem naturæ. Sic et olfactus arcendus est, ne in odoribus carnaliter delectetur. Singula quoque membra sunt coercenda ab actibus motibusque illicitis, præcipue lingua a garrula loquacitate, ab omni falsitate, detractione, et omni verbo iniquo.

Præterea sensualitas subjicienda est rationi, ut non moveamur nec afficiamur circa sensibilia atque carnalia, ea appetendo vel fugiendo, amando aut odiendo, in eis delectando seu propter ea tristando, nisi secundum rectæ rationis judicium. Et quicumque hoc implet, ille refrenat, vincit ac moderatur passiones animæ suæ, videlicet iram, tristitiam, delectationem, concupiscentiam, etc. : quia nec optat, nec amat, nec servat, nec in usum suum convertit bona exteriora, sensibilia et terrena, nisi secundum quod sibi utilia aut necessaria sunt ad bona spiritualia, hoc est ad gratiam et virtutes, et ad proficiendum in eis, atque ad beatitudinem æternam.

Postremo, ratio et voluntas, quæ sunt duæ supremæ potentiæ animæ, subjiciendæ sunt Deo, ut ratio credat quidquid ad fidem spectat catholicam et ad determinationem Ecclesiæ, ceterisque donis ac virtutibus ad intellectum pertinentibus decoretur, puta prudentia, sapientia, scientia, consilio, sicque in omnibus ordinate procedat, et Deum ac cœlestia contempletur, nec unquam recedat ab his. Voluntas quoque subjicienda est Deo, ut eum super omnia diligat, nec aliquid divino amori contrarium agat aut cupiat, sed Dei atque Ecclesiæ præceptis obediat, in Domino Deo speret, futuram beatitudinem ab ipso exspectet. Quicumque sic egerit, perseveraveritque in istis, verus est Christianus, et æternaliter erit salvus.

Insuper, sicut ait in epistola hodierna Apostolus, « Quicumque Spiritu Dei aguntur, filii sunt Dei ». *Rom.* VIII, 14. Studeamus ergo moveri a Spiritu Sancto, et non moveamur impetu passionum nostrarum, non fervore concupiscentiarum, nec propriæ animositatis impulsu, nec stulta audacia, nec carnali timore, neque cupiditate terrena. Neque agamur seu moveamur spiritu diabolico, quo sæpissime ac infelicissime agitantur quicumque in mortalibus jacent peccatis, præsertim qui vitiosa consuetudine detinentur, quoniam teste Apostolo, laqueis diaboli involuti sunt, atque ad voluntatem diaboli captivi ab eo tenentur. II *Tim.* II, 26. Unde sicut eques ducit et agitat equum, ita diabolus movet et agitat illos : idcirco sunt membra, et servi filiique diaboli. Itaque qui talem se esse cognoscit, pœnitere, confiteri et emendari non differat.

Præterea, quoniam juxta doctrinam Apostoli, non accepimus spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, *Rom.* VIII, 15. serviamus Deo non servili timore, sed filiali et puro amore, videlicet magis intuitu suæ bonitatis ac dignitatis, quam propriæ utilitatis atque mercedis. Quanto enim purius ac integrius in Deum convertimur, et quanto minus ad nos ipsos reflectimur, tanto perfectiores Deoque cariores exsistimus, et per hoc excellentiores ac ditiores Christi coheredes æternaliter erimus. Nec movere quempiam debet, A quod sancti et electi in hoc mundo multa patiuntur adversa : nam quamvis sint virtuosi, tamen venialiter peccant frequenter, et pro hoc solent a Deo purgari in vita præsenti, ne in purgatorio durius ac diuturnius torqueantur. Unde legitur quarto libro Vitaspatrum, quod erat quidam solitarius in eremo, et ministrabat ei quidam sæcularis devotus. Erat quoque in civitate eremo illi propinqua, homo dives et impius. Contigit autem ut dives ille moreretur, deduxitque eum tota civitas et B episcopus cum lampadibus ad sepulcrum. Egrediens vero sæcularis præfatus ut portaret panem solitario eremitæ prædicto, invenit eum a fera comestum. Quo viso, cecidit in faciem suam in conspectu Domini, dicens : Non surgam hinc nisi demonstretur mihi a Deo quæ sunt hæc, quia impius ille talem habuit apparatum in sepultura, et iste qui die noctuque Deo servivit, sic mortuus est. Et ecce angelus veniens, dixit ei : Ille impius parum boni fecit in sæculo isto, et recepit illud hic, ut nullam inveniat requiem in alia vita; iste autem solitarius, quia homo erat ornatus omni virtute, habebat tamen aliquam culpam in se, recepit hanc hic, hoc est, in sæculo isto pro ea punitus est, ut coram Deo purus inveniatur. His auditis, consolatus est ille sæcularis devotus, abiitque glorificans Deum super judicia ejus, quæ vere sunt justa, quamvis occulta.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS, QUI VENIUNT AD VOS IN VESTIMENTIS OVIUM, ETC.

Matth. VII, 15-21.

SALVATOR in evangelio hodierno do- C cet, non solum a manifeste malis, sed etiam a fictis bonis cavere, ne quis a simulatoribus et a callidis, a falsis doctoribus, ab hæreticis aut hypocritis decipiatur. Itaque ait : *Attendite a falsis prophetis,* id est a perversis doctoribus, hypocritis, fictisque sanctis vos custodite : quoni-
Ps. XVII, 27. am scriptum est, Cum perverso perverteris. Et mala ac falsa tanto periculosius nocent, quo minus mala et falsa videntur. *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,* id est in operibus simulatorie vir- D tuosis, in apparenti devotione et ficta humilitate, in abstinentiis continentiisque prava intentione assumptis. Siquidem vestimenta ovium, id est bonorum fidelium qui oves sunt Christi, sunt veræ virtutes et actus earum, quibus eorum animæ decorantur. Harum vestium seu virtutum quasdam similitudines fictas assumunt quidam iniqui, ut boni credantur, sicque facilius alios fallant. Frequenter etenim vitia sub virtutum similitudine pallientur, quia sub specie boni multa mala gerun-
tur. Propter quod ait Apostolus : Ipse Sa- II Cor. XI, 14, 15.
tanas transfigurat se in angelum lucis; non est ergo magnum, si ministri ejus transformentur velut ministri justitiæ. De talibus prophetis loquitur Deus per Jere-
miam : Visionem mendacem, et divinatio- Jer. XIV, 14.
nem fraudulentam, et seductionem cordis sui prophetant vobis. Possunt quoque, quamvis minus proprie, vestimenta ovium corporaliter intelligi, corporis indumenta speciem humilitatis et devotionis prætendentia : quibus præfati iniqui sæpenumero se induunt, quatenus virtuosi putentur. *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces,* id est, in anima similes sunt lupis voracibus : quia sub veste ovina gerunt cor lupinum, quia crudeles sunt, desiderantes

animas fidelium spiritualiter strangulare, A inducendo eas ad vitia et errores. Sunt quoque « lupi rapaces », quia frequenter luporum instar gulosi sunt, atque idcirco virtuosos se simulant, ut temporalia commoda consequantur, quibus ingurgitent semetipsos. De talibus ait in Actibus beatus Act. xx, 29. Apostolus : Scio quod post discessionem meam intrabunt in vos lupi graves, non parcentes gregi.

A fructibus (id est ex operibus) *eorum cognoscetis eos,* quales intrinsecus sunt. Operatio etenim arguit formam, et per exteriora B interiora noscuntur : nam qualis quisque est, talia operatur. Nec diu quis potest ferre personam fictam, secundum Senecam, sed in suam cito relabuntur naturam, quibus non subest veritas. Tullius quoque : Fucata (inquit) et simulata cito panduntur. Unde præfati falsi prophetæ, si diligenter considerentur, inveniuntur Is. v, 21. vane gloriosi, non humiles, sapientes et magni in oculis suis, atque in sensu proprio pertinaces, pleni privato amore, et propria commoda ac præconia affectantes. C Deinceps declarat Salvator, quod opera vere virtuosa non faciunt. *Numquid colligunt* homines *de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Non utique. Sic nec de cordibus mendacium prophetarum procedere possunt opera veraciter virtuosa. Unde et Jacobus Jacob. III, 11, 12. dicit : Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? Numquid potest ficus uvas facere, aut vitis ficus? Denique falsorum prophetarum corda, propter suam ferocitatem et passionum suarum aculeos, rite spinis ac tribulis D comparantur ; opera vero virtuosa uvis ac ficubus, quia suaviter mentem reficiunt et confortant.

Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit. Quod intelligendum est de arboribus quæ ad producendum fructus plantantur. Vel per fructum intelligitur omnis utilitas ex arbore proveniens. *Mala autem arbor fructus malos facit.* Verumtamen de hominibus ista principaliter asseruntur, intelligendo per arborem bonam, hominem virtuosum, seu voluntatem laudabilem; et per arborem malam, voluntatem perversam, seu hominem vitiosum. Itaque bonus homo, in quantum hujusmodi, fructus seu actus efficit bonos ; et malus homo, secundum quod talis, efficit fructus malos. Hinc subditur : *Non potest arbor bona fructus malos facere.* Ita nec homo virtuosus, in quantum talis, facere potest fructus malos. Potest tamen malus fieri et peccare, in quantum habet liberum arbitrium nondum in gratia confirmatum, et præsertim in quantum ex nihilo est. Sic enim quantum in se est, tendit ad defectum et culpam, nisi a superiori conservetur et perficiatur. Hinc omnis creatura Rom. VIII, 20. dicitur vanitati subjecta, intelligendo per vanitatem defectum sive distantiam a vero et incommutabili esse. *Neque arbor mala fructus bonos facere* potest. Sic nec homo vitiosus facere potest opera bona et meritoria, in quantum est vitiosus ; nihilo minus per Dei gratiam liberumque arbitrium, potest fieri bonus et agere bona. Loquitur ergo Christus de homine bono et malo formaliter, non materialiter. Propterea hujusmodi propositiones sunt veræ in sensu composito, non in sensu diviso. *Omnis arbor,* id est quilibet homo adultus rationisque compos, *quæ non facit fructum bonum,* observando præcepta, *excidetur,* id est, a consortio electorum pelletur : sicut per Isaiam prædictum est, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei ; *et* Is. XXVI, 10, juxta LXX. *in ignem* infernalem, nisi se emendaverit, *mittetur,* statim dum moritur, quantum ad animam, atque in die novissimo, cum corpore et anima, quum Christus dicturus est : Ite, maledicti, in ignem æternum. Matth. XXV, 41. Si ergo peccatum omissionis ignem inferni meretur, peccatum commissionis quam horribiliter punietur? Hinc ait Salvator : Omnem palmitem in me non ferentem Joann. XV, 2, 6. fructum, Pater tollet, et in ignem mittet. Et ex his Christus concludit : *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Postremo, quod absque fructibus bonis nemo adultus queat salvari, testatur Filius

Dei subjungens : *Non omnis qui dicit mihi* ex fide informi, *Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum :* quia non sufficit nuda confessio oris. Jacob. ii, 17, 26. Imo fides sine operibus mortua perhibetur. Nam et fatuæ Matth. xxv, 11. virgines dixerunt : Domine, Domine, aperi nobis. Sed objici potest illud Apostoli : I Cor. xii, 3. Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi Rom. x, 10. in Spiritu Sancto; itemque, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicendum, quod Apostolus sumit Dicere, stricte et proprie, pro prolatione ex attentione et affectu prodeunte, quæ A B exigit caritatem. Loquitur etiam de confessione oris procedente ex fide formata. *Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est,* id est, præcepta Patris cœlestis adimplet. Nam et per prælatos Deus præcipit tanquam per suos vicarios : propter quod præcepta prælatorum sive Ecclesiæ sunt Dei præcepta, et de necessitate salutis implenda. *Ipse intrabit* post hujus exsilii incolatum, omniumque culparum plenariam expurgationem, *in regnum cœlorum,* dummodo perseveraverit usque in finem. Matth. xxiv, 13.

SERMO SECUNDUS

CONTRA SIMULATORES ET CALLIDOS, CONTRA DECEPTORES ATQUE HYPOCRITAS.

CONGREGATIO hypocritarum sterilis. Job xv, 34.

Christus, qui secundum suam deitatem C est essentialiter veritas, in Evangelio hypocritas sæpissime ac specialissime reprehendit, quia hypocrisis veritati specialiter contrariatur. Hypocrita namque se simulat esse quod non est, et sub specie boni abscondit malum. Tripliciter autem hypocrita suam pravitatem abscondit. Primo, in verbis. Sunt enim multi malitiosi qui ut virtuosi reputentur, verba devotionis ac salutis pronuntiant, et quasi ex grandi fervore ac diligentia prædicant. De quibus Rom. xvi, 18. testatur Apostolus, quod per dulces sermones et benedictiones corda decipiunt innocentium. Tales namque sæpe quasi ex magna compunctione et cum fictis lacrimis sermocinantur. Secundo, in apparatu seu exteriori vultus ac corporis dispositione : quia pallorem assumunt, et inclinato capite maturoque gressu incedunt. Matth. vi, 16. Hinc ait Salvator : Quum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes : exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Tertio, in operatione : quia jejunant, orant, ecclesiam visitant, eleemosynas largiuntur, peregrinantur, ut sancti esse credantur; sed omnia ista prava agunt intentione.

Est autem falsorum prophetarum, et hypocritarum ac omnium simulatorum magna fatuitas, magna iniquitas, magna prorsus miseria. Quod magna sit eorum fatuitas, patet : Primo, quoniam plus quærunt et cupiunt hominibus placere, quam Deo omnia inspicienti. Propterea dicit Gregorius : Hypocrita corpus per abstinentiam afficit, sed per desiderium gloriæ mundo vivit. Christus quoque in Evangelio : Om- D Matth. vi, 2, 5, 16. nia (inquit) faciunt ut videantur ab hominibus. Secundo, quia pro brevi et parva mercede, æterno et maximo præmio spoliant se ipsos. Quum enim faciant opera bona ex genere, pro quibus æternam beatitudinem sortirentur, si recta intentione facerent ea; tanto se ipsos præmio privant, quia pro temporali commodo aut humano præconio talia operantur. Hinc de eis ait Salvator : Amen dico vobis, recepe- Ibidem. runt mercedem suam. Gregorius quoque : Quid in cunctis suis sperat hypocrita, nisi reverentiam honoris, gloriam laudis, a melioribus metui, ab omnibus sanctus vocari ? Et Augustinus fatetur : Quisquis appetit videri quod non est, hypocrita merito appellatur : simulat enim se justum, non exhibet, quoniam totum fructum in laude hominum ponit. Interdum vero hypocritæ carnalia commoda quærunt et lucra, imo carnales delicias atque divitias, et mulierculis se adjungunt, quæ facilius decipiuntur, ut consequantur prætacta. De his infelicissimis hypocritis ait Bernardus : Hypocrita singularia magis et inusitata sectatur, ut propriæ fragrantiam opinionis respergat. Cujus affectio elongatur a Christo, et vanis favoribus delectatur ; cujus mens, non testimonio propriæ conscientiæ, sed adulationibus demulcetur.

Tertio, quoniam fructum producunt, et tamen usu fructus se privant. Siquidem opera ex suo genere bona efficiunt, nec tamen ex ipsis operibus veram utilitatem animæ adipiscuntur. Non enim ex ipsis operibus intus ornantur, nec spiritualiter consolantur, nec crescunt in gratia, sed quotidie amplius inquinantur, fœtent ac indurantur, dicente Gregorio : Qualis imperitis apparet hypocrita, talis vult ab omnibus æstimari, et paratior est mori quam corripi ; atque quot vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu æterni Judicis fœtet, ejusque mentem diabolus tacitus tenet. Quarto, quia per solam perversam ac fatuam intentionem, non solum se spoliat fructu virtutum et gratiæ incremento, æternoque beatitudinis præmio, sed insuper perpetuam sibi damnationem mercatur, et pœnas habebit gravissimas ac præcipuam in divino judicio confusionem. De hypocrita namque in libro Job ad litteram scriptum est : *Job* xx, 6-8, 18, 27. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, transiet quasi visio nocturna ; luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur ; juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit ; revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra adversus eum consurget. Etenim quanto quis in vita præsenti ampliorem sibi procurat famam sanctitatis et sapientiæ, tanto major erit ejus confusio in die judicii, æternaliterque in pœnis inferni, si vanus et fictus fuerit coram Deo inventus. Ex his innotescit, quanta sit hypocritarum et simulatorum fatuitas.

Est quoque eorum grandis iniquitas. Propter quod asserit Augustinus : Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia et simulatio est et iniquitas. Præterea, quum Deus sit veritas, quanto aliquid magis veritati contrariatur, tanto plus displicet Deo, et graviorem culpam sortitur. Hypocrisis autem quum sit falsitas, et simulatio ac palliatio maledicta, specialiter contrariatur Deo justo, vero ac simplici, et singulariter displicet ei. Propter quod scriptum est : *Job* xxxvi, 13. Simulatores et callidi provocant iram Dei. Et iterum ait Scriptura : *Eccli.* ii, 14. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Quod hypocritis et simulatoribus maxime competit, quia ut ait Gregorius, duabus viis peccator terram ingreditur, quando et Dei est quod opere exhibet, et mundi est quod per cogitationem quærit.

Insuper magna omnino est horum miseria, vilitas, contemptibilitas atque damnatio. Siquidem valde viles sunt hypocritæ isti et falsi prophetæ, simulatores et callidi, in quibus nulla est vera mentis sinceritas, nulla virtuosa simplicitas, sed tam perversa intentio, tam vilis affectio, tam stulta et aspernabilis fictio. Nam et propria hypocrisi mirabiliter lamentabiliterque cæcantur, nec cæcitatem suam advertunt. Idcirco dicit Chrysostomus : O hypocrita, si bonum est bonum esse, ut quid vis apparere quod non vis esse ? Si malum est malum esse, ut quid vis esse quod non vis apparere ? Si bonum est bonum apparere, melius est bonum esse ; si malum est malum apparere, pejus est malum esse. Aut ergo appare quod es, aut esto quod appares.

Deinceps hypocrisis ista periculosa est valde tam ipsi hypocritæ, quia unicuique nocet permaxime iniquitas propria, quam aliis. Propterea denuo fatetur Chrysostomus : Nulla res sic exterminat sicut simulatio, quoniam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur. Rectissime ergo Christus hortatur et docet ut attendamus et custodiamus nos a falsis prophetis, a seductoribus universis, qui ad peccata alliciunt per vanas persuasiones, per impias promissiones, per comminationes, aut aliis modis. Interdum enim inducitur homo ad male agendum hac persuasione, quoniam magna est misericordia Dei, et quia adhuc tempus longum restat in quo poterit pœnitentia agi, et quia multi sunt Sancti qui ad tempus fuerunt maximi peccatores. Sed persuasiones istæ stultissimæ sunt, quia non est minor justitia Dei quam misericordia *Matth.* xxv, 13. ejus, et quia nec diem mortis scimus nec horam ; et quamvis aliqui peccatores pœnituerunt et sancti effecti sunt, tamen incomparabiliter plures æternaliter perierunt. Cur ergo perpetuæ damnationis periculo exponit se miser et insipiens homo?

Præterea, ista hypocrisis quamvis tam vana et vitiosa, tam vilis, stulta ac nociva exsistat, paucissimi tamen sunt qui ea totaliter carent. Nam omnes pene sua palliant et excusant peccata, et boni seu meliores volunt videri quam sunt ; in bonis quoque quæ agunt, frequenter gloria vana tanguntur, complacentiam habent inanem, nec Dei solum ac pure quærunt honorem. Hinc sanctus et illuminatissimus contestatur Bernardus : Serpit hodie putrida tabes, hypocrisis, per omne corpus Ecclesiæ, et eo desperatius quo latius, eoque periculosius quo interius. Nam si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras et aresceret ; si violentus inimicus, absconderet se quis ab eo. Nunc autem ita diffusa est ista hypocrisis, ut vix sit qui se abscondat ab ea : siquidem et in his qui religiosi videntur, regnare probatur. Ideo loquitur Augustinus : Quam multos hypocritas sub habitu monachorum callidissimus hostis dispersit ! Circumeunt provincias, A petunt et exigunt aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Hinc etiam scribit Ambrosius : Latet plerumque sub tristi amictu lascivia, et horror deformis vili tegitur veste, ut secreta celentur petulantium animorum. Imo in doctoribus, prædicatoribus et prælatis sæpe et infeliciter viget hoc vitium : qui quod docent non faciunt, scire volunt Scripturas ut docti reputentur ac sapientes, sicque præficiantur, honorentur et lautius vivant. Quorum damnatio erit gravissima, B et dici potest de eis quod de Pharisæis scribit Chrysostomus : Pharisæorum (inquit) justitia erat in ostentatione operis, non in rectitudine intentionis, in locutione, non in opere, in minoribus observantiis, relictis gravioribus et principalioribus legis præceptis. Tales sunt isti qui corrigunt alios nec emendant se ipsos : imo multoties prava in aliis acriter reprehendunt, et tamen gravia agere scelera non verentur.

Itaque, juxta beatissimi principis Apostolorum C doctrinam, deponamus a cordibus nostris omnem malitiam et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et detractiones ; sicut modo geniti infantes, innocentiam et puritatem concupiscamus, ut in eis crescamus in salutem. Sit semper tota nostra intentio pura, et nos ipsos ac opera nostra ad Dei honorem ac gloriam pure atque totaliter ordinemus. 1 *Petr.* ii, 1, 2.

Legitur in quarto libro Vitaspatrum, quod quidam Frater sanctus rogavit Deum ut sibi ostendere dignaretur qualiter diversimode D abstrahatur a corpore anima justi et anima peccatoris. Et nolens Deus contristare Fratrem illum, fecit eum egredi. Quumque Frater ille venisset prope quamdam civitatem, ingressus est ibi monasterium, in quo fuit unus habens nomen solitarii magni et jacuit in agone. Viditque Frater ille fieri magnam præparationem cereorum ac lampadarum propter solitarium illum, quasi propter eum daret Deus panem et aquam inhabitantibus civitatem illam. Nam et dixerunt : Si hic obierit, omnes simul moriemur. Adveniente autem hora mortis ipsius, vidit Frater præfatus dæmonem descendentem super solitarium illum, habentem in manu tridentem igneum. Dixitque Deus : Sicut anima ista non permisit me quiescere una hora in se, sic nec tu miserearis ejus evellens. Statim ergo misit diabolus tridentem igneum in cor solitarii illius, atque per multas horas torquens eum, extraxit animam ejus. Et fuit damnatus propter suam hypocrisim, quoniam laudes hominum semper optavit.

Post hæc ingressus Frater civitatem illam, invenit peregrinum jacentem in platea ægrotum, non habentem qui ejus gereret curam, et mansit cum eo diem unam. Quumque venisset hora mortis ejus, conspexit Frater ille Michaelem et Gabrielem descendentes propter animam ejus. Sedensque unus a dextris et alius a sinistris, rogabant animam ejus ut egrederetur, et non egrediebatur, quasi nolens relinquere corpus suum. Dixit autem Gabriel Michaeli : Assume jam animam istam ut eamus. Dixitque Michael : Deus præcepit ut sine dolore ejiciatur, idcirco non potest quis vi eam evellere. Et clamavit Michael : Domine Deus, quid vis fieri de anima ista, quia non acquiescit nobis ut egrediatur ? Respondit Dominus : Ecce ego mitto David cum cithara sua et psallentes cœlestis Jerusalem, ut audiens psalmum, ad vocem eorum egrediatur. Quumque descendissent in circuitu animæ illius cantantes psalmos, exsiliens anima illa præ gaudio sedit in manibus Michaelis, atque cum eo ac aliis Sanctis ascendit in cœlum.

Ex quo exemplo ostenditur, quam justa et metuenda sint Dei judicia, quam etiam enorme peccatum sit hypocrisis, et item quam salubre sit nihil mundani solatii habere in vita præsenti.

SERMO TERTIUS

QUOD DISCRETIO MEDIUM IN OMNIBUS DESIDERAT, ET RATIO BENE ILLUMINATA, BONA OPERATUR, NEC FALLI FACILE POTEST.

P*URIFICATE corda, duplices animo.* Jacob. IV, 8.

Purus ac simplex Deus vult sibi serviri corde puro ac simplici, sicut per Moysen dixit : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. (*Lev.* XI, 44, 45; XIX, 2; etc.) Domini etenim volunt ut servi sui conformentur voluntati eorum : quanto magis summus Dominus universorum requirit ut rationales creaturæ voluntati suæ sanctissimæ conformentur, vitando deformitates et obliquitates culparum, atque amando et exercendo actus virtutum ? Jubet itaque Dominus ut « duplices animo », id est vitio duplicitatis, simulationis et calliditatis infecti, mentem suam purificent, pœnitendo, confitendo et satisfaciendo de isto aliisque peccatis, sicque simplices fiant mente et puri in sua intentione, soli Deo finaliter adhærentes, ne et se ipsos propria duplicitate pravitateque perdant, ac alios fallant. Hinc in evangelio hodierno in primis docet unigenitus Filius Dei, ut caveamus a falsis prophetis, hoc est a deceptoribus atque hypocritis, ne eorum fallaci instructione, persuasione, exemplo aut simulata sanctitate fallamur. Nam, juxta Apostolum, Sermo eorum ut cancer serpit. (II *Tim.* II, 17.) Qui veniunt in vestimentis ovium, intus vero sunt lupi rapaces.

Hic primo sciendum ac perpendendum, quemadmodum vitia speciem assumunt et similitudinem quamdam habent virtutum, sicque malitiosi virtuosos se simulant. Itaque, quoniam virtus tam nobilis venerabilisque consistit, quod etiam vitiosi eam A frequenter valde honorant, hinc quidam iniqui virtuosos se esse confingunt et velamen assumunt virtutis : vel ut non reprehendantur, vel ut laudentur, sive ut commoda assequantur carnalia ; vel certe, ut alios pravis fallant doctrinis, et sectas perditionis inducant, atque post se trahant discipulos. Hi tales frequenter suas palliatas malitias in tantum defendunt, ut aliorum veras virtutes vituperent. Sic ergo dissolutio socialis reputatur jucunditas spiritualis ; delicata et excessiva corporis B refectio reputatur discretio ; loquacitas, affabilitas dicitur ; invidia fraterna, zelus justitiæ ; duritia et inclementia, rigor justitiæ; avaritia, acquirendi fidelis provisio vult videri ; astutia reputatur prudentia ; jactantia de propriis bonis, ædificatio proximi ; detractio, detestatio vitii alieni. Similiter virtutes reputantur vitia a perversis. Nam abstinenter vivere et paucis esse contentum, avaritia atque tenacitas judicatur ; silentium appellatur tristitia ; maturitas, amaritudo ; zelus justitiæ, temera- C rium judicium ; quies devotionis, pigritia corporis ; castigatio, indiscretio ; simplicitas æstimatur stultitia; timor Dei, litigiosa conscientia dicitur ; fugere publicum, singularitas nominatur ; cavere scandalum reputatur hypocrisis. Sed inter hæc omnia discretio medium tenet ; et ratio bene illuminata et docta, pretiosum a vili, malum *Jer.* xv, 19. a bono, verum a falso, lucem a tenebris vere discernit, regia gradiens via, neque ad *Deut.* II, 27; v, 32, 33. dexteram neque ad sinistram declinans.

Denique, in falsis prophetis de quibus D loquitur Christus, inveniuntur vitia jam prætacta et alia multa, quæ ipsi sub specie assumunt et monstrant virtutum. Idcirco ex fructibus seu operibus suis, ut Salvator docet, possunt cognosci : præcipue namque proni sunt detrahere aliis, et aliqua veræ fidei atque catholicæ veritati contraria dicere, et honores appetere.

Insuper docemur ex evangelio isto humanam laudem contemnere, transitoriumque honorem despicere, soloque Dei intuitu et amore facere bona et fugere mala : quia ut asserit Augustinus, laus humana non appeti a sapiente, sed sapientem subsequi debet, ut ex sapientis præconio, illi quoque proficiant, qui imitari possunt quod laudant laudarive audiunt. Nam bonum ac sapientem laudare, laudanti prodest potius quam laudato. Hinc, secundum eumdem sapientissimum Augustinum, nec vane gaudere debemus quando laudamur, nec contristari dum vituperamur : quia nec damnare nos potest aut pejores facere irrogata injuria, nec coronare nos potest aut meliores efficere laus aliena. Imo si irrogatam vituperationem sive injuriam patienter sufferimus, coronam patientiæ et gratiæ incrementum meremur. Quemadmodum ergo humiles esse tenemur, ita laudes humanas debemus contemnere, quoniam Augustino testante, esse humilem est nolle laudari in se : idcirco qui cupit laudari in se, superbus esse convincitur.

Itaque, prout docet Hieronymus, si vere laudabilis esse desideras, laudes hominum ne requiras, quoniam quamvis aliquibus facile sit laudem non curare quando non exhibetur, est tamen difficile ea non delectari dum offertur. Imo interdum incipit homo opus bonum recta intentione, et tamen in ipsa operis prosecutione, dum se laudari advertit, in ipsa laude lætatur : sicque intentio ejus inficitur, et quod bene fuerat inchoatum, fit vitiosum et male finitur. Ideo dicit Gregorius : Sæpe operi bono dum humana laus obviat, mentem immutat : quæ quamvis quæsita non erat, tamen oblata delectat.

Verumtamen viri perfecti, ex suis laudibus ac honorationibus affliguntur magis quam delectantur : nisi in quantum considerant illas sibi exhiberi atque deberi ut Dei vicariis, vel ob aliam rationabilem causam, ita quod sine peccato aliter fieri nequeat ; sicque perpendunt illas Deo offerri magis quam sibi. Nihilo minus quidam sunt adeo imperfecti et vani, ut etiam fatue glorientur dum bona eis adscribun-

A tur quæ eis non competunt, et quæ ipsimet sibi non inesse cognoscunt. In quorum persona ait Bernardus : Laudamur mendaciter, delectamur inaniter ; et vani sunt qui laudantur, et mendaces qui laudant. Laudatio itaque perfectis est majoris humilitatis meritique occasio, vitiosis vero nociva est ; insipientibus autem et imperfectis occasio fit ruinæ seu gloriæ vanæ, nisi specialis gratia eos præservet. Ideo dicit Gregorius : Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat : sed justos dum cruciat, purgat ; iniquos dum lætificat, inquinat, B impiosque demonstrat. Unde apud Isaiam
Is. III, 12. loquitur Deus : Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Præterea quidam ita vitiosi ac miseri sunt, ut alios vituperent, aut vituperari ab aliis libenter audiant, ut ex hoc ipsi laudabiliores credantur. Hinc ait Hieronymus : Vilium hominum est et suam laudem quærentium, alios facere viles, quia alterius vituperatione laudari se putant ; et qui suo merito placere non possunt, placere volunt in C comparatione pejorum.

Præterea in evangelio isto comparat Christus hominem virtuosum arbori bonæ, hominem malum arbori infructuosæ. Ut igitur simus arbor bona, fructuosa, in profunda ac solida humilitate totam nostram conversationem fundemus. Quemadmodum arbor mittit radices suas profunde in terram, et sicut arbor tempore suo virescit ; ita per sancta desideria interius renovemur. Iterum, sicut arbor tempore æstivali floribus adornatur, ita verbis ædi- D ficatoriis, instructivis, humilibus, veris, utilibus abundemus ac decoremur, sicut
Ephes. IV, 29. hortatur Apostolus : Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. Rursus, sicut arbor bona post flores fructibus adimpletur, ita ea quæ docemus et prædicamus, opere impleamus, ne reprobis comparemur Pharisæis et Scribis, qui proh dolor! multos valde nunc habent imitatores : de quibus in Evangelio loquitur Christus, quod dicunt et non faciunt. *Matth.* XXIII, 3.
Iterum, sicut arbor crescit in altum, ita crescamus in altum dupliciter : primo, ut omne bonum quod agimus et habemus, Domino Deo cum omni gratiarum actione et humilitate jugiter adscribamus, quum dicat Apostolus, Quid habes quod non accepisti ? *I Cor.* IV, 7. atque Salvator, Sine me nihil potestis facere ; *Joann.* XV, 5. secundo, contemplando ac diligendo Deum altissimum et gaudia civium supernorum, ac ea quæ Christus pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit. Amplius, sicut arbor tempore suo extra deornatur, nudatur, arescit, et tamen radicitus permanet viva, suoque tempore revirescit : ita si ex hominum pravitate contigerit nos injuste diffamari, contemni, suppeditari, maneamus intus in anima per caritatem viventes, ceterisque virtutibus ac meritis coram Deo fulgentes ; iterum, si per adversitates, tentationes et tribulationes victi et lapsi fuerimus, non ob hoc omnino frangamur aut desperemus, sed per pœnitentiam, confessionem et satisfactionem resurgendo, spiritualiter revirescamus.

Præterea ex evangelio isto docemur quam arcta sit via salutis, et quam difficile sit salvari : *Matth.* VII, 14, 19. quia non tantum arbor fructus malos producens comburenda censetur, sed etiam illa quæ bonos non efficit fructus. Quocirca, ut ait Fulgentius : Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur ? Et si semper ardebit qui pauperibus sua non communicaverit, quid passurus est qui aliena abstulerit ? Itaque non sufficit mala vitare, quæ per negativa prohibentur præcepta, sed oportet et bona peragere, quæ per præcepta affirmativa jubentur. Propter quod dixit Propheta : Declina a malo, et fac bonum. *Ps.* XXXVI, 27. Itaque non sufficit restituere bona injuste adepta, et aliena bona non cupere, sed oportet de propriis bonis opera misericordiæ exercere, secundum quod adest facultas, et causa requirit. Hinc quippe in fine evangelii hujus ait Salvator : *Matth.* VII, 21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris cœlestis. Imo impius Christianus non obediens Dei præceptis, multo majorem meretur ac sortietur damnationem, quam infideles. Et quanto quis majoris scientiæ, altiorisve fuerit gradus aut ordinis, tanto gravioris erit damnationis, si negligens et injustus fuerit. Itaque a solo Deo laudem et exaltationem quæramus, omnemque laudem et gloriam et honorem mundi pro nihilo arbitremur.

Legitur in Vitaspatrum, quod fuit quidam sanctus eremita, cui certis temporibus necessaria vitæ portavit quidam vir sæcularis et bonus, in villa habitans. Qui per totam villam suam publicavit sanctitatem eremitæ illius, ita quod villæ habitatores valde optabant eremitam illum conspicere. Unde et vir præfatus eremitam illum frequenter rogavit, ut semel ad villam illam pro populi ædificatione et instructione dignaretur accedere ; sed eremita ille non facile acquievit ex humilitate, quoniam honorari nolebat. Tandem precibus sui pii servitoris victus, acquievit, et cum viro illo cœpit venire. A Præcurrens ergo vir ille, nuntiavit in villa quod eremita veniret ; et protinus illi villani cum magna reverentia cœperunt exire ad occurrendum eremitæ, ut cum omni honore susciperent atque deducerent eum. Quumque eremita eos venire adspiceret, statim nudavit se, atque in aqua juxta quam venit, cœpit totum corpus suum lavare. Quod dum a longe vidissent villani, dixerunt ad invicem : Sensum perdidit senex iste. Vir quoque qui ei servivit, vehementer erubuit, et dixit villanis, Revertimini, B quoniam senex noster mente excessit ; et redierunt. Sed vir ille venit ad eremitam, dixitque ei : Abba, cur hoc fecisti ? Nam omnes dixerunt : Dæmonium habet senex iste. Cui eremita respondit : Et ego hoc audire volebam. Et rediit statim ad eremum suam ne honoraretur ab illis.

Ecce qualiter sancti viri fugerunt laudes hominum et honores : quanto magis nos imperfecti, defectuosi et vitiosi, omni vituperio ac tormento dignissimi, facere C hoc debemus, atque adversa omnia æquanimiter sustinere ?

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE CARNALIBUS VITIIS EVITANDIS ET CONCUPISCENTIIS REFRENANDIS.

I*PSE Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quod filii Dei sumus.* Rom. VIII, 16.

In hodierna epistola sententiis plena, docet nos sanctus Apostolus, primo carnalia vitia evitare, concupiscentias refrenare, non carnaliter, sed spiritualiter conversari. Quod quum ad omnem pertineat Christianum, quanto magis ad religiosos ? *Galat.* V, 24. Alibi namque ait Apostolus : Qui autem D sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Ergo qui corpus suum ejusque concupiscentias et vitia non crucifigunt, id est, non reprimunt, non affligunt ac vincunt, non sunt Christi per gratiam, nec membra ipsius, sed dæmonis. Attende hæc, o religiose, quum de religionis essentia tenuitas victus inseparabiliter esse dicatur. Non ergo super cibum et potum instar canis famelici te effundas, non voluptatem aut carneam consolationem, non superfluitatem et delicatam præparationem in eis requiras, sed necessariam sustentationem naturæ, et discretam castigationem ipsius.

Debitores sumus corpori nostro tanquam ministro et instrumento. Sed quid *Prov.* xxix, 21. ait Scriptura? Qui delicate nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. Ita qui corpus suum delicate alit et satiat, cito experietur illud animæ suæ rebelle et puritati contrarians, somnolentum, pigrum atque carnalia solatia optans. Pensemus *Eccli.* xxxiii, 25, 27. quoque quod in Ecclesiastico dicitur : Cibaria, et virga, et onus asino; panis, et disciplina, et opus servo : servum enim inclinant operationes assiduæ. Quemadmodum ergo asino conveniunt cibus grossus et moderatus, percussio et onus seu labor; et servo non delicata, sed simplex et modesta refectio, disciplina, operatioque continua : sic corpori nostro debemus moderatam nutritionem, disciplinam, atque in bonis jugem exercitationem; non corporalem repausationem superfluam, ne otio insolescat.

Rom. viii, 13. Itaque, si secundum carnem vixerimus, moriemur, quia æternæ damnationis interitum sortiemur, et carnaliter vivens, sic *Ibidem.* vivendo moritur morte culpæ. Si autem spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus vita gratiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro. Nam et Salvator loquitur : *Luc.* vi, 25, 21. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis; beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Hæc, si corde surdi non sumus, valde movere et perterrere nos debent, atque inducere ut cum magno Dei timore cibum sumamus ac potum cum cogitationibus sanctis, et Dominum quotidie ex totis precemur præcordiis, ut nobis gratiam moderantiæ in cibis ac potibus largiri semper *Ibid.* xxi, 34. dignetur, ne corda nostra crapula graventur, nec curam carnis in desideriis faciamus, sed post refectionem aptiores ad opera simus virtutum.

Rom. viii, 14. Insuper ait Apostolus in præsenti epistola : Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi A filii sunt Dei. Quocirca scire oportet, quod ad meritorie operandum, non solum indigemus habituali gratia Spiritus Sancti, sed etiam actuali motione ipsius. Quicumque ergo in caritate et gratia est, seu in statu salutis, in tantum agitur Spiritu Dei, id est, Spiritu Sancto movetur, et ejus directione gubernatur, quantum ei necessarium est ad salutem. Sed quanto quis ardentiori caritate, abundantiorique gratia et majori virtutum perfectione impletur, tanto familiarius, secretius, frequentius, B infallibilius movetur a Spiritu Sancto, etiam sæpe ad quædam mira atque insolita, quæ secundum legem communem essent illicita. Potissimum autem et immediate disponitur homo ad suscipiendum influxum motionis et directionis Spiritus Sancti per septem dona ipsius, qui sunt habitus supernaturales infusi, per quos redditur rationalis creatura a Spiritu Sancto prompte mobilis, docilis ac dirigibilis. Studeamus ergo in omnibus a Spiritu Sancto agi, moveri ac dirigi, nec moveamur impetu C passionum, nec propriæ pertinacia voluntatis, ut homines passionati et immansivi. Quemadmodum enim filii Dei vocantur qui Spiritu Sancto aguntur, sic filii sunt diaboli qui proprias voluntates, perversitates et passiones sequuntur, ut sunt homines intimorati et proprii commodi amatores, qui in suis propositis, desideriis, verbis et actibus Deum non habent præ oculis, sed tanquam audaces et sibi placentes, quidquid affectio suggerit, prosequi et implere definiunt.

D Denique ad religiosos subditos, quibus nihil officiorum commissum est, et propriam voluntatem Deo ac ejus vicario obtulerunt, potissimum pertinet agi, acquiescere, obedire, non practicare, obsistere, repugnare. Maxime vero cavendum est religiosis, ne in his de quibus incerti sunt, nec probabilem certitudinem habent an sint a Spiritu Sancto, videlicet an sint pro Dei honore proximique salute et bono communi, pertinaciter renitantur, ne Spiritui Sancto obicem ponere videantur. Summe autem periculosum exsisteret in talibus, ex passione, aversione seu carnali et vitiosa affectione reniti. Unde si quis competenter aptus instet ad ordinem suscipi, vacetque locus, caveat quisque ne importune resistat, aut aliquem ad resistendum inducat, et ne ex passione aliqua moveatur. Quod si persona multum idonea instaret pro ordine, et quis vanitate seductus seu ambitiosus, ex formidine futuræ promotionis illius, qua se impediendum a concupito suspicaretur honore, receptioni illius reniteretur, omnino diabolicum esset.

Præterea, quoniam teste Apostolo in *Rom.* VIII, 15. præsenti epistola, non accepimus spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater), quem spiritum in Baptismo suscepimus, deinde quotiescumque post mortale peccatum vere pœnituimus et confiteri decrevimus : idcirco Domino obsequamur, et cunctis virtutibus insistamus, non servili timore, sed puro amore, ex quo filialis oritur timor, qui etiam ad omne peccatum vitandum nos debet inducere, ne superpiissimi Patris cœlestis faciem offendamus, et ne ab eo super omnia incomparabiliter nobis carissimo separemur; præsertim quum et ipse Deus majestatis immensæ a nobis vermiculis pater appellari dignetur, et nos ejus pietati confisi, ipsum appellare patrem humiliter audeamus. Per quod ad ejus honorationem spontaneam, filialem, amorosam, valde adstringimur, ne et tantæ dignationi ipsius simus ingrati. *Malach.* I, 6. Ipse etenim loquitur per Prophetam : Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Itaque, quotiescumque in Oratione dominica *Matth.* VI, 9. dicimus verba hæc, Pater noster qui es in cœlis, summi ac dignantissimi Patris accendamur amore, provocemur dignatione, atque ad eum in omnibus honorandum animemur.

Insuper, quod in Spiritu Sancto clamemus, Abba (Pater), id est, Deum vere Patrem vocemus, probat Apostolus subdens : *Rom.* VIII, 16. Ipse enim Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, id est, Spiritus Sanctus A per inspirationem internam seu revelationem apertam protestatur animæ nostræ, quod adoptivi filii Dei sumus, utpote in caritate et gratia exsistentes. Potest quoque testificatio ista variis modis fieri atque intelligi. Primo, per evidentem et certam revelationem, sive immediate fiat a Deo, sive per angelum : et ita agnoscit homo certitudinaliter se esse in caritate, vel etiam prædestinatum, ut sancti Apostoli et Abraham, cui in Genesi loquitur Deus, Ego protector tuus sum et merces *Gen.* XV, 1. B tua magna nimis. Secundo, per bonæ spei consolatoriam infusionem : sicque notabiliter virtuosi communiter sciunt se esse in caritate, non cognitione certitudinali, sed conjecturali atque probabili. Tertio, per propriæ conscientiæ diligentem examinationem : ut dum homo conscientiam suam diligenter examinans, non invenit se mortali peccato obnoxium. Unde in prima sua Canonica dicit Joannes apostolus : Si cor nostrum non reprehenderit I *Joann.* III, 21. nos, fiduciam habemus ad Deum. Quarto, C fit per operum attestationem. Quum enim operatio arguat formam, sicut vita naturæ per actum et motum naturæ ostenditur, sic vita caritatis et gratiæ per alacritatem et promptitudinem virtuosorum exercitiorum monstratur. Idcirco dum Spiritus Sanctus efficit hominem in divino obsequio in omnibus promptum et alacrem ac constantem, testimonium perhibet ei quod in caritate exsistat : siquidem exhibitio operis, probatio est caritatis.

Posset hic quæri, an aliquis sciat se esse D in caritate. Ad quod ex dictis patet aliqualis responsio. Porro dominus Guillelmus Antisiodorensis, in tertia parte Summæ suæ, multum magistraliter scribit de hoc, inter cetera dicens : Aliqui dicunt, quod quidam sciunt se non habere caritatem, sicut qui sunt in actu aut proposito peccandi mortaliter. Alii dubitant se caritatem habere, quoniam habent rationes pro utraque parte æque fortes : ut qui incipiunt facere quod in ipsis est, et proponunt de cetero non peccare. Alii putant se habere caritatem, videlicet qui jam multa bona fecerunt, et diu est quod non fuerunt in actu aut proposito peccati mortalis, tamen adhuc sustinent primos motus, imaginanturque turpia, atque inquie- Eccle. x, 1. tudinem patiuntur muscarum morientium, quæ perdunt suavitatem unguenti, id est orationis ac meditationis dulcedinem. Alii sciunt se caritatem habere, qui scilicet Ps. xxxiii, 9; I Petr. ii, 3. gustant dulcedinem Dei, et in quibus post multos fletus pene exstinctus est fomes, ut in Maria Magdalene et in Maria Ægyptiaca. Insuper (ait) duplex est scientia : una experimentalis, quæ est per aliqua signa ; alia proprie dicta scientia, quæ est cognitio alicujus per se noti, ut in principiis, aut alicujus noti ex illis. Primo modo potest aliquis scire se caritatem habere. Et illa signa sunt tria. Primum est jucunditas mentis in bono ; secundum, bona desideria ; tertium, bona opera. Secundo modo nullus scit se habere caritatem, nisi per revelationem. Dispensatione ergo divina fit ut aliquo modo sciamus nos esse in caritate : primo, ut aliquam consolationem habeamus in miseriis sæculi hujus ; secundo, ut Deo gratias referamus ; tertio, ut provocemur ad meliora. Aliquo etiam modo istud nescimus : primo, ut cautiores simus, et magis solliciti de nostra salute ; secundo, ut humiliores simus, et omnem præsumptionem vitemus ; tertio, ut simus magis timorati, et in bonis operibus instantiores, nec prava A securitate aut ignavia resolvamur. Amplius, dicit quod sicut duplex est fides, puta informis et formata, sic duplex exstat dilectio, scilicet naturalis atque gratuita. Quæ duæ dilectiones tantam habent affinitatem et conjunctionem inter se, quod non potest homo discernere an suum diligere sit motus dilectionis naturalis aut magis gratuitæ : nam et naturalis dilectio suas habet delicias et quamdam delectationem. — Multa alia scribit de ista materia, tangens et hoc, quod verbum illud B Salomonis, Nescit homo an amore dignus Eccle. ix, 1. sit, intelligitur de amore prædestinationis : quod tamen de amore præsentis justitiæ ab aliis explanatur.

Postremo mihi videtur, quod quamvis multa ponantur indicia per quæ aliquo modo cognoscere potest homo an in caritate exsistat, nullum tamen certius est signum, quam dum homo conscientiam suam bene discutiens, invenit se omne mortale peccatum cordialiter abhorrere, vitare et semper fugere velle. Itaque, juxta prin- C cipis Apostolorum doctrinam, per bona II Petr. i, 10. opera certam faciamus nostram vocationem, et hujus epistolæ impleamus strenue documenta, ut simus heredes Dei, bona gloriæ æternaliter possidendo, coheredesque Christi, hoc est, beatitudinis suæ participes, tam increatæ beatitudinis ejus, quam habet in quantum Deus, quam beatitudinis suæ creatæ, quam secundum assumptam habet humanitatem.

SERMO QUINTUS

DE VITANDA HYPOCRISI ET FICTA DEVOTIONE.

A *FRUCTIBUS eorum cognoscetis eos.* Matth. vii, 16.

Christus in evangelio hodierno docet, esse quosdam mendaciter virtuosos, ficte justos, puta hypocritas et falsos doctores, D quos jubet esse cavendos, ne eorum persuasionibus, suggestionibus, calliditatibus, fictionibus quis credat ac seducatur. Sed quum alibi Salvator nobis prohibeat judi- Matth. vii, 1; Luc. vi, 37. care, quomodo nunc præcipit nobis tales cavere, quum eos cavere non valeamus, nisi eos esse pravos, fallaces ac periculosos judicemus ? Sed ad hoc ex præhabitis patet responsio. Non enim omne judicium prohibet Christus, sed usurpatum, temerarium et perversum. De manifestis autem judicare permittimur. Multiplex quoque exstat judicium, utpote assertionis et cautelæ probabilis. Verumtamen tunc rursus oritur difficultas quomodo isti falsi prophetæ, hypocritæ et ficte devoti queant agnosci, quum plerumque manifesta caveant mala, et ea quæ ex genere suo bona sunt operentur : imo longis orationibus, magnis abstinentiis sunt intenti, et ceteris religiosiores videntur. Nihilo minus ad istud respondet in evangelio isto Christus : « A fructibus », inquiens, « eorum cognoscetis eos ».

Qui ergo sunt fructus per quos cognoscantur ? Et respondendum, quod quæstio ista inquirit, qui sint veri ac proprii fructus ovium, hoc est hominum vere virtuosorum ; qui item sint fructus luporum, videlicet hypocritarum ac deceptorum. Nempe quæ utrisque communia sunt aut esse possunt, non sunt veri et proprii fructus alicujus ipsorum ; nec per talia ab invicem possunt discerni. Est itaque advertendum, quod quædam sunt bona ex genere, quæ tamen perversa queunt fieri intentione, ut jejunare, eleemosynam dare, ecclesiam visitare, prædicationem audire. Et ista dum *Matth.* VII, 15. bona fiunt intentione, vestes sunt ovium ; dum vana intentione aguntur, vestes sunt luporum. Porro alia sunt bona ex sua natura et specie, quæ prava intentione nequeunt fieri, ut sunt immediati atque eliciti actus virtutum : et ista sunt vera et propria ovium vestimenta. Quorum quædam enumerans Apostolus ad Galatas : *Galat.* V, 22, 23. Fructus (inquit) Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, etc. In quibus verbis nomina illa virtutum, non habitus, sed actus virtutum designant. Virtutibus autem nullus directe utitur male. Alia demum sunt ex se mala, quæ bono non valent fieri animo : quæ sunt veræ et propriæ vestes luporum. Quorum quædam Apostolus exprimit, dicens : *Galat.* V, 19-21. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, invidiæ, animositates, etc. Verumtamen falsi prophetæ atque hypocritæ, quorum studium et intentio sunt decipere alios sub specie boni, et famam virtutum, honores ac propria commoda adipisci, non solent se prima fronte talibus vestibus operire, seu talia mala publice exercere, ne quales sint agnoscantur ; sed apparentia prima faciunt bona, et tandem ad prava ac pessima, imo et ad apertissima deceptos a se pertrahunt mala, videlicet ad errores et vitia magna, ad hæreses et schismata, ad carnalitates, mollities, rebelliones, pertinacias, ambitiones. Itaque lupi isti et false justi ac deceptores, per fructus illos qui sunt propria vestimenta eorum, utpote per manifesta et inexcusabilia mala, certitudinaliter cognoscuntur, dijudicantur, et secure vitantur.

Per fructus vero qui bono animo fieri possunt, et ovibus quoque communes sunt, non possunt ita cognosci, nisi ex aliquibus additamentis : ut quum talia agunt cum singularitate et probabili vanitate seu ostentatione, vel animo pertinaci, seu contra suorum superiorum exhortationem aut jussionem. Denique, quoniam sicut vasa *Eccli.* XXVII, 6. figuli probat fornax, sic homines justos tentatio tribulationis, isti fallaciter virtuosi, false justi, ficte devoti per adversitates probantur, et per exercitationes prudentes noscuntur. Quum enim non sint veraciter humiles, mites et patientes, solent in talibus indignari, irasci et per impatientiam suam agnosci. Nihilo minus hæretici et alii quidam in sensu proprio immansivi, sæpissime patientes videntur, quia antequam suos relinquant errores, diversas quasi patientissime sustinent pœnas. Attamen eorum patientia non est patientia vera, sed duritia magna, et pertinacia maledicta ; atque ex hoc superbi et vitiosi ac pertinaces monstrantur, quia indociles, indirigibiles et inobedientes consistunt.

Præterea, aliquæ sunt virtutes et aliqua A vitia inter quæ rite discernere satis exstat difficile, eo quod similitudinem magnam videantur habere, et vitia illa speciem prætendant virtutum, seque virtutes esse impie mentiantur. Sic quippe loquacitas reputatur affabilitas, et dissolutio spiritualis lætitia ; severitas quoque reputatur justitia, et remissio pietas, atque amaritudo maturitas ; sicque de aliis multis. Ad discernendum inter hæc, indiget homo illuminatione divina ac discretione præcipua, ut veraciter separet pretiosum a vili. B *Jer.* xv, 19. Unde ad discernendum in talibus, Deum quotidie exorare debemus, ut in illis dirigere nos dignetur, et ab omni seductione ac periculo præservare.

Insuper, circa talia dupliciter fallimur. Primo, ex ignorantia : ut dum quis bene agere putat et bonæ intentionis est, nihilo minus errat et peccat, æstimans bonum et discretum quod est malum et excessivum. Et ita viri boni peccant quotidie in cibo, potu, somno, vel supportatione peccantium, non taliter corripiendo aut corrigendo C hujusmodi sicut oportet aut expedit. Secundo, ex certa malitia : ut dum quis ex prava intentione agit quæ bona videntur, videlicet desiderio laudis et famæ humanæ aut honoris, seu commodi temporalis, vel ut alios fallat ac male alliciat. Et qui taliter agunt, proprie falsi prophetæ, hypocritæ, simulatores et deceptores vocantur. Atque de talibus Christus in hodierno evangelio loquitur, et in duobus nos instruit : primo, ut omnem hypocrisim, simulationem, vanitatem, perversitatem D abhorreamus ac evitemus ; secundo, ut ab his qui talibus vitiis sunt infecti, abstineamus, ne seducamur et inficiamur ab illis. Et istud novellis plantationibus, simplicioribus Fratribus et innocentibus omni verbo credentibus valde est necessarium. Sunt namque aliqui practicatores et partialitatem amantes, seque multitudine adhærentium, non ratione et virtute armantes, qui periculosi sunt nimis et præcavendi.

Porro, quo religiosi præ ceteris cunctis mortalibus magis tenentur esse sibi ipsis ac sæculo spiritualiter mortui, eo plus ab omni hypocrisi, ambitione, calliditate, fictione et appetitione laudis humanæ obligantur esse immunes. Rursus, quo coram Deo tenentur magis esse sinceri et proficientes, nec solum mala, sed et insecuriora vitantes, eo a vitiis illis adstringuntur abundantius esse expertes. Religiosus quippe debet in omnibus esse ad Deum erectus, in ipsum conversus, nequaquam ad se ipsum vitiose reflexus. Quum ergo per vitia illa homo ad se maxime et obliquissime, imo et miserabilissime et damnabilissime reflectatur, summe et ineffabiliter detestanda sunt omni religioso. Interea, quo religiosi viam magis arduam sunt aggressi, quo plura propter Deum reliquerunt, quo quotidie plura opera ex suo genere bona, imo et ad perfectionem pertinentia operantur, quo exuberantiorem mercedem desuper adepturi sunt, si sinceri justique fuerint ; eo stolidius, infelicius, miserabilius agunt, si jam in claustro hypocrisim, ambitionem, desiderium laudis humanæ, duplicitatem, fictionem admiserint, si vitia sua pallient et excusent, si sub specie caritatis atque justitiæ suas effuderint passiones, si aliud quid prætendant quam Deum et ejus honorem, ac veram salutem. Audi, o ficte devote, o nequiter humilis, o simulator et callide, quid de hypocritis sacra protestetur Scriptura : Si ascenderit (inquit) usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, *Job* xx, 6-8, 18, 27. quasi sterquilinium in fine perdetur, transiet quasi visio nocturna ; luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur ; juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit ; revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra adversus eum consurget. Jacobus quoque apostolus ait : Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. *Jacob.* i, 8.

Sit ergo in omnibus recta nostra intentio, justa nostra affectio, virtuosa actio nostra, sincera omnis occupatio nostra ; nec pro vano volatilique favore, præconio aut honore, tot et tantos perdamus labores; nec tam immensa beatitudine nos privemus, ne et ultra hæc æternam A confusionem atque gravissimam incurramus damnationem, reprobante nos Judice summo.

SERMO SEXTUS

DE HYPOCRISI ET FICTA DEVOTIONE VITANDA, VARIISQUE DOCUMENTIS RELIGIOSORUM.

OMNIS arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Matth. VII, 19.

Unigenitus Filius Dei, qui in quantum *Joann.* XIV, 6. Deus est, essentialiter verus et veritas est *I Cor.* I, 24. et ipsa sapientia Dei Patris, sciens quam specialissime ac vehementissime omnis hypocrisis et appetitio vanæ laudis, omnis confictio, vanitas et deceptio, veritati, æquitati ac veræ sapientiæ contrarientur, *Matth.* VI, 2, 5, 16; VII, 5; XV, 7; XXIII, 14 et seq.; XXIV, 51; *Luc.* VI, 42; XII, 1, 56; XIII, 15. atque a Deo despiciantur, contra hypocrisim in Evangelio terribiliter ac sæpissime loquitur, et hypocritas mirabiliter detestatur, reprobat et condemnat. Scribas quoque et Pharisæos de hypocrisi maxime reprehendit. Quorum nihilo minus quidam specie tenus religiosi, hypocrisim, vanitatem astutiamque sequuntur. Propter quod loquitur Augustinus: Quam multos hypocritas sub habitu monachorum callidissimus hostis dispersit! Circumeunt provincias, petunt et exigunt sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Quidam etiam in observantiis suis sunt singulares, videri, sciri, laudari optantes. Et qui in secreto coram Deo torpore et negligentia pleni sunt, coram hominibus grandem prætendunt fervorem, simulant æquitatem, devotionem confingunt. Hi sunt qui non attendunt nec metuunt districtum Dei judicium; qui homines plus verentur quam Deum, qui magis formidant ab hominibus despici, vituperari, confundi, quam a Judice altissimo reprobari ac aspernari.

O quam infinita est excæcatio et insipientia horum! *Ps.* IV, 3. Quibus ait Propheta: Filii B hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Econtra: Beatus vir cujus est nomen *Ps.* XXXIX, 5. Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas. Hinc ait Bernardus: Hypocrita singularia et inusitata sectatur, ut fragrantiam propriæ opinionis diffundat. Cujus affectio elongatur a Christo, et vanis favoribus delectatur; cujus mens, non testimonio conscientiæ propriæ, sed adulationibus demulcetur.

Cogitemus Deum omnia intuentem et C omnia judicaturum, et odiemus hypocrisim; non simulatores et callidi, sed simplices esse satagemus et timorati. Attendamus quam vanum, vile, stultum et periculosum sit humanis laudibus delectari, hominum reputatione inaniter gloriari: quia per hoc non solum æternam beatitudinem, Dei amicitiam, omnemque virtutem amittimus, sed perpetua quoque meremur supplicia, et confusionem perennem habebimus tanto majorem, quanto hic ab hominibus virtuosiores æstimabamur. Et qui modo de- D votos et sanctos nos arbitrantur, tunc de nostra vanitate atque insania mirabuntur.

Quam stultus mercator, qui pro divino, cœlesti et æterno honore, transitorium, imo brevissimum et humanum honorem amplectitur! Chrysostomus. O hypocrita, si appetibile est virtuosum esse, cur vis apparere quod non vis esse? Si malum est vitiosum et vanum exsistere, cur vis esse quod non vis apparere? An ignoras quod nihil ita exterminet quemadmodum simulatio? quoniam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur. Nihilo A minus, teste Ambrosio, latet plerumque sub tristi amictu lascivia, et deformis vanitas vili veste obtegitur, ut secreta petulantium tegantur sic animorum. Itaque absit ut quis idcirco se frangat, se aliis applicet, se honeste et exemplariter conversari ac exhibere prætendat, ut ab hominibus commendetur, aut a suis confratribus honoretur, aut certe ad aliquam præsidentiam sive officium promoveatur. Hæc enim diabolica esset perversitas.

Denique, si opera bona ad supererogationem B spectantia sunt celanda, ne videatur quis affectare humana præconia; et si vanum ac stolidum est de bonis operibus atque virtutibus vere inexsistentibus velle ab hominibus commendari : quanto iniquius insipientiusque consistit de virtutibus non inexsistentibus et operibus non peractis velle laudari, aut intra se de hujusmodi laude inanissime gloriari ? Nec quisquam ita sit insensatus, ut alios vituperet, vituperarive cupiat, quatenus illorum comparatione ipse laudabilior reputetur. C Interdum contingit ut vanitate seductus, dum ab aliquo se in fama, honore, promotione superari veretur, si ille indecenter se habeat, glorietur; si vero omnibus exemplaris amabilisque exsistat, tristetur. Ecce quomodo spiritualia ista vitia miserrimi hominis cor excæcant, et pravis implent germinibus, utpote vitiis quæ nascuntur ex ipsis. Nec enim numerari queunt peccata ex hypocrisi, ambitione et appetitione laudis humanæ manantia.

Fundemus ergo totam conversationem D nostram in tuto, forti ac stabili fundamento, hoc est in profunda ac inviolabili humilitate, in propria mortificatione vivifica, in plena et indesinenti conversione mentis ad Deum; et discutiamus quotidie nosmetipsos, an coram Deo sinceriter ambulemus, an in aliquo ad nos ipsos inaniter reflectamur. Summum et incommutabile bonum super omnia incomparabiliter appretiemur ; ad Creatorem nostrum continue adspiremus ; fonti beatitudinis nostræ omni hora propinquare conemur; Deo sublimi et adorando jugiter studeamus, peroptemus, deprecemur placere, cohærere, uniri, in ejus amore succendi, in ipso quotidie magis ac magis constabiliri. Non simus incustoditi ac dissoluti, una hora perdentes quod alia acquisivimus de spiritu devotionis ac spirituali profectu ; sicut (proh dolor !) multi sunt qui post celebrationem, post confessionem, post correptionem, post infusam eis compunctionis devotionisque gratiam, protinus ad consuetas ac pristinas relabuntur dissolutiones, levitates, loquacitates, incustodiam cordis, evagationesque sensuum : ideo parum aut nihil proficiunt, imo magis deficiunt; et quum spiritu cœperint, carne *Galat.* III, 3. jam consummantur.

Denique, non potest religiosus digne proficere, nec ad perfectionem pertingere, nisi venialia peccata quasi mortalia detestetur, abhorreat, fugiat, defleat ac puniat assidue in se ipso, sitque in indesinenti mentis suæ custodia, et semper sollicitus ne in aliquo Deum offendat, sed ei quotidie plenius mereatur placere. Itaque collatam nobis frequenter compunctionis devotionisque gratiam diligentissime conservemus, non effundamus : imo in ea crescere semper nitamur. Cogitemus quod juxta Scripturas, congregatio hypocritarum *Job* xv, 34. sit sterilis; et quod rursus in libro Job legitur : Numquid Deus exaudiet *Ibid.* XXVII, 9, 10. vocem hypocritæ, quum venerit super eum angustia ? aut poterit in Omnipotente delectari ? Ne ergo cum talibus steriles simus, sint oculi nostri semper ad Dominum, *Ps.* XXIV, 15. nec unquam ab eo deflectatur aut seducatur cor nostrum, quia ut ait Salvator, « Omnis arbor quæ non facit fructum *Matth.* VII, 19. bonum, excidetur, et in ignem mittetur ». Hinc sancti Patres in eremo omnem hypocrisim, vanam gloriam, laudem humanam specialissime evitabant. Horribilia quoque in Vitaspatrum et alibi leguntur exempla de quibusdam religiosis hypocritis, qui humana æstimatione sanctissimi erant, sed coram Deo vani fuerunt, et gravissimam sibi damnationem mercati sunt, atque A æternaliter perierunt. Non ergo sufficiat nobis laus applaususque hominum, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. I *Petr.* III, 21. Nulli vanæ conceptioni, nulli fatuæ imaginationi demus ingressum seu moram in nobis : imo si orta fuerit, protinus expellatur, derideatur ac penitus suffocetur. Ideo Climacus loquitur : Si hostis suggesserit tibi magistratum, episcopatum, aut fratrum ducatum, non audias eum. Difficile est canem, quantumcumque modice admittatur, a macello cordis expellere. B

Postremo, quoniam Christus hominem virtuosum comparat arbori bonæ, sit quilibet nostrum arbor bona, fructuosa et pulchra, radices humilitatis mittendo profunde in terram ; puris cogitationibus et sanctis affectionibus quasi floribus adornemur ; verbis fructuosis, ædificatoriis, sacris, quasi foliis venustemur; exercitiis virtuosis quasi fructibus impleamur; delectationibus virtutum quasi fructuum bonorum saporibus recreemur. Et si per adversa et aspera, per tentamenta et quotidiana peccata, quasi hiemalibus frigoribus videamur arescere, tamen per consolationem et confortationem Spiritus Sancti, per contemplationem et ferventem Dei amorem, per incessantem profectum refloreamus et in altum crescamus. Ad laudem et gloriam Omnipotentis. Amen.

DOMINICA IX POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

NON SIMUS CONCUPISCENTES MALORUM, SICUT ET ILLI, ETC. I Cor. x, 6-13.

SANCTUS Apostolus in præsenti epistola multa nobis proponit salubria documenta, de quibus in processu expositionis dicetur. Nam ait : *Non simus concupiscentes malorum,* id est, inordinatas affectiones et carnales concupiscentias abjiciamus : quemadmodum Ecclesiasticus præcipit, *Eccli.* XVIII, 30. Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua avertere. Ideo namque data est homini ratio, ut per eam illicita desideria refrenet ac superet. *Sicut et illi,* hoc est rebelles et carnales Judæi, *concupierunt* in deserto, qui fessi de manna, desideraverunt carnes comedere, dicentes : *Num.* XI, 4. Quis dabit nobis carnes ad vescendum ? *Ps.* LXXVII, 18. De quibus ait Psalmista : Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis* facti sunt, vitulum aureum adorantes, *quemadmodum* *Exod.* XXXII, 6. *scriptum est* in Exodo : *Sedit populus,* id est pars populi Israelitici in deserto, quando egressi fuerunt de Ægypto, *manducare et bibere,* hoc est ad manducandum et bibendum coram simulacro ad ejus honorem, *et surrexerunt ludere,* id est chori- *Ibid.* 4, 8. zare, et idolum adorare, dicentes : Isti sunt dii tui, Israel. Quorum utrumque puerile et stultum est. Et propter hoc *Ibid.* 28. scelus interfecta fuerunt viginti tria millia Judæorum per manus Levitarum, secundum quod Moyses jussit, et in Exodo describitur.

Neque fornicemur corporaliter, *sicut* A *quidam ex ipsis fornicati sunt* cum mulieribus Madianitis, *Num.* XXV, 1. *et ceciderunt,* id est, occisa sunt, *una die viginti tria millia.* In Numeris dicitur, Viginti quatuor millia; *Ibid.* 9. sed numerus minor non excludit majorem, imo major includit minorem. Occisi sunt autem fornicatores isti ab aliis filiis Israel, Moyse id jubente. Atque ob hanc populi culpam Deus præcepit principes *Ibid.* 4. tribuum Israel suspendi in patibulis, eo quod populum non retraxerunt a tanto excessu pro posse : quo constat peccata B subditorum redundare in præsidentes, nisi qui præsunt fecerint debitam diligentiam suam in refrenatione subditorum a vitiis. Tunc quoque Phinees perfodit Zambri du- *Ibid.* 8, 14, 15. cem filiorum Simeonis, et Cozbi filiam nobilissimi principis Madianitarum, in locis genitalibus : quo facto, cessavit plaga a populo.

Neque tentemus Christum, quærendo experimentum sapientiæ sive potentiæ ejus, *sicut quidam eorum tentaverunt* Christum, secundum deitatem ipsius. Ten- C tando etenim Deum, tentaverunt quamlibet divinam Personam. Unde Dominus dixit ad Moysen : Usquequo multitudo hæc *Ibid.* XIV, 11, 22. pessima non credet mihi, in omnibus mirabilibus quæ feci coram eis ? Et tentaverunt me jam per decem vices. Porro persona Christi æterna est ; imo Jesus Christus æternus est, quum sit verus Deus : supponit enim divinam et increatam Personam. Ad quod insinuandum, Judas in

Judæ 5. sua ait Canonica : Jesus populum salvans A de Ægypto, secundo eos qui non crediderunt perdidit. *Et a serpentibus perierunt.* *Num.* xxi, 6. Misit enim Dominus in eos ignitos serpentes, a quibus occisi sunt multi, ut in Numeris habetur. *Neque murmuraveritis* contra superiores aut proximos vestros, dum increpant vos, vel aliquid adversitatis accidit vobis, *sicut quidam eorum murmuraverunt* contra Deum et Moysen, juxta *Ibid.* xiv, 1-3. illud Numerorum : Vociferans omnis turba filiorum Israel flevit, et murmurati sunt contra Moysen, dicentes : Utinam pereamus, B et non inducat nos Dominus in terram hanc. Unde Salvator in Evangelio *Cf.* Aug. in Joann. tract. xxvi, 11. loquens perversis Judæis : Murmuratores, inquit, murmuratorum filii, implete mensuram patrum vestrorum. *Et perierunt,* hoc est, in deserto occisi sunt, *ab exterminatore,* id est ab angelo qui eos extra fines terræ promissionis percussit, et ita per anticipationem eos inde exterminavit. *Num.* xiv, 29-33. Dixit etenim Dominus : Omnes qui murmurastis contra me, non intrabitis terram hanc; sed in deserto jacebunt cadavera C vestra. De hoc angelo exterminatore ait *Exod.* xxiii, 20, 21. Dominus in Exodo : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam; observa eum, quia non dimittet quum peccaveris.

Hæc autem omnia, id est debita ista supplicia pro eorum sceleribus inflicta, *in figura,* id est typica significatione, *contingebant illis,* videlicet ad significandum quod similia aut majora infligentur nobis tormenta si illorum peccata secuti fuerimus. *Scripta sunt autem ad correctionem** *nostram,* ut illorum exemplo terreamur et D emendemus nos, quatenus qui amore boni bene agere negligit, saltem pœnarum emendetur formidine. Felix enim quem faciunt aliena damna peritum. Propter *Prov.* xix, 25. quod in Proverbiis habetur : Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Itaque scripta sunt propter nos, *in quos fines sæculorum devenerunt,* id est ultima mundi ætas, quæ incepit a tempore Christi, et durat usque ad terminum mundi : de qua I *Joann.* ii, 18. Joannes ait, Filioli, novissima hora est. Denique, juxta doctrinam divini Dionysii, status Ecclesiæ militantis medio modo se De Eccl. hier. c. v. habet inter statum Synagogæ statumque patriæ. Unde sicut ea quæ geruntur in Ecclesia militanti, sunt figura eorum quæ fiunt in Ecclesia triumphanti; sic ea quæ acciderunt in Synagoga, figura erant eorum quæ aguntur in Ecclesia. Imo status ac populus Judaicus, fuit figura status populi christiani. Ideo in figura contigerunt omnia illis.

* *correptionem*

Itaque qui se existimat stare, id est spiritualiter erectum esse in Deo per caritatem et opera virtuosa, *videat ne cadat,* id est, ne gratiam peccando amittat. Nemo ergo securus sit, sed in custodia et timore sit unusquisque, quia in medio laqueorum versamur. Et bene ait, « existimat », quoniam absque revelatione divina nullus *Eccle.* ix, 1. certus est se esse in caritate.

Tentatio vos non apprehendat, id est, in vobis non sit, nec capiat, nec vincat, *nisi humana,* id est levis et transitoria, utpote inclinatio ad venialia, sine quibus I *Joann.* i, 8. non potest agi hæc vita. Hoc autem dicit Apostolus, non hortando aut licentiando ut venialiter peccemus, sed non prohibendo, quia vitari non potest. Quamvis enim singula vitare possumus, non tamen omnia. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari,* hoc est impugnari a dæmonibus aut pravis hominibus, *supra id quod potestis,* id est ultra vires naturæ aut gratiæ; *sed faciet etiam cum tentatione proventum,* id est spiritualem profectum, dando gratiam resistendi et per exercitium tentationis proficiendi, *ut possitis sustinere,* id est patienter tolerare, et tolerando ac resistendo meritorie prævalere. Tentatio ergo passiva, non est in se mala aut fugienda, quum exercitium sit virtutis, et triumphandi ac promerendi materia, atque ad multa perutilis, utpote ad cognoscendum propriam infirmitatem, ad assuescendum invocare divinum auxilium, ad obtinendum experientiam in spiritualibus rebus. Propter quod in Ecclesiastico habetur : Qui non est tentatus, *Eccli.* xxxiv, 9, 10.

quid scit ? Qui non est expertus, pauca A II *Tim.* ii, 5. recognoscit. Denique non coronatur nisi qui legitime certaverit. Hinc Jacobus : *Jacob.* i, 2. Omne (inquit) gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Deus enim per angelos sanctos reprimit malignitatem spirituum immundorum, ne quantum volunt et possent homines tentent. Per se ipsum quoque et per angelos, per preces et merita Sanctorum ac devotorum, confortat corda hominum ad sustinendum ac superandum tentationes, juxta illud in Psalmo : Angelis *Ps.* xc, 11. suis mandavit de te, etc.

SERMO PRIMUS

DE REFRENANDIS INIQUIS PECCATORUM CONCUPISCENTIIS, DEQUE SINCERIS SUMMI DEI CULTORIBUS.

QUI *stat, videat ne cadat.* I Cor. x, 12. B Docet nos beatissimus Paulus apo- I *Cor.* x, 6. stolus in præsenti epistola, primo ne desideremus illicita, hoc est per divinam legem prohibita. Quid autem prohibet I *Tim.* iv, 4. Deus, nisi peccata ? Omnis etenim creatura Dei bona est, et suo modo amanda. Nec prohibet Deus appetere aliorum divitias, aut proximi conjugem, quasi divitiæ in se malæ sint, aut conjux alterius odienda ; sed quia illa appetere, malum est et injustum. Sola ergo peccata prohibet Deus directe. Itaque non appetas vitiose dele- C ctari, et multa mox superabis peccata : quia ut asserit Augustinus, peccare delectat ; nam si non delectaret, non fieret. Verumtamen quædam sunt peccata in se ipsis pœnalia et amara, ut invidia, indignatio, ira, impatientia, desperatio, turbulentia, timor inordinatus. Igitur non cupiamus inordinate delectari, et protinus vitia gulæ atque luxuriæ, jocos immoderatosque ludos, dissolutiones, loquacitates, aliasque innumerabiles vanitates et impietates vincemus, vitabimus, abjiciemus. Sed quid D est inordinate delectari ? Hoc est in rebus creatis delectari, non per relationem seu ordinationem earum ad Deum creatorem, ad ultimum finem, ad veram salutem. Hoc enim est contra justitiam, contra ordinem rationis, contra sapientiæ regulam ac censuram. Denique, si quis delectaretur in Creatore, non in quantum in se ipso bonus est, sed solum aut principaliter in quantum bonus est sibi, videlicet homini delectationem in ipso habenti, hoc esset inordinate delectari in Deo, essetque Deo uti, non frui, id est, Deum ad se ac propria commoda referre, non se ad Dominum Deum. Unde talis se ipsum præponeret Deo, et faceret se ipsum finem sibi, Deum autem medium ad se ipsum : quod est omnino præposterum, injustum, perversum.

Itaque, juxta doctrinam Apostoli, concupiscamus bona, non mala. Summe et præcordialissime affectemus Deo placere, Deum toto corde diligere, Deum super omnia sincerissime formidare ac honorare. Desideremus quotidie in caritate Dei et omnium hominum, in omni dono, virtute et gratia Spiritus Sancti proficere, ut simus quotidie humiliores, patientiores, ferventiores, puriores, atque in ceteris virtutibus perfectiores. Studeamus quotidie magis solliciti, custoditi, timorati esse coram Altissimo, ut cum Propheta dicere valeamus : Oculi mei semper ad Dominum ; et rursus, *Ps.* xxiv, 15. Providebam Dominum in conspectu meo *Ps.* xv, 8. semper. Sicque Dei intuitu et amore universa indesinenter odiamus ac fugiamus peccata.

A Præterea advertendum, quod Scriptura divina loquitur de duplici concupiscentia, videlicet sensitiva et intellectiva. Concupiscentia sensitiva est in inferiori sensitivoque appetitu, estque desiderium rei materialis, terrenæ, sensibilis. De qua Ecclesiasticus asserit : *Eccli.* XVIII, 31. Si præstiteris animæ tuæ concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis. Concupiscentia intellectiva est in voluntate, quæ est superior intellectivusque appetitus; estque concupiscentia ista desiderium Dei et spiritualium rerum. De qua in Ecclesiastico legitur : *Ibid.* III, 31. Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Et Sapiens ait : *Sap.* VI, 21. Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Atque in Psalmo : *Ps.* LXXXIII, 3. Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Denique, communiter dicitur quod concupiscentia sensitiva sit vitiosa, concupiscentia autem intellectiva sit virtuosa. Verumtamen, si subtilius consideretur, aliter distinguendum erit, atque dicendum quod concupiscentia utraque est duplex, utpote virtuosa et vitiosa. Est ergo concupiscentia sensitiva una virtuosa, alia vitiosa. Virtuosa est, dum appetitus sensitivus fertur in suum objectum secundum censuram et ordinem rationis, videlicet, dum aliquod sensibile bonum concupiscimus ordinate, secundum quod recta ratio dictat, utpote ordinando illud ad debitum finem : ut si quis appetat cibum et potum quatenus temperate refectus, aptus et fortis sit ad Dei obsequium, vel si maritus cupiat suam cognoscere conjugem amore prolis ad Dei obsequium educandæ, sive ut debitum reddat. Concupiscentia sensitiva vitiosa est, dum appetitus sensitivus in suum movetur objectum contra rectæ rationis judicium, hoc est, dum sensibilia desideramus, non per debitam ordinationem ad veram salutem, sed propter voluptatem immundam, seu plus quam utile aut necesse est ad spiritualia bona acquirenda, conservanda seu perficienda. De qua scribit Apostolus : *Galat.* V, 16, 17. Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis; caro enim concupiscit adversus spiritum, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.

Simili modo concupiscentia intellectiva una est virtuosa, quando videlicet summum ac simplicissimum bonum desideramus pure aut principaliter propter puram et incommutabilem bonitatem ipsius, juxta illud in Psalmo : *Ps.* XLI, 2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sicque Isaias loquitur Deo : *Is.* XXVI, 9. Anima mea desideravit te in nocte. Est etiam concupiscentia ista B intellectualis virtuosa, dum bona creata spiritualia, ut scientiam et virtutes, appetimus ad Dei honorem, ut per eas ad beatitudinem pertingamus, Deumque debite veneremur. Porro concupiscentia intellectualis vitiosa est, dum bonum spirituale, sive increatum sive creatum, appetimus propter proprium, carnale temporaleve commodum : sic multi vani et miseri homines cupiunt notitiam Scripturarum, et aliqua ex suo genere bona efficiunt, quatenus ab hominibus honorentur, laudentur, C et bona corporalia adipiscantur. Itaque concupiscentiam vitiosam, tam sensitivam quam intellectivam, prorsus abjiciamus; concupiscentiam vero virtuosam et ordinatam, tam sensitivam quam intellectivam, apprehendamus, Deum super omnia pure desiderando, atque universa bona creata, tam sensibilia quam spiritualia, per rectam ordinationem ad eum optando.

Secundo ex hodierna docemur epistola, ut simus summi Dei cultores sinceri, eum super omnia appetendo, colendo, amando, D et non efficiamur idololatræ. *I Cor.* X, 7. Nec solum idololatræ sunt qui idola colunt seu gentilium deos adorant, sed etiam universi qui creaturis magis quam Creatori inhærent, qui ista carnalia et caduca magis quam Deum sublimem et gloriosum quærunt, intendunt ac diligunt : quales sunt omnes avari, luxuriosi, ambitiosi, et ceteri vitiosi. Unde avari aurum et divitias magis quam Deum colunt; luxuriosi feminis magis quam Deo student placere; superbi propriam excellentiam magis quam Dei omnipotentis honorificentiam quærunt. Om- A nes itaque isti in suis bonis creatis quasi in idolis, summo Deo relicto, lætantur. I Joann. v, 21. Quibus prima Joannis dicitur : Filioli, custodite vos a simulacris.

Tertio docet Apostolus, ut vitia gulæ vitemus, comessationes et potationes super- I Cor. x, 7. fluas fugiendo, et ne post cibum et potum, ad choreas, ludos, jocos, et alias vanitates exercendas seu inspiciendas surgamus, sed sobrie refecti, Deo gratias referamus. Unde Luc. xxi, 34. ait Salvator : Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hu- B jus sæculi.

I Cor. x, 8. Quarto docet, ut peccata fugiamus luxu- Hebr. xiii, 4. riæ. Fornicatores enim et adulteros judicabit reprobationis judicio Deus, secundum Galat. v, 19, 21. Apostolum. Qui iterum ait : Fornicatores regnum Dei non possidebunt. Nempe, quum Deus sit puritas infinita et sanctitas prorsus immensa, sapientia supersplendidissima veritasque mundissima, quanto in peccatis carnalibus major est turpitudo, major excæcatio mentis et amplior inhonestas, tanto plus displicent Deo et elon- C gant ab eo : idcirco potissimum vitanda sunt Christianis, qui præ ceteris populis puri ac spirituales, Christique imitatores Ephes. v, 3. esse tenentur. Unde alibi docet Apostolus, ut ista nec nominentur in nobis. Omnis itaque Christianus ad continentiam obligatur, hoc est ad castitatem virginalem, conjugalem aut vidualem. Atque ut docet I Cor. vi, 15-19. Apostolus, corpora hominum continenter et devote viventium templum sunt Spiritus Sancti, et membra eorum, membra sunt Christi; corpora vero luxuriosorum D sunt habitacula dæmonum, et membra eorum sunt membra meretricum atque diaboli. Idcirco qui continens est, vitia carnis devitet; incontinens autem pœniteat.

Ibid. x, 9. Quinto docet Apostolus, ne Deum tentemus, quærendo experimentum de omnipotentia aut providentia ejus. Sed certi quod ipse verissime omnipotens est, et universa clarissime intuens, sapientissime ordinans, rectissime quoque disponens, faciamus semper quod in nobis est, seu melius nostrum, et in ipso humiliter ac immobiliter confidamus. Sicque nos ipsos et omnia nostra, preces et vota ei fiducialiter committamus, scientes, ut ait Scriptu- Sap. vi, 8; xii, 13; I Petr. v, 7; ra, quod ipsi cura est de nobis, et quod sperantes in se finaliter non relinquet. Eccli. ii, 11.

Sexto docet, ne murmuremus, sed pa- I Cor. x, 10. tientes et humiles simus. Itaque quidquid adversitatis acciderit nobis, quidquid correctionis seu pœnæ aut reprehensionis fuerit nobis inflictum, non murmuremus; sed Dei providentiam ejusque justa judicia attendentes, pensemus nos talia pati non absque ordinatione divina, vel pro propria culpa, vel pro gratia et gloria augmentanda, aut pro alia rationabili causa justo Deo ac sapientissimo nota : et ideo patientes perseveremus, et gratias Deo agamus. Primo autem et maxime est cavendum ne murmuremus adversus Deum. Ait equidem Augustinus : De nulla re magis Deum offendisse Judaicus populus dictus est, quam murmurando adversus Deum. Secundo, ne contra prælatos aut præsidentes. Unde Moyses filiis Israel contra se et Aaron murmurantibus ait : Non Exod. xvi, 8. contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Gregorius quoque testatur : Qui contra superpositam sibi potestatem murmurat, illum redarguit qui potestatem instituit ac donavit; quisquis vero pro peccato suo corrigitur, nisi murmurando renitatur, eo ipso justus esse jam inchoat, quo corrigentis justitiam non accusat. Tertio, ne contra caritative corripientes. Ideo Salomon loquitur : Viro qui corripientem Prov. xxix, 1. dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Quarto, ne contra injuriantes, quum dicat Salvator : Beati estis Matth. v, 11, 12. quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint; gaudete in illa hora, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Hinc ait Isidorus : Discat non murmurare qui adversa patitur; et si ignorat cur ea sustineat, per hoc juste pati se arbitretur, quia ab illo gubernatur ac judicatur cujus judicia nunquam exstant injusta.

Septimo docet Apostolus, ut qui stat, I Cor. x, 12.

caveat casum. Oportet enim ut semper simus custoditi atque solliciti ne peccemus, præsertim quoniam per Ezechielem loquitur Deus : *Ezech.* xviii, 24. Si averterit se justus, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus non recordabuntur, sed in prævaricatione sua morietur. Magis quoque culpabile est, post acceptam veritatis notitiam et post caritatis ac gratiæ infusionem peccare, quam ante. Nemo igitur vana securitate torpescat, nemo ex temporum diuturnitate negligentior aut remissior fiat, *Eccli.* xxvii, 4. quoniam nisi in timore Dei tenuerit se instanter, cito ejus conscientia subvertetur.

I Cor. x, 13. Ultimo docet Apostolus, ut non apprehendat nos tentatio, nisi humana. Gravioribus ergo ac diabolicis tentationibus invictissime reluctemur, sicut de hoc in specialibus sermonibus dictum est. Omni itaque pravæ suggestioni, omni illicitæ inclinationi, omni vitiosæ persuasioni fortiter resistamus, Deum habentes semper præ oculis, et metuendissimum ejus judicium, atque supplicia impiorum æterna. Unde quo gravius quis tentatur, eo Dei auxilium ferventius incessabiliusque invocare docetur. Quemadmodum in Vitaspatrum habetur, quod quidam sanctorum Patrum habuit probatum ac virtuosum discipulum. Quem quum diabolus acriter valde tentaret, et discipulus ille orando et jejunando constanter resisteret, dixit sanctus abbas ejus ad eum : Fili, si vis, oro Deum ut auferat a te impugnationem istam. Respondit discipulus : Quamvis contra tentationem istam resistendo laborem habeam magnum, sentio tamen me in resistendo proficere : idcirco, o sancte Pater, noli Deum orare ut tollat a me tentationem istam, sed ut virtutem et gratiam præstet resistendi viriliter, et sustinendi ac prævalendi finaliter. Quo audito, Pater ille dixit discipulo : Ecce, fili, jam scio quod fideliter pugnam istam intelligis; resiste ergo indesinenter, et Dominus erit tecum, teque æternaliter pro victoria coronabit.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

HOMO QUIDAM ERAT DIVES, QUI HABEBAT VILLICUM. Luc. xvi, 1-9.

SALVATOR in evangelio isto ad opera misericordiæ nos hortatur, proponens parabolam, ex qua quantum opera misericordiæ valeant ad salutem, ostenditur. Itaque, sicut in Luca scriptum est, Christus dixit ad discipulos suos : *Homo quidam erat dives.* Per hominem istum intelligitur *Philipp.* ii, 7. Christus, qui exinanivit semetipsum humanam assumendo naturam, et propter hominum salutem factus est homo, juxta illud *Baruch* iii, 35, 36, 38. Baruch : Qui fecit stellas, hic Deus noster est; et post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Christus quoque secundum quod Deus, dives est opulentia infinita, quoniam beatitudo et perfectio ejus immensa est : Patris namque et Filii et Spiritus Sancti una est opulentia, una plenitudo, una essentia, in qua omnis nobilitas, omnis pulchritudo, omnis gloria et potestas simplicissime continetur. Denique Christus est æterna, increata et infinita sapientia Patris. *I Cor.* i, 24. Et in libro Sapientiæ habetur : Si divitiæ quæruntur, *Sap.* viii, 5. quid sapientia locupletius ? Christus etiam secundum quod homo, dives est et ditior universis, quoniam omni creaturæ prælatus est (secundum quod dixit : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra), *Matth.* xxviii, 18. fuitque summus sacerdos et omnium rex. Et anima ejus, a suæ creationis principio, ditissima ac perfectissima fuit in omni gratia et virtute ac donis Spiritus Sancti :

imo in bonis gloriæ, quoniam Deo beatifice fruebatur, atque divinam clarissime indesinenter vidit essentiam. Nihilo minus Christus in exterioribus voluntariam paupertatem assumpsit (propter quod dixit : *Matth.* VIII, 20. Filius hominis non habet ubi caput reclinet), quatenus ejus inopia corporali divites efficiamur opulentia spirituali.

Qui habebat villicum, id est dispensatorem. Quamvis autem villicus, villæ rector et custos proprie nuncupetur, hic tamen pro œconomo, id est procuratore seu dispensatore domus, accipitur. *Et hic diffamatus est apud illum,* scilicet Christum omnium judicem, quem latere nil potest. Porro diffamatio ista iniqui apud Deum seu Christum, fit variis modis ac multiplici testimonio. Primo, per ipsam infallibilem et omnia intuentem sapientiam Dei, *Jer.* XXIX, 23. qui per Jeremiam testatur : Ego sum testis et judex. Secundo, per angelos, qui zelo justitiæ opera hominum bona et mala coram Deo proponunt. Tertio, per dæmones, qui ex invidia faciunt hoc, quemadmodum *Zach.* III, 1. in Zacharia patet de Satan, qui Jesu filio Josedec adversabatur per accusationem procacem. Quarto, per remorsum conscientiarum, *Rom.* II, 15. juxta illud ad Romanos : Testimonium illis reddente conscientia ipsorum. Quinto, per evidentiam operum, sicut *Gen.* IV, 10. in Genesi Dominus ait ad Cain : Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Sexto, per querelam vicinorum atque egentium, secundum quod *Prov.* XI, 26. in Proverbiis legitur : Qui abscondunt frumentum in tempore, maledicentur; benedictio autem super caput vendentium. *Quasi dissipasset bona ipsius,* id est, inutiliter ea expendisset aut consumpsisset.

Per villicum istum intelligi potest quilibet homo, qui corpus et animam, et cuncta quæ habet, a Deo accepit, et eis ad Dei honorem uti tenetur, atque in bonis operibus eadem occupare. Præsertim aliorum prælatus seu princeps quicumque per hunc villicum designatur, qui sibi commissos bene regere obligatur, verbo et opere eos ædificando, temporalia quoque A utiliter tenetur expendere et superflua in pios usus convertere. Exteriorum quippe bonorum dispensatores magis quam possessores aut domini homines sunt, utpote rationem daturi qualiter ea expenderint : ideo moderate et fructuose eis uti tenentur. Porro pretiosissima Dei bona sunt animæ rationales, Christi sanguine liberatæ : quas dissipat, qui falsis doctrinis, pravis exemplis aut negligentia eas ad vitia pertrahit aut trahi permittit, nec revocat, si ex officio ad hoc tenetur aut congrue posset : B quod tanto sceleratius est apud Deum, quanto exterioribus rebus præstantiores sunt animæ immortales.

Et vocavit illum, id est Christus villicum illum. Hæc vocatio, non est illa qua quisque tempore mortis ad divinum vocatur judicium, quia post illam non est locus aut tempus pœnitendi ac promerendi, sicut post istam de qua agitur modo. Idcirco vocatio ista est, qua quisque in vita hac divinitus admonetur per inspirationem divinam sive angelicam, seu allocutionem C humanam, ut cogitet quam suo tempore rationem de omnibus Deo reddere possit. *Et ait illi : Quid hoc audio de te?* id est, cur ita te habuisti, quod mihi taliter accusaris? In quibus verbis instruuntur prælati in quatuor. Primo, ne subditorum peccata dissimulent, sed citius quo convenienter possunt ea corripiant et emendent. Secundo, ut veritatem famæ inquirant, nec statim omni credant spiritui, sed etiam audiant *I Joann.* IV, 1. accusatum : nam ait, « Quid audio », etc.? Tertio, ne accusatores prodant : quia D non ait, Ille, vel, Talis mihi hoc dixit; sed, « Audio ». Quarto, ut culpam de qua alius accusatur, specificent. Melius namque potest se homo corrigere, quum ei exprimitur in quo deliquit, aut excusare, si innocens est. Nam ait, « Quid hoc? » *Redde rationem villicationis tuæ,* id est, ad reddendum te præpara, atque conscientiam tuam examina qualiter in dispensatione tibi commissa te habuisti, ut valeas de omnibus reddere rationem. *Jam enim non poteris villicare,* id est, in proximo est ut de hac vita tollaris, et rebus tibi concessis A ad meritum diutius uti non queas, quia post mortem non est tempus merendi. Ergo *Galat.* VI, 10. dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes; sicut et Salomon hortatur: *Eccle.* IX, 10. Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

Ait autem villicus intra se, id est, provide cogitavit, atque consilium a propria ratione quæsivit, quid sibi in tanto esset agendum discrimine. Siquidem timor mul- B tos reducit ad meliora. *Quid faciam?* Potius cogitavit, Quid faciam, quam, Quid dicam, quoniam scivit quod apud justum ac infallibilem Judicem plus valeant opera bona quam verba ornata, dicente Apostolo : *I Cor.* IV, 20. Non in sermone est regnum Dei. *Quia dominus meus aufert a me villicationem,* id est, comminatur quod statim me auferet de vita præsenti, ita quod amplius in rebus mihi ab eo concessis dominari ac promereri non potero : ideo nisi mihi modo providero, post mortem remedium non C habebo. *Fodere non valeo,* id est, dura pœnitentiæ opera exercere non queo, multum abstinendo, peregrinando, me flagellando, in orationibus pernoctando. *Mendicare erubesco,* id est, ab aliis suffragia meritorum petere verecundor, nisi et ego ipse aliquid boni agam, et temporalia pro vitæ stipendio intercessoribus meis rependam.

Scio quid faciam, id est, ratio mea per evangelicæ legis doctrinam instructa, dictat mihi quid agere debeam, *ut quum* D *amotus fuero a villicatione,* id est, per mortem ablatus fuero de hac vita, ita quod nec mihi, nec aliis præesse possim ad meritum, *recipiant me* hi quibus benefacere cogito, *in domos suas,* id est, meritis ac precibus pauperum salver, et in cœlesti regno suscipiar. Quod licet sit unum, pluraliter tamen ait, « in domos suas », quia in uno regno cœlesti diversæ sunt mansiones, hoc est diversi gradus præmiorum, juxta differentias meritorum. Et juxta diversos gradus meritorum, homines assumuntur ad diversos ordines angelorum. Propter quod asserit Filius Dei : *Joann.* XIV, 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, id est religiosis ac indigentibus, qui quantumlibet justi sint, attamen debitores sunt Dei : vel propter sua peccata quotidiana ac venialia, pro quorum remissione orant, dicendo, *Matth.* VI, 12. Dimitte nobis debita nostra; vel quia pro acceptis beneficiis ac donis Dei servire et regratiari ei tenentur, nec Deo valent æquivalens unquam rependere. *Dicebat primo : Quantum debes domino meo? At ille dixit : Centum cados olei.* Cadus est amphora certæ quantitatis. Et possunt per centum cados olei omnia humanæ fragilitatis designari peccata : quia ut Jacobus loquitur, *Jacob.* III, 2. in multis offendimus omnes. Qui autem vult sibi a Deo ignosci, debet et aliis libenter ignoscere. *Dixitque illi : Accipe cautionem tuam,* id est chartam in qua ad cautelam describitur forma contractus seu debitum : quæ alio nomine chirographum *Tob.* IV, 21. appellatur. *Sede cito, et scribe quinquaginta.* Sicque mediam partem ei dimittit. Et ait, « cito », quia celeriter agenda sunt opera bona, præsertim misericordiæ opera. Quemadmodum enim hilarem, ita et *II Cor.* IX, 7. celerem datorem diligit Deus. Propterea loquitur Augustinus : Et rem perdit et meritum, qui pauperem molesta mora suspendit. Hinc Salomon ait : *Prov.* III, 28. Ne dicas, Vade, cras dabo tibi, quum hodie vel statim dare possis. Unde communiter dicitur : Qui cito dat, bis dat; nescit dare, qui dare tardat.

Deinde alio (secundum antiquam grammaticam), id est alteri, *dixit : Tu vero quantum debes* domino meo? *Qui ait : Centum coros tritici.* Corus hic sumitur pro mensura. *Ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.* Cur minus dimisit huic quam præcedenti? Respondetur, quoniam ille indigentior fuit; et item ad insinuandum quod abundantius debeamus indigentibus compati quam succurrere valeamus. Oleo namque compassio, tritico autem subventio designatur. Vel ideo plus A dimisit primo, quia consideravit se magis posse juvari per illum.

Itaque ad hoc Christus istam adduxit parabolam, ut sciamus quod sicut dispensator qui de rebus domini sui fecit liberalitatem et pietatem, ab illis receptus est quibus benefecit; ita Christiani pro posse suo subvenire debent pauperibus, ut in regno suscipiantur cœlorum (de quo ait *Matth.* v, 3. Salvator : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum), quemadmodum ad Timotheum scribit Aposto- B I *Tim.* vi, 17, 18. lus : Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed facile tribuere et communicare.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, id est dispensatorem istum injustum, qui et antea bona domini sui dissipavit, jamque de residuo furtum commisit, *quia prudenter egisset :* id est, non de furto eum laudavit, sed de provida provisione sui ipsius : quæ tamen non fuit vera prudentia, sed injustitia. Idcirco laudatio ejus C non fuit absoluta laudatio, sed aliqualis. Multo magis Christus, qui nullum sustinet damnum, laudabit prælatos et universos qui subditis et indigentibus vere fuerint misericordes.

Quia filii hujus sæculi, id est amatores mundi, qui huic sæculo se conformant, et terrenis atque carnalibus rebus magis quam Deo inhærent : de quibus Joannes I *Joann.* iv, 5. in epistola sua ait, Ipsi de mundo sunt, et de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Tales ad Deum non pertinent, quum sint D servi ac membra diaboli, et frequenter mundi nomine exprimuntur. De quibus *Joann.* xvii, 9. loquitur Christus Patri æterno : Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo, quia tui sunt. *Prudentiores,* id est astutiores, *filiis lucis,* id est spiritualibus ac devotis hominibus, *in generatione sua* carnali, id est inter suos, *sunt.* Hoc dicitur, non quod iniquis vera insit prudentia, quæ est virtus, sed quia pro temporalibus acquirendis, conservandis seu expendendis, diligentiores, acutiores et agiliores sunt, quam viri boni pro spirituali profectu gratiæ ac virtutum : quum tamen spiritualia dona sint temporalibus rebus incomparabiliter meliora : unde et incomparabiliter plus laborandum esset pro eis.

Subinde Christus parabolam hanc ad propositum applicat. *Et ego dico vobis,* id est, doceo, hortor seu jubeo : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* id est, divitias seu bona terrena pauperibus misericorditer ac liberaliter communicando, acquirite vobis amicitias Dei atque Sanctorum, qui misericordes et liberales homines, non avaros et impios amant. Mammon Syriace est nomen dæmonis qui tentat homines de divitiis male acquirendis, cupide reservandis aut vitiose expendendis. Hinc « mammona » appellantur divitiæ. Quæ cur divitiæ iniquitatis dicantur, in sermone patebit. *Ut quum defeceritis* a vita præsenti, id est, obieritis : juxta illud Genesis, Deficiens Abraham mortuus *Gen.* xxv, 8. est; *recipiant vos* Deus et Sancti, *in æterna tabernacula,* id est ad mansiones cœlestes : de quibus ait Propheta, Quam dilecta *Ps.* LXXXIII, 2. tabernacula tua, Domine virtutum! Quæ dicuntur æterna a parte post, non a parte ante. Vel, « quum defeceritis » a propriis meritis, ea non habendo seu per culpam amittendo, « recipiant vos », etc., id est, gratiam pœnitendi atque finaliter obtinendi vitam beatam vobis procurent precibus suis ac meritis pauperes sancti et boni, quibus per opera misericordiæ subvenistis aut complacuistis.

SERMO SECUNDUS

QUOMODO QUISQUE SUBSTANTIAM SIBI A DEO COMMISSAM, CORPUS VIDELICET ET ANIMAM, ET QUIDQUID AD SE PERTINET, FIDELITER DISPENSABIT.

OMNES stabimus ante tribunal Christi. Rom. XIV, 10.

Deus omnipotens, præ ceteris creaturis inferioribus dicitur hominem ad imaginem et similitudinem suam creasse, quoniam dedit ei rationem liberumque arbitrium, ut per rationem se regat, compescat, et sapienter in cunctis se habeat, atque per liberum arbitrium sponte bonis adhæreat, peccatis resistat. Porro regere est rem ad suum finem dirigere. Finis autem hominis est æterna felicitas, utpote beatifica visio Dei: debet itaque homo se ipsum et omnia sua, cogitationes, affectiones, verba et opera, possessiones, et quidquid pertinet ad se, ordinare ad finem præfatum, quatenus per omnia ista juvetur ad obtinendum felicitatem æternam. Sic Deus fecit hominem unumquemque villicum suum, id est gubernatorem sui ipsius et rerum suarum, quatenus bene utatur corpore suo et anima, universisque membris corporis ac omnibus animæ viribus : hinc statim dum moritur homo, anima ejus ad tribunal Christi perducitur, ut judicetur ab eo qualiter gubernavit se et omnia sua. *Gen.* I, 26, 27.

Primo igitur debet quilibet Christianus bene regere proprium corpus, dando illi de necessariis vitæ quantum expedit animæ ad bene vivendum, ad complacendum Domino Deo, ad acquirendum æternam salutem. Qui ita non agit, sed corpore suo abutitur ad peccandum, et per membra corporis exercet peccata, per linguam vana, falsa, detractoria, impia verba loquendo, per oculos lascive et vage circumspiciendo, choreas, spectacula atque similia libenter cernendo, et ita de ceteris membris : hic talis dissipat substantiam Domini sui, videlicet proprium corpus, quoniam spiritualiter perimit illud, et aufert illud Creatori ac ejus obsequio, facitque illud membrum diaboli, et operibus tenebrarum mancipat illud. Quod potissimum faciunt qui gulæ, luxuriæ, rapinæ et ceteris impietatum operibus corpora sua præbent. Quocontra hortatur Apostolus : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. Denique, quam diligenter et indesinenter debeat quisque membra sua custodire atque reprimere, ne per ea Deum creatorem offendat, constat ex hoc quod ait Salvator: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te; et si manus tua aut pes tuus scandalizat te, abscide et projice abs te. Quod non est intelligendum de reali membrorum abscisione, sed de eorum repressione ab omni usu illicito. *Rom.* VI, 12, 13. *Matth.* XVIII, 9, 8.

Secundo unusquisque fidelis debet bene regere animam suam, interiores sensus et appetitum sensitivum rationi subdendo : potissimum sensum interiorem qui imaginativa vis nuncupatur, ab immundis et vanis ac inutilibus imaginationibus seu phantasmatibus purgando ac præservando; sensum quoque interiorem qui vis cogitativa vocatur, ab immoderatis apprehensionibus et cogitationibus suppositorum ac materialium appenditiarum et circumstantiarum individualium mundando et custodiendo; insuper appetitum sensitivum tam concupiscibilem quam irascibilem coercendo, ne circa sua objecta, videlicet circa sensibilia bona aut mala, prospera vel adversa, moveatur aut afficiatur

nisi secundum rectæ rationis judicium, quatenus de nulla re exteriori, temporali, sensibili homo delectetur aut contristetur, nisi prout ratio dictat : nec aliquam rem sensibilem seu carnalem desideremus, amemus, exspectemus, fugiamus, odiamus sive abhorreamus, nisi prout recta et prudens ratio judicat. Verumtamen hujus contrarium agunt homines carnales, intimorati et insipientes, qui instar brutorum sensualitatem suam sequuntur, et visa aut apprehensa quacumque re carnali aut corporali delectabili aut utili, statim absque timore Dei, et ratione contempta, appetunt eam, soloque cogitatu et affectu involvunt se peccatis gravissimis avaritiæ, luxuriæ, imo et adulterii ac sacrilegii. De quibus ait
Ps. XIII, 3. Propheta : Non est timor Dei ante oculos
Ps. LII, 2. eorum ; itemque, Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus.

Præterea ratio et voluntas, quæ sunt supremæ potentiæ animæ, Deo sunt subjiciendæ, angelicis quoque inspirationibus ecclesiasticisque præceptis, et omni salubri exhortationi ac informationi, correptioni et correctioni. Tunc autem ratio subditur Deo, quando juxta evangelicæ legis mandata et documenta se habet, credendo credendis et veritatibus acquiescendo, falsitatibus atque erroribus resistendo aut non consentiendo, carnales concupiscentias et ceteras animæ passiones, videlicet iram, tristitiam, dolorem, delectationem, cupiditatem, etc., vincendo, universaque inferiora sensibilia, imo se ipsam et hominem totum ad Deum, ad Dei honorem et gloriam jugiter ordinando. Insuper subdenda est ratio Deo, ut secundum quod possibile sibi est, occupetur et conquiescat immediate in eo, contemplando infinitam bonitatem, immensam pulchritudinem, sapientiam, omnipotentiam, beatitudinem, omnemque perfectionem, suavitatem, misericordiam, justitiam ac munificentiam Dei altissimi, supergloriosissimæ quoque Trinitatis mutuam intuitionem, mutuam dilectionem, complacentiam ac fruitionem, sed et emanationem ac communicationem ejus ad intra, æternam et superbeatissimam consistentiam ejus. Horum contemplatio, magna est humanæ mentis perfectio, ad quam pertingere nequit, nisi a cogitationibus vanis et frivolis, ab inordinatis et infructuosis occupationibus ac studiis se expurget, sicut per Isaiam Dominus cohortatur : Auferte malum cogi- *Is.* I, 16.
tationum vestrarum ab oculis meis. Unde et negligenti per Jeremiam increpatorie
loquitur : Usquequo morabuntur in te co- *Jer.* IV, 14.
gitationes noxiæ ? Imo per Michæam ait
prophetam : Væ qui cogitatis inutile. Ecce *Mich.* II, 1.
quam necessaria est custodia mentis atque purgatio intellectus ab omni cogitatione turpi, infructuosa, perversa.

Præterea voluntas Deo subdenda est, ne sensualibus affectionibus inordinatisque motibus acquiescat, sed ordinate se habeat
in amando : ita ut homo in primis toto *Matth.* XXII,
corde super omnia incomparabiliter amet 37-39.
atque desideret Dominum Deum, deinde se ipsum in Deo, tertio proximum, quarto corpus proprium ; inferiora autem non amet nec cupiat inordinate, sed solum in quantum sunt necessaria sive utilia ad virtuose vivendum. Purganda ergo est voluntas ab omni malitia, ab omni affectione non bona, ut jugiter cupiat summo bono uniri et complacere, in omni virtute et gratia crescere, peccata semper cordialius detestari, odire ac fugere. Qui ita se habet, pretiosissimam Domini sui substantiam, utpote propriam animam et nobilissimas ejus vires, bene dispensat, fructuose expendit, salubriter regit. Porro qui carnalibus desideriis acquiescit, qui pravis et sordidis cogitationibus immoratur, qui quotidie addit peccata peccatis, iste tanquam infidelis et negligens villicus dissipat Domini sui substantiam, scilicet animam propriam summæ Trinitatis imagine decoratam et sanguine Christi redemptam, quam tradit dæmonibus constuprandam atque ab inferis glutiendam. O quanta est excæcatio, ingratitudo, negligentia et perversitas hominis talis !

Præterea multi sunt quibus hæc tanta

infidelitas, pravitas et ingratitudo non sufficit, sed suggestione iniqua, pernicioso exemplo, fama scandalosa, vita publice vitiosa, aliorum animas trahunt ad mortem culpæ in præsenti, atque per hoc ad mortem infernalis miseriæ in futuro. Isti sunt odibilissimi Deo, cujus pretiosissimam substantiam tam sceleratissime dissipant, spiritualiterque annihilant, quia ut asserit Augustinus, Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines peccando. Unde Apostolus protestatur : Qui se putat aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. *Galat.* vi, 3. In isto potissimum culpabiles sunt vitiosi prælati et principes negligentes, omnesque patresfamilias ac matresfamilias, qui suis domesticis ac aliis malum præbent exemplum, nec debitum sui implent officii. In observatione autem præcepti de correptione fraterna pene omnes inveniuntur damnabiliter negligentes, quia secundum Christi doctrinam ac jussionem vix aliquis corripit proximum delinquentem : quod in præsidentibus summe est damnabile.

Postremo exteriora bona bene dispensare debemus, sobrie eis utendo, immoderatos sumptus in alimentis, vestimentis, habitaculis familiisque vitando, eleemosynas largas faciendo. Qui autem exteriora bona libidinose et vitiose consumit, substantiam Domini sui dissipare censetur : sicut de prodigo filio legitur, qui devoravit substantiam suam, cum meretricibus vivendo luxuriose. *Luc.* xv, 13. Sit igitur quilibet Christifidelis ad opera misericordiæ tam spiri-

A tualia quam corporalia pronus, quatenus post hanc vitam præsentem, requiem inveniat et sufficientiam ac provisionem æternam. Unde, ut dicitur, consuetudo fuit in quadam insula maris, quod habitatores ejus quolibet anno regem sibi fecerunt, quem anno impleto in exsilium transmiserunt. Contigit vero quemdam extraneum ad illam divertere regionem, qui consuetudinem ignoravit prætactam ; feceruntque eum regem. Quo facto, quidam indicavit ei morem illius terræ. Tunc ille

B aurum et argentum, victualia copiosa et omnia necessaria eodem anno præmisit ad insulam in quam noverat se transmittendum : nam anno sui imperii ei nil cives sui negabant. Anno itaque evoluto in exsilium missus, invenit ibidem locum bene provisum ac locupletem. Sic quilibet pro posse nunc faciat. Nam insula in qua nunc per annum vivimus et regnamus, est mundus, in quo modico tempore, respectu æternitatis, consistimus. Deinde ad ignotam regionem deducimur; et quid-

C quid hic egimus, quidquid pauperibus propter Deum contulimus, illic inveniemus. Opera enim hominum eos sequuntur, ut ait Joannes. *Apoc.* xiv, 13. In Ecclesiaste quoque scriptum est : Mitte panem tuum super transeuntes aquas (id est pauperes mendicantes), quia post multa tempora invenies illum. *Eccle.* xi, 1. Hoc est quod ait Apostolus : Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. II *Cor.* ix, 6.

SERMO TERTIUS

DE TEMPORALIUM RERUM PIA ET FIDELI DISPENSATIONE.

F*ACITE vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc. XVI, 9.

Inter omnia bona vitæ præsentis, amicitia, seu verus et fidelis amicus, est quod-

D dam præcipuum ac delectabile bonum, quemadmodum Ecclesiasticus asserit : Amicus fidelis, protectio fortis ; qui invenit illum, invenit thesaurum. *Eccli.* vi, 14-16. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis ; et qui metuunt Dominum, inveniunt illum. Itaque, si tam bona et desiderabilis ac jucunda est amicitia hominum, incomparabiliter melior, desiderabilior atque jucundior est amicitia Dei, cujus tam infinita est pietas ac dignatio, quod homines fragiles ac mortales, sed virtuosos ac sapientes, dignatus est et dignatur vocare amicos. Unde *Is.* XLI, 8. per Isaiam locutus est : Semen Abraham amici mei. Psalmista quoque loquitur *Ps.* CXXXVIII, 17. Deo : Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Christus etiam Deus et *Joann.* XV, 15. homo, ait : Jam non dicam vos servos, sed amicos.

Denique Christus in evangelio hodierno dat facile ac benignissimum documentum, qualiter unusquisquê Christianus fieri possit Dei et angelorum sanctorum omniumque Beatorum ac devotorum amicus : « Facite », inquiens, « vobis amicos de mammona iniquitatis », hoc est, divitias seu quæcumque bona terrena pauperibus pie ac liberaliter communicate, quia per hoc amicitiam Dei et Sanctorum ac pauperum devotorum acquiritis. Quum enim similitudo sit causa amoris et amicitiæ ratio, constat quod Deus naturaliter pius, misericordissimus ac liberalissimus, diligat homines caritativos, misericordes ac liberales. Quum itaque ista terrena sint tam vilia, amicitia autem Dei et Sanctorum nobilissima, valde stultus et tenax est qui pro tanto bono adipiscendo non vult tam vilia pauperibus misericorditer erogare, et discrete secundum suæ facultatis mensuram communicare. Præterea Christus aliam tangit rationem cur debeant Christiani istud libenter peragere : quia videlicet per hoc cœlestium mansionum beatitudinem promerentur, dummodo ex caritate opera misericordiæ faciant. Imo et quamvis in mortali sit culpa qui efficit ea, potest tamen contingere, et frequenter contingit, quod occasione operum pietatis quæ facit, gratiam Dei et misericordiam consequatur, et potissimum per intercessiones et merita pauperum quibus succurrit.

Circa hæc considerandum est, qualiter homo ad amicitiam Dei perveniat. Respondendum, quod primo per divinorum observantiam præceptorum. Unde asserit Christus : Vos amici mei estis, si feceritis *Joann.* XV, 14. quæ ego præcipio vobis. Sicque universi Christifideles qui in statu salutis sunt, hoc est in caritate et gratia, amici Dei vocantur : nam diligunt Deum et diliguntur a Deo, qui ait, Ego diligentes me diligo. *Prov.* VIII, 17. Verumtamen iste est extensus et latus modus amicitiæ Dei. Secundo igitur magis stricte et proprie dicitur homo pervenire ad amicitiam Dei per observantiam consiliorum evangelicæ legis, quæ ordinantur et tendunt ad hoc, ut homo perfecto ac sincerissimo corde diligat Deum, prout in præsenti vita fieri potest. Idcirco in prima sua Canonica ait Joannes : Qui servat I *Joann.* II, 5. verbum Christi, in eo caritas Dei perfecta est. Sicque veraciter religiosi et viri heroici seu perfecti vocantur amici Dei, quoniam omnia vitant ac derelinquunt quorum occasione solent homines a perfectione et profectu divini amoris deficere, puta : divitias, feminas, omnesque carnaliter propinquos ac propriam voluntatem. Nihilo minus ex gratia speciali posset homo fieri vir heroicus et perfectus in statu sæculari ac conjugali, sicut et quidam fuerunt : quod tamen rarissime solet accidere.

Tertio pervenit homo ad amicitiam Dei per opera misericordiæ, sicut in evangelio hodierno docet Salvator, jamque ostensum est. Quarto, per donum sapientiæ, et per actus vitæ contemplativæ, qui sunt Deo intendere et vacare per speculationem divinorum, per meditationes devotas, per psalmodias et laudes alacres et sinceras, per orationes ferventes. Imo, quum homo in dono sapientiæ multum profecerit, atque ad tertium ejus devenerit gradum, qui dicitur sapientia unitiva et mystica theologia, tunc est quasi secretarius et consiliarius Dei, et carissimus ac familiaris eidem, ita ut cum Propheta dicere valeat *Ps.* L, 8. Deo : Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Unde et Aristoteles ait, quod vir contemplativus est amantissimus *Sap.* VII, 28. Deo. Sapiens quoque ait : Neminem diligit Deus nisi qui cum sapientia inhabitat. Et rursus ibidem de æterna et increata Sapi- *Ibid.* 27. entia fertur : Quum sit una, omnia potest; et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.

His itaque modis ac viis studeamus ad Dei amicitiam pertingere, quantum status uniuscujusque permittit. Hoc quippe certissimum est, quod quanto a privato amore, a carnali affectu, a temporalium desiderio magis recedimus, tanto plus ad Dei amicitiam propinquamus, quia ut asserit Augustinus : Caritatis venenum est cupiditas; diminutio autem cupiditatis est incrementum caritatis; nulla vero cupiditas, seu cupiditatis mera evulsio, est caritatis perfectio. In qua auctoritate cupiditas non sumitur pro avaritia, sed pro privato et improbo sui amore, vel pro inordinato affectu ad temporalia et caduca.

Deinceps videndum est, cur Salvator terrenas opes seu facultates vocat « mam- I *Tim.* IV, 4. mona iniquitatis », quum tamen omnis creatura Dei sit bona, et divitiæ communiter bona hominum appellentur. Et respondendum, quod « mammona iniquitatis » vocantur, non quia in se malæ sint, sed quia multorum vitiorum occasio sunt, materia ac fomentum. Nam dives currit ad libitum, corruit ad illicitum. Hinc ad Timothe- *Ibid.* VI, 9. um scribit Apostolus : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa, inutilia et nociva. Unde Chrysostomus : Divitiarum (inquit) sequela est luxuria, gula, ira intemperata, furor injustus, arrogantia, superbia, omnisque irrationalis motus.

Secunda ratio est, quia divitiæ communiter injuste acquiruntur, avare servantur, illicite expenduntur. Quo enim copiosius acquiruntur, eo avidius cupiuntur; nec satiant appetitum, sed inquietant, sollici- A tant atque ad plus acquirendum accendunt. Propter quod ait Bernardus : Qui pecuniam diligit, non satiatur; qui mundum diligit, non impletur. Nec libidinosus satiatur voluptate; sic et crudelis quisque sanguinem sitit. Ambitiosus quoque aut cupidus laudis humanæ, adeptis dignitatum titulis seu humanis favoribus, nullum inde capit remedium, sed desiderio æstuat ampliori. Minus autem invenit requiem, qui sibi ipsi placere cupit et suis. Deinceps ratio horum est, quoniam omnia bo- B na creata sunt imperfecta : ideo eis adeptis, restat quod adhuc desideretur. Deus vero bonum est perfectum ac infinitum : hinc eo plene adepto, appetitus quiescit, nec restat quod cupiat. Hinc iterum dicit Bernardus : Ad imaginem Dei facta anima *Gen.* I, 26, 27. rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleri non potest; capacem etenim Dei, quidquid Deo minus est non implebit. Unde naturali desiderio quisquis probatur summum diligere bonum, nullam nisi eo adepto requiem habiturus.

C Tertio divitiæ dicuntur « mammona iniquitatis », quasi inæqualitatis, quoniam inæqualiter possidentur. Itaque juxta Christi doctrinam, divitiæ istæ terrenæ spernendæ sunt, ita quod ultra quam necessariæ seu utiles sunt ad spiritualia charismata promerenda non desiderentur nec reserventur, sed pauperibus distribuantur, quoniam in divitiis abundantem valde difficile est salvari, ut constat ex præinductis. Ad quod insinuandum scriptum est in Ecclesiastico : Beatus dives qui inventus est *Eccli.* XXXI, 8, 9. D sine macula, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic? et laudabimus eum : fecit enim mirabilia in vita sua. Imo ipsemet Christus in Evangelio contestatur : Quam difficile qui *Luc.* XVIII, 24. pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum ! Itaque qui divitias sibi accumulant, quid aliud faciunt, nisi quod impedimenta salutis sibi multiplicant, mentemque suam gravioribus oneribus deprimunt? Idcirco ait Scriptura : Nihil iniquius quam *Eccli.* X, 9, 10. amare pecuniam; avaro nihil scelestius, quoniam animam suam habet venalem. A

Postremo, sicut in evangelio hodierno *Luc.* xvi, 8. docet Filius Dei, filii hujus sæculi, videlicet homines carnales atque mundani, prudentiores sunt secundum suum modum, quam filii lucis, id est homines boni, juxta sensum in expositione textus præhabitum. Et de hoc quilibet Christianus merito verecundaretur gravissime, quod minus fervens, oculatus ac diligens est ad proficiendum in bonis gratiæ ac virtutum atque in meritis æternæ felicitatis, et ad complacendum Deo altissimo, quam homines B carnales atque mundani ad crescendum in temporalibus rebus, et ad placendum quibusdam hominibus. Unde ex his innotescit, quanta sit obscuratio, infectio, tarditas atque fragilitas mentis humanæ. Sed defleamus vitia et miserias animarum nostrarum, invocemusque jugiter viscera misericordiæ Dei nostri, ut corda nostra illuminare, accendere, roborare dignetur : ita ut prorsus diligentiores, ferventiores acutioresque simus ad obtinendum bona spiritualia ac æterna, quam temporalia ac terrena. Tales utique olim multi verissime christiani fuerunt. Unde in Vitaspatrum describitur, quod divites quidam multam et copiosam pecuniam secum portaverunt in eremum, ut distribueretur Fratribus in eremo commorantibus. Pater vero eremitarum illorum dixit divitibus illis, quod Fratres non indigerent pecunia illa, quia de manuum suarum laboribus vivebant, nec acquiescerent capere illam pecuniam. Quumque divites multum rogarent Patrem illum ut aliquid Fratribus daret, posuit pecuniam in sporta ante ecclesiam, ut Fratres qui vellent, inde acciperent : et ecce nullus Fratrum inde accepit, imo vix adspexerunt. Talis quoque fuit præcipue sanctissimus pater Franciscus, et primi Fratres Ordinis ejus : imo nunc usque de gratia Dei nonnulli sunt tales.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE INORDINATIS AFFECTIONIBUS ET CARNALIBUS CONCUPISCENTIIS ABJICIENDIS.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. I Cor. x, 12. C

Sanctus Apostolus in præsenti epistola multis nos instruit documentis. Primo, ne *I Cor.* x, 6. simus concupiscentes malorum, hoc est, ut inordinatas affectiones et carnales concupiscentias abjiciamus, quemadmodum *Eccli.* xviii, 30. in Ecclesiastico scriptum est : Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua avertere. Sed quia hoc ipsum implere absque Dei gratia non valemus, juxta *Sap.* viii, 21. illud, Nemo potest esse continens nisi Deus det; idcirco cum sapiente illud in D *Eccli.* xxiii, 4-6. Ecclesiastico exoremus : Domine pater et dominator vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium pravum averte a me; aufer a me ventris concupiscentias. Itaque ad nihil terrenum ac transitorium inordinate afficiamur. Ideo namque (ut ait Bernardus) anima terrenis inhiat, quod minime cœlestia meditatur. Infelicitas in concupiscentia et cupiditate. Quid enim si forte alicui videtur in terrenarum affluentia rerum concupita prosperitas arridere ? Eo ipso infelicior est anima, quo magis illa amplectitur. Et vide quanta vitia ex illa superfluitate et cupiditate nascuntur: hinc etenim cæcitas cordis, hinc cervicosus furor animositatis, hinc suspicionis anxius labor, hinc livoris crudele tormentum, atque cremantis invidiæ miserabilis cruciatus. His verbis addit Bernardus : Novi homines satiatos hoc mundo, et ad omnem ejus memoriam nauseantes. Et facile est cuique nostrum hanc satietatem per gratiam Dei sentire : neque enim parit hoc copia, sed contemptus. Ex quo notabili verbo rite concluditur, quod quanto quis donis gratiæ et consolatione interna magis impletur, quo devotior spiritualiorque consistit, tanto de necessariis corpori facilius contentatur, et delicata atque superflua amplius aspernatur; quo autem frigidior mente et carnalior cœperit fieri, eo plus lauta et superflua appetit adipisci.

Denique, quam vitanda sit religiosis concupiscentia omnis carnalis, constat ex verbis S. Basilii, in cujus Regula movetur hæc quæstio : Si quis in corde suo cogitet de cibis, tamen deinde notet se ipsum et arguat, si et hic quasi cogitans de talibus judicandus est? Ad quod respondet Basilius : Si non id temporis est quo naturaliter cibos requirere famis necessitate commonemur, necesse est id esse vacuæ mentis indicium, et animæ affectum gerentis circa ista præsentia, et circa Dei voluntatem desidis ac remissæ. Proximam tamen habet Dei misericordiam, et pro hoc ipso quod se ipsam arguit, a crimine excusatur, si tamen de cetero vitet cogitationum ruinas, memor Christi verbi dicentis : Ecce salvus factus es; jam noli peccare, ne tibi deterius contingat. Si autem id temporis est quo naturaliter de cibis appetendis commonemur, mens autem melioribus occupata, inferiora spernit ac despicit, non ratio ciborum notabilis, sed contemptus laudabilis invenitur. Quorum verborum est iste sensus : Si quis de cibo cogitet, fame eum ad hoc impellente, et nihilo minus mens occupata divinis aut spiritualibus actibus, cogitationem illam abjiciat, tunc ratio seu cogitatio illa ciborum non est notabilis, id est reprehensibilis, sed contemptus cogitationis hujusmodi exstat laudabilis.

Joann. v, 14.

Hinc ait et Climacus : Gaudet Judæus sabbato, et diem agit festivum; et gulosus monachus sabbato et dominica. Pascha computat servus ventris, in quibus cibariis faciat dies festos; servus vero Dei cogitat in qualibus gratiis dives fiat. Mens jejunantis orat vigilanter et sobrie; mens autem non abstinentis orat repleta idolis multis immundis. Qui suum ventrem fovet et nutrit, et contendit fornicationis spiritum vincere, similis est volenti cum oleo ignem exstinguere. Tribulato ventre, humiliatur cor; eodem vero consolato, superbit cogitatio. Te ipsum palpa circa primam horam diei, et circa mediam, et circa extremam ante cibum : et ex hoc a te ipso disces utilitatem jejunii. Exsultat quidem mane cogitatio carnis; apprehendente sexta, deorsum modice inclinatur; ac circa solis occasum humiliatur in finem. Afflige ventrem, et os tuum claudes omnino : a multitudine namque ciborum lingua enervatur et relaxatur. Hæc Climacus.

Præterea, non solum inordinatam concupiscentiam circa cibum, potum, somnum, vestitum, sed et circa alia quæque sensibilia, refrenare ac repellere nos oportet, ut nihil creatum nisi in Deo et secundum Deum optemus.

Insuper docet nos Apostolus, ut non efficiamur idololatræ. Sed forsitan non arbitramur nobis necessariam admonitionem vitandi tam enorme ac apertissimum scelus. Verumtamen agnoscamus non solum idololatras appellari qui gentilium deos seu idola colunt, sed et omnes qui creaturis magis quam Creatori adhærent, qui contra Dei præceptum ad aliquid afficiuntur. Nam de gulosis ait Apostolus : Quorum deus venter est. Ideo quantum ad immoderatas creaturarum adhæsiones seu affectiones appropinquamus, tantum huic spirituali idololatriæ propinqui efficimur. Imo si quis Deum amaret, non principaliter quia in se ipso bonus consistit, sed

I Cor. x, 7.

Philipp. III, 19.

solum aut principaliter in quantum bonus est sibi, seu propter beneficia sua, ut sibi accommoda; iste non vere nec spiritualiter Deum diligeret, sed coleret semetipsum et esset quasi idololatra sui, quoniam plus amaret et honoraret se ipsum quam Deum, et præferret se Deo, se ipsum faciens sibi finem et Deum quasi medium ad se ipsum, atque per hoc Deo utens et se fruens, nec ad Deum se referens : quod totum perversum esset ac prorsus præposterum. Idcirco nos ipsos et omnia sapienter, frequenter et caute referamus ad Deum et ad ejus honorem, sicut ad summum ac ultimum finem, hoc summe et finaliter appetendo, ut Deus gloriosus, omnipotens et excelsus honoretur in omnibus a nobis et a ceteris universis; ipsumque Deum primo et principaliter ob suam puram et infinitam bonitatem sinceriter diligamus.

I *Cor.* x, 8. Amplius, monet Apostolus ne fornicemur. Quod rursus si de corporali fornicatione intelligatur, nobis non oportere dici forsan censemus. Sed est spiritualis fornicatio, quæ est vitiosa mentis creatæ ad bonum commutabile et creatum adhæsio, atque ipsius cum diabolo prava consensio et voluntatis communio. Sicque asserit Augustinus, quod omnis anima est vel Christi sponsa, ei per caritatem adhærendo, vel diaboli adultera, ei in pravis consentiendo. De qua fornicatione ait Deo *Ps.* LXXII, 27. Propheta : Ecce qui elongant se a te peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur *Osee* IV, 12. abs te. De qua habetur in Osee : Fornicati sunt a Deo suo. Unde et per Ezechielem *Ezech.* VI, 9. asserit Dominus : Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me. Hanc igitur fornicationem, et omnem ad eam dispositionem et inchoationem penitus fugiamus, quatenus nullius creaturæ affectio caritatem nostram ad Deum minuat aut retardet : A quia ut ait Chrysostomus, Pro quanta parte cor tuum fuerit ad aliquam rem, pro tanto minus est ad Deum, videlicet, si affectio illa ad creaturam non ponatur sub ordine divini amoris. Idcirco, si nobis in divino Officio occupatis, et ibi forte præ solito laborantibus ac lassatis, suborta fuerit aliqua cogitatio de lauta refectione habenda, de colloquio aut spatiamentis, ut sic ex talium consideratione, affectu et spe consolemur atque inordinate delectemur, mox cum sancta indignatione B abjiciamus de corde imaginationem vilissimam, nec spiritualia ad corporalia referamus.

Præterea, monet Apostolus ne Christum I *Cor.* x, 9. tentemus, quærendo experimentum sapientiæ seu omnipotentiæ ejus : imo de providentia, bonitate, omnipotentia et fidelitate ipsius simus certissimi. Ideoque semper agamus melius nostrum et quod in nostris est viribus, ipsum jugiter invocantes, ei nos committentes, et in ipso immobiliter confidentes, certi quia ut pro- C testatur Scriptura, ipsi cura est de nobis, *Sap.* VI, 8; XII, 13; I *Petr.* V, 7. et quod diligat universa quæ fecit, nec relinquat finaliter sperantes in se, velit- *Sap.* XI, 25. *Eccli.* II, 11. que homines omnes salvari. I *Tim.* II, 4. Nihilo minus simus semper solliciti ne peccemus; et qui se in caritate et gratia stare confidit, videat ne ex diabolica tentatione aut propria passione seu fragilitate dejiciatur et pereat : quia in medio laqueorum versamur, et diaboli tanquam latrunculi nostrum obsident iter. In ipso quoque mortis articulo seu in extremis adhuc gravissima D imminet pugna. Ideo beatus homo qui *Prov.* XXVIII, 14. semper est pavidus; et sapiens in omnibus metuit. *Eccli.* XVIII, 27. Propter quod vana securitate aut negligentia nullatenus resolvamur, sed divinæ subventionis conservationem jugiter imploremus, et Omnipotentis auxilio incessabiliter innitamur.

SERMO QUINTUS

DE MURMURATIONE COMPESCENDA A BONIS RELIGIOSIS, ET TENTATIONUM UTILITATE.

TENTATIO vos non apprehendat nisi A *humana.* I Cor. x, 13.

Præter documenta epistolæ hodiernæ in præcedenti tacta sermone, etiam nos hortatur I Cor. x, 10. Apostolus, ne murmuremus, quemadmodum Exod. xv, xvi, xvii; Num. xiv, xvi. filii Israel ingrati et indurati, contra Deum et Moysen frequenter murmuraverunt. Murmuratio equidem proprie dicta, ex ira et impatientia nasci videtur, quamvis interdum accipiatur in bono : ut si qui ex zelo justitiæ, contra eos a quibus innocentes opprimi viderint, concorditer Joann. vii, 12. murmurent, sicut in Evangelio legitur, quod B murmuratio multa fuit de Christo in turba. Quidam enim dicebant, Quia bonus est; alii dicebant, Non, sed seducit turbas. Quidquid ergo adversitatis acciderit nobis, quidquid reprehensionis et castigationis fuerit nobis inflictum, quidquid injuriæ contigerit nobis, iram, impatientiam, murmurationem quoque ex eis provenientem reprimamus et exstinguamus. Quod si interior fuerit orta commotio, non tamen sonet in ore murmuratio, nec in vultu appareat ulla turbatio, nec per signa interior pas- C sio in aliorum scandalum manifestetur, sed suffocetur potius in se ipsa. Itaque Dei providentiam omnia complectentem ac moderantem, sine qua nec folium ar- Matth. x, 29. boris labitur, nec avicula cadit in terram, considerantes, cuncta adversa et aspera sine murmuratione æquanimiter toleremus, certi quod non sine ordinatione divina patimur talia pro nostris expiandis peccatis, vel pro donis gratiæ in hac vita augendis, et beatitudinis futuræ augmento, aut alia causa idonea justo ac sapien- D tissimo Deo judici cognita, cui et gratias in talibus referre debemus.

Deinceps, primo et summe cavendum est ne in infirmitatibus corporis aut quibuscumque adversis contra Deum altissimum murmuremus, illud Job reminiscentes : In omnibus his non peccavit Job Job i, 22; ii, 10. labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est. Et de Tobia sic legitur : Quum Tob. ii, 13, 14. ab infantia sua timuerit Deum, non est contristatus quod plaga cæcitatis acciderit ei ; sed immobilis in Dei timore permansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ. Nempe quam enorme sit contra Deum murmurare, pandit Augustinus, dicendo : De nulla re magis offendisse Deum populus ille Judaicus dictus est, quam contra Dominum murmurando.

Secundo cavendum ne contra Dei vicarios superiores nostros murmuremus, præsertim ob hoc quod ab eis exercitamur, corripimur sive corrigimur. Maxime autem in capitulo est cavendum ne quis quando corripitur, præsidenti dure loquatur aut renitatur, aut murmurans indignetur. Sed huic obviare apparet quod super illud Job, Si adversum me terra mea clamat, scribit Job xxxi, 38. B. Gregorius : Adversus possessorem suum terra tunc clamat, quando contra pastorem suum populus juste murmurat. Et respondendum, quod in certis casibus populus potest et debet pastorem suum, si magnitudo culpæ suæ exegerit, suo superiori legitime accusare, et de ejus omissionibus et peccatis evidentibus quodammodo murmurare, sumendo (ut tactum est) murmurationem in bono, prout ex caritate justitiaque procedit : ut si pastor debitum sui officii circa subditos suos non impleat, in detrimentum salutis eorum, possunt pro salute sua de remedio cogitare ac providere ; interim tamen prælatum suum æquanimiter ferant ac debite venerentur, nec ex prava radice murmurent contra A eum. Ait namque Gregorius : Quisquis contra superpositam sibi potestatem murmurat, illum redarguit qui potestatem instituit ac donavit ; quisquis vero pro peccato suo corrigitur, eo ipso jam justus fieri inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. Murmuratio quoque contra vicarios Dei redundat in Deum, sicut Christus ait prælatis : *Luc.* x, 16. Qui vos spernit, me spernit. Et Paulus Thessalonicensibus scribens : I *Thess.* iv, 8. Qui hæc (inquit) spernit, non hominem spernit, sed Deum. Unde et Moyses quoque perversis B Israelitis dixit : *Exod.* xvi, 8. Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

Tertio caveamus ne contra corripientes, accusantes seu proclamantes nos murmuremus, quum ipsi vulnera nostra nobis ostendant. Propter quod Salomon in Proverbiis loquitur : *Prov.* xxix, 1. Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Et iterum scriptum est : *Eccli.* x, 28. Vir sapiens non murmurabit correptus. Qui autem amat se in se, non in Deo, et cupit reputari ac metuit aspernari, corripien- C tibus indignatur : et tamen miserabiliter excæcatus, sua indignatione, impatientia, murmuratione, multo contemptibiliorem se facit, maculamque incurrit. Qui si patienter et gratanter correptionem sustinuisset, laude et honore dignus fuisset existimatus.

Quarto cavendum ne contra injuriantes murmuremus, quum dicat Salvator apud Matthæum : *Matth.* v, 11, 12. Beati estis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint ; gaudete, quoniam merces vestra copiosa D est in cœlis. Hinc ait Isidorus : Discat non murmurare qui mala patitur ; et si ignorat cur talia patiatur, per hoc se juste pati arbitretur, quia ab illo gubernatur ac judicatur cujus nunquam injusta exsistunt judicia. Verumtamen quidam frequenter tanto passionum replentur furore, ut contra insensata et inanimata irascantur, loquantur ac murmurent.

I *Cor.* x, 13. Amplius docet Apostolus, ut tentatio nos « non apprehendat », id est, non vincat et capiat, « nisi humana », id est brevis, levis et transitoria, ut sunt primi motus, et inclinatio ad venialia, sine quibus agi non valet hæc vita. Et hoc ait Apostolus, non utique licentiando sive hortando ut venialiter peccemus, sed non vetando, graviora que vitia prohibendo. Venialia quippe quamvis singula, non tamen omnia possunt vitari. Præterea, quum teste Scriptura, militia sit vita hominis super terram, *Job* vii, 1. simus semper ad pugnam contra tentamenta accincti, contra peccata armati, contra dæmonum tentationes atque insidias præparati, custodiendo cor nostrum, et oculos cordis semper habendo ad Dominum, *Deut.* iv, 9. *Ps.* xxiv, 15; cxxii, 2. ejus implorando auxilium.

Est quoque tentatio homini multipliciter utilis ac salubris, si legitime reluctetur. Propter quod asserit Augustinus : Vita nostra in hac peregrinatione esse non valet sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram efficitur. Nec sibi quis innotescit, nisi tentatus ; nec potest coronari nisi vicerit, nec vincere nisi *Eccli.* xxxiv, 9. II *Tim.* ii, 5. certaverit, nec certare nisi tentatores habuerit. Viriliter ergo, o homo, omni tentationi resiste. Nam Deus tuum novit conatum, tuam inspicit voluntatem, certamen tuum contra carnem ac dæmones intuetur ; hortatur ut pugnes, juvat ut vincas, deficientem sublevat, vincentem coronat. Deus universorum rector cum omni Sanctorum exercitu tuum inspectat ac præstolatur certamen, et tibi contra dæmones prælianti æternæ beatitudinis parat coronam. Denique, sicut diabolus specialiter tentat nos de peccatis ad quæ proniores nos esse considerat, sic et nos contra hujusmodi vitia singularius semper pugnemus, et ea radicitus exstirpare nitamur. Pensemus quod loquitur Leo Papa : Non desinit hostis antiquus tentationum laqueos ubique prætendere, ut quoquam modo virtutem fidelium queat corrumpere ; novit cui illecebras carnis ingerat, cui invidiæ virus infundat, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat ; omnium discutit mores, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi quærit causas nocendi, ubi viderit quempiam diligentius occupari. At vero teste Bernardo, Viros perfectos quos diabolus per apertorum suggestionem malorum non potest dejicere, tentat, malum sub specie boni (nec mediocris boni, sed perfecti) proponendo ac persuadendo, decipere, ut cito consentiant qui magnopere diligunt bonum.

Quamvis autem fragiles simus, plurimum tamen nos consolatur sanctus Apo- I Cor. x, 13. stolus, dicendo : Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Ideo loquitur Augustinus : Tantum permittitur diabolus te tentare, quantum tibi prodest ut exercearis atque proberis, ut qui te ipsum nesciebas, a te ipso inveniaris. Et Prosper fatetur : Ad magnam utilitatem fidelium materia est reservata certaminum, ut non superbiat sanctitas dum pulsatur infirmitas. Confidamus ergo in Domino, qui etiam Hebr. I, 14. unicuique angelum sanctum deputavit in custodem ac adjutorem, per quem malignorum insultum crudelitatemque hostium reprimit, et de multiplici auxilio nobis providit, ita quod plures ac fortiores sunt pro nobis quam contra nos. Nihilo minus simus semper solliciti, jugiter custoditi; et minora ac quotidiana fugiamus peccata, ne per illa introeat hostis et trahat ad graviora. Vereamur semper Deum offendere, ne ejus destituti subsidio, tentationibus superemur. Verecundemur quoque, coram angelis sanctis custodibus nostris negligenter et viliter nos habere; timeamus eorum venerandos adspectus inhonorare. Sed strenue resistamus tentationibus mundi et carnis ac dæmonum universis; et quo acutius impugnamur, eo ferventius renitamur, nos ipsos in omnibus humiliando, in terram coram Deo humillime prosternendo, pectus tundendo, lacrimis faciem irrigando, Dei in primis, deinde Virginis gloriosæ et Sanctorum omnium, ac specialium patronorum propriorumque angelorum auxilium fidelissime ac instantissime implorando, passionem dominicam recolentes, quatuor novissima meditantes, omnem otiositatem vitantes, ac virtuosis insistentes operibus, præsertim caritatis, humilitatis, patientiæ, intendentes exercitiis sacris; quam periculosum, fœdum ac vile sit superari, quam gloriosum, nobile et præclarum sit superare, rite pensantes.

SERMO SEXTUS

QUOMODO RELIGIOSI IN OMNIBUS SECUNDUM RATIONEM SE REGERE, ET SENSUALITATEM REFRENARE DEBENT.

R*EDDE rationem villicationis tuæ.* Luc. XVI, 2.

Dominus et Salvator noster, in hodierno evangelio, per similitudinem seu parabolam quamdam ad opera misericordiæ nos invitat; et quantum ad obtinendum beatitudinem hujusmodi valeant opera, pandit Luc. XVI, 1. dicendo : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona illius. Per hunc hominem intelligitur Christus, in unitate personæ Deus et homo exsistens; per villicum vero intelligitur proprie omnis prælatus. Qui si scandalose negligenterque agat, substantiam Domini sui dissipat, quoniam oves Christi sanguine liberatas sibi commissas, spiritualiter, quantum in se est, perimit ac disperdit.

Omnis etenim qui in aliorum præsentia A male agit, aut conspiciente scienteve populo impie conversatur, tantos quantum in se est occidit, a quantis conspicitur, seu male agens cognoscitur : quod quamvis de quolibet verificetur peccatore, potissimum tamen de omni iniquo pastore aut præsidente. Propter quod per Jeremiam *Jer.* x, 21. locutus est Spiritus Sanctus : Quia stulte egerunt pastores et Dominum non exquisierunt, ideo omnis grex eorum dissipatus est. Nihilo minus per villicum intelligi potest quilibet homo ratione ac B libero arbitrio a Deo ditatus, ut per rationem liberumque arbitrium regat et compescat se ipsum, non jam tantum secundum naturalis legis dictamen, imo secundum divinæ evangelicæ legis censuram; religiosus vero secundum regulæ suæ tenorem. Sicque divino Dionysio protestante : De Divin. nom. c. IV. Optimum hominis est, esse et vivere secundum rationem. Nam (teste Philosopho) ratio deprecatur ad optima. Pessimum vero et vilissimum hominis est, esse et agere secundum impetum atque caliginem pas- C sionum. Hinc, ut communiter dicitur, quilibet homo tenetur tribus esse obediens, utpote Deo, Ecclesiæ et rationi. In quibus verbis per Ecclesiam intelligi potest ecclesiasticus propriusque prælatus, seu Ecclesia synodaliter congregata, puta generale concilium.

Itaque, quantumcumque religiosi ac subditi omnes suis tenentur superioribus obedire ac regi ab illis, nihilo minus aliquo modo obligantur regere semetipsos, quum nullum opus eorum esse valeat merito- D rium, nisi sit voluntarium et ex deliberatione, consensu atque judicio rationis procedens. In tantum equidem ad omne minus tenetur religiosus gubernare se ipsum, ut ratio sua dictet, et credat, sibi esse agendum secundum superiorum suorum jussionem et directionem, et talia per voluntatem libere exsequatur. Unde in Ecclesiastico legitur : *Eccli.* xv, 14, 15, 17. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui; adjecit præcepta sua, apposuit tibi ignem et aquam : ad quod volueris, porrige manum tuam. Itaque rationem, non passionem sequamur. Nam et ipsa affectio, quamvis bona in genere, tamen quanto ferventior, tanto celerius periculosiusque præcipitat, nisi ratione regatur. Ideo, juxta Apostolum, rationabile debet esse obsequium *Rom.* XII, 1. nostrum. Nec potest quis alios salubriter regere, nisi in primis se ipsum dirigat ratione. Hinc asserit Seneca : Si vis omnia tibi subjicere, te ipsum subjice rationi. Multos regere potes, si te rexerit ratio. Ab ea disces quid et qualiter aggredi debeas et operari.

Sit ergo quilibet nostrum villicus, rector et rex sui ipsius juxta modum præfatum, ne caro dominetur spiritui, passio rationi, sensualitas voluntati. Quemadmodum enim, secundum Augustinum, recta domus vocatur, in qua vir imperat, uxor obtemperat; sic rectus homo est, in quo spiritus præcipit, caro servit. Propterea ait Isidorus : Reges a recte regendo vocati sunt; et recte agendo regis nomen digne tenetur, peccando amittitur. Qui tam se ipsos quam subditos sapienter regendo modificare noverunt, recte reges vocantur. Gregorius quoque : Bene (inquit) sancti viri Scripturæ testimonio reges vocantur, quia cunctis inordinatis carnis motibus, pravis desideriis et peccatis prælati, incontinentiæ motum refrenant, avaritiæ æstum temperant, gloriam vanam declinant, suggestiones invidiæ obruunt, ignem furoris exstinguunt. Reges ergo sunt, quoniam tentationum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. Itaque studeamus omni vitio dominari, quum scriptum sit : Si quis totam *Jacob.* II, 10. legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Idcirco in omni observantia regulari simus ferventes semper atque solliciti, quia ut Salomon profitetur, Qui timet Deum, nihil negligit; *Eccle.* VII, 19. et, Qui spernit modica, paulatim decidit. *Eccli.* XIX, 1. Quemadmodum enim unum peccatum mortale per pœnitentiam non deletum, suo pondere mox trahit ad aliud, imo ad gravius crimen: sic unum veniale non emendatum A disponit ad aliud etiam majus ipso; frequentia vero venialium ad mortale inducit.

Jer. x, 23. Præterea, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos, ideo indesinenter Dominum deprecemur ut ipse nos in omnibus dignetur dirigere, intellectum instruere, voluntatem afficere, inclinare, et quocumque sibi placuerit vertere, sensum omnem ac sensualitatem rationi subjicere, et rationem sibi in cunctis obedientem facere et B subjectam. Et istud a Deo postulare ac impetrare, præsidentibus summe necessarium esse cognoscitur, præsertim quum Gregorius Nazianzenus testetur: Revera mihi videtur esse ars artium et disciplina disciplinarum, regere hominem, qui certe inter omnia animantia est maxime moribus varius et voluntate diversus. Sic igitur quilibet regat in cunctis se ipsum. Visum refrenet, ne sibi hauriat vanitates, distractiones, risus, displicentias, perturbationes, potissime in divinis: nam et sæculares C scandalizantur in religiosis visu incustoditis; nec dubium quin visus incustoditus, incustoditæ et indevotæ mentis sit signum. Refrenemus quoque auditum, ne linguam detrahentem, discordiam seminantem, sermones aliorum repetentem, vana et frivola, scurrilia et in risum moventia verba proferentem audiamus. Sic et tactum a libidinoso contactu, gustum a delectatione carnali, odoratum interioresque sensus coerceamus. Corpora nostra faciamus animabus nostris in omnibus prompte obsequi D ac parere, in jejuniis, vigiliis, abstinentiis, disciplinis, in orationibus, psalmodiis, et omni religioso labore. Rationem et voluntatem Deo et sanctæ religioni in cunctis subdamus. Et quoniam ratio et voluntas sunt vires spirituales et immateriales, quæ super se ipsas ac proprios actus, et super alterutram reflectuntur: ideo ratio secundum Scripturas et regulam sibi præfixam regat se ipsam ac voluntatem; voluntas quoque per caritatem informata tendat semper in Deum, et moveat rationem ad sancta, cunctisque virtutibus imperet, ut ad caritatis finem et incrementum omnia fiant.

Postremo, quoniam tota evangelica ista parabola ad commendationem operum misericordiæ et ad exhortationem talium tendit ac ordinatur, ideo juxta Christi doctrinam pii et misericordes in omnibus *Luc.* vi, 36. simus; tantoque abundantius spiritualia misericordiæ opera exerceamus, quanto corporalia minus implere valemus; et quod effectu non possumus, suppleamus ac faciamus affectu. Simus in omnibus intime compassivi; facillime ignoscamus; omnis crudelitas, amaritudo, iracundia, perturbatio longissime sit a nobis; *Ephes.* iv, 31. visceribus caritatis et pietatis exuberemus; *Coloss.* iii, 12. alter alterius onera supportemus; *Galat.* vi, 2. lapsis compatiamur, mœstos pro viribus consolemur; et unusquisque gratiam sibi concessam I *Petr.* iv, 10. confratribus toto affectu communicet. Pro communi bono Ecclesiæ, pro reformatione universali, pro infidelium conversione, fidelium emendatione, pro universorum salute, pro toto conventu, specialiter pro præsidente, pro vivis et mortuis, pro universis propinquis, commissis et benefactoribus, præcipue pro parentibus, quibus æquivalens reddere non valemus, indesinenter, fervidissime, devotissime exoremus Dominum Deum nostrum laudabilem, *Dan.* iii, 52 et seq. gloriosum et superexaltatum. Cui honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA X POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SCITIS QUONIAM QUUM GENTES ESSETIS, AD SIMULACRA MUTA, ETC. I Cor. xii, 2-11.

APOSTOLUS in præsenti epistola informat A fideles de supernaturalibus donis tam gratiæ gratum facientis, quam gratiæ gratis datæ. Specialiter tamen nunc loquitur de donis gratiæ gratis datæ; et ait : *Scitis quoniam quum gentes essetis,* hoc est, memoria retinetis quod quum adhuc in gentilitate infideliter vixistis, eratis *ad simulacra muta,* id est idola insensata : de quibus ait Psalmista, Os habent, et non loquentur; *Ps.* cxiii, 5, sec. Hebr.; cxxxiv, 16. *prout ducebamini* a suggestione diaboli, aut consuetudine prava, vel persuasione humana, *euntes,* ad colendum B ea in fanis.

Ideo, ut scilicet illud vitium vitetis de cetero, *notum vobis facio* per istam epistolam, *quod nemo in Spiritu Dei,* id est in Spiritu Sancto, seu ex caritate, et gratia ac motione Spiritus Sancti, *loquens* corde, vel ore, aut etiam opere, *dicit anathema Jesu,* hoc est blasphemiam, aut quodcumque mortale peccatum separativum a Christo. Anathema enim separationem designat. Hoc dicit Apostolus, ad innuendum quod per gratiam Dei, et non aliter, vitat C homo peccata mortalia. *Et nemo potest dicere, Dominus Jesus,* id est Jesum Christum cum debita cordis attentione et affectione exprimere, seu eum veraciter suum Dominum appellare, *nisi in Spiritu Sancto,* hoc est ex gratia gratum faciente et motione Spiritus Sancti. Talis enim expressio Domini Jesu, quum sit oris confessio et actio meritoria, procedit ex caritate et fide formata. Nec obstat quod loquitur Christus, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : *Matth.* vii, 21. quia hoc intelligendum est de prolatione informi et nuda, cui nec caritas, nec operatio consonat. Apostolus autem vult dicere, quod non possumus aliquid meritorie cogitare, vel loqui aut operari, nisi per gratiam gratum facientem et motionem Spiritus Sancti, sicut et alibi dicit : Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. II *Cor.* iii, 5. Unde apud Osee Dominus protestatur : Perditio tua ex te; in me tantummodo auxilium tuum. *Osee* xiii, 9.

Declarata necessitate et efficacia gratiæ gratum facientis, tractat Apostolus de gratiis gratis datis.

Et pro intelligentia dicendorum sciendum, quia ut Thomas in secunda secundæ prosequitur, triplex assignatur differentia hominum, quantum ad actus et habitus animæ rationalis. Prima est secundum diversitatem gratiarum gratis datarum. Nam alii datur gratia prophetiæ, alii gratia sanitatum, alii sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, sicut patebit. Secunda differentia est penes diversitatem officiorum ac statuum. Quibusdam etenim datum est officium apostolatus, aliis officium sacerdotii. Tertia est secundum diversitatem vitæ et operationum. Aliqui namque sunt contemplativi, alii vero activi. — Porro duplex est gratia, utpote : gratia gratum faciens, quæ datur principaliter propter salutem ejus cui confertur ; et gratis data, quæ principaliter datur et ordinatur ad aliorum salutem, quia per hanc unus cooperatur saluti alterius, ut patet de prophetia et apostolatu, quæ sunt gratiæ gratis datæ, et ad utilitatem atque salutem Ecclesiæ ordinatæ ac datæ : quia ut ait Apostolus, *Rom.* xiii, 1. quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Ordo autem consistit in hoc, quod unus per alium ad Deum reducitur, prout divinus Dionysius protestatur. De Cœlest. hier. c. viii. — Ad hanc quoque utilitatem aliis impertiendam tria sunt necessaria. Primum est, facultas exercendi actum aliis utilem, ut est donum linguarum, gratia miraculorum ; secundum est, auctoritas exercendi hujusmodi actum, ut apostolatus ; tertium est, exsecutio operum.

Quantum ad primum istorum, dicit Apostolus : *Divisiones vero gratiarum sunt,* hoc est, gratiæ gratis datæ (de quibus nunc agitur) sunt diversæ atque distinctæ, *idem autem Spiritus,* id est, Spiritus Sanctus, dator gratiarum istarum, est unus et idem. Quantum ad secundum, subjungitur : *Et divisiones ministrationum sunt,* hoc est, officia seu ministeria ecclesiasticarum personarum sunt varia et distincta, *idem autem Dominus* Deus omnipotens, institutor et distributor officiorum istorum. *Et divisiones operationum sunt,* id est, diversæ sunt exsecutiones et actiones officiorum istorum, et inter illas una est dignior alia, secundum quod unum officium est altius alio. *Idem vero Deus qui operatur* mediate vel immediate *omnia in omnibus,* reddendo singula singulis, hoc est, in unoquoque operatur id quod fit in eo. Quod enim est causa causæ, est causa causati : imo effectus causæ secundæ, magis adscribendus est causæ primæ quam causæ secundæ, sicut in prima propositione libri de Causis atque in Elementatione theologica Procli Platonici demonstratur. Unde et Christus ait : *Joann.* v, 17. Pater meus usque modo operatur. Non autem operatur Deus omnia in omnibus tanquam sit forma informans et esse intrinsecum omnium rerum, sicut aliqui putaverunt, sed sicut causa efficiens et finalis, cujus virtute et desiderio operatur omnis causa secunda.

Unicuique autem datur manifestatio Spiritus, id est, gratia gratis data confertur unicuique cui confertur, *ad utilitatem,* id est ad aliorum commodum et profectum. Deus namque dat beneficiorum suorum talenta, ut expendantur utiliter, non ut abscondantur ignaviter. Propter quod princeps Apostolorum hortatur : I *Petr.* iv, 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Christus quoque in Evangelio : Negotiamini (ait) dum venio. *Luc.* xix, 13. Præterea gratia gratis data vocatur manifestatio Spiritus, id est donum quo manifestatur præsentia Spiritus Sancti, non quod talis gratia semper conjuncta sit caritati, per quam Deus habitat in electis ; imo gratiæ gratis datæ communes sunt bonis et malis, electis et reprobis : nam et Balaam fuit propheta, et Judas traditor apostolus. *Num.* xxii, 8 et seq. ; *Joann.* vi, 71, 72. Unde et Christus fatetur : *Matth.* vii, 22. Multi dicent mihi in die illa, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, etc. ? Sed dicitur gratia ista manifestatio Spiritus, quia frequentius signum est divinæ inhabitationis per caritatem, et quoniam semper ostendit virtutem divinam per dona talia principaliter operantem.

Subinde enumerantur gratiæ gratis datæ. *Alii quidem datur per Spiritum,* id est a Spiritu Sancto, *sermo sapientiæ,* id est sapientia aliis sermocinandi, videlicet cognitio divinorum seu notitia Scripturarum. *Alii autem* datur *sermo scientiæ,* id est scientia rerum humanarum et creaturarum : per quas declarantur divina, quoniam invisibilia Dei per ea quæ facta sunt cognoscuntur. *Rom.* i, 20. Unde, secundum Augustinum, Cognitio proprietatum naturalium rerum reserat abdita Scripturarum. Nempe ad intelligendum qualiter Christus sit leo, agnus, lapis et vitis, oportet rerum illarum proprietates cognoscere. *Secundum eumdem Spiritum,* id est secundum beneplacitum et influxum ejusdem Spiritus Sancti, et non secundum aut propter A merita hominum. Exprimit autem Apostolus hæc duo dona gratis data, præmittendo sermonem : primo, ad insinuandum quod dantur ad aliorum instructionem ; secundo, ad innuendum quod non solum habitualis notitia, sed etiam ejus actus, seu usus et ordinata expressio, sit a Deo. Propter quod ait Salvator : Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. *Luc.* XXI, 15. Denique sapientia et scientia ista realiter distinguuntur a sapientia et scientia quæ sunt de numero B septem donorum Spiritus Sancti : *Is.* XI, 2. quoniam illæ haberi non possunt sine caritate et gratia gratum faciente ; sed istæ communes sunt bonis malisque. Unde sapientia et scientia quæ sunt gratiæ gratis datæ, præsertim sunt illæ notitiæ per quas fides catholica defensatur, persuadetur ac declaratur.

Alteri datur *fides,* id est præcipua certitudo de veritate credendorum, potissimum articulorum fidei, qui in Scripturis quasi principia præsupponuntur (itaque C fides non sumitur hic, prout est theologica virtus), *in eodem Spiritu,* id est virtute ejusdem Spiritus Sancti. *Alii* datur *gratia sanitatum,* id est virtus curandi infirmos supernaturaliter, *in uno Spiritu,* id est a Spiritu Sancto, qui in se ipso unus et simplex est, quamvis in donis sit multiplex. *Alii* datur *operatio virtutum,* id est magnorum miraculorum, facultatem naturæ omnino excedentium, ut est suscitatio mortuorum, et statio ac retrocessio solis. *Alii prophetia,* id est cognitio futurorum con- D tingentium certa. *Alii discretio spirituum,* id est discreta cognitio seu rectum judicium de iis quæ in animo aliorum versantur, aut ab eis proferuntur, ut Spiritu Sancto illustrante sciat unus secreta cordis alterius, et quo animo quid dicatur. Potest quoque intelligi de gratia discernendi inter spiritum bonum et malum, id est inter angelum et diabolum apparentem, ne fallatur quis a Satana sub specie angeli apparente, seu mala sub specie boni suggerente. Hæc discretio prorsus necessaria est iis quibus revelationes visionesque fiunt, ne seducantur. *Alii* dantur *genera linguarum,* id est diversa idiomata, seu facultas utendi diversis loquelis. *Alii* datur *interpretatio sermonum,* id est expositio alienorum idiomatum, seu difficilium sensuum, aut prophetalium visionum. Harum gratiarum sufficientiam ponunt doctores, quam et super epistolas Pauli induxi ; sed nunc brevitati studens, prætermitto. *Cf.* t. XIII, p. 184 B' et s.

Hæc autem omnia operatur, id est, cuncta dona prædicta causat in nobis, *unus atque idem Spiritus* Sanctus, *dividens singulis prout vult,* id est, unicuique libere donans quantum ei placet. Ex quo constat quod Spiritus Sanctus sit verus Deus, divina et increata auctoritate potestateque agens.

Postremo, quamvis hæc omnia adscribantur Spiritui Sancto, non tamen putandum est quod ab eo dumtaxat donentur, quum opera superbeatissimæ Trinitatis sint indivisa, quoniam trium Personarum est una essentia et una potentia. Sed per appropriationem attribuuntur hæc Spiritui Sancto, quoniam ei appropriantur bonitas, caritas ac liberalitas, ad quas proprie pertinet se communicare, bona conferre, alteri dare.

SERMO PRIMUS

DE ORNATU ECCLESIÆ MEMBRORUMQUE IPSIUS, ET DE CERTITUDINE FIDEI CHRISTIANÆ.

DEUS *operatur omnia in omnibus.* A I Cor. XII, 6.

In præsenti epistola docet nos sanctus Apostolus, quanta sit bonitas ac liberalitas Dei, quanta etiam sit defectuositas atque impotentia hominis. Bonitatem liberalitatemque Dei ostendit Apostolus, per hoc quod tanta gratiarum charismata tam copiose ac sapienter dedit hominibus; defectuositatem vero ac impotentiam hominum monstrat, per hoc quod absque speciali subsidio Spiritus Sancti nil boni valemus. Itaque ex consideratione bonitatis et munificentiæ B Dei, divino accendamur amore, atque ad præcordialem Dei honorificentiam provocemur, juxta illud Ecclesiastici *Eccli.* II, 10. : Diligite Dominum, et illuminabuntur corda vestra. Ex consideratione vero propriæ defectuositatis et impotentiæ, humiliemus nos ipsos, et Divinitatis auxilium gratiosum jugiter imploremus, cum Psalmista *Ps.* VI, 3. orantes : Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.

Primo ergo docet nos beatus Apostolus *I Cor.* XII, 3. in hodierna epistola, quod absque speciali, C supernaturali ac gratioso juvamine Spiritus Sancti nil bonum ac meritorium valeamus cogitare, loqui aut agere, sicut et *Philipp.* II, 13. alibi protestatur : Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere. Porro ratio hujus est, quoniam ad supernaturalem beatitudinem, quæ est visio Dei clara per speciem, conditi sumus. Idcirco ad eam non nisi per supernaturalia media, quæ sunt virtutes et dona, eorumque opera, pertingere possumus : nam media proportionari oportet fini. Nec solum indigemus virtutibus D et donis infusis, sed etiam actuali motione Spiritus Sancti in omni meritorio actu, mentem nostram ad actum meritorium excitantis. Ecce quanta est indigentia atque infirmitas mentis humanæ. Unde igitur superbimus? Cur extollimus nosmetipsos? Cur miser homo putat se aliquid esse? Nunquam itaque de propriis viribus præsumamus, neque inaniter gloriemur, nec aliquid boni nobis attribuamus. Nec aliquis jactet se ipsum, quum dicat Apostolus : Quid habes quod non accepisti? Si *I Cor.* IV, 7. autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hinc iterum ait : Soli Deo ho- *I Tim.* I, 17. nor et gloria. Hinc asserit Leo Papa : Dubium non est unumquemque a Deo habere operis boni initium et consummationem. Omni itaque hora, Dei auxilium invocemus, cum Propheta dicentes : Deus, in *Ps.* LXIX, 2. adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. Itemque : Cito anti- *Ps.* LXXVIII, 8. cipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Subinde, ut ita a Deo mereamur juvari, proni semper et alacres simus ad subveniendum proximis indigentibus et infirmis : quia ut asserit Augustinus, Justum consilium est, ut qui se a potentiori vult juvari, adjuvet infirmiorem, in quo est ipse potentior.

Secundo docet Apostolus, qualiter Chri- *I Cor.* XII, 4-11. stus spiritualiter decoravit Ecclesiam militantem, et pulcherrime ordinavit, per diversa ac præclarissima gratiæ dona, et per diversa officia, per ministros in sacris ordinibus constitutos, per principes et prælatos. Nam quosdam fecit Apostolos, *Ephes.* IV, 11. quosdam Prophetas, nonnullos doctores, aliquos quoque pastores. Et usque in præsens diversi fideles variis gratiis adornantur; atque ut sidera cœlum, sic ipsi ornant Ecclesiam.

Tertio docet Apostolus, ut unusquisque *I Cor.* XII, 4 et seq. *I Petr.* IV, 10. gratiam sibi a Deo misericorditer datam, caritative communicet proximis. Idcirco qui doctior, sapientior, in virtutibus fortior, in exercitio vitæ spiritualis ac tentationum expertior exstat, alium amorose informet, consilio juvet, in bonis confortet et pie supportet, atque in tentationibus qualiter reluctari et habere se debet, docere non negligat. Hinc quippe ad Galatas *Galat.* vi, 1, 2, 10. ait Apostolus : Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris; alter alterius onera portate : ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Magnum et Deo gratissimum est, proximos pie et humiliter informare, lapsos pro posse erigere, peccantes discrete corripere. Idcirco Danieli Gabriel *Dan.* xii, 3. angelus contestatur : Qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Jacobus quoque scribit *Jacob.* v, 20. : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. *Eccli.* xix, 13. In Ecclesiastico etiam legitur : Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat, Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere.

Quarto docet Apostolus, quanta sit certitudo et firmitas fidei christianæ, quæ a Deo tam multiplex habet testimonium veritatis, quæ tot est confirmata miraculis, tot *I Cor.* xii, 9, 10. approbata prodigiis, utpote gratia sanitatum, operatione virtutum, dono prophetiæ, genere linguarum, discretione spirituum. *Hebr.* ii, 1, 3, 4. Unde ad Hebræos inducitur : Abundantius nos oportet observare ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus : quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, id est tam salutarem Christi doctrinam, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus? Hoc est *Marc.* xvi, 20. enim quod in Evangelio legitur : Illi autem (puta Apostoli) profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.

I Cor. xii, 10. Postremo de gratia discretionis spiriA tuum dicunt sancti Patres atque doctores, quod quando spiritus vel angelus bonus apparet, quamvis in principio suæ apparitionis terreat hominem cui apparet, tamen mox confortat et consolatur eumdem, depellens formidinem, et tranquillitatem illuminationemque ingerens; sed dæmone in specie angeli apparente, timor incussus perseverat, nec mentis recedit (imo magis augetur) turbatio. Per hoc igitur discerni potest unus ab alio. Unde aliqui magni doctores quærunt: Si diabolus alicui appareat B in specie Christi, jubeatque se adorari, et homo putans quod Christus sit, illum adoret, an peccet? Ad quod respondent quod imo, quia incaute se habet. Non enim statim credendum est spiritui apparenti; sed homo cui apparet, primo debet se ad Deum convertere, et eum orare ut sibi inspirare seu revelare dignetur quod verum est, an sit illusio aliqua : tuncque piissimus Deus in tanta necessitate non deseret hominem.

Legitur quod diabolus interdum apparuit viris sanctissimis, puta Martino, Antonio, C Apollonio, etc., in specie Christi, et jussit se adorari ab illis. Sed illi discretione spirituum radiantes, falli non potuerunt, quia non statim credebant; sed deliberatione præmissa, intellexerunt dolum et increpaverunt diabolum, qui protinus fugit atque disparuit. Legitur quoque in fine quarti libri Vitaspatrum, quod fuit quidam Frater in eremo, qui seducebatur a dæmonibus per plurimos annos, putans quod angeli essent. Carnalis autem pater Fratris illius, illum aliquando visitavit. D Quadam vero die tulit secum bipennem, ut rediens, aliqua ligna secum portaret. Quum ergo esset in via, dæmon dixit filio ejus : Ecce diabolus venit ad te in similitudine patris tui, habens bipennem in sporta sua ut impugnet te; tu vero tolle ab eo bipennem, et percute eum. Quumque pater ejus venisset ad eum, tulit bipennem, et percussit patrem suum ac interfecit. Statimque diabolus Fratrem illum invasit et suffocavit.

Ex hoc patet exemplo, quam necessaria

sit discretio spirituum, quamque periculo- A sum exsistat incaute credere spiritui apparenti. Propter quod in Ecclesiastico scri- Eccli. xix, 4. ptum est : Qui cito credit, levis est corde, et minorabitur. Atque in prima sua Canonica docet Joannes : Nolite omni spiritui I Joann. iv, 1. credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM APPROPINQUARET JESUS JERUSALEM, VIDENS CIVITATEM, FLEVIT SUPER ILLAM.

Luc. xix, 41-47.

HODIERNO in evangelio docetur quanta B fuerit dilectio Christi ad homines, quanta etiam fuerit ejus compassio ad peccatores ac miseros; item, quantus fuerit in eo zelus justitiæ pro Dei Patris honore contra iniquos. Ait itaque Lucas evangelista :

Quum appropinquaret Jesus civitati *Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam, dicens.* Istud fuit in die Palmarum, quando Salvator a Bethania venit Jerosolymam. Quum enim a turba fuisset cum ingenti susceptus honore, et cum maxima C processione duceretur ab ea, sedens super asinam, tandem in tantum appropinquavit civitati Jerusalem, quod eam exterioribus oculis vidit : qui secundum quod Deus Jer. xxiii, 24. est, totum mundum implet et excedit, ac omnia æternaliter intuetur; imo etiam ab incarnationis exordio, anima ejus per scientiam creatam ac inditam, cuncta creata præterita, præsentia et futura cognovit. Itaque, quum corporaliter urbi illi sic appropinquasset, eamque inspiceret, scelera ejus atque futuram ipsius vastitatem ac D destructionem deplanxit, dicens : *Quia si cognovisses,* id est, si mala imminentia tibi scires, *et tu* fleres, eo quod tanta tibi adversa appropinquent. Denique nomine civitatis intelliguntur habitatores ejus. Deflevit autem Christus ærumnas et tribulationes quas populus civitatis hujus sustinuit, quadragesimo secundo anno post Christi passionem, ab exercitu Romanorum; et si hoc ita est, multo plus deflendus fuit populus ille incredulus propter damnationem ipsius æternam. Christus quoque plus doluit de malo culpæ, quam de malo pœnæ hominum impiorum.

Et quidem in hac die tua, id est in tempore isto brevi atque celerrime transeunti, in quo non Dei honori, sed propriis vanitatibus vacas, *quæ ad pacem tibi,* id est, ea quæ habes, ad carnalem, temporalem et fallacem tuam pertinent pacem, quia divitiis, deliciis et honoribus jam abundas, nec ab hostibus infestaris; *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,* id est, adversa tibi imminentia nunc te latent. Horum damnabilem securitatem multi sequuntur, qui ex longanimitate et patientia Dei pejores redduntur et audentius peccant, juxta illud Ecclesiastæ : Quia non Eccle. viii, 11. cito profertur contra malos judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Quibus competit illud Sapientiæ : Dixerunt impii, Venite, fruamur bonis quæ Sap. ii, 1, 6. sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter.

Quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui, puta Romani, videlicet Titus et Vespasianus. Denique Christus in evangelii hujus principio utitur verbis obscuris seu incompletis ac defectivis, quemadmodum moris est vehementer amantium atque dolentium, in quibus magnitudo amoris visque doloris verba abrumpit, intercidit, abbreviat. Juxta quem modum

Cant. vii, 10. *Ibid.* ii, 16. Sponsa ait in Canticis : Ego dilecto meo, A et ad me conversio ejus ; itemque, Dilectus meus mihi, et ego illi. Itaque circumdabunt te *vallo,* id est aggere : quia (ut legitur) tres aggeres circa Jerusalem ad eam capiendam fecerunt. *Et coangustabunt te undique,* id est, tam dire obsidebunt, ut nullus ex te egredi audeat, sed fame et siti gravissime affligeris. Ad tantam namque angustiam exsistentes tunc in Jerusalem sunt perducti, quod mulieres proprios filios comederunt, multique fame exstincti sunt, ut Josephus refert. B

Et ad terram prosternent te : quia tam homines quam ædificia Jerusalem prostraverunt Romani. Ideo subditur : *Et filios tuos,* id est cives, *qui in te sunt.* Civitas enim seu communitas, per modum matris se habet respectu suppositorum contentorum in ea, quoniam fovet ac protegit ea. Vel ideo dicit, « filios tuos », quia tempore quo ista implebantur, pro maxima parte jam obierunt patres et seniores qui in Jerusalem erant dum Christus hæc protulit, quorum filii fuerunt tempore Titi, quando C hæc contigerunt. *Et non relinquent in te lapidem super lapidem,* id est, funditus te subvertent. Quod per modum hyperbolicæ locutionis intelligi potest, qua aliquid dicitur per excessum ad insinuandum magnitudinem rei, sicut in Genesi Pharao dixit ad Joseph : *Gen.* xli, 44. Absque oris tui imperio nullus movebit manum aut pedem in universa Ægypto. Legitur quoque, quod quum Vespasianus et Titus destructa Jerusalem Romam redissent, Judæi, qui tempore obsidionis se absconderant in speluncis ac D silvis, redierunt, et sacra loca venerari cœperunt et reædificare. Quo cognito, Romani miserunt Ælium Hadrianum, qui urbem præfatam tam funditus dissipavit, quod lapis super lapidem non remansit. Postmodum quoque Hadrianus aliam ædificavit civitatem prima minorem, appellavitque eam Æliam ; et fuit in alio loco saltem pro parte, quia sepulcrum Christi in ea conclusit.

Causa demum præfatæ eversionis subjungitur : *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ,* id est Christi adventum, accessum et conversationem ejus in te. Unde scriptum est alio loco : Benedictus *Luc.* i, 68. Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Hinc per Isaiam loquitur Deus : *Is.* i, 3. Cognovit bos possessorem suum, et asina præsepe domini sui ; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Apud Jeremiam quoque habetur : Milvus in cœlo cognovit *Jer.* viii, 7. tempus suum, etc. ; Israel autem non cognovit judicium Dei. Præterea, quamvis populus Judæorum propter hanc scelestissimam impietatem vastatus sit, captus, dispersus et derelictus usque in præsens (quemadmodum a Daniele apertissime est prædictum : *Dan.* ix, 26, 27. Non erit ejus, videlicet Christi, populus, qui eum negaturus est ; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio), verumtamen Romani tunc adhuc gentiles, non zelo Christi, sed alia intentione demoliti sunt Jerusalem ac Judæam, utpote quia rebelles fuerunt Romano imperio. Deus autem reliquit Judæos, quoniam Christum non receperunt. Quemadmodum etiam tempore Sedeciæ regis vastati sunt a Chaldæis propter idololatrias *IV Reg.* xxv ; *II Par.* xxxvi, 11 et seq. suas et innocentium ac Prophetarum occisionem, Chaldæi tamen ex ambitione et avaritia, crudelitate et prava intentione fecerunt hoc.

Et ingressus in templum. Christus quum urbem Jerusalem introisset, primo intravit in templum : primo, propter loci sanctitatem et reverentiam ; secundo, quoniam Patris æterni honorem summe quæsivit ; tertio, ut daret exemplum quod fideles primo ingredi debent ecclesiam : unde ait Chrysostomus, Tu imitator Christi factus, quum ingressus fueris aliquam civitatem, ante omnem actum ad ecclesiam curras ; quarto, ut vitia ministrorum templi corriperet ; quinto, ut prædicaret ibidem. *Cœpit ejicere vendentes in illo et ementes, dicens : Scriptum est* apud Isaiam, ex *Is.* lvi, 7.

persona Dei : *Domus mea domus orationis* A *est,* id est, templum Deo consecratum, ideo factum est ut Deus in eo colatur orationibus, laudibus, sacrificiis et ceteris actibus virtuosis, non ut ibi sæcularia et vitiosa fiant negotia, ut sunt emptiones et venditiones ibi præsertim illicitæ. *Vos autem fecistis illam speluncam latronum,* id est similem specui seu loco occulto, in quo latrones spolia sua collocant et occultant. Quemadmodum enim latrones ponunt ibi ea quæ rapiunt ab his quos corporaliter necant, sic sacerdotes et eorum familia B colligebant in templo pecunias et pretia horum quos pravis exemplis spiritualiter occiderunt, inducendo illos ad peccata gravissima.

Denique Christus bis ante suam passionem ejecit vendentes in templo : primo, quando post mutationem aquæ in vinum, *Joann.* II, 13 et seq. venit ad primum Pascha in Jerusalem et in templum; secundo, in Ramis palmarum, *Ibidem.* circa tertium Pascha. De prima ejectione *Matth.* XXI; *Marc.* XI; *Luc.* XIX, 28 et seq. scribit tantum Joannes. De secunda loquuntur alii tres Evangelistæ. Unde in C Matthæo plus inde habetur quam in Luca. *Matth.* XXI, 12. Nam dicitur ibi, quod mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit. Sacerdotes quippe, qui avarissimi erant, posuerunt in anteriori atrio templi, ubi vulgus oravit et doctores docebant, quosdam ex suis ministris, qui omnium animalium quæ secundum legem offerri poterant genera, ibi vendebant, ne aliqui, maxime qui a remotis locis venerunt, possent se ab oblatione animalium excusare, quia a remotis nequibant ea secum adducere. D Insuper, ne egeni se excusarent ab immolatione per defectum pecuniæ, posuerunt etiam ibi nummularios seu campsores, qui sub cautione accommodarent egenis pecuniam ad emendum animalia immolanda. Scribit quoque Joannes : *Joann.* II, 15. Quum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Unde creditur et in ista ejectione ita fecisse.

Sed quæri potest, quomodo permiserunt se ejici ab homine uno et paupere. Et respondendum, quod Christus divina virtute potuit corda illorum terrere et mentes compescere, ita quod resistere non audebant. Creditur etiam quod quidam divinus splendor et igneus fulgor mirabilis in vultu et oculis Christi apparuit, ex cujus adspectu terrebantur iniqui, nec eum audebant inspicere nec reniti. Nam et tempore *Ibid.* XVIII, 3-6. passionis jam capiendus, solo verbo armatam cohortem, ac Judæorum ministros furentes, perterruit, debilitavit, dejecit, ita quod abierunt retrorsum et corruerunt in terram. Hinc asserit Origenes, quod ejectio illa vendentium miraculosior fuit quam *Ibid.* II, 1 et seq. mutatio aquæ in vinum : quia in mutatione hac aquæ, inanimata subservivit materia; in ejectione vero illa, tot millium compescebantur ingenia. Unde ita imprimere in intima cordium, eaque taliter alterare, ac liberum arbitrium taliter compescere, fuit mirabilissimum opus, et soli divinæ virtuti possibile.

Et erat Christus *quotidie docens in templo,* quia in die Palmarum prædicavit ibidem, et feria secunda ac tertia; non autem *Ibid.* XII, 1-12. feria quarta, quia tunc mansit in Bethania, et venditus fuit a Juda; nec feria quinta, *Ibid.* XIII-XVII. sed tunc fecit Cœnam novissimam, et evangelicæ legis Sacramentum instituit, atque Apostolis præclarissimum fecit sermonem. Unde quod Evangelista ait, « quotidie », referendum est ad dies determinatos.

SERMO SECUNDUS

DE CHRISTI CARITATE, PIETATE, COMPASSIONE ET LACRIMATIONE ; ET QUALITER CHRISTO IN HIS CONFORMARI DEBEMUS.

I*MITATORES Dei estote, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.* Ephes. v, 1, 2.

Evangelium hodiernum sacris plenissimum est doctrinis et vere saluberrimis documentis. Primo commendatur nobis in eo summa caritas ac pietas Christi. Qui quum appropinquasset civitati in qua sceleratissimi, crudelissimi ac ingratissimi hostes sui fuerunt, a quibus paulo post fuerat morte acerbissima atque turpissima occidendus, non odio, indignatione, impatientia aut iracundia motus est contra eam, hoc est contra præfatos adversarios suos, sed ex ineffabili caritate et pietate condoluit eis tam vehementer, quod prorupit in lacrimas : nec dubium quin in lacrimas copiosas, calidissimas, præcordialissimas. Siquidem quo major fuit ipsius caritas ac pietas seu misericordia, eo præcordialior fuit ejus compassio, et abundantior ploratio. Sicque Christus implevit Matth. v, 44. quod docuit ac præcepit, dicendo : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.

Hoc ergo Christi exemplo docemur, non solum amicis, sed etiam inimicis nostris caritative et pie condolere, subvenire, et pro eorum relevamine ac salute lacrimas fundere : imo dum forefaciunt nobis, magis dolere debemus de eorum culpa quam de injuria propria, de eorum peccato quam de temporali proprio damno, quia eorum animas magis amare tenemur quam exteriora ac temporalia bona, imo plus quam propria corpora et humanos honores. Verumtamen ab hac caritatis et pietatis sinceritate et integritate plurimi nomine A tenus christiani nimium distant, qui non solum pro magnis injuriis, imo pro modica parvipensione seu irrisione graviter indignantur, iracundia inflammantur, vindictam inferre appetunt et nituntur. O quam longe sunt isti a Christi imitatione, ab evangelicæ legis observatione, et per consequens a salute ! Cogita semper quam enormiter ac frequenter inhonoraveris atque offenderis Dominum Deum tuum, Deum majestatis, dignitatis et gloriæ infinitæ ; itemque, quam patienter et B longanimiter te toleraverit ac toleret, quam sæpe indulserit, et quam paratus sit semper ignoscere : sicque injurias tibi illatas patienter ac mititer sustinebis, nec ultionem quæres ex ira vel odio, sed si rationabilis causa expostulat, ex caritate et zelo justitiæ.

Præterea, sicut jam tactum est, caritas exigit, et Deus præcipue hoc requirit, ut proximis in tribulatione et angustia, in necessitate et penuria constitutis, cordialiter compatiamur. Propter quod ait Hieronymus : Vult Deus unumquemque C alterius angustias sentire ut proprias ; et sicut sibi, si in tali tribulatione esset, cuperet subveniri, sic ipse alteri propter Deum studeat suffragari. Imo qui perituro succurrere potest, si non succurrit, occidit ; nihil autem sic probat amicum, sicut oneris amici portatio. Idcirco hortatur Ambrosius : Necessitates aliorum quantum possumus adjuvemus, imo interdum plus quam possumus juvare optemus ; nihil tam secundum naturam, quam juvare naturæ consortem. Sed, proh dolor ! multi D sunt qui amplius condolent et flent si proximi in corpore vulnerentur, aut in temporalibus damna notabilia patiantur, quam si in mortalia ruant peccata. In quibus A non videtur esse spiritualis dilectio, nec christianæ pietatis compassio, quamvis sit in eis naturalis aut socialis amor et dolor. Ideo loquitur Augustinus : Annon sunt in te viscera christianæ pietatis, ut defleas corpus a quo recessit anima, et non defleas animam a qua recessit Deus, hoc est quæ peccavit mortaliter ? Ex iis perpendant parentes an sobolem suam spiritualiter diligant, an de filiorum et filiarum suarum peccatis magis quam de eorum corporalibus incommoditatibus, B damnis seu infirmitatibus, contristentur.

Denique, sicut ait Bernardus, Christus legitur sæpe flevisse, nunquam vero risisse. Primo flevit in sua nativitate, quia tunc veraciter frigore affligebatur, statim quum natus fuisset. Secundo flevit in sua circumcisione, in qua magnam sustinuit *Luc.* xix, 41. pœnam ; tertio, quum appropinquasset civitati Jerusalem, sicut in evangelio legitur *Joann.* xi, 35. hodierno ; quarto, in Lazari suscitatione ; quinto, passione instante, quando ut ait *Hebr.* v, 7. Apostolus, cum clamore valido et lacrimis C orationem offerens Patri, exauditus est pro sua reverentia ; sexto, in ipsa sua acerbissima passione, in qua utique multoties *Joann.* xix, 1, 2, 18. flevit, præsertim in sua flagellatione, spinea coronatione et crucifixione. Itaque Christi exemplo, discamus vanitates et levitates, risus et dissolutiones, ludos, jocos, cachinnos vitare, atque salubriter flere, *Luc.* vi, 25. quoniam ipse terribiliter comminatur : Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et *Matth.* v, 5. flebitis. Dulciter quoque pollicetur : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. D

Præterea advertendum et valde pensandum, quod multæ sunt species laudabilis luctus. Prima est, propria peccata ut sunt Dei offensiva deflere. Hujus luctus lacrimæ oriuntur ex interna contritione, suntque effectus pœnitentiæ. De quibus ait *Ps.* cxviii, 136. Psalmista : Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Quanta autem sit vis lacrimarum istarum ad impetrandum indulgentiam peccatorum, imo et gratiæ infusionem, docet Ambrosius : Lacrimas (inquiens) Petri lego, satisfactionem non lego. Lacrimæ lavant delictum quod voce pudor est dicere ; lacrimæ veniam non postulant, sed tamen eam merentur. Tu ergo similiter lacrimis dilue culpam. Imo, sicut testatur Hieronymus : Oratio Deum lenit, lacrima cogit ; oratio ungit, lacrima pungit.

Secunda species sancti luctus est, proximorum peccata deflere. Hic luctus venit ex fraterna caritate et pietatis intimæ compassione. Hoc modo homines virtuosi deplorant iniquos quos diligunt, sicut in veteri Testamento multi Sancti fecisse leguntur, quemadmodum Daniel recitat de se ipso : Posui (inquit) faciem meam ad Dominum *Dan.* ix, 3. Deum meum, orare et deprecari eum in jejunio et sacco et cinere. Legitur quoque in primo libro Esdræ, quod quum ipse Esdras I *Esdr.* ix, 3, 5, 6. percepisset peccata populi sui, præ nimio dolore scidit vestimenta sua, corruitque in terram, et flevit uberrime ; et dixit : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum. Quemadmodum enim tenemur proximos diligere sicut nos ipsos, sic caritas *Matth.* xxii, 39. exigit ut de eorum culpa tristemur, et de eorum profectu et gratia gratulemur. Verumtamen fletus iste spectat potissimum ad aliorum prælatos et patres ac superiores, ut subditorum et sibi commissorum vitia lugeant, quos tam specialiter diligere, custodire, considerare atque pro posse curare tenentur, quemadmodum Paulus apostolus se fecisse in suis fatetur epistolis. Unde et de viro sanctissimo B. Hugone Gratianopolitano legitur præsule, quod dum episcopus factus fuisset, et tam clerum quam populum invenisset incompositissimum, vitiosum, et quoad divini cultus opera prorsus rudissimum, die ac nocte amarissime flevit, et flendo pro illis rogavit : per quod in brevi maximam impetravit gratiam subditis suis. Hujus episcopi vestigia imitentur prælati.

Tertia species boni luctus est, præsentis vitæ ærumnas deflere, ut mereamur libe- A rari ab eis. *III Reg.* xix, 4. Sic enim oravit Elias : Tolle, Domine, animam meam. Apostolus quoque dixit : *Rom.* vii, 24. Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Verumtamen tribulationes et pœnæ vitæ præsentis sunt æquanimiter tolerandæ, quousque Deus dignetur eis finem imponere.

Quarta species est, ex consideratione passionis Christi pia compassione moveri ac lacrimari, eo quod ipse innocentissimus Agnus Dei tanta pro peccatoribus pertulit. *Ibid.* viii, 17. Hinc ait Apostolus : Si compa- B timur, et conregnabimus; itemque, *Galat.* ii, 19. Christo confixus sum cruci; et iterum, *Ibid.* vi, 17. Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.

Quinta species est, desiderio æternæ beatitudinis flere, et propter dilationem illius lugere, cum Psalmista dicendo : *Ps.* cxix, 5. Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est; et rursus, *Ps.* xli, 2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; et iterum, *Ibid.* 4. Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac no- C cte. Ex hoc affectu dixit Apostolus : *Philipp.* i, 23. Cupio dissolvi et esse cum Christo. Imo, secundum Gregorium, futuram felicitatem nequaquam digne desiderat, qui pro ea quotidie cum lacrimis non exorat.

Sexta species est, desiderio gratiosæ præsentiæ ac consolationis internæ Sponsi cœlestis etiam in hac vita, pie lugere. Sic lugent devoti supernam dulcedinem sæpe experti, et Deo familiariter atque suaviter vacare assueti, dum solitam gratiosæ præsentiæ Dei dulcedinem devotio- D nisque alacritatem sentiunt sibi deesse, dicentes illud Canticorum : *Cant.* v, 6. Quæsivi illum, et non inveni; vocavi, et non respondit mihi.

Septima species est, desiderio spiritualis profectus ac incrementi in omni virtute et gratia, lacrimari. Sic plorat qui imperfectum suum sapienter considerat, et quam vagus sit mente etiam in divino obsequio, pensat; qui divinæ majestatis excellentiam intuetur, atque ob hanc Deo reverenter, pure ac fervide deservire cohærereque nititur. Quod quia ut cupit non implet, cum lacrimis Deum precatur, ut gratiam suam et virtutes in se perficere omni die dignetur, sicut oravit Propheta : *Ps.* xvi, 5. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea; et iterum, *Ps.* cxviii, 133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia. Istæ lacrimæ sunt salubres et meritoriæ valde.

Octava species est, ex timore divini judicii ac infernalis supplicii lamentari, quia horrendum est incidere in manus *Hebr.* x, 31. Dei viventis, et in inferno nulla est redemptio. Legitur in Vitaspatrum, quod Fratres in eremo miserunt ad abbatem Macarium, deprecantes ut veniret et visitaret eos antequam migraret ad Dominum : alioqui sciret totam multitudinem Fratrum venturam esse ad ipsum. Quumque venisset ad Fratres, dixit : Ploremus, Fratres, ploremus in vita ista, antequam veniamus ubi lacrimæ nostræ comburant corpora nostra. Et fleverunt omnes, et ceciderunt proni in facies suas, dicentes : Ora pro nobis, Pater.

Nona species est, ex miseriis et tribulationibus proximorum moveri ad fletum. Sic Jeremias deplanxit destructionem civita- *Thren.* i-v. tis ac templi Jerusalem, interfectionemque Judæorum.

Decima species est, ex abundantia spiritualis gaudii flere, præsertim ex quadam serenissima complacentia Domini Dei. Qui fletus præ ceteris divinior dulciorque censetur.

Postremo, per Jerusalem spiritualiter designatur Ecclesia militans et anima justi. Quemadmodum ergo Christus deflevit *Luc.* xix, 41. vastitatem Jerusalem, ita qui vere christianus est, spiritualem ruinam ac deformationem Ecclesiæ debet merito valde deflere, atque pro ejus reformatione in omnibus affectuosissime quotidie exorare, ut Deus dignetur eam ad pristinum gratiæ decus reducere, et tam in prælatis quam subditis, tam in clero quam vulgo, omnique gradu, statu ac ordine reparare eamdem. Similiter, si aliquem justum contingat tentationi succumbere et ad peccata reverti, deflendus est vehementer, et pro ejus reductione indesinenter orandum. Imo tanto cordialius condolendum est peccatoribus, et plorandum ac interpellandum pro eis, quanto plus excæcantur ac indurantur, et quanto minus sciunt sive advertunt cur defleantur. O quam felix est cui datum est ita plorare, atque prætactas fletuum species habere, si tamen usque in finem perseveret in eis cum omni humilitate ! Propter quod hortatur Apostolus : Qui stat, videat ne cadat. I Cor. x, 12.

SERMO TERTIUS

DE CAUSA SPIRITUALIS EXCÆCATIONIS, ET ANGUSTIIS IMPIIS SUPERVENTURIS ; ET DEMUM QUID IN ECCLESIA MATERIALI AGENDUM SIT, ETC.

D*OMUS mea domus orationis vocabitur.* Is. LVI, 7 ; Luc. XIX, 46.

Salvator in evangelio hujus diei, multipliciter nos informat verbis et factis : nam et opera ejus sunt saluberrima documenta. Primo itaque docet quæ sit causa excæcationis impiorum, propria pericula non attendentium. Quum enim deflebat Jerusalem Luc. xix, 42. ruituram, dicebat : Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi ; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis (juxta sensum in expositione litteræ introductum). In quibus verbis innuit Christus, quod abundantia terrenæ prosperitatis atque carnalis pacis, est multis occasio, imo et causa, internæ excæcationis et negligentiæ propriæ salutis : ita quod se ipsos non deflent, nec immensitatem periculorum sibi imminentium pensant, sed in carnalibus delectantur, in temporalibus resolvuntur, in terrenis prosperitatibus se extollunt. Nempe dum delicate se nutriunt, pretiose et curiose se vestiunt, otiositatibus loquacitatibusque intenti sunt, obliviscuntur Domini Dei sui ; nec desuper illustrantur, sed in diversa peccata labuntur ; et tanto infeliciores exsistunt, quanto plus in temporalibus prosperantur, et quanto feliciores se arbitrantur.

Denique sacra Scriptura istud apertissime docet, videlicet quod reprobi et iniqui prosperantur in sæculo isto, et per hoc damnationem incurrunt æternam. Loquitur namque Jeremias propheta Deo : Justus Jer. xii, 1. quidem es tu, Domine, si disputem tecum ; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur in te ? Hinc etiam sanctus Job ait : Numquid contra Job xxi, 4, 7-9. hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari ? Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis ? Semen eorum permanet coram eis, et non est super eos virga Dei. De quibus fertur in Psalmo : In labore hominum Ps. lxxii, 5-7. non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur : ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum ; transierunt in affectum cordis. Sed quid hanc prosperitatem et iniquitatem sequatur, beatus Job protestatur, dicendo : Ducunt in Job xxi, 13. bono dies suos, et in puncto ad infernum descendent. Ex his Christiani perpendere debent, quod temporalis prosperitas, divitiarum ac deliciarum affluentia, honor mundanus, formidandi sunt potius quam optandi, quum multis et innumerabilibus sint causa damnationis æternæ, et reprobis magis quam electis soleant conferri. Porro, si alicui hæc arrident, impleat illud

Ps. LXI, 11. Psalmistæ, Divitiæ si affluant, nolite cor *I Cor.* VII, 31. apponere; et quod ait Apostolus, Qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes : et ita Deo rectore ac duce, sic transeat per bona temporalia, ut non amittat æterna. Ad quod necessarium exstat ut ad temporalia et carnalia non afficiatur inordinate, sed ad debitum finem referat ea, ac sobrie utatur eisdem.

Secundo docet in evangelio isto Salvator, quantæ tribulationes atque angustiæ sint iniquis superventuræ. Quod enim ad litteram de illa terrena Jerusalem dixit, *Luc.* XIX, 43, 44. Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et coangustabunt undique; et ad terram prosternent te, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ : totum hoc spiritualiter accipi debet de unoquoque reprobo et iniquo, quoniam invisibiles hostes, puta diaboli, qui jam quotidie per varias suggestiones et blandas persuasiones, ac aliis modis inducunt hominem ad peccata, tempore mortis instar apum circumdant eumdem et coangustant, tentando acerrime, ut vel ad desperationem, vel ad vanam securitatem, aut ad inadvertentiam pertinentium ad salutem ipsum inducant. Interdum namque diaboli abscondunt agonizanti sua peccata, ne vel in fine pœniteat, sed damnabili securitate perdat se ipsum. Interdum reducunt ei ad memoriam sua peccata, et vehementissime ea exaggerant, quam multa et magna sint manifestant, ut miserum ad desperationis pertrahant vitium. Interdum vero sic occupant agonizantem circa exteriora disponenda, aut circa incommoda propria, vel circa impertinentia, quod negligit semetipsum, et ea quæ salutem concernunt non intuetur. Sicque peccator ad terram prosternitur, quia in infernum demergitur, et in suis terrenis affectibus *Job* XXI, 30, 20. moritur. Unde in libro Job habetur : In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur; et de furore Omnipotentis bibet. Insuper animam peccatricem circumdant et coangustant invisibiles hostes coram Judice summo, in hora

A judicii ejus tam particularis quam universalis, eam gravissime accusando.

Ea quoque quæ de terrena Jerusalem Christus prædixit, Ecclesia militans in partibus suis frequenter perpessa est ab adversariis fidei christianæ, Sarracenis ac aliis : a quibus in multis regionibus longe ac late destructa est, quoniam tempus suæ visitationis, id est beneficia Christi, non cognovit, non attendit, non mente grata ac obediente consideravit. Tempus enim evangelicæ legis, tempus gratiæ ap-B pellatur : ideo gravior culpa est modo, Christi visitationem, incarnationem, passionem, sacramentalem præsentiam, et cetera beneficia atque mysteria ejus, non debita gratitudine intueri.

Tertio Christus, per hoc quod vendentes, ementes et nummularios seu campsores de templo ejecit, docet nos multa. Primo, quod zelum ferventem habere debemus pro Dei honore, optando ut ipse ab omnibus debite veneretur, atque de ejus inhonoratione tristando, imo et ejus inho-C norationi resistendo pro posse, et eam vindicando quantum spectat ad nos, quia ut ait Chrysostomus, Quamvis sit pium propriam dissimulare injuriam, impium tamen est dissimulare injuriam Dei. Talis autem ultio justa et caritativa pertinet ad prælatos ac præsidentes. Secundo in hoc facto Christus edocuit, quod sæcularia negotia non sunt in ecclesia pertractanda, nec placita, nec verba ibi habenda sunt ad Dei obsequium non pertinentia. Tertio per hoc docuit, quod ubique primo debe-D mus quærere regnum Dei et justitiam *Matth.* VI, 33. ejus. Studeamus ergo pro posse excludere ea quæ contrariantur divinæ majestatis venerationi ac proximorum saluti, ita ut in primis emendemus nos ipsos, et zelus noster discretus sit.

Quarto docet Salvator, quid in ecclesia materiali agendum sit, dicens : « Domus *Luc.* XIX, 46. mea domus orationis vocabitur ». Facta est ergo ecclesia Deo dicata seu consecrata : Primo, ut in ea fideles Deum exorent, præsertim ut ibi sacerdotes et prælati pro toto populo eis commisso præcipue et pro aliis solenniter orent, totusque populus simul et concorditer Dominum deprecetur, quoniam communitatis oratio exaudibilior creditur. Secundo, ut in ea Deus certis horis laudetur, puta in horis canonicis, juxta *Ps.* cxviii, 164. illud : Septies in die laudem dixi tibi. Tertio, ut ibi Missarum solennia fiant, et Sacrificium altaris ad Dei gloriam pro populo offeratur, populus quoque oblationes suas tam spirituales quam corporales offerat ibi. Quarto, ut aliqua alia sacramenta ibi cum ampliori devotione ac reverentia celebrentur et ministrentur, quanquam alibi id fieri possit dum rationabilis causa occurrit. Quinto, ut verbum Dei ibidem solenniter populo prædicetur. Unde in evangelio isto habetur, quod Christus erat quotidie docens in templo. Ex his constat, quam reprehensibiliter ac damnabiliter agant, qui in ecclesia indevote et irreverenter se habent, qui oculis ibi sunt vagi et mente incustoditi : præsertim qui fabulationibus et verbis scurrilibus ibi ora sua relaxant aut aures præbent, et qui libidinose adspiciunt vitioseque appetunt, aut suo ornatu aliquem provocant ad affectum immundum. Itaque cum omni mentis custodia, devotione et fervore intersint fideles divino obsequio, nec aliquid in ecclesia agant nisi ad quod ipsa est consecrata. In ecclesia quoque meditationibus sanctis vacandum est; signa tamen singularis devotionis vitanda sunt coram aliis.

Denique multis viris sanctis ostensæ sunt visiones, in quibus viderunt diabolum scribentem verba confabulantium in ecclesia. Imo de B. Severino archiepiscopo Coloniensi legitur, quod post mortem suam apparuit archidiacono suo, affirmans se esse in magnis purgatorii pœnis ob hoc quod tempore divini Officii permisit ministros suos sibi aliqua exteriora insinuare, et eis quandoque respondit. Si ergo sanctus vir ille propter hoc tanta sustinuit, qui tamen nequaquam verba in se otiosa aut vitiosa in ecclesia protulit, quanta erit eorum punitio qui verba vana, scurrilia, vitiosa proferunt ibi ?

Postremo, in homilia evangelii hujus refert Gregorius, quod erat quidam monachus sanctus nomine Martyrius, qui quodam die pergens ad monasterium quoddam, invenit in via jacentem quemdam leprosum, solo adspectu valde horrendum sive deformem, affirmantem se habere hospitium in itinere per quod iturus fuit Martyrius, sed præ lassitudine et ægritudine non posse procedere. Martyrius ergo ejus misertus, pallium suum super terram expandit, atque in eo illum leprosum accepit, et super suos humeros portavit. Quumque monasterio propinquaret, abbas monasterii exclamavit : Currite, fratres, januas aperite, quoniam frater Martyrius venit Dominum Jesum Christum portans. Veniente autem Martyrio circa cœnobium, is qui videbatur leprosus, Jesus Christus Dominus noster, de collo ejus exsiliens, et in forma qua solet agnosci apparens, dixit Martyrio : Martyri, tu me non erubuisti super terram, et ego te non erubescam in cœlo. Quo dicto, vidente Martyrio, Christus ascendit in cœlum. Quumque Martyrius cœnobium esset ingressus, abbas dixit ad eum : Frater Martyri, ubi est quem portabas ? Respondit Martyrius : Ego si scivissem quis fuisset, pedes illius tenuissem. Dixit quoque Martyrius, quod quando Dominum sic portavit, pondus ejus non sensit. Ecce quantum misericordiæ opera placent Deo.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE CARITATE, MISERICORDIA ET LIBERALITATE DEI AD HOMINES ; DE INSUFFICIENTIA QUOQUE DEFECTUOSITATEQUE HOMINUM.

O*MNIA operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* I Cor. XII, 11.

Meliores et subtiliores philosophi protestati sunt, quod absque indesinenti conservatione omnipotentis Creatoris, nulla possit creatura ad momentum subsistere; quod item sine virtute et influentia primæ causæ, nulla valeat causa secunda quidpiam operari, in tantum quod omnis secundarum effectus causarum, magis sit adscribendus causæ primæ, quæ Deus est, quam cuicumque causæ secundæ. Proportionabiliter dicunt sancti theologi, quod rationalis creatura nil queat meritorie agere, cogitare, appetere, loqui, efficere absque habitualibus donis Spiritus Sancti, quæ sunt gratia gratum faciens, caritas ac ceteræ virtutes infusæ, septemque dona, et absque actuali motione Spiritus Sancti, ita quod ad agendum meritorie indigemus utroque isto supernaturali juvamine. Propter quod loquitur Isaias Deo : *Is.* XXVI, 12. Omnia opera nostra operatus es in nobis. *II Cor.* III, 4, 5. Et Apostolus : Fiduciam (inquit) talem habemus ad Deum, quod non simus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; *Philipp.* II, 13. itemque, Deus est (ait) qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate, id est ex sua benevolentissima atque piissima voluntate, non originaliter propter merita nostra.

Ecce ex verbis istis, si tamen advertere volumus, copiosissime ac saluberrime in- A formamur : primo, ut salutari notitia agnoscamus nos ipsos, videlicet quam pauperrimi, defectuosissimi, indigentissimi sumus; secundo, ut ex hoc in infinitum humiliemus et parvi pendamus nos ipsos; tertio, ut inæstimabilem caritatem, misericordiam, munificentiam Dei ad nos et in nobis recognoscamus, miremur, diligamus ac veneremur; quarto, ut omne bonum Deo grata ac humili mente attribuamus, nec unquam inaniter gloriemur, etiamsi sciremus ex revelatione certissima nos esse B in gratia. Est namque a Spiritu Sancto omne bonum quod agimus, ejusque dono contingit ut mala vitemus. Ab ipso est gratia præveniens et subsequens, boni inceptio, continuatio, consummatio, tentationum victoria et omnis devotio vera. Ideo Augustinus oravit : Sanctum opus semper, o Spiritus Sancte, in me spira ut cogitem, move ut faciam, accende ut te diligam, confirma me ut te teneam, custodi me ne te perdam. Et Bernardus : Paracletus Spiritus Sanctus dat pignus salutis, robur C vitæ, scientiæ lumen. Dat pignus salutis, ut ipse Spiritus Sanctus testimonium reddat spiritui tuo quod filius Dei sis; *Rom.* VIII, 16. dat robur vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed etiam facile fiat; dat lumen scientiæ, ut quidquid boni in te noveris, ei attribuas a quo omne bonum est. *Jacob.* I, 17. In tribus istis Spiritus Sanctus docebit te omnia quæ pertinent ad salutem.

Quinto, ex prædictis instruimur semper

ad Deum confugere, in ipso solo tota mente confidere, semper humiliter loqui, nunquam præsumere, nunquam nos ipsos jactare, nec alios insipienter despicere, neque nos illis incaute præferre, Dei quoque auxilium jugiter implorare, dicentes : *Ps.* LXXVIII, 8, 9. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis; adjuva nos, Deus salutaris noster, etc. Ecce in his debet indesinenter esse occupatio nostra, Deum laudare, extollere, admirari, diligere, dona ejus pensare, et omnium fonti bonorum totis præcordiis regratiari, nos ipsos despicere, humiliare, accusare, corrigere, Deo inhærere, ad complacendum ei indefesse studere, ut sic tota conversatio nostra sit *Philipp.* III, 20. vere in cœlis, vere spiritualis, divina et fructuosa, atque per hoc ipso nomine monachi simus condigni : quia ut Climacus loquitur, Monachus est qui ea quæ Dei sunt cogitat, loquitur, operatur, Christo unitus omni loco et tempore. Qui iterum sermocinatur : Monachus est incessabile lumen in oculo cordis; monachus est abyssus humilitatis, omnem spiritum extraneum et superbum ex toto præcipitans et suffocans; monachus proprie est non elatus oculus, humilis animæ intuitus, et immotus corporis sensus; monachus est qui impugnatores seu tentatores instar bestiarum advocat, et irritat quum fugiunt ab eo; monachus est incessabilis excessus et tristitia vitæ; monachus est qui ita afficitur et qualificatur virtutibus, sicut alius concupiscentiis et delectationibus vitiosis.

Ecce cui ista conveniunt, hic vere religiosus, hic perfecte est monachus. Et si nondum tales consistimus, tales fieri indesinenter conemur, proficere non cessantes : quia ut sancti Patres fatentur, verus religiosus debet esse neglector et contemptor carnalis quietis et repausationis seu otiositatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, honoris impatiens voluptatisque fugax, pauper in pecunia, dives in conscientia, erectus ad merita, superbus contra peccata. Verum, ut asserit Hugo de S. Victore, sunt quidam religiosi mente A vagi, oculis attoniti, moribus dissoluti, plana parietum inspicientes; aliud cantant, aliud cogitant; corpore sunt in choro, mente in foro; nunc intus, nunc foris discurrunt; psalmodiæ verba proferunt, sed sensum non advertunt. Sunt et alii voce inanes, qui vocis modulatione gloriantur, et alios aspernantur; qui elatione tumentes, aliud cantant quam libri habeant. Et quanta est levitas vocis, tanta forsan et instabilitas mentis. Cantant forsan magis ut placeant populo, quam Deo. Ecce quanB ta est inter verum et vanum religiosum distantia.

Deinceps in præsenti epistola docet Apostolus, quam pulchre et gratiose Deus sapiens atque omnipotens militantem decoravit Ecclesiam diversitate donorum gratiæ gratis datæ, et officiorum ac operationum. Contemplemur itaque quam copiosa gratiarum charismata, quantam sapientiam, scientiam, eloquentiam, quantam miraculorum eminentiam, quantam contra adversarias potestates potentiam, quam adC mirandam perfectionem virtutum, sublimitatem contemplationum, quam supernaturalem totius sanctitatis munditiam, quam cœlestem et angelicam vitam contulerit Deus sublimis et benedictus sanctis patribus nostris beatis Apostolis et apostolicis viris, gloriosissimis anachoretis et eremitis, ac religionum fundatoribus præelectis : atque ex his immensam Dei bonitatem, sapientiam, omnipotentiam admiremur, laudemus ac honoremus, et quanta sit christianæ fidei certitudo pensemus; D sanctorumque Patrum comparatione nos ipsos profundissime humiliemus, et nihilo minus ad imitationem eorum efficaciorem accendamur ac animemur. Nempe et ipsi homines erant similes nobis mortales, nec *Is.* LIX, 1. abbreviata est Domini manus. Imo, quo nunc pauciora nobis præbentur a viventibus sanctitatis exempla, eo plus virtuosum meritoriumque consistit, si quis nunc sancte et irreprehensibiliter conversetur. Magnum enim est valde inter pusillos, infirmos, remissos, perfecte, sancte ac fervide vivere. Hinc Climacus cohortatur : Exquirere nosmetipsos et examinare et dijudicare per comparationem ad Patres et luminaria qui fuerunt ante nos non cessemus ; et tunc inveniemus nos ipsos diligentis et dignæ conversationis nondum calcasse vestigium, nondum incepisse exordium, sed adhuc in sæculari institutione ac consistentia esse.

Hoc quoque sciendum, quod gratia discretionis spirituum religiosis valde sit necessaria, ne a Satana se in angelum lucis transfigurante, aut etiam in Christi aut alicujus Sanctorum persona apparente, fallamur. II *Cor.* XI, 14. Unde rursus Climacus contestatur : Quando locum in suis operariis dæmon capit, tunc eis per somnia aut etiam in visione manifeste in figura cujuscumque angeli sancti vel martyris apparens, mysteriorum revelationem aut dona charismatum tradit, ut seducti miserabiles a sensibus excidant. Denique sanctus pater Antonius inter apparitionem angeli seu spiritus boni et mali ita distinxit, quod quamvis ex apparitione angeli boni, timor in principio incutiatur videnti, mox tamen spiritus seu angelus bonus videntem confortat, consolatur, tranquillat ; dæmone autem in specie angeli apparente, timor incussus perseverat, et mentis confusio ac perturbatio non protinus tollitur, sed augetur. Idcirco, secundum doctores, si quis dæmonem in persona Christi sibi apparentem, seque adorari jubentem, adoret, non excusatur a culpa, quia incaute agit. Non enim mox credendum est apparenti spiritui ; sed is cui apparet, se primo debet ad Deum convertere, et ipsum orare ut sibi inspirare dignetur quod verum est : et tunc benignissimus Deus hominem in tali periculo non relinquet. Cui honor et gloria æternalis.

SERMO QUINTUS

IN QUO COHORTANTUR POTISSIMUM RELIGIOSI NE INANITER IN PROSPERITATE VEL PROMOTIONE GLORIENTUR, ET MULTIPLICIS VISITATIONIS A DOMINO JESU SIBI EXHIBITÆ ADMONENTUR.

V*IDENS Jesus civitatem, flevit super eam.* Luc. XIX, 41.

Christus in die Palmarum civitati Jerusalem appropinquans, eamque videns, futuram ipsius calamitatem deplanxit. Quo facto multipliciter edocemur. Primo, ne in die bonorum immemores simus malorum, neque in die nostri extollamur honoris. *Eccli.* XI, 27, 4. Siquidem Dominus et Salvator, quum in die Palmarum, cum summo honore atque præconio processionaliter ab innumerabili populo duceretur ad urbem Jerusalem, nequaquam inaniter motus est, sed futura intuens mala, ad compassionem internam et lacrimas est inductus. Si ergo quandoque aliqua temporalis nobis arridet prosperitas, aliquis honor sive promotio, tunc magis ad interiora nostra redeamus, occulta ac metuenda Dei judicia formidemus, et vereamur ne forte in vita hac recipiamus bona transitoria pro mercede futura. Nec in talibus inaniter resolvamur, sed potius contristemur, præsertim quum monachorum sit nil terrenæ consolationis, nil caducæ prosperitatis, nil proprii commodi in præsenti requirere neque suscipere, imo subjectione et abjectione gaudere, subsannationes et persecutiones quasi poculum dulce potare, seque huic sæculo vere mortuos exhibere, ut impleatur in eis quod in Threnis loquitur de solitario Jeremias : Dabit per- *Thren.* III, 30.

cutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. A *Jacob.* I, 2. Omne igitur gaudium arbitremur quum diversæ tentationes ac tribulationes acciderint nobis; nec querulosi, impatientes, vindicativi rebellesque simus.

Secundo, ex prætacto Christi facto instruimur quam admiranda ac summa fuerat caritas ejus ad homines, compassio ad iniquos, patientia in adversis. Quum enim inspiceret civitatem vitiosis hominibus et crudelissimis suis hostibus plenam, a quibus et in qua vidit se paulo post tam ignominiose pœnaliterque tractandum, non ad B invidentiam, indignationem, impatientiam, iram aut maledictionem, sed ad intimam compassionem, lacrimosam ipsorum deplorationem est provocatus, ut et nos eum in istis imitemur virtutibus, juxta illud *Ephes.* v, 1. 2. Apostoli : Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Sed inter hæc oculum mentis ad considerandum nos ipsos reflectamus. Puto quod caritas, misericordia, patientia lacrimosa Salvatoris, non minus confundat nos quam erudiat. Quum C etenim Filius Dei tam ineffabilem caritatem, compassionem, benevolentiam, beneficentiam adversariis suis atrocissimis exhibuerit, tamque incomparabilem patientiam ac mansuetudinem circa ipsos *Luc.* xxiii, 34. ostenderit, pro quibus et crucifixus ab eis oravit, quid est quod nos pauperrimi et pusilli, quod nos nomine tenus religiosi, tam passionati imperfectique sumus, et pro parva injuria, pro levi verbo aut quovis signo sic perturbamur, irascimur, atque ad omnem devotionem, contemplationem, D tranquillitatem inepti efficimur, ut eum a quo nos judicamus læsos, offensos, contemptos, vix valeamus adspicere et affari, nisi forte facie torva allocutioneque dura? *Matth.* xviii, 3. Verumtamen, nisi conversi efficiamur ut parvuli, et imitemur vestigia Christi, non introibimus regnum Dei.

Ut ergo damnationem evadamus æternam, ut beatitudinem adipiscamur cœlestem, discamus etiam in magnis adversitatibus inviolabilem patientiam observare, gravissimis persecutoribus condolere, pro adversariis quantumlibet gravibus exorare, *Matth.* v, 44. et benefacere talibus. Quod facilius observare poterimus, si quantum et quoties nos ipsi Deum offendimus, et quantam quamque frequentem nihilo minus ab eo misericordiam consecuti sumus, et semper consequi cupiamus, rite intueamur. Dum itaque aliquem contra nos concitatum videmus, dum ab eo injuriamur, magis de suo doleamus peccato quam de nostro opprobrio, suæ interiori vulnerationi magis quam nostræ injuriationi compatiamur, et vere ex corde oremus pro eo.

Deinceps, quoniam per Jerusalem allegorice designatur Ecclesia militans, tropologice autem quævis anima credens, sicut Salvator civitatem illam Jerusalem et ejus temporalem vastitatem ac desolationem deplanxit, ita nos totius Ecclesiæ defleamus ruinam. Consideremus quanta sit deformatio ejus in omni statu, gradu et ordine, in prælatis, pastoribus, prædicatoribus, a summo usque ad infimum, in cœnobiis utriusque sexus atque collegiis, in omni clero ac populo. Et ex horum diligentissima consideratione, contristemur usque ad mortem; deducant oculi nostri lacrimas *Jer.* xiv, 17. per diem et noctem; humilietur in *Ps.* xliii, 25. pulvere anima nostra, conglutinetur in terra venter noster; et prostrati solo tenus, viscera misericordiæ Dei nostri pro generali reformatione in universis prænominatis affectuosissime et indesinentissime deprecemur. Eorum quoque quos specialius diligere obligamur, et pro quibus magis orare tenemur, erroribus et peccatis vehementius condoleamus; atque orando, celebrando et pro illorum vitiis nos ipsos disciplinando, lacrimosius ac copiosius succurrere non tardemus. Deploremus, et plorando ac deprecando juvemus eos qui mente obtenebrata nequaquam propria advertunt pericula, ideoque cur deplorentur ignorant. Quibus certissime tanto plus condolendum est, quanto amplius excæcati et indurati consistunt.

Præterea, cur Salvator ingratam ac perfidam urbem defleverit advertamus, ne et nos simus similiter deplorandi, et inter illos reprobos computandi. Ideo quippe eam deflevit, quoniam tempus suæ visitationis, videlicet adventus et præsentiæ Christi sibi promissi ac missi, non cognovit. Videamus igitur ne et nos tempus visitationis nostræ a Christo parvi pendamus, obliviscamur, et ingrati reddamur. Gratiosissime visitavit nos Christus, quando corda nostra illustravit, traxit, et de sæculari perditissima vita ad sanctæ religionis ingressum induxit. Huic visitationi invenitur ingratus, qui secundum exigen-
Ephes. IV, 1. tiam suæ vocationis non est sollicitus digne Deo conversari, qui a carnalibus et mundanis affectibus suam non satagit mentem purificare, qui exclusis distractionibus vanis, mente fervente ac stabili adhærere et vacare Deo altissimo non molitur. Quod totum in religiosis damnabile periculosissimumque consistit, quia quo major eis a Deo gratia exstat exhibita, eo ipsorum negligentia, ingratitudo, recidivatio, gravior comprobatur. Insuper visitat nos quotidie Filius Dei in Sacramento; venit ad nos, venit in nos, et reficit nos se A ipso. Numquid mediocris est gratia, caritas, dignatio, liberalitas ista? Quanta ergo est culpa nostra, si negligentes, loquaces, gulosi, passionati ac tepidi sumus? Iterum, visitat nos Christus assidue per internæ illuminationis infusionem, per consolationem piissimam, per excitationem et inflammationem nostri affectus.

Si ergo post omnia ista, ad pristinas levitates, dissolutiones, offendicula revertamur, nec Spiritus Sancti charismata custodire curemus, quid fiet de nobis quum
B Judex cœlestis cœperit et ipsas justitias judicare, quando justus vix salvabitur, quando de domo Dei exordietur judicium? *Ps.* LXXIV, 3. I *Petr.* IV, 18, 17.
Non blandiamur nec palpemus nos ipsos, quia periculum est immensum; sed vereamur ne, sicut ait Salvator, circumdent nos inimici nostri invisibiles et crudelissimi hostes, et coangustent nos undique, atque ad terram prosternant nos, suis nos tentationibus superando, involvendo periculis capiendoque laqueis, et tandem ad terram tenebrosam et opertam mortis C caligine pertrahendo: quia in religione non religiose vivere, summa est damnatio. Idcirco cum metu et reverentia serviamus Domino Deo nostro. *Luc.* XIX, 43, 44. *Job* X, 21. *Hebr.* XII, 28.

SERMO SEXTUS

DE CAUSA QUOTIDIANÆ RUINÆ ET DEFECTIONIS RELIGIOSORUM.

CIRCUMDABUNT te inimici tui vallo, et coangustabunt te undique. Luc. XIX, 43.

Cor. X, 11. Omnia, sicut ait Apostolus, contingebant Judæis in figura. Quemadmodum ergo Salvator perituram civitatem deplorans, causam excæcationis et carnalitatis ejus perhibuit esse terrenarum affluentiam rerum et temporalis carnalisque pacis prosperi-
Luc. XIX, 42. tatem, dicendo, Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondi-D ta sunt ab oculis tuis (id est, tempore isto vitæ tuæ, ea quæ ad carnalem pacem et transitoriam prosperitatem pertinent habes, idcirco mala tibi imminentia non perpendis); sic multis, heu! religiosis causa dissolutionis et negligentiæ, ac quotidianæ ruinæ seu defectionis, est temporalium abundantia rerum paxque carnalis. Dum enim temporalibus rebus abundant, se ipsos superflue ac laute reficiunt, nec necessariis sunt contenti, sed curiosa re-

quirunt. Laute autem et immoderanter A refectos magis delectat confabulari, jocari, ridere, ludere, quam orationibus meditationibusque vacare, compunctioni et discussioni propriæ conscientiæ insudare, seu lectioni, aut alteri exercitio virtuoso utilive labori insistere. Et ita mente infrigidantur, vanitatibus dissolvuntur, et noxiis cogitationibus immorantur, non formidantes quod per Michæam loquitur Spi- *Mich.* II, 1. ritus Sanctus : Væ qui cogitatis inutile; quod item in Apocalypsi effatur Christus *Apoc.* II, 4, 5. unicuique tali : Habeo adversus te, quia B caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age : alioqui venio tibi cito. Certe hoc verbum metuendum est vehementer omnibus negligentibus ac remissis, qui quanto diutius sunt in Ordine, tanto plus tepescunt magis quam inardescant, quum tamen quilibet nostrum tanto ferventior ac sollicitior fieri debeat, quanto horæ suæ mortis metuendissimique judicii amplius appropinquat. Unde de beatissimis patribus Antonio, Hilarione ac aliis pluribus legitur, C quod in venerando atque decrepito senio suo, quasi quotidie recentibus proficiendi desideriis accendebantur. Quorum vestigia sacra sectari debemus, imo et obligamur, quia quotidie ad perfectionem tendere, id *Ibid.* III, 16. est proficere, jam tenemur. Tepidi autem ex ore Altissimi evomuntur.

Præterea, sicut est pax vera ac spiritualis summe desiderabilis, quæ est tranquillitas mentis in Deo, et ordinata quietatio ejus, dum scilicet omnia in homine ordinata consistunt, ita quod corpus subje- D ctum est servitque animæ in omni pœnitentiali labore et opere bono, sensualitas etiam rationi, et ratio Deo; sic est pax carnalis et falsa maxime fugienda, quæ est perversa ac pessima quies, dum ratio vitiis et concupiscentiis non resistit, nec pars mentis superior sensualitati ac passionibus dominatur, imo consentit, et anima corpori est subjecta, eo quod carnalia commoda magis quam virtutum incrementa quærantur. De qua vituperandissima pace ait Salvator : Non veni pacem *Matth.* X, 34. mittere in terram; et Psalmista : Zelavi *Ps.* LXXII, 3. super iniquos, pacem peccatorum videns. Quam pacem habuit Adam cum Eva in *Gen.* II, III. paradiso, et ambo collapsi sunt. Denique huic paci opponitur bona turbatio, qua sensualitati, passionibus et peccatis resistitur, sive a propria ratione, sive a spirituali patre ac præsidente, qui subditorum suorum culpis ac negligentiis apponit medelam, eosdem arguendo, hortando, docendo et corrigendo, ita quod nec in se ipsis, nec inter se malam et carnalem habere pacem sinuntur.

Verumtamen quidam præsidentes sunt remissi et male formidolosi ac negligentes, qui commissi sibi gregis seu cujuslibet Fratris negligentias, carnalitates et vitia intuentes, aut certe intueri ac ponderare omittentes, correptionis et correctionis non apponunt remedium : sicque subditi ad pravam consuetudinem devolvuntur, carnali pace securi, et obscuratum *Rom.* I, 21. est insipiens cor eorum, in tantum quod suos quotidianos defectus, damna et pericula non perpendunt. Sed juxta Salomonis oraculum, Sicut capiuntur pisces hamo, et *Eccle.* IX, 12. aves laqueo, sic capiuntur et ipsi tempore malo, quum extemplo supervenerit eis. Et quamvis quotidie intus spiritualiter ab invisibilibus hostibus devastentur, devotionis gratia spolientur, et ad graviora trahantur peccata, maxime tamen in agone hæc accidunt eis, quoniam dæmones, qui blandis persuasionibus, variis tentationibus, callidissimis modis eos nunc ad peccandum et ad deficiendum alliciunt et inducunt, mortis hora instante instar apum et tanquam musca gravissima circumdant, angustiant, hoc est, acerrime ac multipliciter tentant eos qui interim eis consentiunt, et nunc ad desperationem, nunc ad vanam et periculosam securitatem morientem inducere moliuntur. Sæpissime namque diaboli agonizantibus sua abscondunt peccata, et bona quæ egerunt proponunt memoriæ, ne vel in fine vitæ pœniteant, sed magis præsumant, ac prava securitate perdant se ipsos ; quandoque vero peccata A ad commemorationem eis reducunt, vehementer exaggerant, quam multa et magna sint manifestant, ut miseros ad desperationis pertrahant barathrum ; interdum vero inutilibus phantasmatibus occupant mentem, ne pertinentia ad salutem intueantur. Insuper, animam de corpore jam egressam circumdant, perterrent, et coram tribunali summi consistorii horribiliter angustiare conantur, eam multipliciter, procaciter, atrociter accusando, deinde eam secundum sua demerita in purgatorio B (nisi evolaverit) aut inferno acerrime puniendo.

De hac re ait Eusebius : Quotidianus sit illius periculi metus, cujus nescitur incursus. Quam tarde miseram animam suorum pœnitebit malorum, quum se a suo corpore viderit separari, dum sibi in fine claudenti oculos nigrescere et horrescere nox cœperit, quum cœperit immanes et inanes super se dare planctus, ac dicere : Ubi sunt animositates et cupiditates tuæ, quibus hucusque impatienter arsisti? Ecce C *Sap.* v, 9. transierunt omnia illa ut umbra ; abierunt oblectamenta, et sola in perpetuum crimina, opprobria atque supplicia remanserunt. Hinc ait et Climacus : Non tibi securitatem promittas quousque fuerit sententia super te prolata. Et abbas Elias : Ego, inquit, tres res timeo : unam, quando de corpore emigrabo ; aliam, quando præsentabor tribunali divino ; tertiam, quando de me proferetur sententia. Sed et abbas Arsenius et abbas Agathon etiam in extremis valde formidasse leguntur. Si ergo Patres D illi sanctissimi, qui in tanta abstinentia et tanta perfectione, in tanto fervore Deo tam diutissime servierunt, sic timuerunt, quid nos miseros et remissos, carnales ac desides, necesse est facere, nisi ut redeamus ad cor, examinemus quotidie conscientias nostras, et nostram consideremus vocationem, deploremus peccata, recenti assidue inflammemur proficiendi affectu, omnem carnalem pacem abhorreamus, nec concordemus in vitiis, in practicis malis ?

Quantumcumque nobis de cibo et potu ministretur, sobrie tamen et timorate utamur eisdem. Et si pretiosa ac delicata sint alimenta ac pocula, nequaquam tamen libidinose, sed temperate ea accipiamus, nec voluptatem, sed necessariam ac salubrem refectionem intendamus, quæramus, acceptemus in eis ; delectationem vero naturalem quæ sentitur in eis, ad finem debitum referamus, et quantum in nobis est, tenuiori ac viliori edulio refici affectemus ac contenti simus. Postremo, tanto amplius nos ipsos in omnibus humiliemus, quanto a patrum nostrorum abstinentia, profectu et perfectione nos distare conspicimus. In cunctis nostris operibus *Eccli.* vii, 40. meditemur novissima nostra ; et tot crudelissimis, fortissimis, callidissimis hostibus circumvallati, nunquam inani resolvamur lætitia, nunquam securitate damnabili torpeamus, nunquam in inchoato salutis itinere fatigemur, sed cum timore et tremore, *Philipp.* ii, 12. cum omni diligentia ac sapientia nostram operemur salutem. Nec aliqua dejectione patiamur nos ab adversariis nostræ salutis vinci, dejici et in terram prosterni, id est ad vana et carnalia affici ; sed Deum semper in adjutorium invocantes, omni die magis ac magis confortemur ac prævaleamus adversus eos, quatenus in fine vitæ eos facillime in Dei auxilio superemus, neque post hanc vitam eorum irrisionibus atque punitionibus pateamus, sed a Judice summo favorabiliter suscipiamur ac protinus coronemur. Ad laudem et gloriam ejus, etc.

DOMINICA XI POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

NOTUM VOBIS FACIO EVANGELIUM QUOD PRÆDICAVI, ETC. I Cor. XV, 1-10.

APOSTOLUS in præsenti epistola, de A Christi resurrectione, de Evangelii proprietate, atque de sui ipsius modicitate pertractat. *Notum vobis facio,* id est, ad memoriam revoco, clariusque expono, *Evangelium quod prædicavi vobis,* id est evangelicam doctrinam, seu bonam de Christo nuntiationem, *quod et accepistis,* id est, firmiter credidistis, *in quo et statis,* id est, perseveratis stabiliter, et mentem ad Deum elevatam habetis, *per quod et salvamini,* id est, salutem acquiritis, credendo et evangelicæ legis præceptis B obediendo : quia per fidem et operationem virtuosam evadit homo damnationem perpetuam, atque æternam meretur nunc et post hanc vitam acquirit salutem. Et hoc constat esse verum, *qua ratione prædicaverim vobis, si retinetis.* Ordo verborum est : « si retinetis », id est, in memoria habetis, « qua ratione », id est quo fine, qua spe, quo argumento, « prædicaverim vobis » Evangelium Christi. Prædicavi enim illud vobis ad hunc finem et propter hanc spem, ut adipiscamini felicitatem æternam. Ar- C gumentum quoque quo probavit Apostolus veritatem evangelicæ prædicationis, non fuit ratiocinatio humana, sed miraculorum ostensio, qua Deus testimonium perhibuit I Cor. II, 4. veritati. Unde et alibi : Prædicatio (inquit) mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Act. XIX, 11, 12. signorum. De quibus in Actibus legitur : Virtutes non modicas fecit Deus per manus Pauli, ita ut super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria vel semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. Denique hæc retinetis, et per Evangelium salvamini, *nisi frustra,* id est si non inaniter, *credidistis* evangelicæ prædicationi.

Tradidi enim, id est prædicavi, *vobis in primis,* id est inter præcipua sub fide cadentia, *quod et accepi,* id est, Deo revelante cognovi. Et quid sit illud, subjungitur : *quoniam,* id est quod, *Christus mortuus est pro peccatis nostris,* hoc est, pro expiatione vitiorum generis humani est crucifixus : juxta illud Apocalypsis, Apoc. I, 5. Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; *secundum Scripturas* Prophetarum, qui hoc prænuntiaverunt, et Apostolorum ac Evangelistarum, qui hoc impletum esse scripserunt. Unde in Isaia scriptum est : Is. LIII, 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. In Threnis quoque loquitur Jeremias : Thren. IV, 20. Christus Dominus captus est in peccatis nostris. *Et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.* De sepultura equidem Christi Isaias prædixit : Is. XI, 10. Erit sepulcrum ejus gloriosum; itemque, Ibid. LIII, 9. Dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua. De resurrectione quoque Christi apud Osee prædictum est : Osee VI, 3. Vivificabit nos post duos dies, et in die tertia suscitabit nos. Sophonias quoque ait : Soph. III, 8. Exspecta me, dicit

Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum.

Et quia visus est Cephæ, id est, Petro *Joann.* I, 42. apparuit, cui Christus prædixit : Tu vocaberis Cephas. Et quamvis locus et hora hujus apparitionis non cognoscantur certive, creditur tamen facta quando Petrus *Ibid.* XX, 10. et Joannes a monumento redierunt separatim, in crepusculo diei resurrectionis dominicæ, quando Petrus abiit secum mirans. *Et post hæc* visus est *undecim,* id est, undecim Apostolis apparuit in conclavi, in octava resurrectionis suæ, Thoma B *Ibid.* 26. præsente, ut apud Joannem fertur. Apparuit quoque undecim Apostolis in Galilæa, *Matth.* XXVIII, 16 et seq. ut Matthæus habet. In die autem resurrectionis suæ Christus apparuit decem Apo- *Joann.* XX, 19. stolis, Thoma absente, ut scribit Joannes. Et recte nunc dicitur, Visus est « undecim », quoniam tempore hujus apparitionis nondum substitutus fuit Matthias pro traditore. *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul : ex quibus multi manent,* id est, corporaliter vivunt, *usque adhuc,* quia tempore quo Paulus hæc scripsit, vixerunt; C *quidam autem dormierunt,* id est, morte sopiti sunt, tandem resurrecturi. De hac visione nullus Evangelistarum quid scripsit. Aliqui tamen opinantur apparitionem hanc factam in Galilæa, ubi et quando apparuit undecim discipulis, ita quod tunc non solum apparuit undecim illis, sed et quingentis istis discipulis : quod incertum videtur. *Deinde visus est Jacobo* Minori, fratri Simonis et Judæ, qui vovit se non comesturum quousque Filius hominis a morte resurgeret : idcirco in D die Paschæ Christus ei seorsum apparuit. Sicque, quod dicitur nunc, « deinde », non denotat ordinem apparitionis determinate, quoniam apparitio ista fuit ante duas præfatas. Aliqui tamen dicunt, quod præter istam, Christus post prædictas apparitiones adhuc semel apparuit Jacobo huic seorsum. De apparitione autem Jacobo facta nullus Evangelistarum conscripsit. *Deinde* visus est *Apostolis omnibus* in die ascensionis. Tunc enim Christus bis appa- A ruit : primo, undecim Apostolis recumbentibus, ut dicit Marcus; *Marc.* XVI, 14-19. deinde, eisdem et aliis multis in monte Oliveti, quando ascendit, ut dicitur in Actibus. *Act.* I, 4 et seq. Et inter illos creditur fuisse Matthias, qui inter Ascensionem et Pentecosten in apostolum est promotus.

Novissime autem omnium prædictorum, puta post ascensionem atque Paracleti missionem, *tanquam abortivo, visus est et mihi.* Hoc fuit quando Paulus transivit *Ibid.* IX, 2-7. Damascum ad persequendum Christianos : B tunc enim Christus in via sibi apparuit, ut in Actibus describitur. Porro abortivum vocatur fetus extra congruum tempus nascens, aut cum violentia exiens, sive ad debitam non perveniens quantitatem. Sicque propter tria comparat se Apostolus abortivo. Primo, quoniam ante missionem Spiritus Sancti alii Apostoli spiritualiter sunt renati seu baptizati a Christo, ipse postmodum ab Anania, ut in Actibus habetur. *Ibid.* 17. Secundo, quia cum quadam coactione conversus est, scilicet per terrores et C minas, Christo ad eum dicente : Quid me persequeris ? *Ibid.* 4, 5. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Tertio, quoniam aliis Apostolis minor fuit, respectu vitæ suæ præteritæ, in qua blasphemus fuit, contumeliosus *I Tim.* I, 13. et persecutor Ecclesiæ, sicut ad Timotheum scribens testatur ac deflet. Ideo subdit : *Ego enim sum minimus Apostolorum :* non simpliciter, sed quantum ad aliqua, quia ultimo ad apostolatum vocatus. Juxta quem modum Jacobus Alphæi (de quo prædictum est) vocatus est Jaco- *Marc.* XV, 40. D bus Minor, respectu Jacobi filii Zebedæi, non sanctitate aut dignitate, sed quia vocatione posterior. Paulus tamen vocat se ideo minimum Apostolorum, quia persecutus fuit Ecclesiam Dei. Idcirco subjungit : *Qui non sum dignus vocari apostolus,* habendo respectum ad demerita præcedentia, *quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Nam viros et mulieres in *Act.* VIII, 3; IX, 2. Christum credentes cepit, ligavit, incarceravit, atque occidi procuravit, sicut in Actibus Apostolorum multoties tangitur :

quod nullus aliorum fecit Apostolorum. A *Gratia autem Dei sum id quod sum,* id est, non meis meritis, sed per misericordiam Dei (quæ vocatur interdum gratia increata seu gratia gratians, sicut Deus dicitur natura naturans), et item per gratiam Dei creatam infusam, tam gratum facientem, quam gratis datam, sum jam Christi minister, vir sanctus, a divina caritate inseparabilis, atque apostolus, non utique minimus, sed sapientia, fervore, labore magnificus. *Et gratia ejus in me vacua,* id est infructuosa, *non fuit,* sed fecundissima valde : quia plus omnibus I *Cor.* xv, 10. divisim acceptis laboravit Apostolis ; plura etiam scripsit quam aliquis aliorum, et plura terrarum spatia percurrit ad prædicandum ; plura quoque et graviora pro fide perpessus est, ac propriis manibus *Ibid.* iv, 12. victum sibi quæsivit.

SERMO PRIMUS

DE FIDEI CHRISTIANÆ FIRMITATE, QUÆ NON RATIONI HUMANÆ, SED SUPERNATURALI OPERATIONI INNITITUR ; DEQUE MAHOMETICI ERRORIS VANITATE.

S*INE fide impossibile est placere Deo.* B Hebr. XI, 6.

I *Cor.* xv, 1 et seq. Sanctus Apostolus in hodierna epistola innuit, fidem christianam non inniti rationi humanæ, sed supernaturali operationi divinæ, quæ a Deo tanquam sigillum applicatur legis evangelicæ documentis, in testificationem quod a Deo sint documenta hæc ipsa. Quemadmodum enim fides est de supernaturalibus veritatibus, quæ humana nequeunt ratione probari ; ita per supernaturalia argumenta, utpote Prophetarum oracula ac divinæ potestatis mira- C cula, est probata. Ideo assentire iis quæ sunt fidei, non est levitatis, quamvis sint incomprehensibilia, quum sint divinitus copiosissime approbata. Hinc teste Apo- *Hebr.* xi, 6. stolo, « Sine fide impossibile est » viatorem, hoc est hominem in hac vita, quæ via est ad futuram vitam, « Deo placere ».

Denique de hac re S. Thomas in Summa contra gentiles, libri primi capitulo sexto, valde notabiliter scribit, dicendo : Veritati supernaturali, cui humana ratio non præbet experimentum, fidem adhibentes non D leviter credunt. Hæc enim sapientiæ divinæ secreta (puta credenda), æterna et increata Sapientia omnia plenissime sciens, dignata est hominibus revelare : quæ etiam sui præsentiam, et suæ doctrinæ ac inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea quæ naturalem rationem excedunt, opera visibiliter demonstravit et fecit quæ totius naturæ superant facultatem, utpote in mirabili curatione languorum, in suscitatione mortuorum, in cœlestium corporum immutatione, et, quod mirabilius est, in humanarum mentium inspiratione, ita ut idiotæ et simplices dono Spiritus Sancti repleti, summam sapientiam atque facundiam in instanti consequerentur. Quibus inspectis, non armorum violentia, non carnalium voluptatum promissione, et, quod mirabilissimum est, inter persecutorum tyrannidem, innumerabilis turba hominum non solum simplicium, sed et sapientissimorum virorum, ad christianam fidem convolavit, in qua omnem humanum intellectum excedentia prædicantur, voluptates carnis cohibentur, et omnia quæ in mundo sunt contemni docentur. Quibus animas mortalium consentire, maximum miraculorum est, et manifestum divinæ inspirationis opus atque indicium, ut contemptis visibilibus sola invisibilia cupiantur. Præterea, hoc non subito neque casu A factum esse, sed ex divina dispositione, hinc innotescit quod Deus hoc se esse facturum multis Prophetarum prædixit oraculis, quorum libri apud nos in veneratione habentur. Hæc autem tam admiranda mundi ad christianam fidem conversio, certissimum exstat indicium præteritorum signorum, ita ut ea iterari necesse non sit, quum in suo effectu reluceant evidenter. Esset enim omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam incomprehensibilia, ad operandum tam difficilia, ad sperandum B tam alta, mundus absque mirabilibus signis fuisset inductus a simplicibus ignobilibusque hominibus, quamvis non cesset Deus, etiam temporibus nostris, ad fidei confirmationem, per Sanctos suos miracula operari.

Porro, ii qui sectas errorum introduxerunt, via incesserunt contraria, ut patet in Mahometo, qui carnalium voluptatum promissis, ad quarum desideria carnalis movet concupiscentia, populos sibi attraxit; præcepta etiam tradidit promissis suis C conformia, carnali relaxans voluptati habenas, in quibus in promptu est a carnalibus hominibus obediri. Insuper documenta veritatis non attulit, nisi quæ a quolibet mediocriter sapiente naturali ingenio possunt cognosci : quin potius vera quæ docuit, fabulis falsissimisque doctrinis immiscuit. Signa quoque non adhibuit supernaturaliter facta, quibus solis divinæ inspirationi et supernaturali veritati sufficiens testimonium adhibetur, dum operatio visibilis quæ non potest esse nisi di- D vina, ostendit veritatis doctorem divinitus inspiratum; sed dixit se in armorum potentia esse missum : quod genus signorum nec latronibus neque tyrannis deest. Ei quoque non aliqui sapientes in rebus divinis atque humanis exercitati, a principio crediderunt, sed homines bestiales in desertis morantes, totius divinæ doctrinæ prorsus ignari, per quorum multitudinem, armorum violentia, alios ad suam legem acceptandam coegit. Præterea, nulla præcedentium Prophetarum oracula seu vaticinia ei testimonium perhibent : quin potius quasi omnia veteris novique Testamenti documenta et scripta, fabulosa narratione depravat, ut patet legem ipsius inspicienti. Unde astute libros veteris ac novi Testamenti suis sequacibus non reliquit legendos, ne per eos falsitatis argueretur, suaque falsitas deprehenderetur. Ideo qui ejus dictis fidem adhibent, leviter credunt. — Hæc Thomas loco præallegato. Et ista sint dicta pro eo quod ait in epistola hodierna Apostolus : Qua ratione prædicaverim vobis, si retinetis. I *Cor.* xv, 2.

Amplius, juxta doctrinam Apostoli, per evangelicam doctrinam stamus, quoniam hæc doctrina docet ac jubet nos carnalia et terrena despicere, atque ad supernorum et æternorum amorem mentem erigere, dicente Apostolo : Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. *Coloss.* iii, 1, 2. Unde et Christus : Nolite (inquit) thesaurizare super terram; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo : ubi enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. *Matth.* vi, 19-21.

Insuper ex epistola ista docemur nos ipsos in omnibus profundissime humiliare, eo quod talis ac tantus Apostolus, scilicet Paulus, qui omnibus plus laboravit, I *Cor.* xv, 10. et usque ad tertium cœlum fuerat raptus, II *Cor.* xii, 2. atque tam copiosissimum in Ecclesia fecit fructum, vocat se minimum Apostolorum I *Cor.* xv, 9. et indignum vocari apostolum. Tanti ergo exemplo Apostoli, inspiciamus peccata nostra præterita, et defectuositates vilitatesque nostras, ac culpas quotidianas, ex quorum consideratione humiliemus ac vilipendamus nos jugiter ac profunde, bona vero, si qua forsitan habemus, Deo grata ac humili mente attribuamus, cum Apostolo profitentes : Gratia Dei sum id quod sum. *Ibid.* 10.

Sed contra præinducta objici potest : Si enim Paulus fuit indignus vocari apostolus, ergo male egit vocando se apostolum *Rom.* i, 1; I *Cor.* i, 1; *Galat.* i, 1; etc. in multis epistolarum suarum locis. Insuper Apostoli pares fuerunt in ecclesiastica potestate, Petro excepto, qui fuit eorum prælatus et princeps : ergo Paulus non A exstitit minimus inter eos. Imo Leo Papa affirmat, quod de Petro et Paulo nihil debemus sentire diversum. Glossa etiam ait, quod Paulus restitit Petro in faciem ut par. (Galat. ii, 11.) Postremo, Paulus secundum veritatem dignus et valde dignus fuit vocari apostolus, secundum quod alibi loquitur : Nihil minus feci ab iis qui sunt supra modum Apostoli. (II Cor. xii, 11.) Ergo non dixit veraciter : Non sum dignus vocari apostolus. Et respondendum, quod ad verificationem orationum ex humilitate prolatarum, sufficit B quod secundum aliquam piam considerationem possint salvari. Sicque Paulus vocat se minimum Apostolorum et indignum vocari apostolum, per respectum ad præcedentia sua demerita, et quia vocatione fuit posterior; sed quantum ad merita sua ex Dei gratia sibi concessa, fuit dignus valde dici apostolus : et quantum ad ea, non debemus Petrum ipsi præferre.

Legitur quod S. Bernardus habuit quemdam monachum qui gravem habuit tentationem circa veritatem Sacramenti altaris, C in tantum quod tandem non credidit in sacramento Eucharistiæ Christum veraciter esse. Unde quando conventus monachorum solenniter communicavit, occulte subtraxit se, nec communicavit cum aliis. Quod quum diu fecisset, aliqui monachorum consideraverunt hoc ipsum, interrogaveruntque Fratrem illum cur ita egisset. Qui videns se non posse latere, veritatem aperuit eis, dicens se non credere quod Christus esset in Sacramento : quod monachi statim retulerunt S. Bernardo. Qui Fratrem illum vocavit ad se, atque de fidei veritate diligenter eum instruxit; sed ille non acquievit, imo asseruit se nunquam credere posse quod in Sacramento esset Christus veraciter, ideoque certum se esse quod æternaliter esset damnandus. Quo audito, beatissimus atque piissimus pater Bernardus dixit : Quid ? damnabitur monachus meus ? Absit hoc in æternum. Itaque S. Bernardus oravit pro monacho illo; et tempore alio, quando Fratres communicaverunt, præcepit monacho illi, dicens : Jubeo te in virtute obedientiæ ut in mea fide vadas cum aliis, et Sacramentum accipias. Frater igitur ille repugnare non audens, obedivit. Et statim Sacramento accepto, ab omni tentatione diaboli ac perfidia sensit se liberatum, egitque gratias magnas Deo altissimo et sancto abbati suo B. Bernardo; atque de cetero devotus fuit integerque in fide.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DIXIT JESUS AD QUOSDAM QUI IN SE CONFIDEBANT TANQUAM JUSTI. Luc. xviii, 9-14.

QUONIAM omnium vitiorum caput, re- D gina et mater est superbia, omnium vero virtutum fundamentum, nutrix et decor, humilitas; idcirco Christus in evangelio isto, ad detestationem superbiæ atque ad humilitatis amorem et amplexum informat nos, proponens exemplum valde notabile. Itaque ait Evangelista : *Dixit Jesus ad quosdam qui in se,* id est in propriis meritis ac viribus magis quam in pietate et gratia Dei, *confidebant tanquam justi,* id est, quasi vere justi fuissent, quum fuerunt præsumptuosi, vani spiritualiterque superbi. Tales etenim aliqui fuerunt in turba cui Christus prædicavit. Quorum corda intuens ipse, propter eorum correctionem dixit sequentia, quamvis eos non expresserit nominatim. *Et aspernabantur ceteros* tanquam injustos ac viles, quum tamen ipsi sola sua superbia essent aliis viliores : quoniam sola superbia destruit omnia, si comitetur. Aspernatio quoque eorum ostendit quod vere justi non erant, quia ut ait Gregorius, Vera justitia habet compassionem, falsa dedignationem. Tales sunt qui vana singularitate lætantur, et quamvis opera faciunt bona ex genere, non tamen in vero spiritualis seu virtuosæ vitæ fundamento, utpote humilitate, se figunt, sed ceteris meliores cupiunt reputari. De quibus in sua *Judæ* 19. Canonica fatetur Judas apostolus : Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. *Parabolam,* id est similitudinem, *istam.* Et crebro contingit aliquid tale.

Duo homines ascendebant in templum : quod fuit in Jerusalem, et situm fuit in alto loco, puta in monte Sion, ideo duo isti intrando templum ascendisse dicuntur; *ut orarent. Unus Pharisæus.* Pharisæi erant religiosi Judæorum, sicut nunc monachi Christianorum; erantque Pharisæi in habitu et observantiis multis ab aliis Judæis distincti, sed tempore Christi fuerunt communiter ambitiosi, cupidi atque hypocritæ : nam secta eorum fuerat deformata. *Et alter publicanus.* Publicani vocabantur apud Judæos, qui vectigalia seu tributa aut telonea exigebant aut conducebant, aut lucrosis quibusdam intenti erant negotiis. Et quoniam talia raro fiunt absque peccato, publicani reputabantur publici peccatores.

Pharisæus stans ut videretur ab aliis orans, quum magis debuisset se in terram prosternere aut genua flectere, ad reverentiam majestatis divinæ, *hæc apud se orabat,* simulatorie magis quam vere : quoniam oratio est elevatio mentis ad Deum devota cum impetrandi affectu. *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri.* Mirum videtur cur iste Pharisæus dicatur fuisse superbus, qui opera sua bona Deo adscripsit. Sed multiplici infectus fuit superbia : primo, quoniam etsi omne bonum noverat esse a Deo, bona tamen sua sibi a Deo collata putavit, non solum ex divina A misericordia, sed etiam pro industria atque justitia sua; secundo, quia etsi verbis gratias egit, mente tamen intumuit, ab hominibus videri cupiens et laudari, imo et de sua gratiarum actione inaniter gloriabatur; tertio, quia de bonis suis super alios insipienter se extulit; quarto, quoniam alios temerarie judicavit ac sprevit, specialiter publicanum, cujus interiora non vidit. Præterea, quum in Proverbiis dicatur, Justus in principio accusator est sui, *Prov.* XVIII, 17. Pharisæus iste inordinate exorsus est a B propria laude. Rectus ergo orandi ordo est, primo se ipsum accusare, deinde Deum suppliciter invocare, atque in fine gratias agere Deo : sicut sacerdos celebraturus præmittit Confiteor, postea orat, et tandem in gratiarum actione consummat.

Velut etiam hic publicanus. Despective hoc ait et temerarie judicat. Quis enim *I Cor.* II, 11. scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis ? Ideo dicit Apostolus : Tu quis *Rom.* XIV, 4. es, qui judicas alienum servum ? Suo domino stat aut cadit. Unde absolute et cer- C titudinaliter aliquem esse in peccato mortali judicare non possumus, nisi videamus aut certe noscamus eum esse in actu peccati mortalis, aut debiti actus omissione. Non ergo facile alios judicemus nec contemnamus, quum omni possint momento tangi a Deo et pœnitere. Denique, etsi agnosceremus quales nunc sint, tamen quales futuri sint aut in Dei providentia exstent, penitus ignoramus. Itaque, sicut de aliis sperare debemus quod prædestinati exsistant, ita de se ipso quilibet metuere D debet ne forte præscitus sit atque finaliter condemnandus.

Jejuno bis in sabbato, id est in hebdomada, quam Judæi sabbatum appellabant a principaliori die hebdomadæ, cujus sabbatum nomen fuit. Tale est jejunium jejunantium ventre a cibis, non mente a vitiis. Contra quos loquitur Deus per Isaiam : Numquid tale est jejunium quod elegi ? *Is.* LVIII, 5. *Decimas do omnium quæ possideo.* Quod magnum non fuit, quoniam omnia quæ habemus, a Deo accepimus.

Et publicanus a longe stans, videlicet in posteriori et extrema parte templi, reputans se indignum sacratioribus templi locis, videlicet choro et altari, appropinquare. Per quod multorum etiam nunc sacerdotum et clericorum impudentissima reprobatur præsumptio, qui quum vitiis animæ corporisque repleti sint, sacra tamen ingredi loca, pollutisque labiis psallere, aut etiam celebrare præsumunt. *Nolebat nec oculos* corporales *ad cœlum levare,* præ pudore magnitudinis ac turpitudinis vitiorum suorum erubescens coram divinæ sanctitatis præsentia apparere, et Deum suum in cœlis habitantem vix audens adspicere. *Sed percutiebat pectus suum,* ex contritionis dolore, et reprehendens cor suum, quod tantorum fuit vitiorum origo et causa. Pectoris namque percussio, est interioris pravitatis reprehensio, aut etiam compunctionis ostensio. *Dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.* Oratio brevis verbo, sed magna virtute, modica quantitate, sed plena sententia: quam ipsemet Christus composuit. Hæc namque parabola est, ita quod Christus asserit publicanum sic orasse, ut doceat nos ita orare. Frequenter ergo hæc verba corde humillimo ac ferventi dicamus.

Deinde ad nostram informationem ponitur Judicis summi sententia. *Amen,* id est vere, *dico vobis : Descendit,* id est, a templo recessit, *hic* publicanus *justificatus,* id est de injusto justus a Deo effectus, seu a peccatis purgatus virtutibusque ornatus, *in domum suam ab illo,* id est præ Pharisæo, qui sicut peccator advenit, sic peccator reversus est, imo pejor rediit quam venit, quia in templo intumuit. *Quia omnis qui se exaltat* per superbiam, id est, magnum vane se reputat, et propriam excellentiam quærit, *humiliabitur,* id est, a Deo judice deprimetur, reprobabitur, atque in terram projicietur, nisi interim vere pœniteat seque humiliet. *Et qui se humiliat,* propria peccata, defectuositates, fragilitates vilitatesque suas recognoscendo, et Deo se ipsum cordialiter subjiciendo, *exaltabitur,* quia a Deo laudabitur, atque ab eo suscipiet dona gratiæ ac virtutum in vita præsenti, donaque gloriæ in futuro, et in regno cœlesti inter angelos constituetur, juxta illud Job : Qui humilia- *Job* xxii, 29.
tus fuerit, erit in gloria. Unde in Proverbiis habetur : Humilem spiritu suscipiet gloria; *Prov.* xxix, 23.
superbum vero sequetur humilitas. Idcirco princeps Apostolorum : Humiliamini (in- I *Petr.* v, 6.
quit) sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Deus quippe super- *Ibid.* 5.
bis resistit, humilibus autem dat gratiam.

SERMO SECUNDUS

CONTRA SUPERBIAM ET FILIAS EJUS.

O*DIBILIS coram Deo et hominibus est superbia.* Eccli. x, 7.

Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, seu sui ipsius reputatio nimis magna. Hoc vitium omni Christiano est potissimum fugiendum. Primo, quoniam documentis et operibus seu exemplis Domini nostri Jesu Christi maxime contrariatur. Nam Christus humilitatem potissimum docuit, dicendo : Beati pau- *Matth.* v, 3.
peres spiritu, id est humiles, secundum unam expositionem, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; et iterum, Discite a me, *Ibid.* xi, 29.
quia mitis sum et humilis corde; itemque, Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut *Ibid.* xviii, 3.
parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Et item : Omnis qui se exaltat, hu- *Luc.* xiv, 11; xviii, 14.
miliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

In quibus verbis, sicut humilitatem docuit A ac præcepit, sic superbiam penitus vituperavit atque prohibuit.

Denique Christus in sua conceptione, nativitate, infantia, conversatione et passione humilitatem præsertim monstravit et adimplevit. Et primo hoc patet de ejus *Luc.* I, 26 et seq. conceptione seu incarnatione ex Virgine. Hoc enim fuit summæ et ineffabilis atque incomparabilis humilitatis, quod quum *Philipp.* II, 6. Deo Patri esset vere æqualis, tamen humanam naturam assumere et suæ deitati immediata ac suppositali unione unire B dignatus est. Propter quod ait Apostolus : *Ibid.* 7. Exinanivit se ipsum, formam servi accipiens. Fuit quoque humiliatio magna, quod pauperem virginem elegit et assumpsit in matrem. Secundo patet hoc in Christi nativitate, *Luc.* II, 6, 7. quoniam in parvulo oppido, in vili stabulo, in noctis medio nasci elegit, et protinus in præsepio reclinari, ceterisque infantibus in corporis passibilitate, teneritudine ac indigentia assimilari : nam et ploravit ac vagiit. Tertio patet hoc in ejus infantia, in qua instar aliorum puerorum C *Ibid.* 21, 22. a Matre lactatus est, et circumcidi atque *Matth.* II, 14. in templo præsentari, et in Ægyptum fugere est dignatus. Quarto patet idem in tota ipsius conversatione in sæculo isto. Nam cum Matre Virgine et S. Joseph secrete et diu in summa vixit humilitate, nec ante congruum tempus ingessit se ipsum ad prædicandum, ad operandum miracula, ad congregandum discipulos. Deinde *Ibid.* III, 13. dignatus est a Præcursore proprio baptizari, *Ibid.* IV, 1 et seq. a diabolo quoque tentari. Deinceps elegit pauperes simplicesque in Apostolos D atque discipulos, inter quos humillime vixit, *Luc.* XXII, 27. quemadmodum protestatur : Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat; *Matth.* XX, 28. et denuo, Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Insuper, quam humiliter et dignanter, quam caritative et pie se habuerit ad peccatores, ex Evangelio *Ibid.* IX, 11. declaratur, quia cum illis comedere dignabatur.

Joann. XIII, 1 et seq. Quinto hoc patet in ejus passione. Nam in Cœna novissima verbis et exemplo humilitatem edocuit ac præcepit, ante discipulorum genua se curvando, pedes illorum lavando et tergendo, eis quoque dicendo : Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis. *Joann.* XIII, 15. Quibus etiam iterum tunc dicebat : Qui major est in vobis, fiat sicut junior; *Luc.* XXII, 26. et qui præcessor est, sicut ministrator. Idque admirandissimæ fuit humilitatis, quod et sceleratissimi traditoris sui lavit tersitque pedes, et ante illum se inclinavit, a quo se noverat mox tradendum. At vero quam humillime et superhumillime se habuit in sua passione, nullus valet exprimere : quod ab inquinatissimis illis transgressoribus, quos uno verbo dejecit in terram, *Joann.* XVIII, 6. permisit se tam violenter capi, tam dure ligari, tam atrociter duci, et postea velari, alapis cædi, conspui, irrideri et blasphemari; quod instar latronis permisit se vinctum præsentari Pilato, quod tam humillime et silenter, tam mansuete et patienter stetit coram eo et etiam coram Herode; quod in præsentia tot millium hominum se nudari, et flagellari permisit; quod crucem bajulans exivit ad mortem, et inter latrones suspendi dignatus est.

Ecce in omnibus his unigenitus Filius Dei docuit nos humilitatem amare, amplecti, implere incessabiliterque servare, omnem vero superbiam detestari, odire, abjicere. Quicumque ergo superbus est, non Christi, sed diaboli est minister.

Secundo superbia cunctis est Christianis summe vitanda, quoniam maxime displicet Deo, quemadmodum sacra Scriptura copiosissime protestatur. Scriptum est enim : *Amos* VI, 8. Juravit Dominus in anima sua, Detestor ego superbiam, et odi. In Proverbiis quoque Dominus loquitur : *Prov.* VIII, 13. Arrogantiam, et superbiam, et os bilingue detestor. Hoc etiam patet ex effectu divinæ justitiæ, quæ peccatum superbiæ in cœlo tam horribiliter vindicavit, *Is.* XIV, 12-15. ita quod pro celerrimo motu superbiæ æternam intulit damnationem præstantissimis creaturis, Lucifero et adhæsoribus ejus.

Tertio superbia est tam maxime evitanda, quoniam maxime dedecet omnem creaturam intellectualem ac rationalem. Creatura quippe eo ipso quo creatura, est res dependens ac indigens, et de se non habens nisi deficere, imo nihil esse. Quæ si ad momentum sibi ipsi relinqueretur a Creatore, laberetur in nihilum : jugiter ergo subdi debet proprio Creatori et ad ipsum converti, eique grates rependere ac omne bonum adscribere. Potissimum quoque superbia non decet hominem, propter multiplicem ejus fragilitatem et corporis vilitatem, sordes et fœditates naturæ ac culpæ, innumerabiles quoque defectuositates et calamitates ipsius. Hinc clamat *Eccli.* x, 9. Scriptura : Quid superbit terra et cinis? *Job* xi, 12. Apud Job demum scribitur : Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat. Hinc loquitur Origenes : Cur, homo, arrogantia elevaris, obliviscens quid eris, quam fragili corpore contineris, quibus stercoribus sis immersus, et qualia semper purgamenta de tua projicis carne?

Quarto superbia est maxime abhorrenda, quoniam ipsa potissimum contumeliam et injuriam, rapinam et furtum facit Deo. *I Tim.* i, 17. Soli etenim Deo altissimo debetur honor et gloria, principatus et excellentia; et ista sibi usurpat superbus, quoniam in se cupit honorari ac reputari, præesse atque excellere, imo se ipsum Deo præponit. Deus equidem vult ut suæ voluntati obediatur; superbus vero non acquiescit in hoc, sed resistit vultque propriam fieri voluntatem. Quumque Deus non exigat suam fieri voluntatem nisi in licitis et honestis, superbus suam vult fieri, imo et facit voluntatem in inhonestis atque in illicitis, sicque directe opponit se Deo. *Job* xv, 12, 13. Propter quod scriptum est : Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus? Hinc denuo ait Scriptura : *Ibid.* 26. Cucurrit impius adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est. Idcirco dicit Hieronymus : Quid tam superbum, quid tam ingratum videri potest, quam A adversus illius vivere voluntatem a quo ipsum vivere accepisti, et illius præcepta despicere qui ideo præcipit ut causam habeat remunerandi?

Quinto superbia est maxime fugienda, quia tam multa ex ea oriuntur peccata. Unde in Ecclesiastico fertur : Initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, implebitur maledictis, id est vitiis, et subvertet eum in finem. *Eccli.* x, 15. Circa quod asserit Glossa : De superbia nascuntur hæreses, schismata, detractio, invidia, loquaci- B tas, contentio, jactantia. Ideo ait Bernardus : Initium omnis peccati et causa totius perditionis, est superbia. Quisquis ergo salvari desideras, contra superbiam habe in mente crucem Christi, ne in superbiam eleveris. Denique, quanto quisque superbior fuerit, tanto injuriam sibi illatam reputat graviorem : sicque in iram et impatientiam ruit, atque adversus eos qui suæ voluntati contrariantur, facile invidiam concipit, et talibus indignatur, detrahit, maledicit. Quanto etiam quis est superbior, C tanto majores communiter facere vult expensas, et pretiosius indui curiosiusque ornari : sicque ex superbia generatur avaritia, et filiæ ejus, puta : fraus, furtum, rapina, usura, simonia, mendacium, perjurium, imo interdum etiam homicidium. Et ita facile est pensare qualiter omnium vitiorum origo, regina et radix appelletur superbia. Idcirco Tobias ait : Superbiam nunquam in tuo sensu aut in verbo tuo dominari permittas; in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio. *Tob.* iv, 14. In Ecclesiastico D quoque præcipitur : Non te extollas in cogitatione tua velut taurus, sed humilia valde spiritum tuum, quia vindicta impii, ignis et vermis. *Eccli.* vi, 2; vii, 19.

Sexto superbia maxime est vitanda, quoniam maximum infert animæ damnum : primo, quoniam efficit eam diabolo similem; secundo, quia per eam privatur homo divino auxilio, sicque in omnem corruit pravitatem; tertio, quia præcipue efficit hominem divinæ illuminationis et gratiæ incapacem. Superbis etiam Deus resistit. *Jacob.* iv, 6.

Habac. II, 5. Unde Habacuc inducit : Quomodo vinum A potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur. Superbia etenim mentem ita obtenebrat et seducit, quod propriam vilitatem, fatuitatem, iniquitatem et ingratitudinem, imo et infinita sua pericula non advertit. De hac autem materia adhuc innumerabilia possent adduci, sed brevitati studendum est, atque ex paucis jam introductis plura elici queunt.

Postremo omnem summopere vitemus superbiam. Nec de donis naturalibus, scilicet pulchritudine, eloquentia, fortitudine, B neque de bonis fortunæ, videlicet nobilitate, opulentia, potentia, nec de habitibus acquisitis, utpote quibuscumque scientiis scholasticis, neque ex aliorum adulatione, laudatione aut honoratione nobis exhibitis extollamur; sed neque ex donis gratuitis, non ex virtutibus scientiisque infusis, neque ex bonis operibus nostris præteritis intumescat cor nostrum, ne cum Pharisæo isto reprobari mereamur ac condemnari. Nec alios aspernemur, nec temere quempiam judicemus, neque aliis præferamus C nos absolute, quum ignoremus quales cras erimus et an finaliter consequemur salutem, aut quales sint alii in prædestinatione divina. Sed quanto plura a Deo suscepimus bona, tanto eidem gratiores subjectioresque simus; et totam vitam nostram in tutissimo humilitatis fundamento stabiliamus, nec aliquid nos proficere arbitremur, nisi in vera profecerimus humilitate. Qui enim in se ipsis inaniter gloriantur et de meritis suis præsumunt, aut bona quæ operantur, suis viribus aut laboribus ma- D gis quam gratiæ Dei adscribunt, excæcati sunt mente, stolidi et inanes. De quibus fatetur Apostolus : Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. *Rom.* x, 3.

At vero quanta vitia in præsenti, et quanta supplicia in futuro incidat homo ex peccato superbiæ, evidenter patet in Absalone filio regis David, viro pulcherrimo, sed ambitiosissimo. Qui ex immoderantissima elatione conabatur proprium II *Reg.* xv-xviii. patrem regno expellere et vita privare, atque per varia blandimenta corda populi sibi attraxit, quia de mane stabat in porta civitatis Jerusalem, et introeuntes blande alloquebatur, amplectebatur et osculabatur, quatenus suo tempore caperent eum in regem. Deinde facta conjuratione valida contra David regem, misit nuntios in omnes terminos regni Israel, qui dixerunt : Regnavit Absalon in Hebron. Moxque populus undique concurrit ad eum, et unxit eum in regem super se. Deinde, ut manus populi confortarentur secum, vitiosissimum commisit incestum cum uxoribus patris sui. Tandem bellum aggressus contra exercitum patris sui, succubuit, et occisa sunt viginti millia de adhærentibus sibi. Quumque fugeret ipse insidens mulo, mansit cum crinibus suis adhærens quercui, pertranseunteque mulo pendebat ad ramum. Quo cognito, Joab princeps militiæ David accepit tres lanceas, et cordi Absalonis eas infixit : et ita in sceleribus suis periculosissime obiit.

Fugiamus itaque omnem ambitionem et elationem, quia certissime numerari peccata non valent quæ exinde procedunt, ut testatur Gregorius. Cupiamus ergo subesse potius quam præesse, obedire magis quam præsidere.

SERMO TERTIUS

DE QUATUOR SPECIEBUS SUPERBIÆ, ET DE HUMILITATE, ATQUE ALIQUOT EVANGELII HUJUS DOCUMENTIS.

O*MNIS qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. xviii, **14**.

Magister totius humilitatis Dominus noster Jesus Christus, superborum damnationem et humilium salvationem prædicit, ut superbiam detestemur et humilitatem in omnibus amplectamur. Denique, secundum B. Gregorium, quatuor sunt species superbiæ. Prima, dum aliquis bona quæ habet, putat se a se ipso habere. Sed quæri potest, quomodo aliquis possit esse in hac superbiæ specie. Jam etenim omnibus constat quod omne bonum a Deo est: nam *Ps.* xcix, 3. omnia clamant, Ipse fecit nos, et non ipsi *Job* xii, 9. nos. Unde in libro Job dicitur: Quis ignorat quod manus Domini fecit hæc omnia? Et respondendum, quod superbi dicuntur putare quod ea quæ habent, habeant a se ipsis, quia sic agunt et vivunt, et ita se habent ac si ita putarent. Juxta quem modum intimorati et impii asseruntur non credere quod Jesus sit Filius Dei. Unde *Tit.* i, 16. Paulus de inobedientibus ait: Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Et per Ezechielem Dominus loquitur regi Ægypti: *Ezech.* xxix, 3. Audi, Pharao draco magne, qui dicis, Meus est fluvius, et ego feci me ipsum. Unde Bernardus: Putasne, inquit, Filium Dei reputet Jesum, quisquis ille est qui illius non terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit?

Præterea sex sunt propter quæ superbus ita se habet ac si putaret se bona sua a se ipso habere: primum, quia in corde suo inaniter gloriatur de eis, quasi non habeat ea a Deo; secundum, quia de bonis suis se jactat; tertium, quia de eis Deo gratias non agit; quartum, quia non habentem talia qualia ipse habet, contemnit; quintum, quoniam sibi ipsi vult vivere, et non Deo, nam proprium quærit honorem et gloriam; sextum, quando de bonis suis non tribuit Deo id requirenti. Dum etenim pauper postulat sibi propter Deum eleemosynam dari, Deus petit in paupere: dum ergo superbus non dat, Deo in paupere negat. Propter quod ait Salvator: Quamdiu non fecistis uni ex his fratribus *Matth.* xxv, 45. meis minoribus, nec mihi fecistis. Unde et Augustinus: Dicit tibi Christus: Da mihi ex meo quod tibi dedi; de meo quæro, et mihi non donas? Hoc est quod ait Gregorius: Gratuitum putas quod proximo tuo impendis, velis nolis debitor es.

Secunda species superbiæ est, dum quis se putat habere pro meritis suis bona quæ habet a bonitate et misericordia Dei. Istud autem est valde irrationabile, et perversum atque ingratum. Primo, quia est directe contrarium gratiæ Dei, et evacuat eam, dicente Apostolo ad Romanos: Si *Rom.* xi, 6. gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia non est gratia. Ad Ephesios quoque: Gratia (inquit) salvati estis per fidem, et *Ephes.* ii, 8, 9. hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur. Secundo, quia superbia ista Deum liberalissimum piissimumque datorem reputat venditorem, dum ea quæ a Deo accepit, credit se emere meritis suis. Tertio, quia species ista superbiæ obstruit homini fontem divinæ misericordiæ. Quarto, quoniam quantumcumque conetur homo, tamen non sufficit solvere Deo quod ei debet. Totum namque quod sumus, possumus et habemus, Deo omnipotenti debemus ratione creationis. Propter quod ait Bernardus in A libro de amando Deum : Quia totum me debeo Deo pro me facto, id est, quia creavit me, quid addam pro me refecto, et ita refecto, id est pro me per Christi passionem liberato ?

Quinto, quoniam bene agendo facit homo propriam utilitatem, non utilitatem *Ps.* xv, 2. aliquam Dei, qui bonorum nostrorum non *Job* xxxv, 6, 7. eget. Hinc in Job habetur : Si peccaveris, quid Deo nocebis ? Porro si bene egeris, quid donabis ei ? Has duas rationes tangit *Luc.* xvii, 10. Christus, dicens : Quum feceritis omnia B quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Sexto, quia et merita nostra sunt dona Dei, et ex gratia ejus dependent. Septimo, quia coram Deo frequenter sunt demerita quæ merita esse putamus. Sed et opera nostra bona, imperfecta sunt valde. *Job* iv, 18, 19. Hinc apud Job inducitur : Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi qui habitant luteas domos, consumentur velut *Ibid.* xv, 14-16. a tinea ? Rursusque scriptum est : Quid est C homo ut immaculatus sit ? Ecce inter sanctos Dei nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus : quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem ? Hinc beatissi- *Is.* lxiv, 6. mus asserit Isaias : Facti sumus ut immundus omnes nos, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Nullus ergo de meritis suis præsumat, præsertim quum ignoremus an opera nostra sint meritoria, quia nescimus an stemus in carita- *Job* ix, 20, 21. te. Propter quod sanctus Job dixit : Si D justificare me voluero, os meum condemnabit me; etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.

Tertia species superbiæ est, dum quis putat se habere bona quæ non habet : ut dum quis se reputat virtuosum aut sapientem, quum sit vanus et incircumspectus. Ista species superbiæ valde est detestanda : Primo, quia a Deo maledictionem *Is.* v, 21. meretur, juxta illud Isaiæ : Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Secundo, quoniam valde impedit hominem ab infusione gratiæ et virtutum, secundum illud Proverbiorum : Vidisti hominem sapien- *Prov.* xxvi, 12. tem sibi videri ? magis illo spem stultus habebit. Tertio, quia qui hac specie superbiæ fœtet, magis credit adulatoribus et vanis laudatoribus ipsum exaltantibus, quam veritati et propriæ discussioni. Sicque illuditur ei, et multis modis decipitur, sicut et per Isaiam Dominus protestatur : Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi *Is.* iii, 12. te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Considera ergo te ipsum, o homo. Vide an aspernationes atque injurias animo patienti ac tranquillo valeas sustinere, an increpationes gratanter accipias, an in adversitatibus stabilis perseveres : sicque agnoscere poteris an vere sis humilis. Examina diligenter te ipsum, an universa Dei atque Ecclesiæ præcepta impleveris, et ultra hoc te servum arbitreris inutilem : et ita non æstimabis te habere facta virtutum quibus cares. Unde ei qui ita non agit, Deus in Apocalypsi loquitur : Dicis, quia dives sum et nullius egeo, et *Apoc.* iii, 17. nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper, cæcus et nudus.

Quarta superbiæ species est, dum quis in æstimatione sua præponit se ceteris, et eis despectis cupit videri singulariter habere bonum quod habet. Et istud est iniquum ac fatuum, sicut prætactum est, quum simus incerti quales coram Deo sint alii, imo ignari de nobismetipsis, an simus in caritate, et utrum prædestinati simus an reprobi. Itaque proprias defectuositates et culpas pensemus, aliorumque bona quæ habent aut quæ habere possunt consideremus, ut sic despiciamus nos ipsos, et alios honoremus. Denique præinductis concordat quod valde notabiliter scribit Bernardus, dicendo : De ignorantia tui venit in te superbia, dum meliorem quam es, deceptrix cogitatio tua te esse mentitur. Hoc quippe est superbia, hoc omnis peccati initium, quum major es in oculis tuis quam apud Deum. Si enim sciremus quales essemus in oculis A Dei, nec supra nec infra secedere deberemus; nunc vero quia id ignoramus, justius *Luc.* xiv, 10. tutiusque novissimum locum eligimus. Non ergo est periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumque parvum te reputes aut minorem quam es; est autem grande malum horrendumque periculum, si vel modice plus quam es te extollas, si vel uni homini te præponas, quem Deus judicat tibi parem aut meliorem.

Insuper, secundum doctores, tres sunt B gradus humilitatis. Primus est, subdere se majori, et non se præferre æquali : et hæc vocatur humilitas sufficiens, quoniam sufficit et necessaria est ad salutem. Secundus gradus est, subdere se æquali, et non se præferre minori : et ista vocatur humilitas abundans. Tertius gradus humilitatis est, subdere se minori : et vocatur humilitas superabundans. Itaque humiles *Eccli.* xix, 23. simus veraciter, non apparenter : est enim qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Interiorem quoque humi- C litatem ostendamus foris decenter in verbis, in incessu, in vestibus. Præterea, exemplo publicani, erubescamus coram Deo puritatis immensæ de enormitate et turpitudine vitiorum nostrorum, de fatuitate cogitationum et imaginationum nostrarum, de perversitate affectionum nostrarum, de negligentiis, acediis et ingratitudinibus nostris; atque in tantum verecundemur de his et quod quotidie coram præsentia vultus divini et in conspectu sapientiæ ejus, tam irreverenter, insipienter et negligen- D ter, tam prave et fœde habemus nos, ut nec oculos præsumamus sæpe levare ad cœlum, sed mente et facie humiliemus nos intime. Debemus itaque publicanum hunc imitari : primo, pudorem habendo internum de nostris peccatis; secundo, contritionis dolorem; tertio, humilem oris confessionem, et veram ac integram propriæ iniquitatis accusationem; quarto, ferventem pro remissione et gratiæ infusione orationem; quinto, condignam satisfactionem, et diligentem de cetero mentis custodiam ne peccemus.

Atque in primis et summe caveamus superbiam, quam Deus singulariter odit, *Amos* vi, 8. et aliquando vindicat etiam in præsenti, sicut in libro Esther legitur de Aman su- *Esther* iii. perbissimo, nato ex semine regis Agag. Quem Aman Assuerus, rex et imperator Persarum, in tantum sublimavit, quod primus post ipsum, ab omnibus honorabatur, omnesque servi regis Assueri coram illo genu flectebant, excepto Mardochæo Judæo, viro timorato et justo, qui ex zelo justitiæ noluit genu flectere coram Aman, ne honorem Deo debitum impenderet homini. Quo cognito, Aman decrevit non solum Mardochæum, sed et totum genus Judæorum occidere, obtinuitque ab Assuero rege per informationem falsissimam, licentiam hoc agendi. Quo percepto, Mar- *Ibid.* iv. dochæus et Esther regina, mulier virtuosa, ceterique Judæi, Deum instantissime deprecabantur diebus ac noctibus, in jejuniis et ciliciis, lacrimis atque gemitibus, ut eos a tanto liberaret periculo.

Insuper Aman infra septa domus suæ *Ibid.* v, 14. fecit præparari et erigi patibulum, habens in altitudine cubitos quinquaginta, ut Mardochæus suspenderetur in illo. Mardochæus vero fecerat antea quamdam maximam *Ibid.* vi. fidelitatem regi Assuero. Duo enim eunuchi proposuerunt occidere illum : quod dum Mardochæus cognovisset, insinuavit hoc regi. Rex autem quamdam noctem duxit insomnem, et fecit coram se legi quæ sub ejus contigerunt imperio : sicque inter cetera lectum est ibi quemadmodum Mardochæus regem liberavit a morte. Mane autem facto Aman intravit ad regem, ut impetraret licentiam suspendendi Mardochæum in patibulo sibi præparato. Et antequam petivit hoc, rex dixit ad Aman : Quid fiet viro quem rex voluerit honorare ? Cogitans Aman quod rex nullum nisi se proponeret honorare, respondit : Vir quem rex vult honorare, indui debet regiis vestibus, et diademate capiti ejus imposito, super equum regis sedere, atque per totam civitatem circumduci, uno ex principibus regis equum cum freno tenente, præcurrente et exclamante : Hoc honore condignus est quemcumque rex voluerit honorare. Tunc rex dixit ad Aman : Vade, et omnia quæ locutus es, fac Mardochæo Judæo. Quod Aman *Esther* VII, VIII. cum maximo fecit mœrore. Paulo post Esther regina indicavit regi quod Mardochæus esset patruus ejus, et qualiter Aman per falsas suggestiones impetrasset licentiam occidendi Judæos, de quorum semine ipsa esset. Tunc quoque unus ministrorum regis indicavit ei qualiter Aman præparasset patibulum quinquaginta cubitorum in altitudine Mardochæo. Dixitque rex : Suspendite Aman in eo. Quo facto, rex constituit Mardochæum in dignitate atque officio Aman. Unde patet quod Deus superbos humiliat, et sperantes in se humiles exaltat. *Prov.* XXIX, 23 ; *Luc.* XVIII, 14. Istud contigit tempore veteris Testamenti, quando Judæi fuerunt populus Dei, et lex Moysis adhuc currebat.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE FIDEI CERTITUDINE, ET HUMILITATE.

GRATIA *Dei sum id quod sum.* I Cor. XV, 10.

Sicut ad supernaturalem finem, qui est clara et fruitiva divinæ essentiæ visio per speciem, Deus condidit hominem, ita per supernaturalia media eum perducit ad illam. Et media ista sunt duplicia : quædam sunt accidentia homini formaliter inhærentia, utpote gratia, virtutes infusæ, et dona Spiritus Sancti; alia sunt substantialia sive extrinseca homini, sicut humanitas Christi, incarnatio Verbi, passio et resurrectio, ascensio ac cetera mysteria Salvatoris.

Porro virtutum infusarum prima est fides, quæ est futuræ beatificæ visionis ac consummatæ notitiæ superbeatissimæ Trinitatis inchoatio quædam seu obscura cognitio. Sed quia hæc fides est de supernaturalibus veritatibus, quæ scilicet naturali ratione nec inveniri queunt nec comprehendi, idcirco per supernaturalia argumenta fuit probanda, per quæ sciretur esse a Deo collata. Et hoc omnipotens Deus copiosissime fecit, præsertim in novo Testamento, in primis per Christum, deinde per Apostolos ac alios Sanctos, usque in præsens, innumerabilia, præclarissima et sibi soli possibilia per illos agens miracula, sine quibus certissimum est mundum nunquam potuisse ad tam incomprehensibilem fidem ac arduissimam legem converti. Denique hæc ipsa quæ in novo credimus Testamento peracta, in veteri Testamento Deus per tales ac tantos prædixit agenda, quod illis non credere, extremæ esset dementiæ. Unde quanta sit fidei christianæ certitudo ac veritas, pandit in multis locis Apostolus, præsertim ad Galatas : *Galat.* I, 8. Licet (inquiens) angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Verum quanto pro nostra salute plura fecit ac pertulit Unigenitus Dei, quanto pro christianæ fidei confirmatione majora ac plura prodigia operari dignatus est Deus æternus, tanto damnabiliores, ingratiores negligentioresque sumus, nisi digne Deo et juxta fidei altitudinem spiritualiter conversati A fuerimus. Propter quod ad Hebræos ait *Hebr.* II, 1, 3, 4. Apostolus : Abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus : quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis, et prodigiis, et virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus ?

Præterea, ut cetera sacratissimæ fidei nostræ argumenta omittam, nonne nos omnes aut plures ex nobis admirabilem et gratiosam Dei operationem in nobis ipsis B sumus ubertim experti, præsertim in conversione nostra ad religionis ingressum ? Quid enim tam admirabilissimum, ut quod adolescentes et juvenes mundo aptissimi, divitiis et deliciis affluentes, vanitatibus assueti vitiisque repleti, repente et improvise totaliter mente et voluntate immutentur, compungantur, imo de extremo in extremum non per medium moveantur, alterentur et convertantur, atque invitis parentibus, propinquis, amicis, omnes illos et totum mundum et se ipsos relin- C quant, Ordinem intrent in quo civiliter moriuntur, et in professione se usque in finem promittunt mansuros? Quodque summe mirabile est et divinæ operationis evidentissimum signum, frequenter præfata immutatio, compunctio, conversio, fit absque adminiculo omni humano, et ut sic loquar, quasi renitente eo qui tangitur ea et religionem ingreditur.

Insuper, quoties quum desolati, indevoti, duri, tentati frigidique essemus, experti nos sumus subito consolari, illumi- D nari, accendi, tranquillari ac agiles fieri? Non utique viribus nostris, quum ad talia sæpe non valeamus pertingere, quantumcumque conemur ad ea, multoties autem repentina præventione sine nostro conamine ad ea facillime pertingamus, atque crebro tam copiose et valide, ut nec reniti valeamus, nec ferre possimus. Hinc Christus *Joann.* VI, 44. testatur : Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum ; *Ibid.* 66. itemque, Nemo (inquit) potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Et iterum fatetur : Si quis voluerit voluntatem *Joann.* VII, 17. Dei facere, cognoscet de doctrina mea an ex Deo est. Qui enim imperativa et efficaci voluntate voluerit voluntatem Dei facere, id est præcepta servare, potissime qui studuerit secundum evangelicæ legis consilia conversari perfecte, is in se ipso experimentaliter sentit fidei veritatem, et Spiritus Sancti admirabilem ac gratiosissimam operationem. Quum ergo tam inæstimabilis beatitudo promissa sit nobis a Deo, non cessemus cum omni diligentia et fervore, cum omni puritate et profectu incessabiliter servire Altissimo.

Amplius, ex hodierna epistola in humilitate vehementer instruimur, quum beatissimus et laboriosissimus iste apostolus Paulus, qui fuit usque ad tertium cœlum II *Cor.* XII, 2. raptus, vocat se minimum Apostolorum et I *Cor.* XV, 9. apostolatus appellatione indignum, quia Ecclesiam Dei se meminit persecutum. Ejus ergo exemplo humiliemus nos omnifarie et complete, et quidquid boni in nobis est, Deo humillime ac gratissime adscribentes, propria peccata et quotidianas culpas nostras proponamus uberrime oculis nostris, ex quorum intuitu et ponderatione condigna despiciamus et castigemus nos ipsos, omnique persecutione atque molestia dignos nos arbitremur : sicque quidquid adversitatis contigerit nobis, quidquid persecutionis fuerit nobis illatum, patientissime toleremus, gratias Deo agentes quod in præsenti aliquid pro nostris excessibus sustinemus; nec aliquid tot et tantis peccatis nostris condignum pati nos fateamur. Qui sua universa peccata rite perpendit et efficaciter ponderat, circa aliorum defectus nequaquam inutiliter occupatur, nec facta seu vitia alterius curiose observat, scrutatur aut stolide judicat. Imo sicut nullius peccata sic intuetur ac ponderat quemadmodum propria, sic neminem tam defectuosum, peccatorem ita aspernabilem reputat sicut se ipsum. Et frequenter in tantum sibimet displicet, ut videatur sibi quod infra cœlum et terram non sit tam miser, tam A vilis, tam vitiosus homo ut ipse; et cum I *Tim.* I, 15. Apostolo ex corde fatetur : Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum ego primus sum.

Præterea, quanto quis immoderatior et curiosior fuerit aliorum observator, inspector, dijudicator, tanto minus advertet, deplanget, vitabit et corriget proprias labes ac trabes. Ideo grave est curiositatis vitium, quod dum hominem circa alium occupat, se ipsum sibimetipsi abscondit; atque ut sanctus abbas Paphnutius dixit, B talis similis est habenti proprium mortuum illumque relinquenti, et ad deplorandum sui vicini defunctum pergenti. Quod totum in religiosis summe præposterum est et iniquum, quia eorum potissime est sibimetipsis et Deo tantum intendere.

Postremo, cum Apostolo quilibet noI *Cor.* XV, 10. strum confiteatur et dicat, « Gratia Dei sum id quod sum »; nec unquam inaniter extollamur. Sed utinam quod sequitur, cum Apostolo fari possimus : Gratia ejus C in me vacua non fuit. Itaque studeamus jugiter fructuosi exsistere, gratiæ cooperari, in cunctis virtutibus stabiliri, ea quæ sanctæ religionis sunt strenue observare, intus et extra nos custodite habere, alter *Galat.* VI, 2. alterius onera portare, honore invicem *Rom.* XII, 10. prævenire, per caritatem mutuo deservire, caritative ac dulciter invicem affici, exemplariter conversari, et mutuo ad meliora provocare, nullum temporis momentum infructuose expendere ; ut sic humiliemur in bonis, et assueti reddamur exercitiis semper insistere virtuosis, sicque cum ingenti delectatione Deo in omnibus obsequamur, nec animo fatigemur. *Hebr.* XII, 3. Tales fuerunt sanctissimi Patres nostri in eremo, qui sæpe tota nocte orationi et contemplationi indesinenter et gaudiose erant intenti, orienteque sole contristabantur quod a summa et incommutabili luce exercitium suum suspendere cogebantur. Quorum sacra vestigia saltem aliqualiter sequi nitamur, ad Dominum Deum nostrum corda nostra per orationem et contemplationem ubertim levantes.

SERMO QUINTUS

DE QUADAM MIRABILI ET OCCULTA SUPERBIÆ SPECIE.

P*HARISÆUS stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum.* Luc. XVIII, 11. D

Mirum videtur cur iste Pharisæus divinitus reprobetur : primo, quoniam secundum legem Moysis vixit, imo et amplius quam lex jussit peregit, bis in omni hebdomada jejunando, quod non erat præceptum in lege; secundo, quia de bonis quæ egit gratias retulit Deo. Cur ergo superbus? Si dicatur quod ideo quia se prætulit aliis, aut publicanum contempsit, neutrum horum videtur posse salvari. Quum enim I *Cor.* II, 12. dicat Apostolus, Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis; constat licitum esse ut is qui præ ceteris excellentiora gratiarum charismata se noscit sortitum, se præferat illis. Nam et anima Christi quamvis omni creatura fuerit humilior, tamen a suæ creationis principio certissime novit omni rationali intellectualique creatura se quasi incomparabiliter eminentiorem, et cunctis se prætulit, id est, digniorem verissime reputavit. Paulus quoque de se aliisque loquens Apostolis, Nos (inquit) primitias *Rom.* VIII, 23. Spiritus habentes : ergo se et coapostolos prætulit aliis in sanctitate et gratia. Sed A et David primo Paralipomenon loquitur *I Par.* xvii, 17. Deo : Fecisti me spectabilem præ omnibus hominibus. Denique peccator in quantum hujusmodi, contemptibilis est, et juste a justo contemnitur, juxta illud Psalmistæ : *Ps.* xiv, 4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.

Et respondendum, quod Pharisæus iste multipliciter fuit culpabilis ac superbus. Primo, quia de se ipso judicavit incaute. Nam dato quod ante fuisset justus, non tamen certitudinaliter scivit se habere caritatem B et gratiam : idcirco non debuit cum tanta assertione justum et virtuosum se reputare. Quod tamen agendo, fecit contra id quod in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* vii, 5. Non te justifices ante Deum. Secundo, quia de proximo suo, videlicet publicano, temerarie judicavit. Quum enim ignoraret quid Deus in interioribus publicani operaretur, judicavit eum adhuc in veteribus vitiis perdurantem, qui vere et valde tactus, compunctus, inflammatus et illuminatus fuit a Deo, qui potest hoc totum in C quolibet peccatore quantumlibet impio, quum sibi placuerit, operari. Tertio, quoniam de ipsa sua gratiarum actione intumuit, et laudem quæsivit humanam. Quarto, quoniam gratiarum actio sua non fuit vera gratiarum actio, utpote ex virtute latriæ prodiens, sed potius vana sui ipsius proditio sive jactatio, ex detestabili sui complacentia nascens. Quinto, quia quod aliis se prætulit, non ex vera sapientia aut prudentia, sed ex inconsideratione et ignorantia venit. Non enim consideravit se D ipsum nec alios nisi secundum unum respectum, videlicet se quantum ad bona quæ egit, et alios quoad mala quæ fuerant operati. Debuit autem se considerare ac alios etiam secundum alios diversos respectus, ut infra tangetur. Hinc Climacus loquitur : Ex gratiarum actione frequentius hæc passio, puta superbia, paululum accipere diligit, id est, aliquid incitamenti sumit. Irreverenter enim sine rubore ex procemiis, hoc est a principio, negare Deum, id est adjutorium gratiæ Dei, non suggeret. Vidi ore gratiarum actiones referentem, et ex propria prudentia se ipsum extollentem ac magnificantem. Testatur hoc Pharisæus ille ironice dicens : O Deus, gratias ago tibi. Hæc Climacus.

Præterea, ut in homilia loquitur Augustinus, species hujus superbiæ potest etiam subrepere et accidere homini justo et bonæ spei viro. Quocirca sciendum, quod quum superbia sit quidam tumor atque elatio animi, se ipsum ultra terminum sibi præfixum efferentis et magnificantis, constat quod superbia oriatur ex consideratione seu apprehensione alicujus boni seu eminentiæ sibi inexsistentis aut convenientis vere aut æstimative. Ideo prout diversa sunt hominis bona, multiplex invenitur superbia. Sunt enim bona fortunæ, sunt bona Ecclesiæ, sunt bona naturæ, sunt et bona gratiæ. Bona fortunæ sunt possessiones terrenæ; bona autem Ecclesiæ dici possunt vel ecclesiastici reditus, vel ecclesiasticæ dignitates; bona vero naturæ sunt naturalia dona, ut pulchritudo, eloquentia, ingeniositas, bonitas complexionis atque ingenitæ indolis. Itaque de bonis fortunæ, hoc est divitiis, aut ecclesiasticis reditibus, superbire, est quasi carnalis et grossa superbia, sæculares et novellos ac pusillos tentans religiosos. Qui etiam de eminentia naturalium solent superbire donorum : nam et quidam religiosi inveniuntur tam imperfecti, ut de vocis sonoritate, de promptitudine legendi, cantandi, loquendi, superbiant atque inaniter glorientur, et Fratres in talibus defectuosos despiciant. Quidam demum de acquisita sua intumescunt scientia : quorum puerilitas et imperfectio magna est valde. Porro alia est spiritualis subtiliorque superbia, qua quis de eminentia bonorum gratiæ, utpote virtutum et meritorum, inflatur, vel quasi a se ipso habeat ea, vel quoniam putat ea sibi inesse quum aliter sit, vel æstimat ea sibi in abundantia ampliori inesse quam insint, et sic temerarie præfert se aliis, aut non ex sola misericordia Dei, sed ex propria quoque A industria et labore ac merito sentit sibi ea esse collata, seu ea esse se adeptum.

Contra omnes istas superbias sunt generalia quædam remedia. Primum est, quod *I Cor.* IV, 7. ait Apostolus : Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Secundum est, consideratio propriarum iniquitatum, vilitatum, defectuositatum, immunditiarum in anima et corpore, et miseriarum vitæ præsentis. Tertium est, considerare quod diabolus *Job* XLI, 25. est rex super omnes filios super- B biæ : ideo qui abhorret esse et dici servus filiusque diaboli, detestetur superbiam. Quartum est, considerare quod superbia est diabolicum vitium, primum peccatum, et omnium vitiorum origo, regina et mater. Quintum est, quod superbia specialissime displicet Deo, et sæpissime ac districtissime prohibetur ab eo. Sextum, quod Christus in omnibus summe fugit, vitavit et reprobavit superbiam, et amplexatus est humilitatem. Septimum, quod superbia facit hominem Dei inimi- C cum, et ei rebellem atque sacrilegum, et summe ingratum. *Jacob.* IV, 6; *I Petr.* V, 5. Deus enim superbis resistit; et soli Deo debentur honor et gloria, *I Tim.* I, 17. quos sibi usurpat superbus. Ea quoque quæ Deus ex sua infinita bonitate, caritate, misericordia, munificentia dedit, superbus sibi ipsi adscribit, aut eis abutitur; nec de eis Deum, sed se ipsum glorificare conatur. Octavum, quia per superbiam homo sibi gravissimam damnationem mercatur. Sunt autem et alia multa contra superbiam tam odibilem et enormem re- D media, utpote : consideratio districti judicii *Luc.* XII, 48. Dei, qui cui plus dedit, plus ab eo requiret ; consideratio quoque propriæ obligationis, quia quanto plura et majora quis a Deo sortitus est dona, tanto amplius est adstrictus ut sit Deo gratus ac subditus.

Denique, contra spiritualem superbiam, quæ ferventiores et eminentiores solet amplius impugnare, sunt præter prætacta adhuc specialia multa remedia. Primum, quia incerti sumus an amore an *Eccle.* IX, 1. odio digni simus. Secundum, quia etsi probabiliter agnoscamus nos esse in caritate et gratia, prorsus tamen nescimus an finaliter Deo placebimus et in gratia finiemus. Tertium, quia de proximis ignoramus quales sint in prædestinatione divina. Quartum, quia et quid nunc agatur in eis nescimus, et qui nunc pessimus esse videtur, subito potest compungi, et Deo agente optimus fieri. Quintum, quod homo non est bonus judex in propria causa, et multipliciter ac facillime potest errare, de aliis judicando. Sextum, quia etsi homo aliunde bonus exsisteret, tamen sola superbia destruit omnia, si comitetur. Septimum, quoniam fatuum est extollere semetipsum de bonis virtutum, quum omnium virtuosorum actuum sit humilitas fundamentum : idcirco superbus nondum ad fundamentum virtutum venisse probatur. Octavum, quoniam quanto dona supernaturalia gratiæ magis excedunt vires animæ naturales, tanto indecentius, injustius et insipientius est superbire de eis. Nonum, quod et solum omnem elationem evellere et omnem humilitatem inserere exstat idoneum, est quod ipsemet Dominus et Salvator, Christus Unigenitus Dei, in Evangelio loquitur : Quum feceritis *Luc.* XVII, 10. (inquiens) omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Quomodo ergo potes te alteri in gratiæ donis præferre, qui nescis an exsistas in gratia, an finaliter sis salvandus, an alter sit magis prædestinatus quam tu ? Quomodo judicas te esse in gratia magnum et excellentem, ac aliis præfulgentem, qui ignoras an vel minimum de gratia habeas, et quæ bona in aliis latent ? Si itaque omnia jam prætacta profunde ac rite consideraverimus, erimus vere valdeque humiles, defectuosi, viles et contemptibiles in oculis propriis, omnem detestantes superbiam, quæ præ cunctis mundi hominibus indecentissima est omni homini religioso.

Quæ quam abominabilis sit, et quanta

pariat mala, Climacus pandens, ait : Superbia est negatio Dei, inventio dæmonum, despectio hominum, condemnationis et temerarii judicii mater, laudum proles, infructificationis argumentum, effugatio adjutorii Dei, ecstasis et amentiæ præcursatrix, ruinarum conciliatrix, defectionis occasio, furoris fons, hypocrisis porta, dæmonum firmamentum, vitiorum custos, inviscerositatis adductrix, compassionis ignorantia, rationis avarus positor et exquisitor, exactor crudelis et inhumanus, luctator Deo contrarius, blasphemiæ radix. Initium superbiæ, est finis vanæ gloriæ ; medium vero superbiæ, est contemptus proximorum, et propriorum laborum ac dolorum inverecunda propalatio, propriæ laudis amor cordialis, redargutionisque odium ; finis vero, negatio adjutorii Dei, mos dæmoniacus. Altum sapiens monachus contradicit vehementer ; humile autem sapiens monachus contradicere nescit. Dedignatur cypressus pergere super terram, et arrogans monachus et corde superbus dedignatur obedientiam possidere. Vir altus corde desiderat principari. Superbis Deus resistit : quis ergo eorum *Jacob.* IV, 6. poterit misereri ? Immundus est coram Deo omnis arrogans corde : et quis de cetero eos mundare valebit ? Hæc Climacus.

Discamus ergo a Christo, quia mitis est *Matth.* XI, 29. et humilis corde, omnem odientes superbiam in cogitatione et affectione, in verbo atque silentio, in omissione et commissione, in incessu, vestitu, omnique apparatu : quoniam qui tenuerit superbiam, induetur *Eccli.* X, 15. maledictis, id est peccatis, per quæ merebitur maledici æternaliterque damnari a Judice summo, Deo sublimi, justo et benedicto.

SERMO SEXTUS

DE LAUDE ET ORIGINE HUMILITATIS, ET DE VITUPERIIS ATQUE EFFECTIBUS MALEDICTÆ ELATIONIS.

OMNIS *qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. XVIII, **14**.

Quemadmodum sanctus loquitur Augustinus, Humilitas est, ex intuitu propriæ conditionis et sui Conditoris voluntaria mentis inclinatio in suo imo, ordinabili ad proprium Conditorem. Et datur hæc definitio potius de humilitatis actu, quam de ipsa virtute seu habitu humilitatis. Humilitas namque gratuita, de qua nunc sermo, est virtus infusa, id est a Deo per creationem collata atque producta, per quam homo ex intuitu seu consideratione sui ipsius ac proprii Creatoris, se ipsum coram Deo sponte inclinat, et quasi spiritualiter genuflectit, seque prosternit, dejicit, vilipendit et subdit, atque ex interiori inclinatione etiam corporaliter inclinat, genuflectit, prosternit ac dejicit se. Hæc ergo humilitatis inclinatio ex duplici procedit consideratione, videlicet sui ipsius ac Creatoris.

Consideratio demum sui ipsius ad humilitatem impellens, est multiplex valde. Prima, qua consideramus nos ipsos secundum quod ex nihilo sumus plasmati. Secunda, qua consideramus nos ut incessabiliter ab Omnipotente dependentes, et ejus conservatione indesinenter omni momento egentes, sine qua nec ad punctum possemus in esse manere. Tertia, qua consideramus nos ipsos secundum esse specificum, et quoad id quod sumus per naturam. Sicque, quamvis respectu corporalium et irrationalium creaturarum, magnæ dignitatis sit homo, tamen respectu superiorum et intellectualium est magnæ defectuositatis : nam sicut se habet materia prima in ordine entium, in quibus infimum locum tenet, ita se habet anima rationalis in ordine intellectualium substantiarum.

Quarta, qua consideramus animam nostram secundum naturales suas potentias, in quibus omnibus est ineffabiliter defectuosa. Intellectus namque valde est debilis, cito fallibilis, ignorantia vulneratus, ad errores proclivis ; et ea quæ scimus, imperfecte scimus, et minima sunt respectu eorum quæ ignoramus. Voluntas quoque malitia est infecta, ad vitia nimis prona, ad carnalia et caduca facillime a sensualitate attrahibilis. Memoria vero tota vaga instabilisque consistit. Porro appetitus sensitivus infirmitate et concupiscentia est infectus, rationi rebellis, ad mala vehementer inclinans. Per exteriores etiam sensus mors culpæ undique ingreditur animam ; interioresque sensus inquietudine sua frequenter a contemplatione divinorum exercitiisque internis impediunt mentem. Ecce quanta ærumna, quanta defectuositas, vilitas, pravitas latent in anima.

Quinta, qua consideramus corpus nostrum quantum ad id unde formatum est : quod fuit semen immundum. Sexta, qua consideramus illud quoad id quod nunc in se est : quod est valde defectuosa natura. Septima, qua consideramus illud quoad ea quæ latent et sunt in ipso, atque de ipso egrediuntur : quæ sunt immunditiæ prorsus fœdissimæ, ita quod corpus nostrum est vas nimis immundum, et saccus fœtorum ac stercorum. Octava, qua consideramus corpus nostrum quoad suas naturales proprietates et indigentias quotidianas : sicque invenimus illud valde pauperrimum, passibile, vulnerabile et mortale. Nona, qua consideramus illud quoad ea quæ erit, qualiter scilicet in vermes, putredines et fœtores horribiles resolvetur. Decima, qua consideramus nos ipsos quoad mala culpæ, quæ committendo et omittendo incidimus, considerando quæ, qualia et quanta commisimus mala, et omisimus bona. Hæc consideratio præ ceteris potest et debet nos ad insuperabilem, profundissimam atque immensam humilitatem, abjectionem et subjectionem inducere.

Præterea, consideratio qua ex intuitu Creatoris ad humiliationem inducimur, etiam multiplex assignatur, secundum quod supersimplici Deo diversæ proprietates ac varia attributa conveniunt. Prima ergo est, qua ex consideratione divinæ majestatis seu infinitatis et excellentiæ, nos ipsos, et totam substantiam nostram esseque nostrum, quasi nihilum et inane et non esse reputamus, juxta illud in Psalmo : Substantia mea tanquam nihilum ante te; *Ps.* xxxviii, 6. et alibi : Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. *Is.* xl, 17. Secunda, qua ex consideratione infinitæ sapientiæ Dei, omnem in nobis exsistentem sapientiam, scientiam, notitiam, quasi insipientiam ac ignorantiam arbitramur, secundum illud in Jeremia : Stultus factus est omnis homo a scientia sua. *Jer.* x, 14. Tertia, qua ex consideratione omnipotentiæ Dei, omne robur nostrum quasi meram censemus infirmitatem, juxta illud : Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui tuæ possit resistere voluntati. *Esther* xiii, 9. Quarta, qua ex contemplatione immensæ puritatis, sanctitatis atque justitiæ Dei, omnem nostram qualemcumque munditiam, sanctitatem, justitiam, velut fœditatem, imperfectionem, injustitiam aspernamur, cum Isaia dicentes : Quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ. *Is.* lxiv, 6. Quinta, qua ex consideratione incircumscriptibilis dignitatis honorabilitatisque Dei, omnem cultum, honorem et obsequium quod ei impendimus, pro nihilo judicamus, scientes quod ipse infinita reverentia dignus sit, nosque a condigna veneratione ipsius in infinitum deficere : atque per hoc cernimus quod magnum nil agimus. Multæ consimiles possent ex parte Creatoris tangi considerationes, ex quibus nos ipsos vehementissime humiliare debemus.

Insuper, ex consideratione perfectionis sanctitatisque Christi, et eorum quæ pro nostra fecit ac toleravit salute, nos prorsus humiliare debemus, quoniam beneficiis ejus sumus tam ingrati, nec dignum aliquid pro eis rependere Christo valemus. De hoc Climacus protestatur : Licet mille mortes pro Christo sustinuerimus, nondum tamen quod est congruum persolvemus. Aliud enim est sanguis Dei, et aliud sanguis servorum, secundum dignitatem, non secundum essentiam. — Adhuc autem ex consideratione sanctitatis Patrum nostrorum, habemus nos omnifarie humiliare.

Hoc denique advertendum, quod non qualiscumque consideratio prædictorum, ad veram, de qua nunc agitur, humiliationem inducit, quum multi scholastice eruditi subtiles omnia jam inducta acute cognoscant, et subtiliter eloqui sciant ; nihilo minus vanitate et pompa replentur, imo de ipsa sua scientia qua ista cognoscunt ac dicunt, inflantur. Præinducta ergo sunt intelligenda de consideratione sui emanante ex scientia illa quæ est unum septem donorum, et ex virtute prudentiæ, vel etiam ex naturali et acquisita scientia prout fide et caritate formata est. Similiter, quod dictum est de consideratione Creatoris, accipi debet de consideratione ejus ex fide formata et dono sapientiæ prodeunte. Hæc namque consideratio afficit et inflammat.

Præterea, sicut humilitas ex præfata duplici consideratione procedit, ita superbia ex imperfecta et erronea consideratione sui et pertinentium ad se nasci videtur : dum scilicet homo se ipsum et pertinentia ad se seu inexsistentia sibi considerat imperfecte, videlicet quoad id quod sunt in se, vel certe erronee, opinando ea majoris dignitatis quam sunt, et non attendit ea per relationem ad Creatorem, et secundum veram proprietatem ac valorem eorum. Sicque miser homo superbit ex consideratione suæ nobilitatis, potestatis, prosperitatis terrenæ, vel opulentiæ, aut præsidentiæ, pulchritudinis, subtilitatis, scientiæ aut eloquentiæ, aut ex consideratione donorum gratiæ quæ sibi arbitratur inesse. Sed stulta est extollentia ista, et ex imperita, imperfecta, erronea consideratione emanat. Ideo præmemorata Dei dona perfecte consideremus, et in quantum sunt Dei dona nobis pie collata. Sic quippe ex eorum consideratione non solum non superbiemus, sed Deum magis amabimus, et ei gratiores ac subjectiores, imo et humiliores reddemur. Itaque, si juxta considerationes præhabitas consideraverimus nosmetipsos, omnem penitus elationem abjiciemus, atque in vera ac stabili humilitate fundabimur, proficiemus, perficiemur.

Postremo certissimum est, ex superbia indignationem, iram, impatientiam, proterviam, amaritudinem, pertinaciam, rebellionem audaciamque nasci. Quo etenim quis superbior fuerit, eo injuriam sibi illatam gravius ponderat, molestius patitur, duriusque, si potest, ulciscitur ; nec faciliter alteri cedit, neque dociliter acquiescit, sed suam tuetur sententiam, clamat, rixatur, convitiatur. Atque ut asserit Cassianus, hoc vitio infectus religiosus, ipsam *Cf.* t. XXVII, p. 126 C. Ordinis disciplinam perhorrescens, cupit aliis præesse, ut ex discipulo nequam detestabilior magister effectus, ex sua ambitione in eum cadat perniciosissimum damnabilemque teporem, ut jam nec verus religiosus, nec sæcularis exsistat, nihilo minus ex miserabili suo statu et conversatione reputet se perfectum. Ne ergo tot vitiis impleamur, in sincerissima ac securissima humilitate jugiter permanere conemur. Ad laudem et gloriam Dei.

DOMINICA XII POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

FIDUCIAM TALEM HABEMUS PER CHRISTUM AD DEUM, ETC. II Cor. III, 4-9.

DOCET nos sanctus Apostolus in præsenti A epistola tria. Primum est humanæ fragilitatis infirmitas, qua nihil meritorium possumus agere absque auxilio gratiæ. Secundum est magnitudo et efficacia pietatis ac gratiæ Dei. Tertium est excellentia evangelicæ legis super legem Mosaicam. Itaque ait : *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum,* id est, magnam spem et confidentiam firmam in Deo habemus, non quod viribus nostris aliquid boni principaliter adscribamus. Ideo subdit : *non quod sufficientes simus* B *cogitare,* et per consequens nec velle, nec loqui, nec agere possumus, *aliquid* meritorium *a nobis,* id est propria potestate, *quasi ex nobis,* id est tanquam ex propria principalique causa. Nam quamvis liberum arbitrium sit aliquo modo causa operis meritorii, quia aliter nec mereremur, nec præmiaremur, non tamen est causa principalis illius, sed indiget tam gratia gratum faciente et fide et caritate infusa, quam actuali motione Spiritus Sancti excitantis ipsum ad bona, ut dictum est C *Philipp.* II, 13. sæpe. Hinc alibi dicit Apostolus : Deus operatur in vobis et velle et perficere. *Sed sufficientia nostra ex Deo est,* id est, virtus et efficacia meritorie cogitandi, appetendi, loquendi, agendi et patiendi, principaliter profluit et dependet ex Deo, seu ex motione et gratia Spiritus Sancti, a *Jacob.* I, 17. quo omne donum optimum et omne datum perfectum descendit, ut Jacobus dicit. Unde et Christus fatetur : Sine me *Joann.* XV, 5. nihil potestis facere.

Qui et idoneos nos fecit ministros, id est vita et scientia dignos prædicatores atque apostolos, *novi Testamenti,* id est evangelicæ legis; *non littera,* id est non per scripturam, *sed spiritu,* id est per supernaturalem Spiritus Sancti illuminationem. Non enim per exteriorem scripturam, sed per divinam instructionem et unctionem acceperunt Apostoli evangelicæ legis doctrinam a Christo, qui nullum edidit librum, sed ore tenus instruxit Apostolos, qui parum aut nihil retinuerunt ex Christi doctrina. Idcirco post suam ascensionem misit eis Spiritum Sanctum, a quo de omnibus pertinentibus ad informationem Ecclesiæ et salutem plenissime fuerunt instructi, secundum quod Christus eis frequenter prædixit, tam ante passionem suam, præsertim in sermone post Cœnam, quam post suam resurrectionem. Hinc novum Testamentum vocatur lex spiritus. Porro lex Moysis appellatur lex litteræ, quia in tabulis per scripturam est data, ut patet in Exodo. Ob quam distinctionem insinuandam, Dominus ait apud *Exod.* XXXI, 18; XXXIV, 28. Jeremiam : Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda *Jer.* XXXI, 31, 32. pactum novum, non tale quale pepigi cum patribus eorum. *Littera enim,* id est lex vetus scripta, *occidit* occasionaliter, non directe, quia in se bona fuit : sed gratiam non continebat nec dabat, concupiscentiamque augebat, eo quod humana perversitas nitatur in vetitum; auxit etiam culpam, II Petr. II, 21. quia post veritatis notitiam et legem divinam naturali legi superadditam gravius fuit peccare quam ante. Occidit quoque corporaliter et directe, quoniam transgressores legis præcepit occidi. *Spiritus autem vivificat,* id est, Spiritus Sanctus, qui Act. VIII, 17; X, 44; etc. per impositionem manuum Apostolorum et per subministrationem eorum dabatur fidelibus, vitam gratiæ præstat infundendo virtutes. Vel sic : « Littera occidit », id est sensus superficialis, qui litteralis videtur, mentem excæcat, quia erroneus est; « spiritus autem », id est spiritualis ac mysticus intellectus, « vivificat », quia illuminat mentem.

Subinde ostenditur excellentia evangelicæ legis. *Quod si,* id est Quia, *ministratio mortis,* id est lex vetus, quæ dicitur ministratio mortis eo sensu quo dictum est, Littera occidit (unde et alibi dicit Apostolus : I Cor. XV, 56. Virtus peccati lex), *litteris deformata,* id est foris formata seu scripta, *in lapidibus,* id est lapideis tabulis, in quibus scriptus fuit Decalogus legis, videlicet decem præcepta, *fuit in gloria,* id est, splendorem et gloriam habuit in suo latore ministeriali, Exod. XXXIV, 29-35. scilicet Moyse, *ita ut non possent filii Israel intendere,* id est visum corporalem figere, *in faciem Moysis propter gloriam,* id est claritatem, *vultus ejus,* qui fuerat luminosus ex consortio Dei. Unde in facie Moysis apparuerunt radii splendidi, angulariter ascendentes in similitudine cornuum, A repercutientes adspectum filiorum Israel : propter quod Moyses posuit velamen super faciem suam. *Quæ* ministratio, vel quæ claritas Moysis, *evacuatur,* id est, finem accepit. Nam claritas illa cito cessavit; evangelica quoque lege vulgata, Mosaica lex cessavit. *Quomodo non magis ministratio Spiritus,* id est lex evangelica per Spiritum Sanctum indita et edocta, gratiam continens ratione sacramentorum suorum, *erit in gloria,* id est, dignitatem et gloriam habebit in suis ministris, puta Apostolis, B Rom. VIII, 23. qui primitias Spiritus Sancti acceperunt, et tam in sæculo isto quam in regno cœlesti gloriam et dignitatem magnam sortiti sunt ? De quibus prædixit Propheta ad Dominum : Constitues eos principes super omnem terram; Ps. XLIV, 17. et iterum, Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Ps. CXXXVIII, 17. Isaias quoque : Qui sunt isti qui ut nubes volant? Is. LX, 8.

Nam si ministratio damnationis, id est lex vetus, quæ dicitur « ministratio damnationis » quoniam suos transgressores obligavit ad damnationem æternam, nec C tamen gratiam contulit ad servandum, *gloria est,* id est honor et dignitas Moysis per quem data est; *multo magis abundat ministerium justitiæ,* id est exhibitio novæ legis, veram justitiæ perfectionem docentis et gratiam juste vivendi conferentis, *in gloria,* id est, copiosiorem gloriam habet annexam, ut dictum est. Dicitur autem lex Moysis gratiam non dedisse, quoniam sacramenta veteris legis gratiam non continebant nec conferebant.

SERMO PRIMUS

DE PERFECTIONE ET EXCELLENTIA EVANGELICÆ LEGIS.

D*OMINUS judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Is. XXXIII, 22.

Deus altissimus, cujus sapientiæ non D est finis, nihil a casu aut fortuito condidit, sed universa et singula propter congruum et certum finem instituit ac creavit. Propter quod Propheta orat : Memorare, Ps. LXXXVIII, 48.

Domine, quæ mea substantia : numquid enim vane constituisti omnes filios hominum ? Unde in libro Job scriptum est : Job xxviii, 3. Universorum finem ipse considerat. Porro genus humanum Deus creavit propter finem seu felicitatem supernaturalem, quæ est clara et beatifica visio Dei : ideo dedit hominibus legem convenientem, qua pertingere possint ad finem hunc. Israelitico autem populo de Ægypto egresso, dedit Deus legem per Moysen; sed adveniente Galat. iv, 4. plenitudine temporis, in quo Deus Pater misit Unigenitum suum, ipse unicus Filius Dei proprio ore novam et evangelicam instituit et docuit legem. Porro lex est præceptum ac regula per quam regulantur ac diriguntur actus eorum quibus lex datur, secundum exigentiam finis a legislatore intenti.

Quod autem excellentior sit lex evangelica quam antiqua, patet primo ex parte legislatoris. Lex enim evangelica immediate data est ab unigenito Dei Filio Jesu Christo, vero Deo et homine; sed lex vetus data est a Deo, mediantibus angelis multis et homine uno, videlicet Moyse, cui in monte Sinai angeli loquebantur, et legem veterem indicaverunt, prout Deus ipsis præ-Ibid. iii, 19. cepit. Unde ad Galatas dicitur : Lex propter transgressores posita est, ordinata per angelos in manu mediatoris. Hinc in Actibus legitur Stephanus exprobrans ingratis im-Act. vii, 53. piisque Judæis : Accepistis (inquit) legem in dispositione angelorum, et non custodistis. Idcirco de immediato legislatore Job xxxvi, 22. Christianorum dici potest illud Job : Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. Itaque, sicut Christus fuit Moyse incomparabiliter major, sapientior, sanctior, sic decuit dari a Christo legem multo perfectiorem lege per Moysen data. Unde et Avicenna philosophus Arabs, quamvis de lege fuerit Mahometi, nihilo minus libro Metaphysicæ suæ præfert legem Christi legi Mahometi legislatoris sui, et asserit Christum Mahometo fuisse sapientiorem ac magis moralem. Sarraceni quoque concorditer A legem Christianorum fatentur esse divinam, et Jesum esse Christum Dei, prout in Alcorano habetur, et Mahometus dixit; sed ideo adstruunt Christianos esse pravissimos, quoniam legem eis a Christo datam non servant. Et quamvis in multis aliis mentiantur, tamen quantum ad hoc verum locuti sunt : præsertim quum et Apostolus ex hoc probet transgressores evangelicæ legis esse gravissime puniendos, quoniam transgressores Mosaicæ legis corporaliter occidebantur. Siquidem B ad Hebræos scriptum est : Irritam quis Hebr. x, 28, 29. faciens legem Moysis, absque ulla contradictione, duobus aut tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit ? Denique videmus in sæculo isto, quod quanto magis immediatus præceptor seu legislator est altior, tanto enormius est prævaricari ejus præceptum seu legem. Quum ergo immediatus Christiano- C rum legislator sit Christus verus Deus, constat quod ejus legem prævaricari gravissimum sit.

Secundo probatur excellentia evangelicæ legis, quia lex Moysis disponebat ad eam : ideo comparatur ad eam sicut imperfectum ad perfectum, sicut medium ad finem, et sicut dispositio ad habitum; lex autem evangelica comparatur ad veterem legem sicut meridies ad auroram, ut lumen ad umbram, veritas ad figuram, domina ad ancillam. Quum enim finis legis D divinæ, videlicet antiquæ ac novæ, sit vera felicitas, illa lex divina vocatur perfecta, quæ illa includit per quæ beatitudo acquiritur, ad quam absque gratia gratum faciente nemo perducitur. Vetus vero lex gratiam non continuit, sed promisit; evangelica autem lex gratiam includit et confert, quoniam sacramenta ejus gratiam non solum figurant, sed etiam tribuunt, efficiuntque quod designant. Unde ad Hebræos scriptum est : Nihil ad perfectum Ibid. vii, 19. adduxit lex ; introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum. *Galat.* III, 24. Atque ad Galatas : Lex pædagogus noster fuit in Christo. Dicitur quippe lex Moysis disposuisse ad evangelicam legem, quoniam eam præfiguravit, Christi adventum prænuntiavit, et idololatriam reprobavit : idcirco lege evangelica promulgata, cessavit lex vetus.

Tertio idem probatur, quia lex evangelica bona cœlestia et æterna manifeste promittit, docet, et ad ea immediate introducit suos observatores perfectos; sed lex vetus bona illa non nisi obscure et typice præsignavit atque promisit. Ideo ad *Hebr.* X, 1. Hebræos dicitur : Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Lex namque Mosaica non nisi bona terrena suis observatoribus manifeste promisit. Itaque dum lex evangelica dicitur gratiam continere et dare, accipitur cum inclusione sacramentorum suorum : quæ sunt vasa spiritualiter medicinalia, gratiæ contentiva, quia per ea virtus et meritum Christi applicatur fidelibus. Et quia lex vetus talia sacramenta non habuit, idcirco virtute propria non justificavit, sed fide et gratia Christi tunc venturi, nunc missi, per cujus fidem opera hominum sub lege positorum, caritate concurrente, meritoria erant.

Quarto idem ostenditur, quoniam proprietates legis conveniunt perfectissime evangelicæ legi. Nam legis officium est homines facere virtuosos, ad quod præexigitur declinare a malo, hoc est a peccato recedere. Hinc primo spectat ad legem vitia exstirpare. Hoc autem lex humana perfecte non efficit, quoniam communitati proponitur, in qua plurimi sunt imperfecti, vitiosi et ad magna mala proclives : ideo quædam mala permittit, ut meretrices et usurarios, ne contingant pejora, quæ tamen divino relinquit judicio punienda. Lex quoque Mosaica, quoniam rudi et ad vitia prono dabatur populo, quædam permisit mala, ne deteriora fierent : *Deut.* XXIV, 1. permisit namque libellum repudii, ne crudeles Judæi uxores suas occiderent, et ad usuram accommodare extraneis, ne fratribus suis concederent ad usuram. *Deut.* XXIII, 19, 20. Hinc Christus ait Judæis : Ad duritiam cordis vestri Moyses permisit vobis dare libellum repudii. *Matth.* XIX, 8.

Sunt autem et alia multa in quibus lex evangelica omnem aliam legem tam naturalem quam Mosaicam et humanam transcendit, quia non solum omnia peccata excludit ac prohibet, sed etiam interiores actus, cogitationes et affectiones reformat; et non timore mali seu supplicii, ut lex vetus, sed amore boni inducit ad bene agendum. Compendiosissime quoque ac planissime descripta est atque proponitur; lex autem antiqua multis fuerat figuris tecta ac velaminibus involuta, prolixeque scripta ac tradita : nam in ea sæpius eadem repetuntur. Verum de hac materia multo plenius scripsi in proœmio super Lucam.

Quoniam ergo ipsemet Unigenitus Dei, Verbum æternum, verus Deus, ad nos descendere, et proprio ore nos informare, legemque dare dignatus est, non simus ingrati caritati, dignationi, pietati et beneficiis ejus, neque præceptis ejus rebelles, sed omni cum diligentia, caritate et perseverantia serviamus eidem. Legitur quod fuit quidam Sarracenus, qui volens fieri Christianus, venit Romam. Quumque vidisset Romanum Pontificem in suo ornatu, et dominos cardinales ac clerum in divino Officio, valde complacuit ei. Deinde a domino Papa baptizatus, rogavit se Largum vocari, dicens : Quemadmodum Christus fuit largissimus hominibus, proprium sanguinem fundens pro eis, atque se totum eis communicans et impendens; sic ego pro posse et modulo meo volo esse largus Domino Jesu Christo, me totum ejus obsequiis deputando, ejusque fidem inter Sarracenos prædicando, et si opus fuerit, pro ipso etiam moriendo. Itaque Largus ille bene instructus in fide et desuper illustratus, ad Sarracenos reversus, fidem Christi eisdem fortiter prædicavit. Ad gloriam Dei.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

EXIENS JESUS DE FINIBUS TYRI, VENIT PER SIDONEM, ETC. Marc. VII, 31-37.

EVANGELISTA Marcus in præsenti A evangelio describit curationem cujusdam hominis qui fuit surdus et mutus. Textus autem quantum ad sensum litteralem, difficultatem non habet : idcirco immorandum non reor. Itaque ait : *Exiens Jesus de finibus Tyri,* quæ fuit urbs antiqua ac opulenta, et olim clarissima, de cujus excellentia in Ezechiele multa conscripta sunt, Ezech. XXVI-XXVIII. *venit per Sidonem* civitatem *ad mare Galilææ,* quod alio nomine dicitur mare Tiberiadis, Joann. VI, 1. *inter medios fines Decapoleos,* id est regionis decem urbium B quibus (ut dicitur) cingebatur hoc mare. *Et adducunt ei* turbæ *surdum et mutum,* videlicet unum qui fuit surdus et mutus. Qui, ut dicunt nonnulli, fuit surdus et mutus non ex causa naturali, sed ex dæmonis ipsum possidentis operatione. Unde in Matthæo legitur : Matth. XII, 22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus.

Et apprehendens eum de turba seorsum, id est, Jesus extra turbam ducens hunc surdum et mutum. Cur duxit eum seorsum ? Respondetur, ut doceret vanam C gloriam in magnis operibus esse vitandam; vel quia turba fuit indigna videre istud miraculum, quoniam forsitan ex curiositate optavit aliquid rarum videre; vel ad insinuandum quod spiritualiter surdi et muti plerumque sint seorsum monendi ac instruendi, ne ex humano rubore propter præsentes ab advertentia et pœnitentia retrahantur. *Misit digitos suos in auriculas ejus.* Hoc fecit Salvator : primo, ad innuendum quod divinitas sua operabatur per corpus suum et corporis membra, tanquam D per instrumentum proprium, animatum, conjunctum; secundo, quia per digitos, ratione articulationis et distinctionis eorum, designatur discretio : quæ valde necessaria est ad aperiendum aures interiores hominis spiritualiter surdi, hoc est ad audiendum verbum Dei graviter indurati et clausi. *Et exspuens, tetigit* sputo suo *linguam ejus :* quoniam per salivam, sine qua verba perfecte formari non valent, sapientia figuratur, quæ os mentis, videlicet intellectum, quo interiora verba proferuntur, spiritualiter irrigat, gustumque confert eidem. Exspuit itaque Jesus, et sputo suo tetigit linguam hujus infirmi, ad designandum quod qui mutus est a prolatione verborum cœlestium atque salubrium, recte et meritorie loqui nequit, nisi dono sapientiæ intus ornetur, tangatur et perfundatur.

Et suspiciens in cœlum, ad demonstrandum quod tota virtus sua esset a Patre cœlesti, quodque ab eo auxilium haberet secundum quod homo, *ingemuit :* non utique propter difficultatem faciendi miraculum, sed ex compassione qua non solum condoluit illi infirmo, sed universis qui dæmonum dominatione premuntur, et item ad ostendendum quam difficulter curetur anima spiritualiter surda ac muta, utpote quæ verba Dei invite audit, inviteque profert. Unde in suscitatione Joann. XI, 33, 35, 38. Lazari turbavit se ipsum, fremens spiritu, et lacrimas fundens, ad declarandum quod peccatores pravæ consuetudinis mole pressi, utpote vitiis indurati, super quos clausit puteus os suum, Ps. LXVIII, 16. id est, in profundo vitiorum demersi sunt, qui designantur per Lazarum quatriduanum mortuum, Joann. XI, 39. difficillime convertuntur : non quod ex parte Dei sit difficultas, quoniam omnipotenti et infinitæ potestati omnia æque facillima sunt; sed ex indispositione talium. Ideoque Christus ad cœlum adspexit atque A ingemuit, ut doceret nos suo exemplo in orationibus nostris in cœlum adspicere, et ad Deum suspirare ac gemere, juxta *Ps.* cxxii, 1. illud : Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. *Et ait* Jesus *illi* surdo ac muto : *Ephphetha, quod est,* id est significat, *adaperire,* id est, jubeo ut aperiaris tu auris et lingua hujus infirmi. *Et statim apertæ sunt aures ejus,* id est ad audiendum aptatæ, et naturali usui redditæ, *et solutum est vinculum,* id est impedimentum, *linguæ ejus, et loquebatur recte,* id est convenienter B et prompte. Sicque idem fuit verborum et operum horum miraculosorum momentum. Tanta fuit Christi potestas, quod ejus dixisse fuit egisse. Consimiliter, qui intus illuminatur ac emollitur, atque accenditur ad audiendum et proferendum verba salutis, loquitur recte, id est discrete ac sapienter, juxta illud Apostoli : *Coloss.* iv, 6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.

Et præcepit illis, videlicet turbæ, *ne cui dicerent,* id est, nemini recitarent C illud miraculum. Quod ideo jussit, ut daret nobis exemplum vitandi vanitatem laudis humanæ atque jactantiam. Interdum vero Christus voluit miracula sua aliis recitari, ad gloriam Dei ædificationemque populi. *Quanto autem eis præcipiebat* tacere hoc opus, *tanto plus prædicabant* illud : non ex contemptu, sed devotione et admiratione potestatis divinæ. Idcirco non fuerunt proprie inobedientes, quia præceptum Christi fuit intelligendum, ne ad jactantiam diceretur. Præceptum tamen Christi rationabile fuit, et turba etiam pie movebatur ad oppositum, quia utrumque bonum fuit secundum considerationes diversas. *Et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit.* De quibus omnibus subditur, ut sit distributio accommoda. Omnia quoque quæ fecit, bene fecit, utpote sapienter. *Et surdos fecit audire, et mutos loqui.* Quamvis enim Marcus non exprimat hic nisi de unius surdi et muti curatione, tamen dum Christus istum curavit, curaverat etiam alios multos surdos et mutos, et cæcos ac debiles, *Matth.* xv, 30. ut in Matthæo legitur. Sed Marcus scribit specialiter de hoc uno, quia curatio ejus solennius facta est, et multa mystica præfiguravit. Verumtamen certus non sum an surdus iste sit idem de quo scribit Matthæus, *Ibid.* xii, 22. asserens eum fuisse obsessum.

SERMO SECUNDUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE CURATIONIS SURDI AC MUTI.

E*CCE Deus vester ipse veniet, et salvabit* D *vos : tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Is. xxxv, 4-6.

Beatissimus Isaias propheta verba hæc de Christi adventu prædixit. Christus etenim (de quo in prima Joannis Canonica *I Joann.* v, 20. scriptum est : Hic est verus Deus et vita æterna) venit per incarnationem suam ad homines, et eos salvavit, quemadmodum angelus dixit ad Joseph : Vocabis nomen *Matth.* i, 21. ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum. Denique miracula in verbis his Isaiæ prætacta, et plura alia ac majora, Christus inter homines ambulans, corporaliter spiritualiterque peregit. Unde et in evangelio hodierno describitur unius surdi ac muti curatio. *Marc.* vii, 31 et seq.

Circa quam multa mystice sunt pensanda. Et primo, qui per eum spiritualiter designentur : quod in expositione textus aliqualiter est expressum. Itaque per hunc surdum et mutum, intelligendi sunt omnes iniqui qui verbis Dei obedire negligunt aut contemnunt, et etiam universi qui sua peccata sinceriter confiteri non curant, itemque qui ab orationibus et laudibus Dei tepescunt. Hi omnes merito surdi vocantur, quoniam verba salutis aut omnino non audiunt, aut si ea corporaliter audiunt, non tamen secundum eadem conversantur, sed in suis permanent fœditatibus et peccatis. Hinc Christus in Evangelio sæpe hortatur : Qui habet aures audiendi, audiat. *Matth.* XI, 15; XIII, 9; *Luc.* XIV, 35; etc. In quibus verbis insinuat, eos qui verba Dei non audiunt per salubrem effectum, per obedientiam et consensum, aures cordis non habere, ideoque spiritualiter surdos esse. De taliter surdo loquitur Deus apud Isaiam : *Is.* XLII, 19. Quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi ? Quod quamvis ad litteram dictum sit de indurato populo Judæorum, ad quos Deus misit nuntios suos, puta Prophetas, quos populus ille obedientialiter audire contempsit; nihilo minus spiritualiter Christus hæc dicit de unoquoque pravo rebellique Christiano, ad quem Deus mittit quotidie nuntios suos, videlicet prælatos ac prædicatores, aut quoslibet exhortatores devotos : imo unicuique deputavit angelum sanctum pro custode et jugi exhortatore ad bona. Sed omnes istos miser peccator audire effectualiter aspernatur : idcirco durus est valde, et nequaquam obtemperans documento apostoli Jacobi admonentis, *Jacob.* I, 19. Sit omnis homo velox ad audiendum. Unde de talibus apud Jeremiam Dominus loquitur : *Jer.* V, 3. Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti.

Denique unicuique tali diligenter pensandum est et vehementer pavendum quod ad Romanos ait Apostolus : *Rom.* II, 3-5. Existimas, o homo qui talia agis, quod tu effugies judicium Dei ? An divitias bonitatis Dei, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die justi judicii Dei. O, o, evigilet unusquisque ad verba ista cœlestia, terrifica et divina, et emendet se ipsum, quia nescimus diem nec horam, *Matth.* XXV, 13. estque horrendum incidere in manus Dei viventis. *Hebr.* X, 31.

Secundo circa curationem hujus surdi et muti considerandum est, quod turba duxit eum ad Christum. Per quod spiritualiter datur intelligi, quod mente surdi seu vitiosi, per se ipsos non valent ad Deum accedere, quum non sint in caritate, quæ sola ducit ad Deum et movet sursum, ascendens ut ignis : quemadmodum in carnali attendi potest amore, qui tanquam pondus gravissimum semper trahit deorsum, ad caduca, immunda et vana inclinans. Propterea vita hominis carnali amore infecti, non est nisi cursus ad tormenta inferni. Hinc talis indiget per alios ad Christum adduci. Quod fit dum homines timorati jugiter ac ferventer orant pro ipso, ut gratia conversionis infundatur ei a Deo : quemadmodum devotissima mater B. Augustini lacrimose ac instantissime oravit pro filio suo Augustino adhuc decepto et lubrico. Per alios quoque peccator ad Deum deducitur, dum homo devotus transgressorem ad pœnitentiam ferventer hortatur, exemplo Christi qui prædicavit : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum; *Matth.* IV, 17. itemque, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. *Luc.* XIII, 3, 5. Et ita peccatorem ad Christum adducere, spectat præcipue ad animarum curam habentes, quorum unicuique dicit Apostolus ad Timotheum : *II Tim.* IV, 2. Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia.

Postremo, taliter surdus et mutus propriam infirmitatem insufficientiamque cognoscens, aliorum debet suffragia quærere, rogando eos ut orent pro se, juxta illud in Job : *Job* V, 1. Ad aliquem Sanctorum convertere. Videmus in sæculo isto, quod rei et balbi volentes suo principi reconciliari, quoniam coram illo apparere non audent, nec formare verba congrua possunt, quærunt prolocutorem facundum et principi A carum, qui loquatur pro eis : sic miseri peccatores Deo reconciliari cupientes, facere debent, ad devotos et sanctos confugiendo, qui orent pro eis. Nihilo minus peccator quantumlibet magnus, etiam per- *Luc.* XVIII, 13. sonaliter orare debet pro se, exemplo publicani, de suis vitiis erubescendo, pectus tundendo, humiliterque dicendo : Deus, propitius esto mihi peccatori.

Præterea, quamvis præinducta secundum communem legem sint vera, nihilo minus Deus interdum peccatores etiam B valde magnos per se ipsum reducit ad se per instinctum internum, per illuminationem divinam, aut per apparitionem et comminationem terribilem, ut patet in *Act.* IX, 1 et seq. Paulo apostolo, qui quum proficisceretur Damascum ad persequendum fideles, subito in via, quum esset in itinere pessimo ac damnando proposito, repente apparuit ei Christus, et per comminationem terribilem eum convertit. Sic quoque per se IV *Reg.* XXI; II *Par.* XXXIII. ipsum Deus reduxit ad se Manassen regem Jerusalem, qui quum diu sceleratissimam C vitam duxisset, tandem a rege Assyriorum captus, vinctus atque in carcere positus, rediit ad cor et pœnituit valde, seque de cetero emendavit.

Tertio circa surdi et muti hujus curationem est attendendum, quod dum turba *Marc.* VII, 33. pro ejus sanatione rogasset, Christus apprehendit eumdem et duxit seorsum. Per quod duo sunt intelligenda. Primum, quod Deus frequenter confert aliquibus gratiam meritis ac precibus aliorum, utpote Sanctorum in cœlis triumphantium, ac devo- D torum in terris adhuc militantium. Unde *Num.* XIV, 2 et seq. quum filii Israel Deum graviter offendissent, contra Moysen murmurando, et sanctissimus Moyses pro illis Deum ardentissime exorasset, Deus dixit ad Moysen : *Ibid.* 20. Dimisi eis juxta verbum tuum. Denique, *Gen.* XVIII, 20 et seq. quum Deus subvertere vellet civitatem Sodomorum propter horrenda peccata eorum, et sanctus patriarcha Abraham oraret pro Sodomitis, Deus tandem dixit ad *Ibid.* 32. Abraham : Non subvertam civitatem, si invenero in ea decem homines justos. Item, quum tres amici Job Deum offendissent, disputando adversus Job, et eum injuste culpando, finita disputatione, Deus dixit ad unum illorum : Iratus est furor *Job* XLII, 7, 8. meus in te et in duos amicos tuos : ite ergo ad servum meum Job, et orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ne vobis imputetur stultitia. Hinc Jacobus : Orate *Jacob.* V, 16. (inquit) pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua. Instanter ergo et fervide deprecemur tam Sanctos in cœlo quam devotos in terra, potissimum Virginem gloriosam et angelos nostros custodes, ac Sanctos ad quos magis afficimur, ut misericordissime pro nobis intervenire dignentur.

Secundum (quod in hoc tertio datur intelligi) est, quod eos quos Deus a vitiis curat et salvat, oportet prava vitare consortia, atque a communi hominum per la- *Matth.* VII, 13. tam perditionis viam ambulantium conversatione discedere, et Deo in secreto crebrius vacare per orationes devotas, per meditationes salubres, per examinationem conscientiæ propriæ, per exercitia pœnitentiæ. Idcirco dicit Apostolus : Exite de II *Cor.* VI, 17. medio illorum, et immundum ne tetigeritis. Porro immunda non tangere, est rebus illicitis non consentire. Unde si quis corporaliter separari non valet ab habitaculis et societatibus impiorum, mente tamen ab eis se debet abstrahere, ita ut eorum peccatis non cooperetur, nec consentiat, neque communicet, sed potius quantum potest, redarguat ea, dicente Apostolo : Nolite *Ephes.* V, 11. communicare operibus tenebrarum, magis autem redarguite. Ideo ait Propheta : Bea- *Ps.* I, 1. tus vir qui non abiit in consilio impiorum, id est, a Deo non recessit, consentiendo consiliis pravis hominum iniquorum ; et in via peccatorum non stetit, id est, in vitiosis actibus non permansit; et in cathedra pestilentiæ non sedit, id est, mala exempla aliis non præbuit. In cathedra quippe pestilentiæ sedet, qui publice male vivit seu alios scandalizat : per quod eos spiritualiter, tanquam basiliscus, occidit.

Itaque vitanda sunt superborum et iracundorum lubricorumque hominum, imo et omnium vitiosorum consortia, quum scriptum sit : Cum perverso perverteris. *Ps.* XVII, 27. Mala namque societas trahit ad vitia, quemadmodum bona societas ad virtutes. Propter quod Salomon loquitur : Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis eis erit. *Prov.* XIII, 20.

Bonis ergo et timoratis atque prudentibus hominibus unusquisque se applicet, et verba salutis velociter obedienterque A audiat; nec ab orationibus et Dei laudibus, ac verbis salubribus obmutescat, sicut in Vitaspatrum legitur de duabus devotis uxoribus simul habitantibus, quæ desideraverunt a suis separari maritis, et vitam cœnobiticam assumere. Quibus quum mariti consentire non vellent, statuerunt feminæ illæ inter se, ut quamdiu pariter morarentur, nunquam otiosum aut indecens verbum proferrent : quod etiam fideliter servaverunt. Quo exemplo discant mulieres a suis loquacitatibus abstinere.

SERMO TERTIUS

DE SPIRITUALI INTELLECTU EORUM QUÆ CHRISTUS IN CURATIONE SURDI ET MUTI EGIT, AGITQUE IN DIES IN JUSTIFICATIONE PECCATORUM.

B*ENE omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui.* Marc. VII, 37.

Rectissime dixit turba de Christo, quod « bene omnia fecit ». Ipse enim est æterna et increata sapientia, de qua Sapiens ait quod attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. *Sap.* VIII, 1. Hinc Dominus noster Jesus Christus, qui solo verbo, imo solo imperio potuit surdum et mutum de quo in evangelio hodierno fit sermo, curare, ita non fecit, sed multa circa ipsius egit curationem. *Marc.* VII, 32 et seq. Nam duxit eum seorsum, et digitos suos misit in ejus auriculas; exspuit quoque, et sputo suo tetigit linguam illius; deinde adspexit in cœlum atque ingemuit, et postea dixit, Adaperire; postremo turbæ præcepit ut nemini dicerent istud miraculum. Per quæ omnia aliquid spiritualiter designavit : non enim sine causa condigna aliquid egit horum. Denique, cur surdum et mutum istum duxit seorsum, in præcedenti est introductum sermone. Nunc de aliorum spirituali intelligentia est dicendum.

Itaque, quod Christus digitos suos posuit in auribus hujus surdi, significat quod B nullus curatur ab interiori surditate, mutitate ac vitiis ceteris, nisi per infusionem Spiritus Sancti, qui tollit a mente ea per quæ surda et muta efficitur. Per digitum namque Spiritus Sanctus signatur, secundum quod Christus effatur : Si in digito Dei ejicio dæmonia. *Luc.* XI, 20. Peccata vero mortalia, quæcumque sint illa, efficiunt animam surdam, mutam et cæcam, imo et spiritualiter mortuam. Certum est autem peccata mortalia non auferri nisi per infusionem Spiritus Sancti. Præcipue tamen consue- C tudo prava efficit mentem mutam et surdam. Omne quippe mortale peccatum est quoddam obstaculum dividens inter Deum et mentem, Isaia testante ac asserente : Iniquitates vestræ diviserunt inter Deum vestrum et vos. *Is.* LIX, 2. Hinc manente isto obstaculo in anima peccatrice, non potest ipsa illuminari a Deo. Idcirco necessaria est infusio Spiritus Sancti, qui gratiam et virtutes infundendo, expellit et aufert peccata : quibus ablatis, capax est anima gratiæ amplioris. Propter quod loquitur Isaias : D Hic est omnis fructus, ut auferatur iniquitas. *Ibid.* XXVII, 9. Quicumque igitur mortali sordet peccato, auxilium Spiritus Sancti imploret, A qui simul auferat vitia et largiatur virtutes.

Secundum fuit, quod Christus sputo suo linguam tetigit surdi et muti istius. Per quod significatur quod homo spiritualiter mutus, hoc est a verbis salutaribus silens, nec meritorie quidpiam loquens, non potest curari a vitio isto, nisi a Christo donum sapientiæ sortiatur : quia (ut dictum est) per salivam sapientia designatur. Quod enim peccator a verbis salutaribus obmutescit, hinc oritur quod ea quæ Dei sunt, B sibi non sapiunt, sicut testatur Apostolus : *I Cor.* II, 14. Animalis homo non percipit ea quæ sunt *I Petr.* II, 3. Spiritus Dei. Nec gustat quam dulcis est Deus, nec cœlestia et æterna bona desiderat, sed tota ejus affectio est ad carnalia et terrena, in quibus tantummodo delectatur. Quum ergo per donum sapientiæ contempletur anima Deum creatorem suum et spiritualia bona, non nudo intuitu, sed cum gustu interno (sapientia enim quasi sapida scientia dicitur, et a sapore nomen accepit), hinc constat, quod dum dono sa- C *Ps.* LXXXIV, 9. pientiæ perfunditur anima, protinus audit quid loquatur in ea Dominus Deus, et incipit loqui ea quæ Dei sunt et salutem concernunt. Tuncque carnalia et caduca ei desipiunt, solusque Deus super omnia complacet ei, atque ad spiritualia bona gratiæ ac virtutum anhelat, quia in eis quotidie cupit proficere. Ad futura quo- *Ps.* XXV, 8. que gloriæ dona adspirat, dicendo : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum *Ps.* LXXXIII, 2, 3. habitationis gloriæ tuæ. Itemque : Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! D Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Itaque pro infusione, incremento ac perfectione doni sapientiæ, Deum fideliter deprecemur, omnemque carnalem prudentiam ac mundanam versutiam detestemur, *Rom.* VIII, 6. quum dicat Apostolus : Prudentia carnis *Prov.* XIV, 17. mors est. Et Salomon : Vir (inquit) versutus odibilis est. Porro, quanto plus avertit se homo a delectatione carnali, a consolatione mundana, a desiderio terrenorum, tanto aptior redditur ad degustationem internam suavitatis divinæ, tantoque amplius in virtutum operibus delectatur, præsertim in consideratione infinitæ perfectionis et gloriæ Dei omnipotentis, ita ut dicat : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, *Ps.* XXX, 20. Domine ! et denuo, Melior est dies una in *Ps.* LXXXIII, 11. atriis tuis super millia. Certum est equidem quod in his quæ homo plus diligit, amplius delectatur, et de talibus libentius loquitur. Qui ergo super omnia diligit Deum, in ipso delectationem et consolationem potissimum quærit ac invenit.

Tertium fuit, quod Christus ad cœlum adspexit. Per quod docuit nos, in omni tribulatione et angustia ad Deum confugere, ejus succursum et consolationem quærendo, sicut et Josaphat rex testatur : Quum *II Par.* XX, 12. ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros levemus ad te, Domine Deus. Quotidie quoque in orationibus et meditationibus nostris debemus ad cœlum adspicere, id est Creatorem cœlorum in cœlo habitantem cogitare ac contemplari, sicut ait Propheta : Ad te, Domine, levavi animam *Ps.* XXIV, 1. meam ; et item, Ad te levavi oculos meos, *Ps.* CXXII, 1. qui habitas in cœlis. Insuper debemus cœlum adspicere, quatenus ex consideratione cœlorum et planetarum ac siderum, et velocissimi motus multiplicisque virtutis ac ornatus eorum, elevetur mens nostra ad contemplationem Dei creatoris universorum. Causa namque ex suo effectu cognoscitur. Hinc etenim Isaias hortatur : Leva- *Is.* XL, 26. te oculos vestros in cœlum, et videte quis creavit hæc. Et Sapiens dicit : A magnitu- *Sap.* XIII, 5. dine speciei creaturæ poterit Creator cognoscibiliter videri. Ex contemplatione quoque infinitæ bonitatis, et sapientiæ ac omnipotentiæ Dei, debemus ejus amore accendi, et ipsum cum ingenti reverentia admirari, eum quoque vereri, atque in omnibus semper pro posse humiliter venerari.

Quartum fuit, quod Christus ingemuit. Per quod docuit nos, Deum cum intimo gemitu invocare, et propter peccata nostra ac aliorum ingemiscere ac dolere, desiderio A quoque spiritualis profectus ac futuræ beatitudinis gemitus cordiales effundere. Itaque omnem vanam lætitiam aspernemur, soli Altissimo placere conemur, ad confitendum peccata nostra, ad orationes Deique laudes proni ac fervidi simus.

Legitur in libro de Viris illustribus Ordinis Cisterciensium, quod semel quidam vir illustris nomine Henricus, cognatus regis Franciæ, visitavit S. Bernardum. Quumque redire vellet, rogavit B. Bernardum ut Fratres, id est monachi ejus, orarent pro B ipso. Respondit Bernardus : Faciam, et cito senties fructum orationum Fratrum istorum. Protinus ergo Bernardus convocans Fratres, dixit : Dominus Henricus petit orationes vestras, ideo hortor ut statim unanimiter ac ferventer oretis pro ipso. Moxque Fratres facere hoc cœperunt. Et statim Bernardus rediit ad Henricum, qui virtute orationum Fratrum interim tactus fuit a Spiritu Sancto, et compunctus corde petiit a B. Bernardo in monachum recipi : quod Bernardus cum ingenti gaudio fecit. C Fratres quoque de tam nobilissimi viri conversione multum lætati sunt, et gratias Deo egerunt, qui preces eorum exaudivit tam cito.

Habuit autem idem dominus Henricus secum inter ceteros famulum quemdam, virum perversum. Qui visa domini sui conversione, cœpit vehementissime indignari, et pessime loqui ac maledicere S. Bernardo, vocando eum seductorem, pseudoprophetam, hypocritam, et quidquid potuit excogitare malignum, in tantum quod hi D qui aderant, ægre ferebant quod diabolicus ille homo tam pravissime loquebatur viro sanctissimo. Quibus dixit Bernardus : Dimittite eum, anima enim ejus in amaritudine est, et ipse quoque est noster. Quo audito, famulus ille cœpit insultare Bernardo, et dicere : Nunc probabo te esse mentitum et falsum prophetam, et coram rege istud tibi objiciam, quia jam prophetasti quod nunquam fiet. Denique qui præsentes fuerunt, quamvis non crederent verba Bernardi posse cassari, satis tamen attoniti erant, et mirabantur qualiter fieri posset quod prædixit Bernardus, propter nimiam perversitatem viri illius. Itaque vir ille malignus altera die mane consurgens, et S. Bernardo ac toti ejus monasterio maledicens, recessit. Quumque paululum processisset, forsan per medium milliare aut circiter, cœpit infinita misericordia Dei in illo famulo operari, ejusque mentem alterare, illuminare, accendere. Qui sentiens se taliter immutari, mirabatur quid sibi acciderit; volensque progredi, non valebat, quia gratia Dei in ipso prævaluit. Statim ergo ad beatissimum patrem Bernardum revertens, veniam postulavit, et monachus fieri flagitavit, et factus est bonus religiosus. Præfatus quoque Henricus crevit in virum virtutum, et post aliquot annos factus episcopus, magnum peregit fructum in populo.

Ecce quam infinita est bonitas et misericordia Dei, et qualiter per preces et merita devotorum aliis gratiarum charismata elargitur. Ideo alios cordialiter deprecemur ut orent pro nobis, præsertim quum et Paulus apostolus tam frequenter rogaverit spirituales suos filios quos convertit, ut orarent pro eo.

Rom. xv, 30; I *Thess.* v, 25; II *Thess.* iii, 1; etc.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE EXCELLENTIIS LEGIS EVANGELICÆ SUPRA LEGEM VETEREM, ET QUA SANCTIMONIA NUNC VIVENDUM.

LITTERA *occidit, spiritus autem vivificat*. II Cor. III, 6.

In exordio hujus epistolæ docet sanctus Apostolus, quanta sit inidoneitas, infirmitas, impotentia seu insufficientia hominis ad promerendum vitam æternam, nisi per dona gratiæ desuper adjuvetur. Et de hoc jam in multis sermonibus plura sunt introducta. Ideo omnis præsumptio, jactantia, vana gloria, omnis elatio, procul diffugiant, imperfectumque nostrum videant oculi nostri, et in Deo sit tota spes nostra, ejus adjutorio semper inhæreamus, ipsum jugiter invocemus, omne bonum ei humillime adscribamus, ei indesinenter regratiantes, ipsum in omnibus laudantes et venerantes. Ps. CXXXVIII, 16.

Insuper docet, quanta sit excellentia evangelicæ legis supra legem Mosaicam, ut informet fideles quomodo spiritualius atque perfectius debeant conversari modo in novo Testamento, quam olim Israeliticus populus vixit in veteri. Quemadmodum autem Moyses fuit in multis figura Christi, sic lex data per Moysen, dispositio fuit ad legem a Christo collatam. Ideo sicut se habet dispositio ad habitum, imperfectum ad perfectum, medium ad finem, umbra ad lucem, typus ad veritatem, sic se habet lex Moysis ad legem Christi. Hæc ergo est una excellentia legis evangelicæ supra veterem legem. Secunda est, quod ipse legislator evangelicæ legis, videlicet Christus, incomparabiliter est sanctior, dignior, sapientior legislatore veteris Testa- A menti, utpote Moyse. Tertia, quia lex evangelica immediate et evidenter promittit bona cœlestia et æterna, sed lex Mosaica non promisit manifeste et immediate nisi bona terrena. Quarta, quia lex nova multo compendiosius data et scripta est quam lex vetus, in qua eadem sæpissime repetuntur. Quinta, quoniam evangelica lex multo evidentiorem et excellentiorem doctrinam tradit de Deo, quam lex illa Mosaica. In qua evangelica lege, ea quæ ad supergloriosissimæ Trinitatis spectant no- B titiam, atque ad Christi mysteria et ad salutem humanam, multo limpidius edocentur quam in veteri lege.

Sexta, quoniam lex evangelica gratiam non solum promittit, sed etiam confert; nec solum præcipit actus virtutum, sed etiam præstat virtutem ea implendi; nec solum futuram felicitatem denuntiat, sed ad eam quoque observatores suos inducit. Et istud totum intelligendum est, in quantum accipitur lex evangelica cum suorum inclusione sacramentorum, quæ gratiam C continent et etiam præstant. Talia vero non erant legis veteris sacramenta : ideo dicitur quod lex Moysis non continuit nec contulit gratiam, nec virtutem implendi sua præcepta donavit. Propter quod ab Apostolo appellatur ministratio mortis et damnationis, et virtus peccati, non directe, sed occasionaliter. II Cor. III, 7, 9; I Cor. XV, 56. Septima, quia lex nova, interiores motus, videlicet cogitationes et affectiones, perfectius ordinat et reformat quam vetus. Octava, quoniam pauciora ac salubriora habet præcepta et sacramenta lex evangelica quam vetusta. Imo ut Rabbi Moyses loquitur, Tot erant mandata in Moysis lege, quot sunt dies in anno, et quot ossa in homine. Hinc princeps Apostolorum vocat eam importabile *Act.* xv, 10. jugum. Nona, quoniam proprietates legis multo excellentius conveniunt novæ legi. Proprietates etenim legis sunt, vitia exstirpare, virtutes inducere, præmia polliceri, bene agentes remunerare, iniquos punire, communitati proponi, plane et succinctim præstari. Quæ omnia evangelicæ legi perfectissime competunt. Ipsa etenim nullum permittit peccatum, æternam beatitudinem obedientibus pollicetur. Porro lex humana permittit plurima mala; in veteri quoque lege permittebantur libellus repudii et *Deut.* xxiv, 1; xxiii, 19, 20. usura circa extraneos. Decima, quoniam lex nova inducit ad vitandum peccata et ad implendum præcepta atque consilia amore boni. Vetus autem lex induxit ad hæc timore supplicii: nam et transgressoribus suis etiam in præsenti corporalem intulit mortem.

Deinde, quo legislator noster est altior, eo evangelicæ legis præcepta non observare enormius damnabiliusque consistit. Propter quod ad Hebræos scribit Apostolus: *Hebr.* x, 28, 29. Irritam quis faciens legem Moysis, absque ulla contradictione, duobus aut tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Sed inter hæc vigilantissime intueamur quam virtuose, quam spiritualiter et perfecte obligemur vivere.

Consideremus in primis, qualiter conversari teneamur in quantum Christiani, deinde in quantum sacerdotes, deinceps in quantum religiosi, hujus aut hujus Ordinis professores. Certe qualiter vivere teneamur in quantum Christiani, ex Evangelio demonstratur, utpote: per arctam *Matth.* vii, 14. viam incedere, inimicos diligere, pro per- *Ibid.* v, 44. sequentibus exorare, forefactoribus bene- A facere, omnem iram et contumeliam in tantum vitare, ut qui dixerit proximo suo, Fatue, peccet mortaliter; *Matth.* v, 22. omnem quoque superbiam, acediam, invidiam, incontinentiam, avaritiam, gulam abjicere; humilitatem, caritatem, continentiam, liberalitatem temperantiamque amplecti; nos ipsos et omnia quæ habemus et agimus, referre ad Dei gloriam et honorem; opera misericordiæ corporalia ac spiritualia exercere, sicque proximis facere sicut ab illis fieri *Ibid.* vii, 12. volumus nobis; præcepta quoque Ecclesiæ B observare, et superioribus nostris Dei vicariis tanquam Deo humiliter obedire; in omnibus simpliciter, innocenter, humiliter nos habere, neminem scandalizare, omnes ædificare. Ad ista ac multa similia tenemur, in quantum Christiani; porro, ut sacerdotes, pene ad omnia illa quæ Apostolus in epistolis ad Timotheum ac Titum docet ad episcopos pertinere: siquidem quæ ibi de episcopis scribit, de sacerdotibus quoque intelliguntur, secundum doctores. Ad qualia vero teneamur in quan- C tum religiosi, docet Regula nostra sive Statuta.

Quantum ergo erubescendum est nobis, quam confusibiliter nos habemus, quam fœde ac viliter agimus, dum mutuo scandalizamus, quando contendimus, quando irascimur, dum querulosi, turbulenti, inquieti exsistimus, dum pro malo reddimus malum, et optamus vindictam, ac molestanti vicem rependimus, dum unus adversus alterum inflatur, quando cibo et potu immoderate replemur, dum curiosi D et cupidi sumus et ad divina acediosi: quia in omnibus istis non solum contra sacram religionem cujus sumus professores, nec solum contra præcepta ordinis sacerdotalis cujus sumus exsecutores, sed etiam contra evangelicæ legis operamur præcepta; ita quod non solum sumus indigni religiosi ac sacerdotes vocari, imo Christiano nomine censemur indigni, remotissimeque distamus a monastica perfectione atque a nostræ professionis impletione. Et de hoc in libro de Nomine

A christiano multa loquitur Augustinus, inter cetera dicens : Ille veraciter christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omnino movetur injuria, qui nulla afficitur impatientia, crudelitate aut ira, qui in omnibus caritativus, mitis humilisque consistit, qui nemini nocet, et alienum dolorem tanquam proprium sentit, *Rom.* xii, 21. qui a malo non vincitur, sed malum vincit in bono, qui humanam laudem contemnit, et coram hominibus habetur inglorius, ut coram Deo glorietur et angelis. B Atque ut asserit Cyprianus, Christianus nemo recte dicitur, nisi qui Christi moribus conformatur.

Postremo certum est, religiosos esse debere exemplar evangelicæ puritatis, et sublimiter Christianitatis vocabulo esse condignos, ut se ipsos in cunctis exhibeant excellenter mansuetos, patientes, temperatos, justos, castos, misericordes, devotos, timoratos, custoditos et caritativos, et in omni virtute assidue crescant, in tantum ut quicumque adspexerit eos, ædificetur et Deum glorificet, ac fateri cogatur quod vere a Deo sit lex quæ hujusmodi præcipit vitam. Unde beatissimus princeps Apostolorum testatur : Hæc est voluntas Dei, ut *1 Petr.* ii, 15. benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Paulus quoque apostolus : In omnibus (inquit) te *Tit.* ii, 7, 8. ipsum præbe exemplum bonorum operum; verbum sanum sit et irreprehensibile, ut qui ex adverso est, vereatur, nihil mali habens loqui de nobis. Ut ergo tam sancte et irreprehensibiliter conversari possimus, Deum incessanter ac fervide cum omni fiducia invocemus in adjutorem.

SERMO QUINTUS

CAUSÆ SPECIALES QUÆ RELIGIOSUM REDDUNT SPIRITUALITER SURDUM AUT MUTUM.

C *SUSPICIENS Jesus in cœlum, ingemuit.* Marc. vii, 34.

In evangelio hodierno legitur, Christum quemdam curasse qui fuit surdus et mutus. Atque, ut multi affirmant, non erat surdus et mutus ex naturali causa, sed ex operatione obsidentis ipsum diaboli, juxta *Matth.* xii, 22. quod apud Matthæum fertur : Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus. Itaque per hunc surdum et mutum, spiritualiter intelligendus est negligens et perversus religiosus, qui per iter disciplinæ regularis non graditur, nec superiorum D suorum monitis acquiescit, et si corripiatur ac castigetur, amplius induratur et indignatur, nec loquitur verba salutis, nec sua confitetur peccata. Omnis qui talis est, non immerito surdus appellatur et mutus, et a diabolo obduratus. Deinceps, quum vita ista tam brevis sit et incerta, mors quoque incessanter propinquet, et tam ineffabiliter horrendum sit incidere in manus *Hebr.* x, 31. Dei viventis, cujus judicium tam districtum esse cognoscitur, atque post vitam hanc momentaneam pro uno peccato mortali infligatur æterna damnatio : nonne mirabile et supermirabile est quod rationalis creatura, potissimum in religione exsistens, potest sic excæcari et obdurari, quod spiritualiter tam surda et muta efficitur, ut nec blanda exhortatione, nec rigorosa increpatione, nec regulari disciplina provocetur ad meliora, sed absque Dei timore in suo persistit errore ? In talibus adimpletur quod Salomon loquitur : Considera opera *Eccle.* vii, 14. Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. Talis fuit Judas proditor Christi, quem tot miracula, tot caritatis indicia, tot avisationes et prædicationes, tot beneficia Salvatoris non averterunt a crimine *Luc.* xxii, 48. proditionis. Timeamus ergo et nos ne forte induretur quis nostrum fallacia vitiorum.

Præterea hanc animæ obdurationem, surditatem et mutitatem facit præcipue consuetudo prava, quæ tanquam gravissimum saxum opprimit animum, ne assurgat ad Deum. *Prov.* xviii, 3. Impius namque quum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Ideo omnis religiosus debet quotidie suam conscientiam serenare, nec spirituali patri quidquam abscondere, præsertim in confessione, ne in barathrum impii usus trahatur, *Ps.* lxviii, 16. ne eum demergat tempestas aquæ, neque absorbeat eum profundum, nec urgeat super eum puteus os suum. Unde quanto peccatum fuerit majus, tanto clarius et magis circumstantionale est confitendum, ne serpens in corde manens ac latens, venena sua diffundat in viscera mentis, sed funditus educatur ac obruatur. Hinc quoque vitanda est nobis omnis consuetudo mala, etiam in peccatis quæ parva videntur, ut in evagatione oculorum tempore divinorum, in risu et levitatis cujuscumque indiciis, et præsertim in fractione silentii; in negligentiis quoque quæ in orando, psallendo, meditando, celebrando, confitendo, solent admitti, ita quod sine diligenti cordis custodia, sine actuali attentione, absque distractionum refrenatione et absque debita summæ majestatis reverentia actus tales multoties fiunt ex quodam arido usu, corde insipido : quod vehementer ac summe cavendum est, præcipue ne frequenter sic accidat, et ne in usum ducatur, sed si quandoque ex humana fragilitate contigerit, mox homo redeat ad se ipsum, seque dire corripiat, valde pœniteat, dolorose confiteatur, digne castiget, diligenterque vitet, atque in tam sancto agone sit quotidiana occupatio nostra. Quantumcumque etenim culpa modica videatur, tamen in consuetudinem ducta, valde gravatur, nec tamen tunc gravior videtur, in tantum consuetudo prava obtenebrat mentem. Hinc asserit Augustinus : Moles imposita sepulcro, ipsa est dura vis consuetudinis qua premitur anima, nec resurgere nec respirare permittitur. Et iterum : Peccata (inquit) quamvis magna et horrenda, quum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur.

Secundo, præfatam surditatem ac mutitatem et indurationem in anima parit superbia. Qui enim sapientes et magni in suis sunt oculis, *Is.* v, 21. audaces et sibi placentes, proni sunt ad contradictionem, ad proprii sensus defensionem, ad disputandum contra superiorem, ad indignandum; nec faciliter acquiescunt, nisi eis dicantur seu injungantur ad quæ aliunde sunt inclinati, et ex voluntate propria affectati : in quibus quasi obediendo non vere obediunt, et parum aut nihil merentur, quoniam non ex caritate et virtute obedientiæ, sed ex propria potius voluntate seu affectione moventur. Hinc Cassianus disseruit : Superbia quum in monachi mente resederit, primo inobedientem eum reddit ac asperum, deinde eum mitem atque affabilem esse non patitur, nec æqualem communemque Fratribus esse sinit, nisi forsan ficte, dum ex ambitione se applicat desiderio proprii commodi ac honoris. Superbia non permittit monachum superiorum suorum institui disciplina, imo spiritualis verbi collationem sibi in nauseam vertit, in tantum ut sermocinatione salutari durante, visus ejus hinc inde discurrat, et pro devotis suspiriis sputa de sicco gutture traducantur, et exscreationes sine cessatione phlegmatis provocentur; sicque membra hinc inde moventur, ut quamdiu spiritualis collatio agitur, totum se scatentibus vermibus vel acutissimis credat sudibus insidere, et quidquid ad ædificationem profertur, ob suam suggillationem seu repræsentationem putat esse prolatum. Sicque spiritualis collatio ei non solum non prodest, imo majoris peccati fit occasio. Deinde post hæc, alta vox, rigidus sermo, amara et turbulenta responsio, incessus erectus, lingua loquax, nec taciturnitatis amica, nisi dum contra Fratrem aliquem rancorem mente conceperit : fitque silentium ejus, non compunctionis aut humilitatis, sed superbiæ et indignationis indicium.

A Tertio, surditatem et mutificationem ac indurationem præfatas facit amor carnalis, et prava voluptas, quæ tanquam pondera quædam trahunt mentem deorsum, et vitiis passionibusque subjiciunt tanto validius, quanto sensualis illa affectio et delectatio inordinata fuerint magis intensæ. Hinc gulosi et crapulosi verba salubria de sobrietate, abstinentia et corporis castigatione impatienter suscipiunt, nec per approbationem hæc audiunt, sed magis irrident. Vitandus ergo est religiosis omnis B amor carnalis, et universa sensualis affectio, tam circa se ipsos quam circa ceteros, et circa corporis alimenta, sed et circa vana solatia, circa ludos, jocos, confabulationes, discursus ac proprias libertates, in quibus assuefieri periculosum est maxime et omnino damnabile. Propterea in solo Deo gaudendum est, et exstirpanda est delectatio prava. Carnalis equidem amor, sensualis affectio atque immoderata delectatio, mirabiliter ac miserabiliter cor humanum excæcant, trahunt, variisque C peccatis involvunt.

Quarto, sic surdum, mutum et induratum facit religiosum duritia cordis, et immansio proprii sensus. Sunt etenim quidam partim ex naturali dispositione duri, indociles atque in sensu proprio pertinaces, qui nisi se ipsos fortiter vicerint, et salubrem sibi ipsis violentiam inferre sategerint, nunquam ad verum perducentur profectum.

Has ergo et alias animam surdificantes ac mutificantes et obdurantes causas et culpas vitemus, et juxta apostolica documenta, sit quilibet nostrum velox ad audiendum *Jacob.* I, 19. verba salutis, verba correptionis, ædificationis, informationis, non verba detractoria aut discordiæ seminativa, nec verba inania, nociva, turbativa, vel ad cachinnos moventia. Insuper Dominum deprecemur ut tollat in æternum a nobis cor lapideum, *Ezech.* XXXVI, 26. aversum, amarum, et præstet nobis cor carneum, cor compunctionis, devotionis omnisque gratiæ faciliter susceptivum, fortiter retentivum; et aperiamus os nostrum ad verba salubria, accusando nos ipsos, ædificandoque alios. Postremo, Christi exemplo adspiciamus in cœlum, ad Deum cœli levando cor nostrum, et super miseriis, defectuositatibus ac peccatis nostris cordialiter ac frequenter gemamus; misericordiam imploremus, et defleamus ac emendemus assidue nos ipsos, cum Propheta dicentes ac facientes quod ait : Sicut oculi ancillæ in manibus *Ps.* CXXII, 2. dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

SERMO SEXTUS

DE MYSTERIIS CURATIONIS SURDI ET MUTI, QUÆ IN SCOPUM SIBI PRÆFIGERE BONI DEBENT RELIGIOSI.

D *ADMIRABANTUR, dicentes: Bene omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui.* Marc. VII, 37.

Quando Salvator curavit surdum et mutum de quo præsens loquitur evangelium, curavit et alios multos surdos ac mutos, *Matth.* IX, 35; XV, 30. 31. cæcos quoque ac debiles, ut in Matthæo legitur, *Is.* XXXV, 4-6. implens quod in Isaia de ipso fuit prædictum : Ecce Deus vester veniet, et salvabit vos : tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. Verumtamen Marcus evangelista specialiter recitat de isto surdo et muto, *Marc.* VII, 32 et seq. quia in ejus curatione Christus multa mystice egit, et magna præfiguravit mysteria, atque solennius facta est hujus surdi ac muti curatio. Porro turba quæ omnia illa Christi conspexit miracula, de tot et *Marc.* vii, 37. tantis mirabilibus stupens, dixit : « Bene omnia fecit ». Dixitque hoc solum propter exteriora illa mirabilia : multo magis nos idem dicere possumus et debemus propter mysteria in hujus surdi et muti curatione signata. Cur etenim Christus, qui prote- I *Joann.* v, 20. stante Joanne apostolo, est verus Deus et *Deut.* xxxii, 4. vita æterna, cujus perfecta sunt opera, qui solo verbo, solo nutu, solo imperio potuit hunc curare, tanta egit in ejus curatione? Nam duxit eum seorsum, misitque digitos suos in auriculas ejus; et exspuens, tetigit sputo suo linguam ipsius; atque in cœlum suspiciens ac ingemiscens, dixit, Adaperire; deinde præcepit præsentibus ne istud alicui propalarent miraculum. Ecce omnia ista in grandi mysterio egit Salvator.

Denique, per hoc quod turba surdum et mutum istum, per se ipsum Dominum Jesum accedere non valentem, duxit ad eum, instruimur quod de Fratre indurato spiritualiterque surdo ac muto non faciliter desperemus, nec pro ejus conversione laborare cessemus : imo quum videmus nos nullo modo posse eum convertere, hortando, corripiendo, comminando, terrendo, corrigendo, offeramus eum cœlesti, omnipotenti, superpiissimo animarum medico, illum intente ac ferventer orando pro Fratre perverso. Multum, imo ineffabiliter multum complacet et commendat nos caritas, benevolentia, patientia, sollicitudo ac devotio ista, Deo qui ex sua pietate immensa, et merito ita agentium, frequenter spiritualiter curat hujusmodi Fratrem, quemadmodum ad instantiam turbæ corporaliter sanavit hunc surdum et mutum. Unde in vita S. Pacomii legitur, quod fuit in cœnobio illo Pacomii quidam juvenis monachus nomine Silvanus, multum inordinate se habens et levis, alios quoque quosdam juniores sibi alliciens atque inficiens. Propter quod seniores voluerunt Fratrem illum expellere, et de hoc sæpe loquebantur Pacomio. Qui beatissimus pater et vir apostolicæ sanctitatis, rogavit Fratres illos patientiam ad tempus habere A cum juvene illo, et orare pro ipso; et ipse Pacomius pro eodem instanter oravit. Paulo post Deus omnipotens et benignus, tanta compunctione et gratia, tanto devotionis fervore, tam profundissima humilitate implevit mentem Silvani, quod jugiter in omni loco ploravit, nec tempore refectionis a lacrimis se potuit refrenare, ita ut sanctus pater Pacomius testabatur de illo, quod nullus in toto suo monasterio sic esset humilitatem secutus, ut frater Silvanus. Quo post paucos annos moriente, B dixit Pacomius animam ejus cum gaudio ab angelis sanctis esse susceptam. Itaque consideret quilibet nostrum quam misericorditer ac patientissime egerit Deus secum, et similiter agat etiam ipse cum proximis suis errantibus.

Insuper, per hoc quod Salvator surdum et mutum duxit seorsum, insinuatur quod eos qui volunt mente curari et gratiarum charismatibus adimpleri, necesse sit prava et dissoluta vitare consortia, et Deo crebrius in secreto vacare, orando, meditan- C do, se ipsum discutiendo, et peculiaria devotionis exercitia peragendo, exemplo dicentis : Ecce elongavi fugiens, et mansi *Ps.* liv, 8. in solitudine; itemque, Similis factus sum *Ps.* ci, 7. pellicano solitudinis. Hinc vitanda est familiaritas eorum qui in religione irreligiose se habent, videlicet negligenter, præsertim inobedientium et practicantium, qui superiori suo de facili rebelles sunt, non pensantes quod scriptum est : Quasi I *Reg.* xv, 23. peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Quo- D circa ait Gregorius, et habetur in Decreto : Vitium paganitatis incurrit, qui superioribus suis injuste resistit. Amplius, per hoc quod Dominus Jesus surdum et mutum duxit seorsum, datur intelligi quod homo societati iniquorum populariumque admixtus, non est faciliter capax gratiæ Dei, sed ab illis se retrahens ac se ipsum recolligens, fit aptus ad illuminationem supernam. Rursus fecit hoc Christus, ut doceret vanam gloriam esse vitandam, atque ad designandum quod spiritualiter surdi et muti sint interdum seorsum hortandi ac informandi, ne si hoc publice fiat, ex humano rubore ab advertentia et pœnitentia se avertant.

At vero Dei Filius incarnatus digitos suos in auribus posuit surdi et muti istius, ad designandum quod sua divinitas operabatur per corpus suum et corporis membra, tanquam per instrumentum animatum, proprium et conjunctum ; item, quia per digitos, propter eorum articularizationem ac distinctionem, signatur discretio, quæ ad aperiendum interiores aures B valde est necessaria. Rursus, quum Spiritus Sanctus digitus Dei appelletur, per positionem digitorum Christi in auribus surdi et muti, exprimitur quod a spirituali surditate ac mutitate nemo curetur, nisi per infusionem donorum Spiritus Sancti. Rogemus ergo et nos Dominum salvatorem, ut veram discretionem ac dona Spiritus Sancti ponat semper in cordibus nostris, *I Cor.* XIV, 40. quatenus honeste et secundum ordinem omnia fiant in nobis. Discretio quippe, teste S. Antonio, specialissime necessaria C est monacho, ut suo loco et tempore omnia faciat ordinate, regia via incedens, nec majus nec minus quam congruit agens.

Præterea, per salivam, sine qua verba completa formari non queunt, sapientia designatur, quæ os animæ, utpote intellectum, verba mentalia proferentem, rigat, et dulcem ei saporem largitur. Per hoc ergo quod Dominus sputo suo linguam hujus tetigit surdi et muti, docemur quod recte ac meritorie loqui non possumus, nisi dono sapientiæ desuper irrigemur ac per- D *Prov.* X, 19. fundamur. Propter quod scriptum est : Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Quemadmodum enim multiloquium si- *Eccle.* X, 14. gnum est stultitiæ (juxta illud : Stultus *Prov.* XXIX, 11. verba multiplicat ; et, Totum spiritum suum profert stultus), sic taciturnitas et moderata locutio, sapientiæ est indicium et *Job* XIII, 5. effectus. Propter quod ait Scriptura : Utinam taceretis, ut putaremini sapientes ; et *Prov.* XXIX, 11. denuo : Sapiens reservat et differt in posterum. Deprecemur itaque Dominum ut A dono sapientiæ linguam nostram in omnibus gubernare dignetur, et cum Propheta oremus : Pone, Domine, custodiam ori meo, *Ps.* CXL, 3. et ostium circumstantiæ labiis meis. Dei *Prov.* XVI, 1. etenim est gubernare linguam, quam nul- *Jacob.* III, 8. lus sine gratia potest domare. Nempe, quod de terrenis, vanis, inutilibus libentius quam de spiritualibus ac divinis conferimus, quid est nisi quia ea quæ Dei sunt, nobis non sapiunt, nec gustamus quam dulcis est *I Petr.* II, 3. Dominus, sed vana et frivola meditamur? Sicque ex abundantia cordis os loqui- *Matth.* XII, 34. B tur. Quum autem sapientiæ dono perfundimur, et spirituales atque interni efficimur, gustantes quam magna sit multitudo *Ps.* XXX, 20. dulcedinis Dei, mox otiosa et infructuosa detestamur colloquia, et de pertinentibus ad Dei honorem, ad animarum salutem, ad proximorum ædificationem loquimur.

Præterea, Christus adspexit in cœlum, *Marc.* VII, 34. ad designandum quod omnis potestas et virtus sit a Patre cœlesti. Ingemuit quoque, non ob difficultatem curandi hunc surdum et mutum, sed ex generali et inti- C ma compassione qua cunctis spiritualiter mutis et surdis compatiebatur, et item ad insinuandum quod tales difficulter convertuntur, non ex impotentia Dei, sed propter indispositionem eorum. Simili ratione in suscitatione Lazari vidit in cœlum, tur- *Joann.* XI, 33, 35, 38, 41. bavit se ipsum, fremuit spiritu et ploravit. Postremo, Christus gemitu suo nos docuit, Deum cum interna contritione cordialique gemitu invocare, et propter nostra ac proximorum peccata gemere ac dolere, desiderio quoque vitæ perfectioris ac quo- D tidiani profectus beatitudinisque futuræ, et maxime ex affectu communis reformationis Ecclesiæ præcordiales gemitus Deo offerre, et vanam lætitiam abhorrere. Jussit quoque miraculum non referri, ut doceret nos vanam ostentationem et laudem humanam aspernari ac fugere, solique Deo velle placere, proximis autem in Deo ordinate ad Dei honorem et ipsorum ædificationem, ut sit semper in omnibus recta et sincera nostra intentio. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

DOMINICA XIII POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

ABRAHÆ DICTÆ SUNT PROMISSIONES, ETC. Galat. III, 16-22.

OSTENDIT Apostolus in præsenti epistola, quod non virtute legis Mosaicæ, sed per fidem Christi consequantur fideles felicitatem æternam ac gratiam : quod etiam in præcedentis dominicæ est declaratum epistola, et in sermone ei annexo.

Abrahæ dictæ, id est divinitus factæ, *sunt promissiones.* Nam sicut in Genesi legitur per diversa capitula, frequenter facta est ei promissio de Christo, quod nasciturus esset ex semine ejus, ut quum dictum est ei : In semine tuo benedicentur omnes gentes. Aliæ quoque promissiones quamplures factæ sunt Abrahæ, utpote de possessione Terræ sanctæ, et de innumerabili multiplicatione seminis sui. Itaque Abrahæ factæ sunt promissiones, *et semini ejus,* id est Christo filio Abrahæ secundum humanam naturam, juxta illud Matthæi : Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Factæ sunt autem promissiones tunc Christo, non quod ad eum tunc nondum incarnatum fiebant, sed quia pertinebant ad eum, tanquam implendæ per ipsum. Siquidem per Christum data est benedictio omnibus gentibus, quæ fuit principalis promissio Abrahæ facta. Hinc subditur :

Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18.
Ibid. XII, 7; XIII, 15, 16; XV, 5, 7; XXII, 17; etc.
Matth. I, 1.

Non dicit Scriptura Geneseos, *In seminibus, quasi in multis,* id est, promissionem semini Abrahæ, utpote Christo, factam, Scriptura non exprimit pluraliter, dicendo ad Abraham, In seminibus tuis benedicentur omnes gentes : quod faceret, A si de pluribus loqueretur; *sed quasi in uno,* id est, singulariter exprimit semen istud, dicendo : *Et semini tuo, qui est Christus,* id est, in Christo ex te nascituro, jam nato, benedicentur omnes gentes, hoc est, virtute et merito Christi, dona gratiæ in præsenti, donaque gloriæ in futuro acquirent quidam de omni genere hominum. Elegit enim nos Deus in Christo ante constitutionem mundi, secundum Apostolum. Et ipsemet Christus : Nemo (inquit) venit ad Patrem, nisi per me; B itemque, Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Hinc Psalmista prædixit : Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, et omnes gentes magnificabunt eum. Apud Danielem quoque est prædictum : Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Princeps etiam Apostolorum : Non est (ait) aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Præterea, hoc loco, quum dicitur, « quasi in uno », Quasi, denotat veritatem, non similitudinem tantum, quemadmodum et C in Evangelio legitur : Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.

Gen. XXII, 18.
Ephes. I, 4.
Joann. XIV, 6.
Ibid. XII, 32.
Ps. LXXI, 17.
Dan. VII, 14.
Act. IV, 12.
Joann. I, 14.

Hoc autem dico quod subditur : *Testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit.* Littera aliqualiter est obscura, sed iste est ordo verborum : « Lex » scripta « quæ facta est », id est Moysi data in monte Sinai, « post quadringentos et triginta annos », incipiendo hanc com-

Exod. XXXII.

putationem annorum a tempore promissi- *Gen.* xii, 3. onis quæ primo facta est Abrahæ venienti de terra Chaldæorum, « non irritum facit testamentum confirmatum a Deo », id est, promissionem Abrahæ factam, per Christum tunc adimplendam, modo impletam atque divino juramento firmatam, non cassat neque falsificat, *ad evacuandam promissionem,* id est, ita ut præfatam promissionem privet suo effectu, seu ejus impletionem impediat : quod tamen faceret, si per legem daretur benedictio illa præfata, quæ est hereditas seu salus æterna. Hæc namque promissio ad Abraham facta est diu antequam lex Moysi data est, et antequam Moyses natus est. Si ergo bonum per eam promissum, utpote benedictio ista, daretur per legem, primo sequeretur quod non esset ex promissione ; secundo, quod frustra fieret mentio de semine Abrahæ, quod est Christus ; tertio, quod Abraham, Isaac et Jacob, ceterique electi qui ante legem fuerunt, divina benedictione seu gratia caruissent, nec æternam hereditatem jam essent adepti, quoniam ante legislationem defuncti sunt. Unde certissime constat quod a principio mundi, per fidem Christi futuri dabatur hominibus benedictio gratiæ ac salutis. Idcirco subjungitur :

Nam si ex lege hereditas, hoc est, si virtute legis scriptæ daretur hominibus gratia felicitasque æterna, *jam non ex promissione* Dei daretur, et sic Abraham esset frustratus spe sua : quod dici non potest, sicut subjungitur. *Abrahæ autem per repromissionem* sibi de Christo sæpius factam, seu per fidem Christi promissi, *donavit Deus* hereditariam benedictionem cœlestem : de qua in Genesi ait ad *Ibid.* xv, 1. eum, Ego protector tuus, et merces tua magna nimis.

Sed quia ex præinductis sequi videtur quod lex fuit omnino inutilis, quærit Apostolus, ut nostræ satisfaciat dubitationi : *Quid igitur lex?* id est, ad quid data est, et quæ ejus utilitas ? Et respondet : *Propter transgressiones,* id est propter peccata hominum reprimenda ac punienda, *posita est,* hoc est, hominibus data, ut saltem timore pœnarum quæ determinantur in lege, retraherentur a vitiis, *donec veniret semen,* id est, Christus per incarnationem suam mundum intraret, *cui repromiserat,* hoc est, de quo Deus promisit quod per ipsum implerentur promissiones, sicut ad Abraham dixerat Deus : In semine tuo benedicentur omnes gentes. *Gen.* xxii, 18. Lex, inquam, *ordinata,* id est ordinate collata a Deo, *per angelos* Moysi, atque per Moysen populo. Unde in Actibus Apostolorum Stephanus dixit Judæis : Accepistis *Act.* vii, 53. legem in dispositione angelorum. *In manu mediatoris,* hoc est, lex ista posita est in potestate Christi, ita quod eam potuit immutare, perficere, eique finem imponere, nec esset necessario ei subjectus. Propter quod apud Matthæum protestatur : Dominus est Filius hominis etiam sabbati. *Matth.* xii, 8. Ita communiter exponitur. Sed videtur hoc loco per mediatorem, Moyses posse intelligi, per cujus manum atque obsequium data est lex. Moyses quippe inter Deum et populum Israel exstitit mediator, quemadmodum sæpius fatetur : Ego (in- *Deut.* v, 5. quiens) inter Deum et vos fui sequester. Constat ergo quod lex data est Moysi, non solum unius ministerio angeli, sed multorum, quamvis communiter in libris Moysis non fiat mentio nisi de angelo uno, quia principalius ac familiarius loquebatur cum Moyse : qui etiam angelus sæpe Dominus appellatur, quoniam in persona Dei apparuit locutusque fuit. *Mediator autem unius non est* dumtaxat, sed duorum extremorum, inter quæ mediat, eademque connectit ; *Deus autem unus est* in essentia. Tanquam dicat : Licet Christus sit me- 1 *Tim.* ii, 5. diator Dei et hominum, est tamen idem Deus cum Patre et Spiritu Sancto.

Lex ergo adversus promissa Dei? id est, numquid sequitur ex his, quod lex sit promissioni divinæ contraria, ita quod ex lege datur salus et gratia ? Quasi dicat, Non. Ideo subdit : *Si enim data esset* per Moysen *lex quæ posset vivificare,* vitam gratiæ conferendo, atque ad vitam gloriæ perducendo; *vere ex lege,* id est legis observantia, *esset justitia* infusa ac meritoria, sufficiens ad salutem absque fide de Christo. *Sed conclusit,* hoc est, esse ostendit, convicit, et occasionaliter fecit, *Scriptura,* id est lex vetus seu Mosaicæ legis scriptura, *omnia* genera hominum, seu universos Judæos, *sub peccato,* non solum originali, sed etiam actuali. Per legem namque erat directe peccati cognitio, ac indirecte peccati augmentatio: primo, quia in vetita nitimur, id est, ad prohibita magis afficimur; secundo, quoniam post prohibitionem gravius est peccare quam ante. Hinc ait Scriptura in Psalmo : Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; et Isaias : Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. *Ut promissio,* id est promissa beatitudo et gratia, *ex fide Jesu Christi daretur* A *credentibus:* quia per fidem Christi venturi, salutem adepti sunt electi qui ante adventum Christi fuerunt, nec opera illorum meritoria erant nisi per fidem hanc, quemadmodum electi qui postea exstiterunt, per fidem Christi incarnati et missi, salutem sunt consecuti, et consequuntur quotidie.

B

Ps. XIII, 3; LII, 4.

Is. LIII, 6.

Postremo, circa verbum illud Apostoli in præsenti epistola, « post quadringentos et triginta annos facta est lex », posset quæstio magna moveri, quoniam idem iste Apostolus ait : Distribuit eis Deus terram eorum, quasi post quadringentos et quinquaginta annos. In Exodo quoque dicitur: Habitatio filiorum Israel in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum, quibus expletis, eodem die egressi sunt. Sed de horum concordantia super epistolas Pauli scripsi : ideo brevitati intendens, jam transeo.

Galat. III, 17.

Act. XIII, 19, 20.

Exod. XII, 40, 41.

In *Galat.* III, 17.

SERMO PRIMUS

QUOMODO DEUS PROMISSA OLIM ABRAHÆ IN LEGE, SPIRITUALITER SUIS LARGIATUR FIDELIBUS ; HI QUOQUE QUOMODO DIGNE VIVERE DEBEANT.

V*ENIET Desideratus cunctis gentibus.* Agg. II, 8.

Filium Dei Jesum Christum esse incarnandum, et in mundum mittendum, ac redempturum genus humanum, Deus Pater a principio mundi, per Patriarchas ac Prophetas prædixit ac præsignavit. Propter quod apud Lucam Zacharias testatur: Erexit cornu salutis nobis, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Et in Actibus princeps Apostolorum ait: Deus prænuntiavit per os omnium Prophetarum suorum pati Christum suum. Denique, secundum Prophetarum doctrinam, Christus venturus erat non solum ad liberandum populum Judæorum, sed totum genus humanum, quemadmodum ex nunc dictis in expositione C epistolæ hodiernæ potest probari. Nec promissus fuit Christus ad liberandum humanum genus seu populum Judæorum de captivitate humana et exteriori, sed de captivitate spirituali, qua genus humanum, propter originale primi parentis peccatum, sub quadam exstitit dæmonis potestate, ita quod æterna beatitudine fuit privatum, nec a reatu originalis peccati potuit liberari, nisi per Christum, qui pro illo satisfecit peccato, et gratiam ac salutem promeruit mundo, sicque januam regni D cœlestis antea clausam reseravit hominibus. Idcirco Christus vocatur « Desideratus cunctis gentibus », quoniam universis populis summe desiderabilis fuit, cunctisque gentibus ad fidem conversis præcipue desideratus. Hinc quoque Jacob patriarcha

Luc. I, 69, 70.

Act. III, 18.

Agg. II, 8.

Gen. XLIX, 10. ait de Christo : Ipse erit exspectatio gentium. A Sed et apud Isaiam Deus Pater loquitur Christo : Is. XLII, 6, 7. Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum.

Insuper ex iis patet error et excæcatio miserabilium Judæorum : primo, in hoc quod asserunt regem Messiam seu Christum venturum solum ad liberationem eorum; secundo, in hoc quod putant Christum ad hoc esse venturum, ut eruat eos de captivitate hac temporali et corporali in qua detinentur, per mundum dispersi. B Imo beatissimi Prophetæ apertissime prædixerunt populum Judæorum in primo Christi adventu esse excæcandum ac deserendum, gentiles vero ubique terrarum credituros in Christum. Hinc quippe in Ibid. XLIX, 5, 6. Isaia habetur : Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum; et Israel non congregabitur. Et glorificatus sum in oculis Domini, et dixit : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : dedi te in lucem C gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Istud demum probat Aposto- Rom. XI. lus in epistola ad Romanos, ex scripturis veteris Testamenti, præsertim ex libro Psalmorum et Isaia. Hinc rursus Danieli a Dan. IX, 26, 27. Gabriele prædictum est : Occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est; et finis ejus vastitas, et usque ad finem perseverabit desolatio. Præterea, ex hac radice probat Apostolus in pluribus locis insufficientiam veteris legis : quia ejus observatio non suffecerat D ad salutem, sed necessaria fuit redemptio humani generis per Christum; nec poterat quis salvari, sive in lege naturæ, quæ duravit ab Adam usque ad Moysen, quantum ad omnes, sive in lege scripta data per Moysen, quæ duravit usque ad evangelicæ legis promulgationem, nisi habendo fidem explicitam, aut certe implicitam, de Christi adventu et redemptione mundi per eum.

Galat. III, 16. Amplius, circa exordium epistolæ hodiernæ quo legitur, Abrahæ dictæ sunt promissiones, pensandum quod Deus omnipotens promisit Abrahæ principaliter tria. Primum fuit collatio Terræ sanctæ melle et lacte manantis. Quam tamen promisit Abrahæ non pro se, sed pro semine ejus, juxta illud : Semini tuo dabo terram Gen. XII, 7. hanc. Secundum fuit seminis sui multiplicatio, prout in Genesi ait ad eum : Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et Ibid. XXII, 17. sicut arenam maris. Tertium fuit cœlestis retributionis beata merces. Unde ibidem Deus loquitur Abrahæ : Ego protector tuus Ibid. XV, 1. sum et merces tua magna nimis. Hæc tria promittit atque largitur Deus suis fidelibus Abrahæ imitatoribus : primo videlicet, temporalium sufficientiam, juxta quod loquitur Christus, Primum quærite regnum Matth. VI, 33. Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis; secundo, spiritualium bonorum affluentiam, scilicet gratiam, et virtutes ac dona Spiritus Sancti, quemadmodum in principio primæ epistolæ ad Corinthios scribit Apostolus, Gratias ago I Cor. I, 4, 5, 7. Deo meo pro vobis, quia in omnibus divites facti estis in Christo, in omni verbo et in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia; tertio, præmium felicitatis æternæ, in quo omnia desiderabilia includuntur. De quibus Apostolus : Oculus (in- Ibid. II, 9. quit) non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se. De quibus fatetur Psalmista : Credo videre bona Domini in Ps. XXVI, 13. terra viventium. Hæc bona præparata sunt perseverantibus usque in finem in virtutum operibus, sicut ait Salvator : Qui perse- Matth. XXIV, 13. veraverit usque in finem, hic salvus erit. Unde in Apocalypsi hortatur : Esto fidelis Apoc. II, 10. usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Itaque, juxta informationem Apostoli, habentes has promissiones, mundemus II Cor. VII, 1. nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, hoc est ab universis carnalibus spiritualibusque peccatis, ab omni gula, luxuria, somnolentia, avaritia, item ab omni superbia, invidia, acedia, ut Deo sanctitatis immensæ mundo corde castoque corpore serviamus.

Præterea, ut Deo altissimo tam decenter A et pure obsequi valeamus, cogitemus sæpissime quod ipse Deus indesinenter nos adspicit, et omne quod intus forisque agimus, clarissime intuetur, nec minimam culpam dimittit inultam. Idcirco in ejus præsentia atque intuitu turpiter agere, illicite loqui, male cogitare, vitiose appetere, bona omittere erubescamus, cum Elia III *Reg.* xvii, 1; IV *Reg.* iii, 14. et Eliseo dicentes : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Hæc consideratio movit David regem ad virtuose vivendum, *Ps.* cxviii, 168. secundum quod loquitur Deo : Servavi B mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Consideremus quantum indignaretur rex terrenus mortalis, si quis eo inspiciente et adstante præceptum ipsius transgrederetur : nonne se nimis despici judicaret, atque districtam inferret vindictam ? Quantum ergo indignatur Deus, rex omnipotens et æternus, impiis vilibusque hominibus qui eo intuente exercent tot mala ? Quam horribilem suo tempore facit ultionem ? Certe quanto nunc diutius differt, tanto paulo C post terribilius ulciscetur.

Denique, ad vitandum peccata, atque ad vitam in omnibus custoditam, fructuosam, ferventem, plurimum confert diligens ac *Eccli.* vii, 40. profunda consideratio quatuor novissimorum, videlicet propriæ mortis, divini judicii, infernalis supplicii, cœlestisque gaudii. Cogitemus igitur sagaciter ac frequenter quam brevis, incerta et fallax sit vita hæc, quam amara sit mors; quam districtum ac metuendissimum sit Dei judicium, in quo etiam de omni verbo otioso exigenda est *Matth.* xii, 36. ratio ; quam intolerabilia ac acerbissima sint inferni tormenta, et quanta sit beatitudo cœlestis. Horum consideratio ad omne bonum nos incitet et inflammet, quemadmodum S. Hieronymus primo libro Vitaspatrum refert de quodam fratre Joanne, eremita sanctissimo. Qui quum primo transisset ad habitandum in eremo, per tres annos continuos sub cujusdam saxi rupe semper stans oravit, ita ut nunquam sederet neque jaceret. Somni autem tantum sumpsit, quantum stans capere potuit; cibum vero non sumpsit nisi die dominico. Pedes quoque ipsius, eo quod tamdiu immobiles steterant, dirumpebantur, ita quod sanies ex eis profluxit. Tribus demum annis completis, adstitit ei angelus, dicens : Dominus noster Jesus Christus orationes tuas suscepit, et corporis tui vulnera sanat, cœlestisque cibi, id est verbi ac scientiæ salutaris, abundantiam tibi largitur. Tangens itaque angelus os et pedes viri sancti illius, corpore reddidit sanum et gratia doctrinæ cœlestis repletum, jussitque eum eremum circuire, et Fratres undique visitare, consolari, instruere. Dedit etiam Deus eidem fratri Joanni gratiam et virtutem copiosam faciendi miracula, ita quod quibuscumque ægris panem benedictum mittebat, mox ut inde comederunt, sanati sunt.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

BEATI OCULI QUI VIDENT QUÆ VOS VIDETIS. Luc. x, 23-37.

IN evangelio hodierno principaliter tria D tanguntur. Primum est consolatio discipulorum Christi. Secundum est informatio omnium Christianorum de necessariis ad salutem, videlicet de observatione duorum principalium mandatorum. Tertium est instructio quis sit proximus cujuslibet hominis.

Itaque *dixit Jesus discipulis suis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim* *vobis, quod multi Prophetæ et reges voluerunt* A *videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.* Hæc verba consolatoria dixit discipulis suis Salvator duabus ex causis. Primo, quia ipse vocavit eos ad paupertatem et mundi contemptum, ad diversos labores, tribulationes, angustias, quas secum sustinuerunt. Propter quod tempore Cœnæ dixit *Luc.* xxii, 28. Apostolis : Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Idcirco conso- *Ibid.* x, 23. latur ac beatificat eos, dicendo verba prætacta. Secundo, quia Christus statim ante B hæc verba gratias egit Deo Patri, quia sacra christianæ fidei mysteria abscondit a sapientibus atque prudentibus sæculi hujus, et humilibus suis discipulis eadem revelavit. Idcirco asserit beatos esse oculos eorum.

Sed quæri potest, de quibus oculis intelligenda sunt hæc. Non de corporalibus oculis, nam Judas et Pharisæi et Scribæ corporalibus oculis Christum ejusque signa viderunt, et verba ipsius audierunt, et tamen infelices fuerunt et sunt. Imo ille adspectus et auditus fuit eis majoris rui- C næ ac damnationis occasio, secundum quod *Joann.* xv, 22, 24. Christus in sermone post Cœnam dixit : Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem viderunt, et oderunt me et Patrem meum. Nec de interioribus et spiritualibus oculis, quoniam illis oculis sancti reges ac Prophetæ Christum ejusque facta viderunt : aliter non prophetassent de eis, nec ejus miracula prænuntiassent. Nonne Christum in *Is.* ix, 6. spiritu vidit Isaias, quum dixit, Puer natus est nobis, filius datus est nobis; itemque, D *Ibid.* xxxv, 5. Tunc aperientur oculi cæcorum, etc.; et *Ibid.* liii, 2. rursus, Et vidimus eum non habentem speciem neque decorem? Christus quo- *Joann.* viii, 56. que dixit Judæis : Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est. Respondendum, quod verba inducta intelligenda sunt de visu et auditu interiori conjuncto visui et auditui exteriori. Sic equidem Dei Unigenitum incarnatum ejusque miracula intueri, et verba ipsius audire, divinitatem ejus credendo, et humanitatem ipsius corporaliter inspiciendo, atque dulcissima, eloquentissima ac sapientissima verba ejus auribus cordis et corporis audiendo, fuit utique delectabile valde; et beati fuerunt oculi illi beatitudine spei ac meriti. Denique omnes sancti Prophetæ et multi devoti reges valde desideraverunt taliter Christum et ejus gesta videre, ac verba ipsius audire : nam et ejus adventum ardentissime cupiebant. Desideraverunt itaque istud vel absolute, vel conditionaliter, utpote si fuisset possibile : communiter namque sciverunt quod eis viventibus Christus non esset venturus.

Et ecce quidam legisperitus, id est doctor legis seu Scriba, *surrexit,* quasi reverentiam exhibens Christo, vel ut ab omnibus melius audiretur, vel ut præsentes ad suum adspectum atque præconium incitaret, *tentans eum,* id est, circumvenire et fallere cupiens Christum, et dicens : *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* id est, quibus operibus felicitatem æternam potero promereri ac obtinere?

At ille, videlicet Jesus, qui cordium *Ps.* vii, 10. cognitor est, *dixit ad illum : In lege* Moysis *quid scriptum est? quomodo legis,* in libris Mosaicæ legis? Conabatur autem hic legisperitus probare quod Christus aliquid contra legem Moysis ageret aut doceret. Ideo Christus remittit illum ad legem : per quod ostendit se legem approbare.

Ille respondens, dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, id est ex toto voluntatis affectu. Sicque per cor designatur voluntas, quoniam sicut cor est primum vivens in animali, et cetera membra movens, sic voluntas per caritatem primo vivificatur, et ceteras animæ movet potentias. *Et ex tota anima tua,* id est tota animæ intentione, *et ex omnibus viribus tuis,* id est cunctis etiam inferioribus potentiis, ut appetitus concupiscibilis et irascibilis omnesque sensus interiores et exteriores regantur per rectæ rationis judicium, secundum quod caritas Dei requirit, atque ad caritatis profectum consummationemque pertinet, quemadmodum Eccli. xxiii, 4-6. Ecclesiasticus sapiens orat : Domine, pater et dominator vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium pravum averte a me; aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me. *Et ex omni mente tua,* id est toto intellectu, ne in eo sit error aut hæresis, aut aliquid veritati fidei derogans, sed tota consideratio, contemplatio omnisque actio intellectus ordinetur et tendat ad Dei honorem, ad divini amoris fervorem, ad perfectam mentis cum Deo conjunctionem. Cognitio enim veritatis ad amorem Divinitatis atque virtutum debet referri. Joann xvii, 25, 26. Unde ait Salvator : Pater juste, notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis sit.

Denique præceptum istud scriptum est Deut. vi, 5. in Deuteronomio, in quo legitur : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Et quamvis Moyses ibi non exprimat nisi tria, tamen in illis tribus hæc quatuor includuntur. Nempe quod hic dicitur, « ex omnibus viribus tuis », Moyses dicit, Ex tota fortitudine. Per totum autem cor intelligit voluntatem et intellectum, quemadmodum et Psalmista dicendo : Ps. ix, 2; lxxxv, 12; cxxxvii, 1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. De intelligentia demum hujus præcepti in sermonibus magis dicetur.

Et proximum tuum diliges *sicut te ipsum,* id est vere et spiritualiter atque stabiliter in Domino Deo, optando ei bona gratiæ in præsenti, et bona gloriæ in futuro, consilium et auxilium ei præbendo tempore opportuno, et in necessariis vitæ, dum opus est, succurrendo. Hoc præceptum sumptum est ex Levitico, ubi scriptum est, Lev. xix, 18. Diliges amicum tuum sicut te ipsum : ubi Septuaginta transtulisse dicuntur, Proximum tuum. Per proximum autem intelligendus est omnis homo gratiæ capax et gloriæ, qui communione naturæ est proximus.

Dixitque illi, scilicet legisperito, Jesus : A *Recte respondisti; hoc fac,* id est, hæc duo caritatis præcepta adimple, *et vives* per gratiam et virtutes in via, et per gloriam felicitatis æternæ in patria.

Ille autem volens justificare se ipsum, id est justum monstrare, et suam excellentiam ostentare, quum tamen in Ecclesiastico scriptum sit, Non te justifices ante Eccli. vii, 5. Deum; *dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus?* id est, quem intelligere debeo nomine proximi? Hoc rursus quæsivit, ut caperet Christum in sua responsione. B Advertit enim, ut apparet, quod Christus docuit etiam inimicos esse diligendos : quod iste putavit contra Moysis legem, quia Judæi quamplures per proximum non intelligebant nisi Judæos, et ceteros reputabant alienos, non proximos. Hinc interrogavit, « Quis est meus proximus? » ut si Christus diceret, Quilibet homo vitæ præsentis, probaret eum legis adversarium; si autem diceret, Quilibet Judæus, probaret se justum, dicendo, Omnem amo Judæum. Sed, ut Salomon loquitur, Frustra Prov. i, 17. C jacitur rete ante oculos pennatorum. Unde et Christus omnium sapientissimus sapientium, ita respondet, quod insidiatorem propria responsione capit vincitque, proponens parabolam, sicut subjungitur.

Suspiciens autem Jesus, id est, sursum adspiciens, seu longe et late visum circumducens, ad insinuandum quod de re magna esset locuturus, atque compatiens communi humani generis calamitati, *dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* D Sensus qui superficialiter litteralis videtur, difficultatem non habet. Et quod hic dicitur quasi parabola, potuit sæpe contingere et esse res gesta : quia ut ait Basilius, Jerusalem in alto sita est, Jericho autem deorsum, et inter has urbes fuit desertum in quo latrones quosdam occidere consueverunt.

Spiritualiter, per hominem istum intelligitur primus homo, seu genus humanum; per Jerusalem, paradisus terrestris; I Joann. v, 19. per Jericho, mundus iste in maligno positus, seu instabilitas, insipientia atque A mortalitas vitæ præsentis. Jericho enim interpretatur luna, per quam ob suam continuam variationem, crescentiam et decrescentiam, designatur hic mundus instabilis, seu instabilitas, insipientia et mortalitas vitæ hujus. Nam scriptum est : Stultus mutatur ut luna. *Eccli.* xxvii, 12. Itaque Adam et genus humanum in eo, per originale peccatum descendit et corruit a paradiso in præsentis exsilii locum, atque in statum mortalem, instabilem, defectuosum vitæ præsentis. Peccando quoque incidit in latrones, B hoc est in dæmonum acies, qui animas quærunt per peccata occidere, et peccantes ad æternæ damnationis mortem pertrahere. 1 *Petr.* v, 8. *Qui etiam despoliaverunt eum,* id est, decore gratiæ ac virtutum spiritualiter nudaverunt : quia dum hominem per tentamenta sua ad mortale peccatum inducunt, gratia et virtutibus, quæ sunt animarum vestes ac ornamenta, eum mox privant. *Et plagis impositis, abierunt,* id est, quum animam ejus graviter multipliciterque læsissent, cessaverunt ad horam ab ejus læsio- C ne; vel, « abierunt », insidias abscondendo. Denique, tam Adam quam genus humanum incurrit specialiter quatuor vulnera animæ ex originali peccato, puta malitiam, id est pronitatem ad mala in voluntate, ignorantiam in intellectu, infirmitatem in vi irascibili, concupiscentiam in concupiscibili. *Semivivo relicto :* quia licet per mortale peccatum vita gratiæ et caritas totaliter auferantur, manet tamen in homine liberum arbitrium, quo potest dispositive resurgere, faciendo quod in se est; sublata D quoque vita gratiæ, manet vita naturæ.

Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso eo, præteriit. Per sacerdotem istum, intelligitur Aaron, seu universitas sacerdotum legalium : qui eadem via descendit, quia per originale peccatum mundum intravit; et cognita Adæ generisque humani præfata læsione, pertransiit, quia subvenire ac salvare nequivit. *Similiter et Levita, quum esset secus locum et videret eum,* scilicet hominem semivivum, *pertransiit.* Per Levitam intelligitur Moyses frater Aaron Levites, seu universitas Levitarum ministrorumque templi aut Prophetarum : qui quum esset in mundo hoc vivens, atque agnosceret vulneratum esse genus humanum modo præfato, curare et salvare illud non valuit, imo pertransiit, et moriendo ad inferni limbum devenit.

Samaritanus autem quidam iter faciens. Per Samaritanum istum, ob nominis interpretationem, intelligit Christus se ipsum, quoniam Samaritanus custos interpretatur. Christus autem est humani generis custos, juxta illud Job : Quid faciam tibi, o custos hominum? *Job* vii, 20. Et in Psalmo : Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. *Ps.* cxx, 4. Christus quoque iter fecit in sæculo isto, secundum illud Joannis : Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. *Joann.* i, 14. *Venit secus eum,* id est, humano generi clementissime se adjunxit, et illud ut medicus piissimus visitavit, quemadmodum per Zachariam prædixit : Gaude, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui. *Zach.* ii, 10. *Et videns eum* oculo corporali ac interiori, *misericordia motus est,* id est, pie condoluit et subvenit, juxta illud Threnorum : Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. *Thren.* iii, 22.

Et appropians, id est, humano generi caritative et pie se applicans prædicando, signa faciendo, gratiam infundendo, *alligavit vulnera ejus,* id est, peccata curavit, et vires animæ spiritualiter vulneratas, per gratiarum et virtutum charismata reformavit. Hoc enim Christus meritorie fecit in sua salvifica passione, deinde per sacramenta Baptismi ac Pœnitentiæ realiter sic implevit. Unde ab Isaia dictum est : Vere languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit. *Is.* liii, 4, juxta LXX. Hinc angelus de Christo dixit ad Joseph : Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Matth.* i, 21. Princeps quoque Apostolorum : Jesum (inquit) unxit Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo. *Act.* x, 38. *Infundens ole-*

um, id est, piam adhibens informationem A et consolationem, *et vinum,* id est justitiæ disciplinam, seu increpationem et correctionem, confortationem quoque et exhortationem ad opera virtuosa. Christus enim pie et juste se habuit, et actus pietatis atque justitiæ cum summa discretione *Ps.* xxiv, 10. commiscuit, juxta illud : Universæ viæ Domini misericordia et veritas.

Et imponens illum in jumentum suum, id est, in corpore suo peccata humani generis luens, et per hoc corpori suo homines *Is.* liii, 6. uniens, juxta illud Isaiæ : Dominus B posuit in eo iniquitatem omnium nostrum; *Ibid.* 5. et iterum, Vulneratus est propter iniquitates nostras. Unde prima Petri habetur : I *Petr.* ii, 24. Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Itaque per jumentum Christi, intelligitur corpus ejus, non ob bestialem vilitatem, sed propter obedientissimam subjectionem, atque promptissimam servitutem, qua animæ divinitatique Christi semper paruit ac servivit. Unde vir obe- *Ps.* lxxii, 23. diens loquitur Deo : Ut jumentum factus sum apud te. *Duxit in stabulum,* id est, C Ecclesiæ ipsum incorporavit. Ecclesia namque est Christi ovile ac stabulum, in quo oves suas ponit ac reficit. Et recte Ecclesia stabulum appellatur, quia durante hac vita, miseriis multis et immunditiis quibusdam afficitur, imo ad ruinam et deformationem multiplicem modo collapsa est. *Is.* lxiv, 6. Universæ quoque justitiæ nostræ panno menstruatæ comparantur. *Et curam illius egit.* Christus namque, quamdiu in sæculo hoc fuit, valde fuit pro hominum salute sollicitus, ad prædicandum hinc inde discurrens, D miracula faciens, pro hominibus orans, multos convertens, discipulos quoque ad prædicandum mittens.

Et altera die, id est tempore suam passionem et resurrectionem sequente, *protulit duos denarios,* id est veteris ac novi Testamenti scripturas, *et dedit stabulario,* id est choro Apostolorum et aliorum discipulorum suorum, quibus post resurrectionem suam frequenter apparens, Scripturarum *Luc.* xxiv, 45. dedit notitiam, juxta illud : Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Potissimum autem fecit hoc in die sacratissimo Pentecostes, dum misso Spiritu Sancto, *Act.* ii, 1 et seq. omnium linguarum ac scripturarum scientiam abundantissime infudit Apostolis.

Et ait : Curam illius habe. Præcepit quippe Apostolis, ut omnem populum sollicite erudirent. *Marc.* xvi, 15. Unde ait eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Sed et beatissimo Petro specialiter universalem commisit *Joann.* xxi, 17. Ecclesiam ante ascensionem, dicendo : Pasce oves meas. *Et quodcumque supererogaveris,* id est, ultra debitum feceris, et de naturali industria ac labore addideris, cooperando gratiæ et donis infusis, et pro aliorum salute fideliter insudando. *Ego quum rediero* ad judicandum vivos et mortuos; vel, « rediero », id est, tempore mortis vestræ vos visitavero per particulare judicium ac retributionem, juxta *Apoc.* xxii, 12. illud Apocalypsis : Ecce venio cito, et merces mea mecum est, dare unicuique juxta opera sua. *Reddam tibi* præmium copiosum ultra condignum.

Deinceps quærit a legisperito, non quasi ignorans, sed illum instruere volens : *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones ? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum,* id est, Samaritanus ratione beneficii tanti magis promeruit proximus appellari. Sicque Christus legisperitum ex sua responsione convicit, cepit, conclusit, utpote quod per proximum non debet intelligi solus Judæus sive amicus. *Et ait illi Jesus : Vade,* id est, recede et desine mihi insidiari; spiritualiter quoque, « Vade », in virtutibus proficiendo, et legem Moysis veraciter intelligendo. *Et tu fac similiter,* id est, omni homini indigenti pro viribus tuis succurre, nec solis Judæis te proximum exhibe, sed omni homini viatori, si casus evenerit ut tua quis ope indigeat.

Circa evangelium istud plura pulcherrima dici possent, et super Lucam plura circa ipsum conscripsi; nunc vero brevitati studens, perpauca celeriter tetigi.

SERMO SECUNDUS

DE JUCUNDITATE VISIONIS DIVINÆ, DE FELICITATE CHRISTIANORUM, DEQUE NOCUMENTIS MORTALIUM PECCATORUM.

B*EATI viri tui, et beati servi tui, qui* A *hic adstant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.* III Reg. x, 8.

Verba ista ad litteram scripta sunt de III *Reg.* x, 1 et seq.; II *Par.* ix, 1 et seq. Salomone rege, qui in sapientia fuit ita famosus, quod regina Saba venit a finibus terræ cum grandi comitatu, et auro copioso ac pretiosissimis aromatibus, audire sapientiam ejus. Quæ quum ingressa fuisset ad Salomonem, proposuit ei difficillimas quæstiones ac diversa ænigmata, et universa quæ erant in corde ipsius. Ad quæ omnia rex Salomon clarissime atque prom- B ptissime mox respondit. Quumque regina illa prudentissima experta esset tantam sapientiam Salomonis, vidissetque templum quod ædificavit, et domum quam fecit sibi ac conjugi suæ, cibos quoque mensæ ipsius, et ordines ministrantium ac vestes eorum, et etiam alia multa præclara, præ admiratione defecit, et ultra non habuit spiritum, sed quasi in ecstasim lapsa est. Deinde post tempus reversa ad se, dixit ad regem : Major est sapientia tua et opera tua, quam rumor quem audi- C vi; beati viri tui, et beati servi tui, qui hic adstant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.

Si ergo beati fuerunt Salomonis ministri, qui ex ore ipsius verba sapientiæ audierunt, quanto magis Apostoli ceteri- I *Cor.* i, 24. que discipuli, qui quotidie Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam, corporaliter spiritualiterque viderunt ac audierunt, beati fuerunt? Christus namque non solum sapiens fuit ut Salomon, sed in quantum Deus, fuit sapientia ipsa æterna, increata, D immensa; secundum naturam quoque humanam, fuit ineffabiliter sapientior Salomone. Hinc Christus in Evangelio reprehendit Judæos incredulos, quod prædicationi sapientiæ suæ non attendebant neque credebant, dicens : Regina Saba surget in *Matth.* xii, 42. judicio contra generationem istam, et condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic, id est, ego Salomone sum major ac sapientior. Deinde opera Salomonis operibus Christi comparari nullatenus possunt. Sed his immorari superfluum reor. Itaque, sicut Salomoni dixit regina Saba, « Beati viri tui, et beati servi III *Reg.* x, 8. tui, qui hic stant coram te semper », etc.; sic Christo in mundo hoc adhuc conversanti, multo excellentius dici quivit : « Beati viri tui, et beati servi tui », hoc est Apostoli ceterique discipuli, qui fide, caritate et opere pertinebant ad Christum. De quibus ipse dixit ad Patrem in sermone post Cœnam : Tui erant, et mihi eos dedi- *Joann.* xvii, 6, 8. sti; et sermonem tuum servaverunt, et cognoverunt quia ex te exivi. Isti Christo adstiterunt usque ad passionem, quibus et post resurrectionem apparuit.

Præterea, verba hæc ad litteram de Salomone conscripta, et allegorice de Christo exposita, possunt et anagogice exponi de Deo regnante seu Christo triumphante in cœlis, et comprehensoribus universis, hoc est cœlestibus civibus. Si ergo beati fuerunt discipuli Christi, qui eum per fidem et visum ac auditum corporalem viderunt ac audierunt, qui nihilo minus adhuc mortales et multis fuerunt subjecti miseriis : quam incomparabiliter feliciores sunt omnes cives cœlestes, qui Christi, imo totius supergloriosissimæ Trinitatis essentiam clare ac per speciem inavertibiliter vident, atque immensa illius bonitate ac suavitate A ad libitum plene ac securissime perfruuntur ?

Sed quia ad spiritualium cognitionem mens humana non facile elevatur, nisi sensibilium similitudinum seu exemplorum manuductionibus adjuvetur, poni potest hujus rei sensibile clarissimumque exemplum. Certe in corporalibus rebus videmus quod quanto aliquid est pulchrius, tanto delectabilius est ipsum adspicere ; et quanto quid est suavius, tanto jucundius est illud gustare seu perfrui illo. B Si ergo intraret ad nos adolescens tam II *Reg.* xiv, 25. pulcher ut fuit Absalon, seu Paris sive Adonis, nonne cum admiratione et gaudio illum intueremur ? Si autem paulo post ingrederetur ad nos adolescens decies speciosior illis, hunc utique cum ampliori valde admiratione atque lætitia inspiceremus. Si vero post modicum intraret juvenis centies pulchrior isto qui illis decies pulchrior est, jam istum secundo visum modice reputaremus comparatione hujus tertii centies pulchrioris, huncque cum in- C genti obstupefactione et delectatione conspiceremus. Deinde, si quartus intraret millies pulchrior illo tertio, jam præ admiratione stupidi redderemur, omnesque illos comparatione quarti istius quasi pro nihilo arbitraremur. Sic quoque ascendere possemus, imaginando quod quintus intraret decies millies pulchrior, sextus centies millies venustior, septimus millies millies speciosior : et tamen quantumcumque ascenderemus per numeros, nunquam ad aliquem infinitæ pulchritudinis veniremus. D Quis ergo poterit cogitare quam delectabile et jucundum sit Deum in se ipso clare per speciem intueri, quum utique Deus sublimis et benedictus sit pulchritudinis penitus infinitæ, ipsaque pulchritudo intellectualis sit incomparabiliter amœnior pulchritudine corporali ? Imo Deus incomprehensibilis et immensus, est ipsa superessentialis, separata, pura et incircumscriptibilis pulchritudo, a qua omnium creaturarum pulchritudines etiam simul sumptæ, distant atque deficiunt infinite. Incomparabiliter ergo delectabile et jucundum est Deum per speciem clare et immediate conspicere, ejusque incircumscriptibili bonitate atque dulcedine frui.

Hinc S. Augustinus in epistola de obitu gloriosi Hieronymi asserit, Hieronymum statim post suam in Domino dormitionem sibi apparuisse, et cogitanti sibi qualis et quanta esset gloria Beatorum in cœlo, sic esse locutum : Augustine, Augustine, quid quæris ? Putasne parvo immittere vasculo mare totum, aut brevi includere pugillo orbem terrarum, vel cœlum immobilitare ne usitatos exerceat motus ? Quæ oculus nullus hominum in hoc mundo videre potuit, tuus videbit ? quæ auris nulla audivit, audiet tua ? quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitavit, æstimas te intelligere posse ? Infinitæ rei quis erit finis ? Potius totum mare in arctissimo clauderetur vasculo, potius orbem terrarum parvus teneret pugillus, potius a motu suo cœlum desisteret, quam gaudiorum et gloriæ quibus Beatorum animæ sine fine fruuntur, minimam intelligeres particulam, nisi ut ego, experientia docereris.

Præterea, quum certissime talis ac tanta, tam incomprehensibilis et immensa sit cœlestium civium beatitudo et gloria, nonne miserrimi atque stultissimi sunt, qui propter hujus incertæ ac labilis vitæ carnisque fœdæ delectationes immundas, vanitates iniquas, divitiasque caducas, tanta se privant felicitate et gloria ? Contemnamus igitur vana et vilia, divitias temporales, delicias corporales, mundanos honores arbitremur ut stercora, quatenus *Philipp.* iii, 8. æternam illam incomparabilem beatitudinem adipiscamur. Sed quoniam Deus sanctitatis immensæ non nisi mundo conspicitur corde, purgemus nos ipsos per contritionem internam, per puram confessionem, per satisfactionem idoneam, ab omni mentis ac corporis impuritate, ab omni elatione, cupiditate, incontinentia, ab omni ira, impatientia, acedia et ran-

Matth. v, 8. core. Siquidem beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Secundo, ex evangelio hodierno docemur quanta sit Christianorum in mundo isto felicitas, dummodo negligentes et ingrati Deo non fuerint : quoniam documenta Christi, ejus quoque miracula, suæque conversationis in sæculo isto sanctissima opera et exempla quotidie audiunt, legunt, *Luc.* x, 24. cognoscunt. Quæ multi reges et justi ac vates audire et noscere optaverunt, non tamen viderunt, nec audierunt, nec cognoverunt ea, saltem tam circumstantionaliter et perfecte ut ex Evangelio innotescunt. Sed quanto hæc melius scimus, tanto graviora sunt nostra peccata, et intolerabiliora erunt supplicia, nisi juxta documenta et exempla Christi vivamus, ipsum in vera caritate Dei et proximi, in sancta humilitate, mansuetudine, castitate actibusque misericordiæ imitando. Ait nam- *Ibid.* xii, 47. que Christus : Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis. Hinc ad Titum Aposto- *Tit.* ii, 11-13. lus loquitur : Apparuit gratia Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.

Tertio, ex evangelio isto instruimur quanta mala et damna incurrat homo ex mortali peccato. Nam primo, per illud privamur hereditate regni cœlestis, hoc est æterna felicitate et gloria : quod notat *Luc.* x, 30. Christus, quum ait, Homo quidam descendebat ab Jerusalem. Secundo, per peccatum captivamur sub defectu multiplici, et mente instabiles, exsulesque efficimur : quod notatur, quum dicitur, In Jericho. Tertio, per peccatum subjicimur servituti peccati atque diaboli, quia et princeps II *Petr.* ii, 19. Apostolorum testatur : A quo quis victus est, hujus et servus est. Propter quod *Rom.* vi, 12. Paulus hortatur : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Hoc notatur, quum dicitur, Incidit in latrones. Quarto, per peccatum spoliamur donis gratuitis, id est A gratia gratum faciente, caritate, donis virtutibusque infusis : quod notatur, quum dicitur, Despoliaverunt eum. Quinto, per peccatum vulneramur in naturalibus, quia per illud naturales vires inficiuntur, et ad virtutes magis ineptæ redduntur : quod notatur, quum ait, Et plagis impositis. Sexto, per peccatum mortale mortificantur præcedentia meritoria opera. Quum ergo tot mala ex peccato incurramus, nil tantum odiamus, abhorreamus, vitemus sicut peccatum.

B Præterita quoque vitia digne et efficaciter deploremus, quemadmodum legitur in vita beatissimi Abrahæ eremitæ, de Maria nepte ipsius. Quam adhuc adolescentulam, imo septennem, juxta cellam suam clausit in cella : sicque Maria illa viginti annis in omni innocentia, puritate et caritatis fervore Deo angelice deservivit. Postea quidam falsus monachus eam decepit, ita quod cellam exivit ad illum, qui statim eam violavit atque reliquit. Illa autem peracto peccato, vehementissime C doluit; et præ rubore et timore ad cellam suam redire non audens, quasi desperans ad sæculum rediit, et publicæ abjectionis scortum effecta est. Quo cognito, sanctus patruus ejus Abraham inæstimabiliter tristabatur, et die ac nocte cum lacrimis oravit pro ea. Evolutis demum duobus annis, quum percepisset ubi illa esset et quid ageret, mutavit habitum, militaremque induit vestem, et equitavit ad eam, vultum suum ita tegens, quod ab ea cognosci nequivit. Quumque solus cum ea esset in ca- D mera, vultum suum detexit et allocutus est eam. Ipsa vero cognito patruo suo, quasi exanimis est effecta. Ipse vero benignissime eam confortavit, consolabatur, convertit, et secum reduxit, atque in interiori cella reclusit. In qua Maria illa peccata sua die et nocte uberrime deploravit, induta cilicio et in abstinentia summa corpus suum affligens, vigiliis, orationibus, compunctionibus supra humanas vires insistens : sicque ad tantam rursus perfectionem devenit, quod etiam multa egit miracula.

SERMO TERTIUS

DE DIVINO AMORE ET ELUCIDATIONE PRÆCEPTI CARITATIS DEI ET PROXIMI.

Qui diligunt te, Domine, sicut sol in A *ortu suo splendet, ita rutilent.* Judic. v, 31.

Sicut in prima sua scribit epistola Joannes I *Joann.* iv, 16. apostolus : Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Porro, qui non manet in caritate, manet in morte, hoc est in mortali peccato. Quum itaque caritas Dei sit vita animæ et summa virtus (qua inexsistente et præsente, ceteræ adsunt virtutes; et qua deficiente seu perdita vel absente, nulla virtus adest aut inest quantum ad B formatum et completum esse virtutis), ita quod faciat mentem Deo acceptam, ut aliquid meritorium vitæ æternæ agere queat; hinc universa quæ agimus, ordinare debemus ad hoc, ut in caritate Dei ac proximi jugiter proficiamus, roboremur et accendamur.

Nec sufficit nobis Deum diligere naturali amore, prout ratio dictat humana, et propter beneficia ejus, sed necessarium est ad salutem ut ipsum diligamus spirituali, supernaturali, infuso amore, primo C et principaliter propter puram et summam bonitatem ipsius. Quicumque autem taliter amat Deum, amat etiam spiritualiter omnem proximum, hoc est quemlibet hominem in hoc mundo, tam amicum quam inimicum. Iterum, quicumque sic diligit Deum, omnia ejus implet præcepta, mandata quoque Ecclesiæ, et rectæ rationi obedit. Unde qui cupit agnoscere an meritorie diligat Deum, discutiat semetipsum, an universa observet præcepta, et omnes diligat homines quantum- D cumque adversarios et molestos. Itaque Dominum Deum nostrum debemus summe ac pure diligere, primo atque potissime propter puram et infinitam bonitatem ipsius. Unaquæque etenim res tantum habet de amabilitate, quantum de bonitate. Quemadmodum ergo Deus est bonitas superexaltata, incomparabilis et immensa, in qua nihil est cogitabile contrarium bonitati, imo quidquid ad bonitatem pertinet, cum infinita plenitudine et excellentia competit ei; sic ipse est summe, pure incomparabiliterque amandus. Ideo Deus præcepit se diligi quasi sine mensura et modo, utpote toto corde, tota mente, tota *Deut.* vi, 5; fortitudine. Deinde quicumque sic diligit *Marc.* xii, 33. Deum, ita stat quod pro nulla re mundi vellet peccare mortaliter, imo nec pro conservatione propriæ vitæ : quia per peccatum mortale amittitur Deus, qui summe et incomparabiliter magis quam propria vita diligitur.

Secundo debemus Deum summe incomparabiliterque diligere propter suam omnimodam et universalem perfectionem, videlicet quoniam quidquid perfectionis, quidquid pulchritudinis, quidquid nobilitatis, suavitatis, jucunditatis et excellentiæ excogitari potest, in Deo simplicissime et supereminentissime invenitur, et ipse Dominus Deus est ipsa pulchritudo immensa, ipsa infinita beatitudo, sapientia, omnipotentia, misericordia, dulcedo, justitia, sanctitas, veritas, omnisque perfectio. Si ergo diligimus aliquem quoniam pulcher aut sapiens est, aut dives, aut potens, aut misericors, aut justus, aut dulcis, nonne incomparabiliter plus amare debemus Dominum Deum, in quo omnia ista simplicissime cum infinita perfectione consistunt ? Insuper, sæpe diligimus aliquem hominem quem nunquam vidimus, ex fama ipsius, quia bona multa de ipso percepimus, utpote, quod sit timoratus, devotus, justus, pius, et pro communi bono indesinenter laborans : quantum ergo Deum amare debemus, de quo nihil nisi tam incomparabiliter bonum audivimus, et de quo omne bonum cognoscimus ?

Tertio debemus Deum summe diligere ratione propinquitatis. Si enim carnales parentes diligimus quia ab ipsis secundum carnem processimus, quanto magis diligendus est nobis Dominus Deus, a quo, quantum ad animam, immediate conditi sumus, ex cujus etiam providentia, potestate et dono profluxit quod a parentibus carnaliter nati sumus ? Itaque, sicut anima est incomparabiliter dignior corpore, sic animarum creatorem et patrem Deum incomparabiliter plus amemus quam carnales parentes.

Quarto summe diligendus est Deus propter universa beneficia sua generalia et specialia, corporalia et spiritualia, naturalia et supernaturalia, quibus incessabiliter utimur, sustentamur et conservamur, super terram calcando, aerem respirando, aqua nos refrigerando, et igne variis modis utendo. Ipse Deus lucet nobis per solem, ipse dat pluviam, ab ipso sunt fructus terræ, et omnia necessaria vitæ ex ipsius providentia conferuntur; ab eo habemus esse, vivere, sentire, intelligere, corpus et animam. Consideremus quantum pauper diligit eum a quo quotidie bene reficitur ac vestitur : quantum ergo Deum amare tenemur, a quo omnia quæ habemus, accepimus, cujus dona sunt omnia bona, a quo indesinenter conservamur in esse, sine cujus conservatione nec ad momentum possemus subsistere ? O quanta est ingratitudo atque perversitas iniquorum, et quam vere justissima apparebit in die judicii condemnatio horum !

Quinto debemus Deum summe diligere quia in eo solo tota nostra consistit felicitas, et quoniam tot bona nobis præparavit atque promisit in cœlis.

Itaque omnia ista multoties ac profunde pensemus, et in Dei amore quotidie crescere studeamus, ejus præceptis obedire conemur, ei grati esse nitamur; quidquid offensivum et inhonorativum est ejus, omni cum diligentia caveamus.

A

Nunc de intellectu seu expositione præcepti caritatis Dei et proximi aliquid breviter est tangendum. Porro dilectio potest dici perfecta dupliciter. Primo, ex parte dilecti, sicut quum res tantum diligitur quantum ex sua natura aut consistentia diligibilis est. Quum ergo Deus sit infinitæ amabilitatis sicut et infinitæ bonitatis, constat quod nullius creaturæ dilectio ad Deum, potest esse perfecta, sed infinite deficit ab hac perfectione dilectionis divinæ : solusque Deus se ipsum hoc modo perfecte diligit. Secundo dilectio dicitur esse perfecta ex parte diligentis, dum amans secundum totam suam facultatem fertur per amorem in amatum : sicque intellectualis creatura potest habere ad Deum dilectionem perfectam, et habet quando secundum totum posse suum diligit Deum. Hujus autem perfectionis caritatis sunt tres gradus.

B

C

Primus et summus est, dum intellectualis creatura secundum omnem suam virtutem indesinenter actualiter fertur in Deum : et iste gradus perfectionis divinæ dilectionis competit omnibus Sanctis in patria. Sic enim Deum diligere toto corde, est ipsum diligere actuali amore incessanter in Deum erecto secundum totum posse voluntatis, absque admixtione omnis inordinati et impertinentis affectus. Sic quoque Deum diligere tota mente, est divinæ veritatis contemplationi indesinenter vacare secundum extremum posse intellectus, absque admixtione totius evagationis, erroris et deceptionis. Diligere autem Deum tota anima, est tota intentione actualiter esse semper elevatum in Deum in omnibus quæ cogitantur, amantur, aguntur. Porro diligere Deum tota fortitudine seu ex omnibus viribus, est omnium aliarum inferiorumque virium actiones semper habere actualiter ordinatas in Deum, ita quod Dei dilectio erit

D

omnium actuum illorum ratio : quod erit A in Beatis, potissimum post resurrectionem futuram, quando omnes operationes exteriorum interiorumque sensuum et utriusque appetitus sensitivi, omnesque corporis motus et actus, ordinatissimi erunt in Deo, atque ad ejus conferent contemplationem, amorem, laudem et venerationem. Universaque ista implebuntur in patria, non solum absque difficultate, sed etiam cum inenarrabili facilitate et jucunditate. Idcirco præceptum istud caritatis divinæ non impletur perfecte nisi in patria. B

Secundus et medius gradus perfectionis caritatis est, dum omnia illa relinquuntur et contemnuntur quæ solent in hac vita a Dei contemplatione et amore impedire, quatenus mens Deo perfectius atque stabilius per dilectionem contemplationemque vacet. Et hic gradus perfectionis caritatis cadit sub consiliis evangelicæ legis, et spectat ad religiosos, qui desiderio *Luc.* IX, 23; XIV, 26, 33. prætactæ perfectionis, juxta Christi consilium abnegant semetipsos, et omnibus quæ habent renuntiant, carnaliterque propinquos C et contoralem relinquunt, ut soli Deo liberius amorosiusque adhæreant : quoniam mens humana tanto intensius uni infigitur, quanto plus a multis abstrahitur. Certumque est quod occupatio circa exteriora, et carnalis affectio circa propinquos, potissimeque delectatio sensualis in actu carnali, a pura et stabili affectione mentis in Deo vehementer impediunt hominem : ideo Filius Dei, sapientia Patris æterni, consuluit omnia illa relinqui, ut soli Deo perfectius intendatur. D

Tertius vero et infimus gradus perfectionis caritatis est, ut sic Deus toto corde, tota mente, tota fortitudine diligatur, quatenus in omnibus his nihil sit quod caritati contrarietur, sed omnia actu vel habitu ordinentur in Deum sicut in ultimum finem, et intellectus Deo subdatur per fidem, voluntas per spiritualem amorem : quatenus nec se nec aliquid aliud diligat homo, nisi in Deo, exteriora quoque opera ejus ac verba ex Dei amore procedant, dicente Apostolo, Omnia vestra in I *Cor.* XVI, 14. caritate fiant; sicque intentio recta sit coram Deo, ut ejus honorem et gloriam principaliter intendamus, juxta illud Apostoli: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid *Ibid.* X, 31. aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et hic gradus caritatis est de necessitate salutis. Postremo patet ex his, quam graviter peccent carnales parentes, propinqui, amici et socii, qui sobolem suam, vel propinquum, aut socium a religionis ingressu impedire conantur. Hoc enim caritati Dei ac proximi contrariatur, et valde damnabile a sanctis Patribus judicatur. Tales namque sunt homines carnales, omni spirituali sapientia destituti et vera caritate carentes, qui consiliis Christi repugnant.

Legitur in vita BB. Epicteti et Astionis, quod idem Astion ex gentilibus parentibus natus, et eorum unicus filius, cujus mater fuit filia senatoris, quum esset decem et octo annorum, et eloquentissimus atque pulcherrimus adolescens, ingeniosus, mansuetus et in naturalibus valde præclarus, a S. Epicteto presbytero est ad fidem conversus. Et ut Christo liberius deserviret, cum præfato Epicteto longinquam regionem intravit : in qua Deo in omni sanctitate et perfectione servivit, in tantum quod etiam magna fecit miracula. Parentes vero ipsius, de ejus amissione incredibiliter doluerunt. Post multos vero annos, beati viri Epictetus et Astion pro fide Christi martyrium sunt perpessi, in quo crudelissimas pœnas constanti et alacri animo pertulerunt. Et circa idem tempus perceperunt parentes S. Astionis, in qua civitate diu mansisset. Qui protinus illuc venerunt. Quumque civitati illi propinquarent, B. Astion apparuit cuidam Christiano in urbe illa, rogans ut parentes suos pie susciperet, bene tractaret, et de fide Christi diligenter instrueret : quæ omnia Christianus ille nomine Vigilantius, fideliter fecit. Post paucos vero dies, gloriosi martyres Epictetus et Astion visibiliter apparuerunt in plena vigilia parentibus Astionis, circa eorum sepulcra orantibus, præsente Vigilantio. Epictetus autem apprehendebat et osculabatur patrem Astionis; Astion vero amplectebatur et osculabatur matrem suam. Quumque diu affati et consolati fuissent ac instruxissent præfatos parentes, redierunt in cœlum. Post modicum tempus parentes Astionis acceperunt Baptisma, et redierunt ad sua; atque feliciter tandem obdormierunt in Domino. Est autem legenda ista S. Epicteti et B. Astionis pulcherrima et consolatoria valde.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUOMODO PER FIDEM IN JESUM CHRISTUM FIDELES CONSEQUANTUR GRATIAM ET GLORIAM.

C*ONCLUSIT Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Galat. III, 22.

In hodierna epistola docet Apostolus, quod non Mosaicæ legis virtute, sed per fidem Jesu Christi consequantur fideles gratiam in præsenti et gloriam in futuro. Nam Trinitas summa, æternus ac simplicissimus Deus, decrevit per unum caput, videlicet Jesum Christum, salvare genus humanum. Et sicut Christiani jam tempore gratiæ salvantur in fide Christi nunc incarnati, missi ac crucifixi, sic electi fideles qui ab exordio mundi fuerunt in lege naturali et scripta, salvabantur in fide ejusdem Christi tunc incarnandi, morituri ac crucifigendi, et quidquid nos modo de Christo credimus adimpletum, illi crediderunt in Christo et per Christum implendum. Et superiores in illis, videlicet Patriarchæ ac Prophetæ, ex revelatione divina, per diversa oracula, per divina mysteria, per vaticinia et figuras plurima de Christo prænuntiaverunt, imo pene omnia quæ de ipso modo creduntur. Idcirco eadem est fides illorum et nostra. Propter quod evangelicus Zacharias loquitur: *Luc.* I, 69, 70. Erexit cornu salutis nobis, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Beatissimus quoque princeps Apostolorum ait in Actibus: Deus prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum. *Act.* III, 18.

Porro hæc fides, a principio mundi usque in præsens, per cunctas mundi ætates habuit testimonium Dei seu attestationes divinas, puta vera et soli vero omnipotentique Deo possibilia miracula, quæ Deus fecit in testimonium veritatis fidei hujus: quia eorum doctrinam qui fidem hanc docuerunt, approbavit, et confirmavit, ac divulgavit per hujusmodi copiosa miracula, quæ tamen in evangelica lege et tempore gratiæ, quando hæc fides per universum diffusa est orbem, copiosius, imo quasi incomparabiliter excellentius atque frequentius sunt peracta, nec aliter potuissent homines ad hanc fidem induci. Deinceps, post diluvium, hominibus ubique ad idololatriam passim ruentibus, Deus excelsus et gloriosus elegit et assumpsit sibi populum unum, in quo hæc fides uniusque Dei cultus manserunt, puta Israeliticam plebem. Et in populo illo Deus æternus multo evidentius quam ante docuit homines de Christi adventu atque mysteriis, per angelos instruendo Prophetas, et per Prophetas plebem communem. Unde Prophetæ de Christo et ejus adventu, passione ac mysteriis copiose ac evidenter locuti sunt et scripserunt. Hinc A quoque in Israelitica plebe fecit Deus multa præclara miracula, multo copiosius quam fecerat ante. Et hoc duravit usque ad Christi adventum, in quem translata sunt illa miracula, quoniam per se ipsum operatus est innumerabilia excellentissima prorsus prodigia. Unde et quidam Judæi dixerunt *Matth.* IX, 33. de ipso : Nunquam apparuit sic in Israel. Et ipsemet protestatur : *Joann.* XV, 24. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.

Christus quoque virtutem agendi miB racula suis dedit Apostolis ceterisque di- *Luc.* X, 9, 19 ; *Marc.* XVI, 17, 18 ; *Act.* II et seq. scipulis, etiam ante suam passionem, et multo excellentius post suam passionem, resurrectionem ac Sancti Spiritus missionem. Imo, quamvis Dominus Jesus Christus, rex Messias, unigenitus Dei, per se ipsum tot et tanta fecit prodigia, nihilo minus, sicut ipse passione sua instante *Joann.* XIV, 12. prædixit, multi Apostolorum et discipulorum suorum, in virtute et nomine ejus plura et majora miracula sunt operati quam ipse, qui quamdiu inter Judæos fi- C dem christianam prædicaverunt, coruscabant inter illos miraculis. Judæis vero majori ex parte in infidelitate sua ma- *Act.* XIII, 2, 46, 47. nentibus, et ex jussione divina sanctis Apostolis illos relinquentibus, atque ad gentilium informationem ac conversionem se transferentibus, translata sunt universa miracula quibus ante splenduit Synagoga, per beatos Apostolos ad Ecclesiam pro maxima parte etiam gentilitate collectam, nec interim habuerunt Judæi miracula. Perdiderunt quoque sceptrum regium, pro- D priam terram, sacrificia legis, ordinem sacerdotum, dignitatem pontificum. Et quum omnia videant sibi ablata, non advertunt nec intelligere volunt ea in Christum et in ejus Ecclesiam esse translata. Ecce hæc est fidei christianæ probatio vera atque certissima, quæ et per alia multa probatur insolubilia argumenta.

Præterea per fidem Christi salutem consequimur, dummodo Christo capiti nostro *Ephes.* IV, 15. per fidem formatam, hoc est per fidem et caritatem, nunc uniamur. Oportet nos ita Christo uniri, ut meriti ac gloriæ ejus simus participes. Quumque Christus sit caput nostrum, cujus tota conversatio in hac vita fuit meritoria nobis, debemus opera nostra meritoria plurimum defectiva supercopiosissimis meritis Christi unire, et sic ea Deo offerre, quatenus imperfectum nostrum suppleatur ex superabundantia meritorum Domini nostri Jesu Christi : quemadmodum et Ecclesia in suis orationibus per Jesum Christum postulat exaudiri. Postremo, meritum Christi tanto exuberantius communicabitur nobis, quanto ad ejus participationem amplius nos aptamus, quanto per ferventiorem dilectionem Christo uniti fuerimus, quanto ipsius vestigia perfectius imitamur.

Ideo omnem inordinatam abjiciamus affectionem, omnem consolationem spernamus indignam, omne verbum et opus a Christo elongans vitemus. Christi bonitatem et caritatem ad nos, ac beneficia ejus consideremus : quæ omnia intuendo, ejus accendemur amore. Discamus ab ipso, quia *Matth.* XI, 29. mitis est et humilis corde, et in patientia *Luc.* XXI, 19. nostra possideamus animas nostras. Serviamus Domino Deo nostro corde perfecto *Josue* XXIV, 14. atque verissimo, omnem passionum impulsum, iræ et impatientiæ impetum, vitiorum tumultum eradicemus a nobis. In cibo, potu, somno et cunctis necessariis huic misero corpori, simus semper moderati ac parci, ut vitam vere religiosam ac pœnitentialem ducamus, atque in omni pietate, munditia, fervore, justitia, constantia, alacritate ac spirituali profectu ministremus Altissimo.

SERMO QUINTUS

DE PRIMIS ET PRINCIPALIBUS LEGIS DIVINÆ PRÆCEPTIS, ET QUO STUDIO IMPLERI DEBEANT.

BEATI oculi qui vident quæ vos videtis. Luc. x, 23.

Christus Dominus fons vitæ, in visione quadam beatitudinem hominis ponit, dicendo : *Joann.* XVII, 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. Itaque in visione superdignissimæ Trinitatis clara per speciem nostra consistit felicitas. Nec solum appellat beatos eos qui Deum ita vident, sed eos quoque qui ad ejus beatificam visionem sunt dispositi : *Matth.* V, 8. Beati (inquiens) mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Nec hi dumtaxat beati vocantur, qui ad istam beatitudinem sunt dispositi jam in actu, sed omnes quoque qui ad eam æternaliter sunt electi.

Porro ut in evangelio legitur hodierno, *Luc.* X, 23. Christus suis dixit discipulis : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis ». Fuit enim valde desiderabile ac beatum videre ad oculum Unigenitum Dei, verum Deum veraciter incarnatum, utpote in unitate personæ Deum et hominem, inter homines conversantem, prædicantem atque miracula innumerabilia ac præclarissima operantem. Sic olim regina Saba Salomonis *III Reg.* X, 8. sapientiam admirans, asseruit : Beati viri, et beati servi tui, qui hic adstant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. Quanto magis beati Apostoli ceterique Salvatoris discipuli, qui ei quotidie adstiterunt, ejus sapientiam audierunt, ejus mirabilia contemplabantur? Verumtamen non omnes erant beati qui Christum corporaliter conspexerunt et audierunt. Nam qui- *Joann.* VI, 67. dam eorum abierunt retrorsum, et infelicissimus Judas unus fuit eorum. Aliquibus *Sap.* II, 15. etiam gravis exstitit ad videndum, qui et tandem manus sacrilegas injecerunt in A eum, et crucifixerunt Dominum majestatis : sic invidia mentem excæcat, sic malitia eam subvertit. Quod itaque dixit Salvator, « Beati oculi qui vident quæ vos videtis », de interioribus oculis ad corporales oculos reflexis, fideliterque intelligentibus exterius visa et audita, rite accipitur.

Nec solum illi beati, quia de nobis Christus disseruit : Beati qui non viderunt et *Joann.* XX, 29. crediderunt. Denique magis meritorium est Christum in Sacramento altaris fide- B libus oculis intueri, quam fuit eum corporalibus oculis speculari. Hieronymus quoque testatur, Nihil felicius Christiano, cui regna promittuntur cœlorum : quod de Christianis illis verificatur qui tanto nomine operantur condigna.

Ut ergo et nos simus beati, videamus et contemplemur oculo fidei illustrato, Dei Filium incarnatum, et universum suæ sanctissimæ conversationis modum in sæculo isto, documenta et miracula ejus, et omnia quæ pro nostra egit sustinuitque sa- C lute. Nonne, quum Dominus esset universorum, fons omnium divitiarum et Deus majestatis immensæ, ut viam salutis nobis perfectissime demonstraret, non verbis dumtaxat, sed etiam factis, elegit in sæculo isto vitam prorsus pauperrimam, vitam asperrimam, persecutionibus, derisionibus, opprobriis plenam ? Et postremo, sui pretiosissimi sanguinis effusione redempturus genus humanum, non brevem aut levem, sed longam nimis, et vere acerbissimam ac ignominiosissimam D elegit perpeti mortem ; atque in omni conversatione, prædicatione et passione sua exhibuit et implevit profundissimam humilitatem, incomparabilem patientiam, A insuperabilem mititatem, caritatem ardentissimam ac summe perfectam, insinuans et protestans unumquemque fidelium tanto esse veracius christianum, tanto perfectiorem ac feliciorem, quanto eum in prætactis virtutibus, in præfatis operibus, in tribulationum, adversitatum, persecutionum et derisionum æquanimibus tolerantiis, plenius fuerit imitatus. Unde non solum in visione et gloria, sed in tribulationum quoque multiplicium sustinentiis spontaneis, beatitudinem statuit B *Matth.* v, 11, 12. Christus : Beati (inquiens) estis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me ; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Habentes autem talem legislatorem ac dominum, instructorem ac præcessorem, talia documenta, exempla, consilia et præcepta, cur unquam impatientes, irati, indignantes, perturbati efficimur? Cur prosperari, solatiari, ridere, honorari, seu C aliquo modo promoveri, et non potius tribulari, disciplinari, pœnitere, flere, despici et subesse, optamus : præsertim nos religiosi, qui in vera paupertate, continentia, obedientia Dominum et magistrum istum sequi solenniter vovimus ; qui solummodo pauperes esse sic volumus, ut nullam patiamur inopiam ; sic casti, ut carnalia desideria non funditus exstirpemus ; sic obedientes, ut præsidens considerare indigeat quid nobis injungi velimus, et vix arduum aliquid alicui præcipere D audeat? Videndum est et providendum an sic nostræ satisfaciamus professioni. Sed intuitu et amore Domini nostri Jesu Christi, sic in prædictis eum sectemur, ut in tenuitate victus et vestitus, in penuriis, afflictionibus, disciplinis et propriæ voluntatis fractionibus arduis, quasi in cunctis divitiis gloriemur ; tantoque amplius gloriemur, tanto beatiores nos arbitremur, quanto in universis jam tactis Dei Filium Jesum Christum abundantius sequi, et ei perfectius conformari poterimus. Et si non ex sincerissima caritate ipsius id cupimus et implemus, saltem ex spe et desiderio inæstimabilis beatitudinis æternalis inde nobis provenientis, una cum caritatis affectu totum illud cupiamus et exsequamur, quia ut ait Apostolus, Modicum et leve *II Cor.* iv, 17. tribulationis nostræ in vita hac habitæ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Nec condignæ sunt hujus vitæ ac tem- *Rom.* viii, 18. poris passiones ad futuram beatitudinem illam.

Insuper in evangelio isto docetur, quæ sint prima ac principalia legis divinæ præcepta, videlicet, Deum ex toto corde, tota *Luc.* x, 27. anima et viribus cunctis diligere, proximum quoque sicut se ipsum : ad quæ cetera ordinantur præcepta. Quum etenim præcepta de actibus sint virtutum, et caritas sit virtus altissima, constat quod caritatis præceptum sit summum. Idcirco ad ejus impletionem maxime infatigabiliterque conemur, quoniam absolute loquendo, ille est melior, ille perfectior, ille in præsenti et in futuro beatior, qui in Dei amore exstat intensior, major sive ferventior. Propterea miser et stultus est valde religiosus, qui tot quotidie exercet labores, tanta dimisit in sæculo, tamque aptissima proficiendi media habet in cœnobio, nec tamen hæc omnia ordinat ad divini incrementum amoris, neque in sincerissima Dei et proximorum dilectione crescit ac proficit ; qui mentem suam non satagit omni hora Creatori suo amorose unire, affectum suum in Deum defigere, caritatisque vinculis animam suam Sponso cœlesti indissolubiliter colligare, ut jam nihil libeat ei, nil eum delectet, nisi se occupare cum Deo suo, illum pura mentis acie contemplari, illum indesinenter affari orando, psallendo ac meditando, pro ipsius amore omnia dura et aspera hilariter sustinere. Et quoniam amantis est beatitudini sui dilecti cordialiter congaudere, istud præcipue ad sincerum ac fervidum Dei pertinet amatorem, infinitam opulentiam immensamque perfectionem, superplenissimam beatitudinem, omnem sapientiam, pulchritudinem, suavitatem et excellentiam ejus considerare, mirari, et ei de his omnibus toto corde congratulari.

Verumtamen ad perfectionem hanc ipsam, ad omnem hunc caritatis actum, unionem, amplexum ac virtutem, non ita pertingit neque faciliter pervenit homo, nec potest ad ista ascendere, nisi in primis cum omni diligentia indesinenter vitet peccata, non solum mortalia, sed venialia quoque. Nam sicut mortalia caritatem exstinguunt, sic venialia ejus profectum impediunt, ejus fervorem diminuunt, perfectionique derogant. Porro peccata taliter evitare non poterit, nisi qui passionum suarum refrenationi, affectionum reformationi, et interiori cordis custodiæ studiose, sollicite, incessanter invigilat, exteriores interioresque sensus coercet, linguam et A ventrem ab excessu compescit. Insuper est necesse omne opus Dei reverenter peragere, in omni humilitate, patientia, mansuetudine, temperantia, pietate, justitia ceterisque virtutibus ad caritatis perfectionem disponentibus, requisitis atque præambulis digne proficere, coram Deo semper sollicite ambulare, quotidiana, venialia, et quæ putantur minuta peccata quasi mortalia ponderare, deflere, punire et emendare, invocationi divini subsidii indefesse insistere. Ad quæ omnia adimplenda, non B mediocriter confert dominicæ passionis frequens et cordialis meditatio, et sui ipsius diligentissima quotidiana examinatio. Idcirco in omnibus his exerceamus nos strenue, quatenus ad caritatis perfectionem, ad divini amoris ardorem, ad serenissimæ dilectionis sanctum stabilemque affectum valeamus pertingere.

SERMO SEXTUS

ELUCIDATIO PRÆCEPTI CARITATIS, ET DE NOVEM NOCUMENTIS PECCATI.

D*ILIGES Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Luc. x, 27.

Deus essentialiter et incircumscriptibiliter bonus jussit se ab hominibus toto corde, tota mente, tota anima, et ex omnibus viribus diligi: non quod homo in vita præsenti possit præceptum istud perfecte implere, sed ut sciamus quo tendere, ad quid omnia nostra ordinare exercitia debeamus, et ut semper imperfectum nostrum recognoscamus, ut etiam possimus advertere quantum profecerimus, quousque pervenerimus, et quantum a vera perfectione distemus. Denique Deus omnipotens, justus et sapiens, istud præcepit non ob indigentiam suam aut commodum suum, *Ps.* xv, 2. qui bonorum nostrorum non indiget, sed ob alias causas diversas. Primo, quoniam ipse summe et incomparabiliter ac prorsus C in infinitum amabilis et superamabilis est in se ipso, utpote superpura, superessentialis ac penitus interminabilis bonitas. Secundo, quoniam quidquid sumus et habemus, ab ipso accepimus : ideo totum suæ dilectioni debemus. Tertio, propter alia specialia et generalia, corporalia et spiritualia, naturalia et supernaturalia beneficia ejus innumerabilia nimis. Non enim solum esse, vivere, sentire, moveri, intelligere, corpus et animam, membra et vires ab eo accepimus, sed ab ipso in his D incessabiliter conservamur, ab ipso necessaria vitæ sortimur, et creaturarum suarum obsequio jugiter utimur. Ab ipso diversa gratiarum charismata sumus adepti, a periculis multis maximisque erepti. Quarto, quia ipse prior dilexit et valde dilexit nos. Diligens autem vult redamari. I *Joann.* iv, 10, 19.

Quinto, quia non aliter nisi eum toto corde amando, beatitudinem ad quam ipse nos condidit possumus adipisci. A

Præterea, Deum toto corde, tota mente, tota anima et omnibus viribus diligi, tripliciter potest intelligi. Primo, ut nihil Deo, sed ipse rebus omnibus præponatur, tam in corde, id est voluntate, quam in mente seu intellectu, in animæ quoque intentione et ceteris viribus ejus ; nec in omnibus aliquid divinæ contrarium caritati agatur, sed ad minus juxta Dei præcepta vita hominis dirigatur. Et istud est B de necessitate salutis, et cadit simpliciter sub præcepto, estque gradus infimus caritatis.

Secundo, ut in cunctis prætactis, non solum nihil caritati contrarium fiat, sed illa etiam relinquantur quæ a caritatis profectu et perfectione solent hominem impedire ; et illa agantur quæ ad supererogationem pertinent, et caritatem ex sua natura augere atque perficere consueverunt. Hic autem est gradus caritatis secundus ac medius, in hac vita possibilis, C ad religiosos præcipue spectans, qui *Luc.* IX, 23; XIV, 26, 33. terrena omnia et propinquos relinquunt, abnegantes insuper et se ipsos, seque Deo in manu vicarii sui offerentes in holocaustum, quatenus a multis abstracti, et a carnali affectu ac voluptate remoti, a propria quoque libertate nudati, uni, summo, necessario bono purius vacent spiritualibusque inhæreant, et omnino transformentur in ipsum ac possideantur ab ipso. Hic gradus caritatis cadit sub evangelicæ legis consiliis, ad quæ tamen religiosi post D suam professionem tenentur, quia et ipsa consilia tunc eis in præcepta vertuntur, ad minus principalia tria consilia.

Verumtamen gradus hic caritatis latitudinem habet, quum quidam in hac vita dicantur in caritate perfecti, ut viri heroici, in quibus passiones sunt penitus mortificatæ ac reformatæ, et spiritualis amor sic dominatur quod amor privatus prorsus exstinctus est, omnisque affectio inordinata proprii commodi est sepulta ; qui extra Deum nil diligunt, neque ad creata inordinate afficiuntur, quantum humana fragilitas in hac vita permittit. Qui etsi quandoque venialiter peccent, tamen per caritatis ardorem, per contritionis vehementem vigorem, per sapientialem de sua culpa pudorem, atque per alia virtuosa exercitia multa et magna, pro suis quotidianis culpis non solum satisfaciunt plene, sed ultra hoc plurimum promerentur ac crescunt. Nam et ipsi ita appellantur perfecti, ut nihilo minus assidue possint plus perfici, et omni hora proficiant. Idcirco lignum, fœnum stipulamque non *I Cor.* III, 12. colligunt, sed morientes mox evolant. Ex quibus elicitur, quod etiam perfectio ista caritatis graduum latitudinem sortiatur, et diversos habeat gradus, secundum quod unus alio sanctior in hac vita fuit aut est. Siquidem quidam Sancti post hanc vitam pœnas purgatorii ad tempus passi leguntur, quia cremabile quid, utpote lignum, *Ibidem.* fœnum, stipulam, secum tulerunt.

Tertio, præfatum caritatis præceptum ita intelligitur, ut rationalis creatura jugiter, sine interpolatione seu interruptione, secundum extremum posse suum, secundum omnes suas potentias actualiter in Deum pure feratur et quiescat, absque admixtione totius erroris et culpæ. Et iste est gradus tertius caritatis, vere perfectus, respectu cujus, gradus caritatis Sanctorum in hac vita perfectus, est imperfectus, quanquam et ille perfectus dicatur in suo statu et genere.

Sed quum diligere sit actus proprius voluntatis, cui soli vere, subjective atque formaliter caritas inest, quomodo rationalis creatura dicitur Deum diligere tota mente cunctisque viribus in quibus caritas et ejus actus eliciti non inveniuntur? Respondetur, quod non eodem modo dicitur homo Deum diligere toto corde et tota mente, etc. Dicitur namque Deum *Luc.* X, 27. toto corde diligere formaliter et directe, sed tota mente, et tota anima, et omnibus viribus, in quantum actus intellectus, intentio animæ et inferiorum virium operationes, secundum caritatis imperium, exigentiam, et profectum seu congruentiam diriguntur et exercentur. Itaque hoc modo Deum toto corde diligere, est eum actuali ferventissimoque amore indesinenter secundum totum posse voluntatis amplecti et velle, in eo complacentiam plenam ac puram habere, et ejus infinitæ beatitudini totis præcordiis congaudere, omni inordinato et impertinenti affectu in æternum prorsus excluso. Porro, sic Deum tota mente diligere, est ejus beatificæ contemplationi incessabiliter juxta extremum posse intellectivæ potentiæ absque omni errore esse intentum. Diligere autem eum sic tota anima, est tota animæ intentione actualiter semper esse erectum ad Deum in omni actione, intuitione ac dilectione. Diligere vero Deum omnibus viribus, est ceterarum virium operationes indesinenter habere in eum erectas, et secundum ipsius voluntatem directas, ita quod Dei dilectio erit omnium illorum actuum ratio : quod totum post generalem resurrectionem, resumptis corporibus, complebitur consummate in Sanctis, quia tunc universorum interiorum exteriorumque sensuum actus, et utriusque appetitus affectiones, atque aliarum potentiarum operationes, ac corporis motus, ordinatissimi et pacatissimi erunt in Deo, et ad ejus contemplationem, dilectionem, laudem ac honorificentiam conferent. Denique, tam plenissima ac prædominans gratia, tanta gloriæ plenitudo tunc erunt in Sanctis, quod omnia ista, non tantum absque omni labore et difficultate, sed insuper cum inæstimabili suavitate ac summa felicitate atque lætitia efficientur in eis, et fient ab eis.

Ecce in isto consistit beatitudo Sanctorum, gloria civium supernorum, finis omnium electorum. Ad hanc felicitatem conditi sumus, et ei quotidie appropinquare debemus. Cui quo amplius propinquamus, eo perfectiores consistimus.

Studeamus igitur incessanter in caritate proficere, in contemplatione succrescere, A Deo frequentius ac stabilius inhærere, in ipso magis ac magis defigi ac immorari sine evagatione et obnubilatione, præsertim orando, psallendo, meditando ac celebrando. Istud debet esse exercitium nostrum, studium, occupatio, labor, intentio, quatenus omne bonum quod agimus, etiam ad Dei gloriam et honorem actualiter ac sæpissime ordinemus. Si istud non agimus, nos ipsos negligimus. Quid etenim aliud operari habemus, quum simus ab exteriorum sollicitudine et temporali pro- B visione exonerati, atque divinis totaliter mancipati, aptissima quoque media ad ista habentes, quibus nequaquam abuti debemus ?

Postremo, Salvator in evangelio isto docet quanta mala ac nocumenta homini infligant peccata mortalia. Primo equidem, privant eum donis gratuitis, utpote caritate ceterisque virtutibus ac donis infusis. Secundo, mortificant præcedentia merita. Tertio, privant hominem hereditate superna ac gloria sempiterna. Quarto, vulnerant C naturalia, imo et spiritualiter perimunt animam. Per peccata quippe moritur anima morte culpæ, et naturales animæ vires inficiuntur. Quinto, faciunt hominem servum ac membrum diaboli, atque iniquitatis ministrum. A quo enim quisque superatus est, hujus et servus est, ut princeps ait Apostolorum. (II *Petr.* II, 19.) Sexto, summæ Trinitatis imaginem in homine deformant, et multiplicem in anima causant defectum, utpote pronitatem ad vitia, infirmitatem resistendi tentationibus et peccatis, et captivatio- D nem sub vitiis, quemadmodum Salomon profitetur : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. (*Prov.* V, 22.) Septimo, trahunt ad alia vitia, imo ad graviora, quia peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox pondere suo trahit ad aliud. Octavo, rationem excæcant, judiciumque pervertunt, et spiritualiter insensibilem efficiunt hominem. Nono, ad æternam damnationem obligant peccatorem, et illuc perducunt impœnitentem.

Quum ergo tot tamque incomparabilia

Eccli xxi, 2. nocumenta homini infligant peccata, quasi a facie colubri, et tanquam a vultu infernalis serpentis, hoc est diaboli, fugiamus ea. Negligentiam atque pigritiam repellamus, quum ad perfectionem tendere obligemur; temeraria judicia, prava colloquia, detractoria verba, discordiæ semina, velut A diabolica detestemur venena; iram, impatientiam, contentionem, aversionem, et omnem perversitatem ac proximi læsionem, sicut mortifera animarum pocula et sicut mortis æternæ pignora semper abominemur. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, etc.

DOMINICA XIV POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SPIRITU AMBULATE, ET DESIDERIA CARNIS NON PERFICIETIS. Galat. V, 16-24.

VAS electionis sanctus Apostolus, ad A carnalium affectionum ac operum devitationem nos hortatur in præsenti epistola, dicendo : *Spiritu ambulate,* hoc est, secundum Spiritus Sancti instinctum, vel secundum angelicæ inspirationis directionem, aut secundum rectæ rationis judicium agite, sequendo Spiritus Sancti inclinationem, angelicam inspirationem, rectæque rationis censuram. Ratio namque, secundum Philosophum, deprecatur ad optima. De Divin. nom. c. IV. Divinus quoque Dionysius : Optimum (inquit) hominis est esse et vivere secundum B rationem. *Et desideria carnis non perficietis,* id est, carnales concupiscentias non deducetis ad effectum, neque præbebitis eis consensum, qui coram Deo pro opere reputatur.

Caro enim, id est appetitus sensitivus, seu anima secundum carnem, vel homo ipse ex parte sensualitatis, *concupiscit adversus spiritum,* hoc est, ea desiderat quæ rectæ rationi contrariantur, videlicet delectationes carnales, immundas, de quibus Eccli. XVIII, 30. in Ecclesiastico præcipitur : Post concupiscentias C tuas non eas, et a voluptate tua avertere. Vel, « Caro concupiscit », hoc est, ad concupiscendum inclinat : in carne enim radicaliter fomes est. *Spiritus autem,* id est appetitus intellectivus, seu ratio, vel anima secundum partem suam superiorem, concupiscit *adversus carnem,* id est ea quæ carni et sensualitati molesta sunt, utpote sobrietatem, continentiam, corporis castigationem, divinorum frequentem ac stabilem vacationem. Et istud verum est de spiritu bene disposito ; in vitiosis autem hominibus ratio victa est, et sensualitati consentit ac servit. *Hæc enim,* videlicet spiritus et caro, *sibi invicem adversantur,* appetendo contraria, sicut prædictum est. Caro enim appetit delectabilia sibi in se ; spiritus vero cupit bona honesta per respectum ad Deum. In virtuosis tamen hominibus caro et appetitus sensitivus rationi subduntur per virtutes morales. *Ut non quæcumque vultis,* secundum rationis judicium, *illa faciatis,* propter rebellionem sensualitatis sæpe impedientis quæ bona sunt, juxta illud ad Romanos : Non quod volo bonum, hoc Rom. VII, 15, 19. facio. Vel sic : « Hæc sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis », id est non omnia ad quæ inclinationem habetis, « faciatis », sed per rationem prava desideria refrenetis, ne in manus dæmonum incidatis, secundum illud Ecclesiastici : Si præstiteris animæ tuæ concupiscentias Eccli. XVIII, 31. ejus, facient te in gaudium inimicis tuis. Sicque dictio ista, « ut », tenetur concomitanter : quia ex mutua adversatione carnis et spiritus sequitur, quod non licet nobis facere cuncta quæ volumus. Unde prima Petri habetur : Obsecro vos abstinere I Petr. II, 11. a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. *Quod si spiritu ducimini,* id est, si a Spiritu Sancto movemini, *non estis sub lege,* id est, legi Moysis non estis subjecti, quantum ad cærimonialia legis A præcepta, nec quoad præcepta ejus judicialia.

Denique spiritus multipliciter sumitur in Scripturis. Primo, pro intellectuali et separata substantia : sicque Deus et angeli *Joann.* iv, 24. spiritus appellantur, juxta illud, Spiritus *Act.* xxiii, 8. est Deus. Et Sadducæi dicunt, nec spiritum nec resurrectionem esse : ubi per spiritum angelus designatur. Secundo, pro substantia animæ : sicque Stephanus ait, *Ibid.* vii, 59. Domine, accipe spiritum meum. Tertio, pro superiori parte seu potentia animæ, B sicut hoc loco. Quarto, pro virtute imagi- *Apoc.* i, 10. nativa, ut in Apocalypsi : Fui in spiritu in dominica die. Quinto, pro subtili humore per quem anima operationes vitales exer- *Sap.* ii, 3. cet in corpore : unde Sapiens ait, Spiritus diffunditur tanquam mollis aer. Sexto, pro aere aut vento, de quo quidam exponunt *Gen.* i, 2. illud Genesis : Spiritus Domini ferebatur *Joann.* iii, 8. super aquas; et illud Joannis, Spiritus ubi vult spirat.

Subinde opera carnis exponuntur. *Manifesta autem sunt opera carnis,* id est ope- C ra vitiosa ad quæ caro inclinat, *quæ sunt, fornicatio,* id est coitus soluti cum soluta, *immunditia,* id est vitium contra naturam prorsus turpissimum, *impudicitia* in adspectu, tactu, osculis atque amplexibus, quæ ad libidinem provocant, *luxuria,* quæ est nomen commune quo ceteræ species luxuriæ jam non expressæ designantur, *idolorum servitus,* quæ interdum ex luxu- III *Reg.* xi, 1-8. ria nascitur, sicut in Salomone, *veneficia,* id est sortilegia, *inimicitiæ,* quæ ex privato generantur amore, *contentiones* ver- D borum, *æmulationes,* id est invidentiæ eorum qui idem appetunt, sed unus impeditur per alium, ut dum plures ad prælationem adspirant, *iræ, rixæ,* id est lites verborum, *dissensiones* animorum, quantum ad partialitates, *sectæ,* id est separationes dissentientium jam firmatæ, *invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis* esse vitan- I *Cor.* vi, 9, 10. da, antequam præoccupemini morte, *sicut prædixi : quoniam qui talia agunt,* id est aliquid horum, *regnum Dei non consequentur.* Ex quo duo sequuntur : primo, quod omnia hæc sunt peccata mortalia; secundo, quod damnati nunquam liberabuntur. Et quod ait, Regnum Dei, id est æternam salutem, non obtinebunt, nec ad triumphantem pertinebunt Ecclesiam, intelligendum est, nisi vere et condigne pœniteant.

Deinde enumerantur opera Spiritus, id est, quæ a Spiritu Sancto in nobis causantur, et spiritui nostro rationali insunt atque conveniunt. Dicuntur quoque hæc opera, fructus, ad similitudinem fructus materialis. Quemadmodum enim hujusmodi fructus ex terra seu arbore oritur, et cum quadam dulcedine degustatur, sic opera ista a Spiritu Sancto principaliter, atque a nostro spiritu divinitus confortato nascuntur, animamque delectant. Ait ergo: *Fructus autem Spiritus,* id est Spiritus Sancti, seu spiritus nostri rationalis, secundum sensum prætactum, *est caritas,* id est actus dilectionis divinæ ac fraternæ, *gaudium* spirituale, non carnale aut sæculare, *pax,* id est tranquillitas mentis in Deo, *patientia,* id est æquanimis perpessio adversitatum, *longanimitas,* id est stabilis aut diuturna exspectatio bonorum divinitus promissorum (de quibus ait Propheta : Credo videre bona Domini in terra *Ps.* xxvi, 13. viventium), *bonitas,* id est benevolentia, *benignitas,* id est exsecutio benevolentiæ hujus in benefaciendo ac subveniendo egentibus, *mansuetudo,* id est tractabilitas iram refrenans, *fides,* id est fidei certitudo sive fidelitas, *modestia,* id est moderamen in verbis et factis, *continentia,* id est refrenatio voluptatum laboriosa, *castitas,* id est repressio venereorum et concupiscentiæ prompta ac facilis. Continentia namque et castitas, quamvis circa idem versentur, nihilo minus distinguuntur : quoniam continens sustinet concupiscentias fortes, sed ab eis non vincitur; castus vero nec sustinet eas.

Denique horum duodecim fructuum Spiritus, ad quos alii reducuntur, distinctionem et sufficientiam ponit S. Thomas

q. LXIX, a. 3. in prima secundæ hoc modo : Fructus distinguuntur A secundum diversum processum seu variam operationem Spiritus Sancti in nobis. Primo enim mens ordinatur in se ipsa per spiritualem amorem. Ideo primus fructus est caritas, sine qua nihil rationem fructus sortitur, et in qua Spiritus Sanctus specialiter datur. Secundus fructus est gaudium, quod caritate producitur : quoniam amans ex unione sua cum amato gaudet, quam unionem caritas facit. Tertius fructus est pax, quæ est gaudium imperturbatum, dum nec ab exterioribus B mens turbatur, nec ab interioribus desideriis fluctuantibus inquietatur. In malis quoque seu adversis bene se habet mens dupliciter : primo, ne ex imminenti aut illato malo tristetur, quod fit per patientiam, qui est fructus quartus; secundo, ne ex dilatione boni sperati frangatur, quod fit per longanimitatem, qui est quintus fructus. — Secundo, bene disponitur homo ad id quod est juxta se, puta ad proximum suum, primo per voluntatem benefaciendi, quod spectat ad bonitatem, qui est fructus C sextus; secundo, per voluntatis hujus exsecutionem, quod fit per benignitatem, qui est septimus fructus; tertio, absque commotione et ultionis affectu tolerando mala illata, quod fit per mansuetudinem, qui est fructus octavus; quarto, ne fraude aut dolo alicui noceamus, quod fit per fidem pro fidelitate quæ est pars justitiæ sumptam; si vero fides sumatur pro certitudine fidei quæ est virtus theologica, sic per eam bene disponitur homo ad id quod supra se est, hoc est ad Deum, subdendo ei proprium intellectum. — Tertio, recte disponitur mens ad id quod infra se est : primo, quantum ad verba et actus, quod fit per modestiam, qui est decimus fructus; secundo, quantum ad interiorem passionem seu concupiscentiam : et ita ponuntur alii duo fructus, videlicet continentia et castitas, quarum differentia posita est.

Præterea agnoscendum, quod fructus sunt actiones virtutum, vel delectationes actibus virtuosis annexæ. Idcirco caritas, patientia, mansuetudo, etc., prout fructus vocantur, non sumuntur pro ipsis habitibus, sed pro habituum actibus vel delectationibus.

Adversus hujusmodi, id est contra præfatos fructus, *non est lex* prohibens eos, sed lex est pro eis, quia commendat et præcipit eos. *Qui autem sunt Christi,* hoc est, per fidem et caritatem ei conjuncti sunt, et ad eum sic pertinent, *carnem suam crucifixerunt,* id est, spiritualiter mortificaverunt per exercitia virtuosa jejuniorum, abstinentiarum, vigiliarum, disciplinarum, *cum vitiis* exterioribus, *et concupiscentiis* interioribus, tam vitia quam concupiscentias exstirpando. Sed contra istud objici potest, quia dum aliquis carnalis de novo convertitur, per fidem et caritatem spectat ad Christum, et tamen carnem suam nondum sic crucifixit ; item imperfecti nondum sic sua corpora crucifixerunt, et tamen sunt Christi. Respondetur, quod isti actu, vel proposito, aut inchoatione, sua corpora crucifixerunt.

SERMO PRIMUS

DE FRUCTIBUS SPIRITUS QUIBUS ORNARE SE DEBENT BONI RELIGIOSI.

F*RUCTUS Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia.* Galat. v, 22. D

Ad hoc tendit tota moralis doctrina sacræ Scripturæ, ut homo corpus suum subjiciat animæ, sensualitatem rationi, rationem et voluntatem Deo. Idcirco Apostolus ad istud frequenter et copiosissime nos hortatur. Præterea, quum corpus instrumentum sit animæ et quasi servus ipsius, anima autem finis ac domina corporis sui, tunc corpus subjicitur animæ quando ea exercet quæ expediunt animæ ad salutem, ita quod ei obedit ac servit in I Cor. ix, 27. bonis operibus, sicut ait Apostolus : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. Quod nihil aliud est quam quod in præ- Galat. v, 24. senti ait epistola : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Unde ad Romanos horta- Rom. vi, 13. tur : Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. Quemadmodum enim princeps terrenus dat suis militibus ac ministris congrua arma, ut per ea sibi deserviant, suam patriam defendendo, suis hostibus repugnando, atque se ipsos a morte ac vulneribus præservando; sic Deus nobis contulit membra, ut per ea in bonis operibus sibi deserviamus, Ecclesiam adjuvemus, vitiis renitamur, et contra animarum pericula muniamur, audiendo verbum Dei per aures. Quemadmodum ergo pravissimus ac infidelissimus reputaretur minister principis, qui per arma sibi a suo principe data, impugnaret principis plebem ac patriam, et principi injuriaretur, et tandem se ipsum occideret; sic infidelissimi, pessimi atque stultissimi sunt omnes iniqui qui sui corporis membris abutuntur in contumeliam Creatoris, exercendo per ea opera vitiosa a Deo prohibita, et alios scandalizando, ac proprias animas spiritualiter occidendo. Unde de talibus Salomon Eccle. i, 15. loquitur : Stultorum infinitus est numerus. Istud tamen specialiter faciunt luxuriosi, gulosi et vinolenti, qui corpora sua Deo consecrata et templa Spiritus Sancti effecta violant, et dæmonum habitacula I Cor. vi, 15. faciunt, membraque Christi membra faciunt meretricis.

Insuper sensualitas rationi subjicitur, dum appetitus sensitivus sic regitur et frenatur, quod circa sua objecta, videlicet sensibilia et carnalia ac caduca, non afficitur, nec movetur, nec operatur, nisi secundum rectæ rationis judicium; sicque A carnalia desideria reprimuntur, et ira, impatientia, avaritia, ac ceteræ passiones animæ, superantur, juxta illud ad Ephesios : Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et Ephes. iv, 31. clamor tollatur a vobis. Unde in præsenti docet ac jubet epistola, ut opera carnis vi- Galat. v, 19-21. temus, videlicet fornicationem, impudicitiam, comessationes, ebrietates, ac cetera in textu epistolæ tacta atque exposita.

Circa quæ considerandum est diligentissime, quod inter peccata æternam damnationem promerentia, ponit Apostolus iram, B rixam et dissensionem. Timeant ergo ac tremant, qui tam proni sunt ad irascendum, ad contendendum, ad dissentiendum ab aliis in his quæ bona exsistunt. Si enim ista ex suo genere sunt peccata mortalia, prout docet Apostolus, multo magis consuetudo eorum mortalis est et valde damnabilis. Reprimat ergo unusquisque et vincat se ipsum, ac pessimæ consuetudini reluctetur. Regnum enim cœlorum vim Matth. xi, 12. patitur. Et Salomon protestatur : Non sis Eccle. vii, 10. facilis ad irascendum, quoniam ira in sinu C stulti requiescit; et rursus, Qui impatiens Prov. xiv, 17. est, operatur stultitiam. Apostolus quoque : Noli (inquit) verbis contendere; ad II Tim. ii, 14. nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Itemque : Si quis videtur con- I Cor. xi, 16. tentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Multa etenim mala ex rixis et contentionibus oriuntur, et inhonestum est his vitiis subjacere. Propter quod in Proverbiis scriptum est : Honor est homini qui separat Prov. xx, 3. se a contentionibus. Et alibi scriptum est : D Memento novissimorum tuorum; et, Absti- Eccli. xxviii, 6, 10. ne te a lite.

Præterea docet nos sanctus Apostolus, ut omnia vitia caritati fraternæ contraria fugiamus, videlicet inimicitias, æmulationes, invidias, quia mortalia sunt peccata, quibus damnatio debetur æterna. Sed contra hoc multi jam faciunt, qui non solum pro injuria eis illata, sed etiam pro injuria aut læsione propinquis aut amicis eorum irrogata, concipiunt contra injuriatores invidiam, inimicitiam, et propria auctoritate vindictam exercent exercereve cupiunt. A Qui rebelles sunt Christi præcepto dicen- *Matth.* v, 44, 45. tis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. Unde qui non implent istud, non sunt filii Patris cœlestis, sed dæmonis. Simus ergo concordes in bonis, et caritativi ad invicem, atque unanimes in Dei obsequio, quemadmodum ad Romanos monet Apostolus : *Rom.* xv, 6. Unanimes uno ore honorificetis Deum.

Insuper, juxta doctrinam Apostoli in B hodierna epistola, studeamus in nobis ha- *Galat.* v, 22, 23. bere duodecim fructus Spiritus, de quibus in expositione epistolæ tactum est : primoque omnium, caritatem et ferventem affectum ad Deum, deinde ad proximos, ita ut cum delectatione interna diligamus Deum ac homines, sicque spirituali gaudio impleamur. Quum enim gaudium oriatur ex apprehensione vel præsentia boni convenientis, et ipse Deus gloriosus ac adorandus sit bonum infinitum, incomparabiliter deliciosum, convenientissimum, dulcissimum, C pulcherrimum et præsens ubique, in apprehensione seu contemplatione aut consideratione ipsius debemus potissimum gloriando delectari de hoc quod ipse est talis ac tantus, et suæ beatitudini penitus infinitæ præcordialiter congaudendo, sicut *Ps.* xxxvi, 4. hortatur Propheta : Delectare in Domino. Cujus delectationis fructum subjungit, addendo : Et dabit tibi petitiones cordis tui. *Philipp.* iv, 4. Unde monet Apostolus : Gaudete in Domino semper. Et utique qui cordialiter super omnia diligit Deum, cogitando de ipso D consolationem sentit internam gaudiumque sincerum, prout Psalmista de se ipso *Ps.* lxxvi, 4. fatetur : Memor fui Dei, et delectatus sum. Verumtamen homo spirituali gaudio est indignus, qui vanas consolationes vel turpes delectationes requirit.

Amplius, juxta documentum Apóstoli, pacem spiritualem in nobis studeamus habere et conservare, quatenus quidquid adversitatis foris evenerit aut intus surrexerit, mens in Deo quiescat, in ipso stabiliter perseveret, dicendo : Mihi autem adhærere *Ps.* lxxii, 28. Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. Nil etenim evenit nobis nisi ordinante providentia Dei, de cujus circa nos dispositione debemus esse contenti, nec inordinate turbari, contristari, neque illicite reluctari.

Postremo, secundum apostolica documenta, debemus esse longanimes in spe, et Deo ferventer servire ; nec longum nobis apparere debet tempus præsentis vitæ, in quo æternam possumus beatitudinem promereri, quum vix momentum sit comparatione æternitatis quæ restat. Unde Jacobus dicit : Exemplum accipite longani- *Jacob.* v, 10, 11; *Job* i, ii, xlii. mitatis, et laboris, et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini : ecce beatificamus eos qui sustinuerunt ; sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis. Itaque, quum sancti veteris Testamenti, imo et illi qui ante illud a principio mundi fuerunt, Domino tam fervide ac longanimiter ministraverint, qui certi tamen fuerunt non nisi post longissima tempora posse se adipisci salutem, quanto magis nos Christiani qui certi sumus mox post vitæ finem præsentis posse nos beatifice coronari, deberemus Altissimo ferventissime famulari? Abjiciamus ergo omnem acediam ac torporem, et mente promptissima Deo obtemperemus, simusque benevoli et benigni ad proximos, ut pie ac dulciter afficiamur ad eos, et consilium atque auxilium eisdem pro posse exhibeamus.

Sed et moderamen servemus in verbis et factis ac moribus, et custoditi ac timorati semper simus in omnibus. Unde in Vitaspatrum narratur, quod quum archiepiscopus Alexandrinus Theophilus venisset in eremum ad visitandum sanctos Patres ac Fratres, dixerunt Fratres viro sanctissimo abbati Pambo : Abba, dic unum verbum salubre archiepiscopo, ut ædificetur cor ejus in loco isto. Quibus abbas Pambo respondit : Si non ædificatur in silentio meo, non ædificabitur in verbo meo. Rursum, quum alia vice Alexandrinus archiantistes venisset in montem deserti *,

* Nitriæ

occurrissetque ei abbas loci illius, dixit A ad eum episcopus : Quid amplius invenis in loco hoc, abba? Cui abbas respondit : Indesinenter custodire, reprehendere et culpare me ipsum. Cui episcopus : Non est, inquit, alia via. Ecce quam moderati in verbis, custoditi in omnibus et humiles erant sanctissimi illi Patres.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DUM IRET JESUS IN JERUSALEM, ETC. Luc. XVII, 11-19.

HODIERNO in evangelio describitur ad B litteram valde præclarum Christi miraculum, imo decem miracula ejusdem speciei pariter facta, videlicet decem leprosorum curatio. Estque lectio ista evangelica litteraliter plana, sed spiritualibus sensibus plena. Ait ergo Lucas evangelista : *Dum iret Jesus in Jerusalem,* id est versus civitatem illam. Et istud contigit modicum ante festum Palmarum, passione Christi instante. *Transibat per mediam Samariam et Galilæam,* id est, per medium provinciarum istarum, in quibus C multoties prædicavit ac multa egit miracula.

Et quum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui ex deliberatione atque industria observabant Christi iter, ut curarentur ab eo, quia de ejus miraculis plura magnifica audierunt : propter quod confidebant se posse ab eo sanari, quamvis lepra sit morbus incurabilis per naturam. *Lev.* XIII, 46. *Qui steterunt a longe :* quia secundum legem Moysis, non poterant inter alios commorari ac D conversari. Et propter reverentiam Christi non accesserunt ad eum, de sua immunditia, secundum Theophilum, verecundantes, et suspicantes quod Jesus eos forsitan fastidiret propter fœditatem eorum. *Et levaverunt vocem suam, dicentes.* Ex vehementi namque desiderio curationis a tam gravi infirmitate, proruperunt in altam vocem. *Jesu præceptor,* id est, qui tantæ auctoritatis ac potestatis es, ut rite præceptor voceris. Præcipere autem competit Christo, secundum suam divinitatem, absolute, universaliter et plene; secundum naturam quoque suam humanam, convenit ei participative ac ministerialiter quantum ad divinitatem, sed excellenter respectu creaturarum, quia et Christi humanitas omni creaturæ prælata est. *Miserere nostri,* id est, compatere nobis tam afflictis, miseris et infirmis, et compatiendo succurre, beneficium curationis præstando. Quemadmodum autem isti leprosi pro corporali curatione tam affectuose et alte clamaverunt ad Christum, sic et nos pro spirituali curatione a vitiis clamare ad Christum debemus et dicere : Jesu præceptor, miserere mei. Imo, quo mortale peccatum pejus est omni lepra corporea, eo præcordialius atque instantius orandum est pro sanatione mentis a vitiis, quam corporis a lepræ aut cujuscumque infirmitatis incommoditatibus. Sed, heu! multi plus dolent ac deflent exteriora damna et mala pœnalia, quam mala interiora perpetua, id est peccata mortalia.

Quos ut vidit, non solum corporali intuitu, sed et piæ compassionis affectu, *dixit,* compassionem internam extendendo in opus : *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Non dixit, Jubeo vos sanari, aut, Curo vos; sed, « Ostendite vos sacerdotibus » : ut doceat nos omnem ostentationem superbiamque vitare, ne magna agamus, nec quidquam agere cupiamus propter hominum admirationem, applausum aut laudem; et item, Lev. xiv, 2. quia præceptum fuit in lege, ut mundati a A lepra se sacerdotibus præsentarent, quatenus sacerdotes judicarent an vere essent mundati, et etiam ut pro sua emundatione sacrificium Deo offerrent, prout lex jussit. Tertio misit eos ad sacerdotes propter mysticam rationem, videlicet ad insinuandum quod peccatores spiritualiter lepra infecti, a Deo curari optantes, sacerdotes debent accedere, et corda sua per confessionem eis integre aperire.

Et factum est dum irent, mundati sunt a lepra antequam ad sacerdotes venirent : B primo, ad declarandum Christi pietatem atque potentiam; secundo, ne virtute sacrificii legalis aut sacerdotum putarentur curati; tertio, ad commendandum meritum fidei ac obedientiæ leprosorum istorum, qui juxta Christi præceptum protinus ire cœperunt, seque curandos firmiter cre-

I Reg. xv, 22. diderunt. Melior quippe est obedientia quam victimæ, ut Samuel loquitur primo Regum.

Unus autem ex illis, id est de numero leprosorum illorum, *ut vidit* per expe- C rientiam ac corporalem intuitum, corpore suo subito mirabiliter immutato in colore et dispositione, pristinoque cessante dolore, *quia,* id est quod, *mundatus est* a lepra corporali, imo et spirituali : quia ut

Deut. xxxii, 4. creditur, Christus verus Deus, cujus perfecta sunt opera, quos corpore curavit, spiritualiter quoque sanavit ab omni culpa mortali; *regressus est* ad Jesum ut gratias ageret, *cum magna voce,* hoc est devota et affectuosa laude et gratiarum actione, *magnificans Deum,* id est, Deum esse om- D nipotentem, magnum et misericordem protestans. Quamvis autem vir iste nondum explicite credidit Jesum esse verum Deum, credidit tamen quod esset magnus et sanctus propheta, per quem Deus operaretur miracula. *Et cecidit in faciem* suam *ante pedes ejus,* scilicet Christi, ei *gratias agens,* humiliter regratiando pro tanto beneficio, pro quo satis regratiari nequivit : quia ut in Ecclesiastico scriptum est, Non est cen- Eccli. xxx, 16. sus super censum salutis corporis. *Et hic erat Samaritanus,* id est natione gentilis, utpote de illorum semine natus quos Salmanasar rex Assyriorum, translatis decem IV Reg. xvii, 24. tribubus, constituit in terra Samariæ, ut quarto Regum habetur. Et forte leprosus iste fuit proselytus, id est ad Judaismum jam ante conversus. Denique, per hoc quod dicitur Samaritanus fuisse, innuitur quod alii novem fuerunt natione Judæi. Per hoc quoque quod iste solus ad Jesum regressus est, præfigurata est gentilium ad Christum conversio, Judæis in perfidia sua manentibus. Alii vero novem non redierunt ad Christum, quia forsitan sacerdotes eos ad hoc induxerunt, ut æstimarent se non Christi virtute sed legis, esse curatos.

Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem leprosi *mundati sunt? Et novem ubi sunt?* quasi dicat : Ad oculum patet ingratitudo illorum. *Non est inventus* de illis decem, *qui rediret* ad me, *et daret gloriam Deo,* id est, de sua miraculosa curatione Deo regratiaretur, ejusque pietatem et potestatem extolleret, atque in se declaratas denuntiaret, *nisi hic alienigena,* id est natione gentilis, et quantum ad hoc alienus a Deo ac lege. Quæritur, quomodo isti novem ad Christum non redierunt, si non corporaliter tantum, sed spiritualiter quoque ab eo fuerunt curati. Et respondendum, quod eundo ad sacerdotes, corporaliter spiritualiterque mundati sunt, sed postea seducti a sacerdotibus, aut aliunde subversi creduntur.

Et ait illi Jesus : *Surge* a terra in qua jaces prostratus, atque a pristina conversatione, *vade* ad loca tibi accommoda, et de bono in melius, atque a via præsentis exsilii ad patriam salutis æternæ, *quia fides tua te salvum fecit,* id est, actu fidei tuæ qua credidisti te posse curari a me, meruisti curari, etsi non de condigno, saltem de congruo.

SERMO SECUNDUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE LEPROSORUM, ET QUÆ REQUIRANTUR AD INTEGRITATEM SPIRITUALIS SANITATIS.

C*ORRUPTI sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* Ps. xiii, 1; lii, 2.

Secundum Scripturas, duplex est corruptio, et duplex incorruptio sive integritas. Est enim corruptio corporalis, sicut dum res corporalis in partes dividitur, vel partes ejus ab invicem separantur. Huic corruptioni opponitur corporalis integritas. Alia est spiritualis corruptio, qua rationalis seu intellectualis substantia a veritate et bonitate recedens, per falsitates et pravitates distrahitur. De qua in *Osee* x, 2. Osee scribitur de injustis : Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Apostolus quoque I *Cor.* xv, 33. : Corrumpunt (inquit) mores bonos colloquia prava. Hanc corruptionem formaliter facit peccatum, et ipsa culpa est mentis corruptio, læsio et mors. Diabolus vero per suas tentationes inclinat homines ad eamdem, sed homo per liberum arbitrium est velut causa efficiens corruptionis istius. Huic corruptioni opponitur incorruptio sive integritas spiritualis, de qua *Sap.* vi, 20. scriptum est : Incorruptio facit esse proximum Deo. De qua ad Thessalonicenses I *Thess.* v, 23. dicit Apostolus : Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et corpus, et anima sine querela servetur. Hanc integritatem seu incorruptionem facit formaliter in nobis virtus, sumendo virtutem extense, prout etiam septem dona Spiritus Sancti virtutes vocantur : nam habentem perficiunt, et opera ejus bona efficiunt.

Sed quæri potest, quid sit incorruptio ista. Et respondendum, quod ipsa est bona et virtuosa habitudo, seu consistentia mentis in Deo, seu perfecta et omnimoda creaturæ rationalis ad Creatorem suum A conversio. Hinc incorruptio sive integritas ista vocatur sanitas mentis, pro qua oravit Jeremias, dicendo : Sana me, Domine, et *Jer.* xvii, 14. sanabor; atque Psalmista : Miserere mei, *Ps.* vi, 3. Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Denique, sicut totum integrale corrumpitur dum partes ejus integrales ab invicem separantur, ut si tectum, paries et fundamentum domus ab invicem dejiciantur; et sicut totum essentiale corrumpi perhibetur dum partes ejus essentiales B ab invicem dividuntur, ut homo dum anima recedit a corpore : sic anima hominis, quæ est totum potestativum, quoniam plures continet in se vires, spiritualiter corrumpi asseritur dum ejus potentiæ per dissensionem et rebellionem dividuntur ab invicem, ita quod inferiores potentiæ non obediunt rationi, vel ratio et voluntas dissentiunt, ut dum voluntas contra rationis judicium inhæret peccatis. Si ergo esse volumus spiritualiter sani, incorrupti seu integri, subdamus sensitivum C appetitum nostrum rationi, et rationis censuram sequatur voluntas, rationem quoque dirigat lex divina seu sacra Scriptura, quatenus secundum divinæ et evangelicæ legis præcepta ac documenta ratio regat se ipsam ac ceteras vires totumque hominem.

Præterea spiritualem hanc integritatem præsertim efficiunt sapientia et caritas. Quemadmodum enim sanitas corporalis est integritas seu bona habitudo aut temperantia naturæ ex calido et humido, sic spi- D ritualis integritas mentis est bona habitudo ac salutaris dispositio mentis ex directione sapientiæ, quæ se habet ut humidum, et ex imperio caritatis, quæ se habet ut A calidum. Sapientia namque est summum *Is.* xi, 2. donum Spiritus Sancti, atque dignissimus habitus perficiens rationem seu intellectum ; caritas vero est summa virtus perficiens voluntatem. Hinc omnes inferiores virtutes, et dona, habitus ac scientiæ, regulandæ sunt et dirigendæ per sapientiam et caritatem, quatenus actus earum ordinentur finaliter ad Dei honorem et gloriam beatitudinemque æternam, prout sapientia dictat et caritas exigit.

Insuper, quod sapientia recte comparetur B humori seu aquæ, caritas autem calori seu igni, sacra docet Scriptura. Scriptum *Eccli.* xv, 3. est enim in Ecclesiastico : Aqua sapientiæ salutaris potabit illum, videlicet virum *Is.* xii, 3. justum Dominus. Isaias quoque : Haurietis (inquit) aquas in gaudio de fontibus *Ibid.* lv, 1. Salvatoris ; itemque, Omnes sitientes, venite ad aquas. In quibus auctoritatibus per aquas intelliguntur doctrinæ salubres quæ ex fontibus Salvatoris, id est ex quatuor Evangelistarum codicibus ceterisque Scripturarum voluminibus, hauriuntur. C *Joann.* iv, 13. Christus etiam testatur : Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum. Ex quibus omnibus constat, quod sapientia aqua vocatur, quia humori in multis assimilatur. Quod vero caritas comparetur calori, imo et ignis nominetur, patet ex eo quod Christus in Evangelio *Luc.* xii, 49. loquitur : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ? Unde evangelica lex quum sit lex caritatis, ignea lex appellatur, juxta illud Deuteronomii : *Deut.* xxxiii, 2. In dextera Domini ignea lex. Hinc Spiritus D Sanctus, in die Pentecostes, in *Act.* ii, 3. similitudine linguarum apparuit ignearum, quoniam quos implere dignatur, per caritatem facit ardentes. Propterea pigro ac tepido increpatorie loquitur Christus in Apocalypsi : *Apoc.* iii, 15. Utinam frigidus esses aut calidus ; *Ibid.* 18. et rursus, Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, id est caritatem, quæ orationibus a Domino emitur. Unde duo discipuli quibus Christus in die resurrectionis suæ apparuit et Scripturas aperuit, quum ex eorum oculis Christus evanuisset, dixerunt : Nonne cor nostrum ardens erat in *Luc.* xxiv, 32. nobis dum loqueretur nobis in via, et aperiret Scripturas ?

Sed nunc breviter est tangendum, cur sapientia aquæ, et caritas igni similis perhibetur. Itaque sapientia comparatur humori : Primo, quoniam duplicem sitim refrigerat vel exstinguit. Est etenim sitis mala, videlicet cupiditas terrenorum, quæ crescit in infinitum, nisi per sapientiam reprimatur, juxta illud Ecclesiastæ : *Eccle.* v, 9. Avarus non impletur pecunia. Hanc igitur sitim exstinguit sapientia, quia dum homo sapit ea quæ Dei sunt, atque in contemplatione spiritualium ac cœlestium delectatur, et etiam vitæ præsentis brevitatem considerat, avarorum quoque æternam damnationem perpendit, sitim avaritiæ abjicit, acquiescens exhortationi apostoli Pauli dicentis : Habentes victum et quibus *I Tim.* vi, 8. tegamur, his contenti simus. Alia est sitis bona, videlicet desiderium spiritualis profectus cœlestiumque bonorum, de qua ait Salvator : Beati qui esuriunt et sitiunt *Matth.* v, 6. justitiam ; et Psalmista, Sitivit anima mea *Ps.* xli, 3. ad Deum fortem, vivum. Quamvis autem hæc sitis sit virtuosa, indiget tamen per sapientiam moderari : non quasi in se ipsa possit esse nimis magna, imo quo major, eo est melior ; sed ne homo ex ea immoderate se habeat in exercendo opera per quæ ad justitiam pleniorem beatitudinemque pertingitur, per quæ corpus suum destruere posset, jejunando, vigilando, et aliis modis se affligendo. Imo ipsum desiderium bonum in se, si nimis continuetur ac intendatur, posset per accidens esse occasio mali, videlicet debilitatis sensuum et ineptitudinis ad Dei obsequium. Propter quod monet Apostolus : *Rom.* xii, 1. Rationabile obsequium vestrum. Et Jeremias ait : Quia plus fecit quam potuit, idcirco periit. *Jer.* xlviii, 36. Juxta hunc sensum in Ecclesiaste scriptum est : Noli esse justus multum, neque plus *Eccle.* vii, 17. sapias quam oportet, ne obstupescas. — Porro, teste Philosopho, omnes homines naturaliter scire desiderant. Quod sciendi desiderium naturale, est quædam sitis animæ, A quam refrigerat sapientia dum hominem ab inquisitione incomprehensibilium et inutilium et curiosorum, imo et minus utilium, reprimit et avertit, atque ad inquisitionem ac considerationem pertinentium ad salutem ac utiliorum et divinorum inducit, juxta illud Ecclesiastici : Eccli. III, 22, 24. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper; et in supervacuis rebus noli scrutari multipliciter.

Secundo, sapientia comparatur aquæ, B quoniam ignem vitiorum, ardorem libidinis, fervorem iræ, impatientiæ aliorumque Sap. VII, 30. vitiorum refrigerat et exstinguit. Sapientia enim, ut ait Scriptura, vincit malitiam; et divinorum degustatio quæ per sapientiam habetur, carnalium voluptatum aufert affectum. Sapientes quoque iram, impatientiam et alias superant passiones, quia efficaciter pensant quam nocivæ et irrationabiles ac inhonestæ exsistant. Idcirco in libro Sapientiæ conscriptum est : Ibid. VI, 1. Melior est sapientia quam vires, et vir C prudens quam fortis. — Tertio, quia in omni anxietate, tribulatione et miseria vitæ præsentis, sapientia dulciter refrigerat, consolatur ac reficit hominem. Propter Ibid. VIII, 16. quod Sapiens ait : Intrans in domum meam, conquiescam cum sapientia. Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed gaudium et lætitiam. Unde rursus ibidem asseritur : Ibid. 9. Sapientia erit allocutio cogitationis et tædii mei. Per sapientiam namque homo se erigit ad divinorum contemplationem, ad D salutarium rerum meditationem, ad novissimorum suorum considerationem, per quas inutiles phantasiæ et cogitationes anxiæ repelluntur, dolores et tristitiæ mitigantur. Hinc in Ecclesiastico scriptum est: Eccli. XXXVII, 22. Vir eruditus suavis est animæ suæ.

Præterea, caritas igni rectissime comparatur. Primo, quia frigus acediæ, id est torporem mentis, repellit. Secundo, quoniam cor in Dei ac proximorum dilectione accendit. Nempe quod homo ad Dei obsequium tardus est, hinc contingit quia ad Deum parum aut nihil afficitur; quum vero caritate perfunditur, in Deo fervescit, atque ad omnia ei complacita inardescit. Unde in Threnis ait vir justus, De excelso Thren. I, 13. misit Dominus ignem in ossibus meis, et erudivit me : ubi per ossa intelliguntur superiores ac fortiores potentiæ animæ. Tertio, quoniam caritas efficit hominem cum impetu ad bona promptissimum, ita ut instar ignis videatur moveri. Hinc Jeremias dicit : Factus sum quasi vir ebrius, Jer. XXIII, 9. et quasi homo madidus vino, a facie Domini. Quarto, quoniam sicut ignis levis naturæ est et ascendit, sic caritas facit cor diligentis relinquere terrena atque ad æterna ascendere, et in cœlestibus commorari, sicut Apostolus loquitur : Nostra Philipp. III, 20. conversatio in cœlis est. Unde rursus hortatur : Quæ sursum sunt quærite, ubi Coloss. III, 1, 2. Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quinto, quoniam sicut ignis consumit ligna et stipulam, sic caritatis fervor Prov. X, 12. peccata. Caritas enim, ut ait Scriptura, I Petr. IV, 8. operit multitudinem peccatorum.

Hinc itaque ad sapientiam et caritatem semper nos demus, in eis proficere studeamus, ad mentis integritatem obtinendam, conservandam ac perficiendam jugiter laboremus, atque ab omni spirituali lepra, id est mortali peccato, abstineamus; superbiam, avaritiam, luxuriam cum ceteris sceleribus detestemur; omnipotentis Dei omnia intuentis præsentiam et adspectum jugiter attendamus ac veneremur; metuendissimum Christi judicium, æterna inferni supplicia, Beatorum quoque perpetua gaudia quotidie meditemur : sicque coram Altissimo sinceriter ambulemus, moderati in verbis et factis.

Postremo, quanta sit excellentia Christi et Sanctorum novi Testamenti super Sanctos veteris Testamenti, hinc innotescit quod in toto veteri Testamento non legitur aliquis Sanctus curasse leprosum, nisi Eliseus, qui unum dumtaxat curasse legitur IV Reg. V, 1 et seq. quarto Regum, videlicet Naaman qui fuit princeps militiæ regis Syriæ. Fuitque Naaman A ille, vir potens, dives, fortis et regi ac populo ejus carus ac honorabilis. Quumque Naaman percepisset in Syria de miraculis Elisei, venit ad eum cum grandi comitatu atque divitiis multis, ut curaretur ab eo. Cui Eliseus dixit per nuntium, ut in Jordane septies se lavaret : quod quum fecisset, a lepra sua purgatus est, in tantum quod restituta est caro ejus quasi caro parvuli pueri. Christus vero in evangelio isto legitur simul curasse decem leprosos; *Luc.* xvii, 12 et seq. multi quoque Sanctorum evangelicæ legis curaverunt leprosos.

SERMO TERTIUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE LEPROSORUM, PER QUOS ET UNIVERSI DESIGNANTUR PECCATORES.

JESU *præceptor, miserere nostri.* Luc. B xvii, 13.

In hodierno evangelio legitur quemadmodum unigenitus Filius Dei, salvator noster, decem leprosos curavit. In Scripturis autem per denarium universitas aliquando designatur. Per hos ergo decem leprosos, universi peccatores qui a Christo a suis curantur mortalibus culpis, rite intelliguntur. Per lepram namque omne mortale peccatum potest intelligi. Ex quo protinus innotescit, quam viles, fœdi et abominabiles sint coram Deo iniqui qui C multis mortalibus sunt inquinati peccatis. Si enim per lepram omne mortale accipi potest peccatum, certum est impios tot spirituales lepras habere, quot mortalibus eos contingit vitiis subjacere. Nec dubium quin omne peccatum mortale quantumcumque modicum videatur incomparabiliter turpius, magisque fœtidum coram Deo exsistat, quam lepra quantumlibet magna coram hominibus. Quum ergo leprosus per unam lepram tam turpis ac fœdus atque vitandus coram hominibus D sit, quis concipere queat aut eloqui quam turpis, fœdus abominabilisque coram Deo exsistat, qui multis mortalibus subjacet culpis, præsertim qui prava consuetudine premitur? Hinc in Jeremia dicitur animæ *Jer.* ii, 36. peccatrici : Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! Sapiens quoque ait : Odio *Sap.* xiv, 9. sunt Deo impius et impietas ejus. Rursusque scribitur : Cor iniqui cinis est, et terra *Ibid.* xv, 10, 11. supervacua spes illius, et luto vilior vita illius, quoniam ignoravit illum qui se finxit et creavit. Quod si iniqui dicant se suum agnoscere Creatorem, audiant quid ad Titum dicat Apostolus : Coinquinatis *Tit.* i, 15, 16. (inquit) nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens et conscientia; dicunt se nosse Deum, factis autem negant, quum sint abominati et reprobi.

Itaque per lepram potest intelligi omne mortale peccatum. Primo, quoniam sicut lepra efficit hominem ita infectum, contagiosum et fœdum, quod a communi hominum conversatione dividitur, atque seorsum habitare compellitur; sic omne mortale peccatum privat hominem communione fidelium, facitque eum coram Deo excommunicatum, ita quod a mystico Christi separatus est corpore, nec vivum Salvatoris est membrum, sed ad diaboli pertinet corpus, et membrum est diaboli. Recte ergo dicitur excommunicatus, quoniam coram Deo privatus est communione bonorum fidelium, ita quod non est particeps operum virtuosorum quæ a fidelibus fiunt. Quum etenim boni et virtuosi Christiani sint unum mysticum corpus Christi, per caritatem connexi, meritum unius communicatur et aliis, et bona quæ in Ecclesia generaliter fiunt, singulis prout capaces sunt et condigni, communicantur. Propter *Ps.* cxviii, 63. quod dixit Propheta ad Dominum : Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua. Et utique valde horrendum atque nocivum est, coram Deo esse taliter excommunicatum, quamvis Ecclesia excommunicationis sententiam non infligat nisi pro certis excessibus. Qui ergo non vult coram Deo esse excommunicatus, nec vult esse equus et servus, membrum filiusque diaboli, satagat jugiter esse et conversari absque peccato mortali.

Secundo, per lepram intelligitur culpa mortalis, quoniam sicut lepra facit hominem civiliter mortuum, ita quod ad actus vitæ civilis et socialis ineptus et mortuus est, quemadmodum religiosi (unde et illud *Is.* vi, 1. Isaiæ, In anno quo mortuus est rex Ozias, communiter exponitur de morte Oziæ civili, non naturali, quia in anno de quo ibi IV *Reg.* xv, 5; II *Par.* xxvi, 21. loquitur Isaias, factus fuit leprosus); sic mortale peccatum facit hominem coram Deo spiritualiter mortuum, hoc est ad omnem actum æternæ vitæ meritorium Deoque placitum prorsus ineptum et impotentem, in tantum quod etiam opera bona ex genere, facta ab eo, coram Deo sunt mortua, nec meritoria. Unde in Ecclesia- *Eccli.* xxxiv, 31. stico habetur : Homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se?

Tertio, quoniam sicut lepra dum invalescit, est morbus generalis totum inficiens corpus et auferens homini usum convenientem membrorum; ita mortale omne peccatum totum inficit hominem, quoniam singulares animæ vires universaque corporis membra ab omni actu impedit veraciter virtuoso. Itaque lepra spiritualis, hoc est culpa mortalis, aufert homini omnem usum intellectus seu rationis salubrem : privat etenim eum donis Spiritus Sancti quæ perficiunt intellectum, videlicet sapientia, scientia, consilio. Idcirco intellectus nullam habet considerationem A nullumque actum coram Deo spiritualiter vivum, formatum, meritorium et acceptum, seu affectuosum ac saporosum; sed omnis actio hujusmodi intellectus, est informis, nuda, sterilis atque insipida : ideo non expellit peccata nec vitiosos affectus, nec rationem Deo conjungit. Aufert etiam homini omnem usum laudabilem seu actum meritorium voluntatis. Per mortalem etenim culpam voluntas privatur caritate, sine qua homo spiritualiter nihil est, quoniam penes caritatem spiritualis B vita attenditur, juxta illud ad Corinthios : Si habuero prophetiam, et noverim omnia I *Cor.* xiii, 2. mysteria et omnem scientiam, et habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Aufert quoque mortale peccatum homini usum et motum virtuosum omnium membrorum suorum : sicut videmus quod homines vitiosi libentius vadunt ad spectacula, ad tabernas, ad convivia, ad choreas, ad prostibula ac ceteras vanitates, quam ad divina officia, ad sermocinationes, ad C Missas; et si vadit talis ad Missas, interest corde vago, visu incustodito, nec mentem suam ad Deum salubriter dirigit, sed coram Deo ac venerandissimo Sacramento irreverenter se habet et indevote, imo forsan libidinose et garrule, vitiosos habens affectus, atque ad eos provocans alios.

Quarto, quoniam sicut lepra est morbus contagiosus, ita omne mortale peccatum infectivum est aliorum et alios scandalizat. Propter quod mala societas est noci- D va, et præsertim periculosa sunt luxuriosi consortia. Propter quod ait Scriptura : Qui *Eccli.* xiii, 1. tetigerit picem, inquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. Itemque : Cum perverso perver- *Ps.* xvii, 27. teris. Eligenda est ergo societas virtuosorum.

Quinto, quoniam sicut lepra est morbus sitibundus, ita peccatum est sitibundum, quia pessimam sitim causat in homine. Nam quanto quis gravius ac sæpius peccat, tanto plus cupit peccare, et ad peccandum magis accenditur, quia ut loquitur A Augustinus, delectat peccare : si enim non delectaret, non fieret. Usus quoque est velut altera natura. Unde quanto quis plus appropinquat ad consuetudinem pravam, tanto fortius inclinatur ad vitia. Hujus autem rei multæ sunt causæ. Prima, nam quanto quis gravius peccat, tanto plus Deum offendit, et quanto plus Deum offendit, tanto plus a Deo relinquitur; quanto autem plus a Deo relinquitur, tanto in majora ac plura peccata delabitur. Hinc *Ps.* LXXX, 13. de impiis loquitur Deus : Dimisi eos secundum B desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Secunda causa est, quoniam quanto quis gravius atque frequentius peccat, tanto plus incorporatur diabolo, fitque vehementius membrum et servus ipsius, et subjicitur potestati illius : sicque diabolus ducit eum quo vult, sicut equester ducit ad libitum equum. II *Tim.* II, 26. Hinc ait Apostolus de iniquis : Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Unde apud Job dici- *Job* XVIII, 8. tur de injusto : Immisit in rete pedem C suum. *Prov.* V, 22. Et in Proverbiis habetur : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. Tertia causa est, quia mortale peccatum est velut gravissimum pondus : ideo trahit deorsum et ad opera tenebrarum. Propter quod ad *Hebr.* XII, 1. Hebræos hortatur Apostolus : Deponamus omne pondus et circumstans nos peccatum. Gregorius quoque testatur : Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud. Quarta causa est, quia peccatum mentem excæcat, juxta D *Sap.* II, 21. illud libri Sapientiæ : Impii erraverunt; excæcavit enim eos malitia eorum. Ideo quanto quis gravius atque frequentius peccat, tanto plus mente cæcatur : et ita pericula sua et animæ suæ damna non inspicit, sed ruit de malo in pejus, et de pejore in pessima. Propter quod Salomon prote- *Prov.* IV, 19. statur : Via impiorum tenebrosa; nesciunt ubi corruunt. Quinta est, quia nonnulla peccata connexa sunt : sicut ex comessationibus sequuntur loquacitates, lusus, amplexus, oscula, et graviora; ex avaritia quoque nascuntur dolus, mendacium, furtum, rapina, perjurium.

Præterea, considerandus est modus curationis leprosorum istorum. Circa quem pensandum est : Primo, quod simul venerunt. Sic unus peccator debet alium trahere secum ad pœnitendum, dicendo : Si *Luc.* XIII, 3, 5. pœnitentiam non egerimus, omnes simul peribimus. Secundo, quia a longe steterunt, quemadmodum publicanus : *Ibid.* XVIII, 13. in quo eorum humilitas designatur. Sic et peccator volens purgari, debet se profunde humiliare, atque indignissimum reputare coram Altissimo apparere, juxta illud Esdræ: Deus meus, confundor et erubesco levare I *Esdr.* IX, 6. faciem meam ad te, quia delicta nostra creverunt usque ad cœlum. Tertio, quod propriam infirmitatem cognoverunt, et pro remedio pietatem invocaverunt divinam. Ita peccator debet peccata sua plene ac diligenter advertere ac Deo fateri (juxta illud Psalmistæ : Dixi, Confitebor adver- *Ps.* XXXI, 5. sum me injustitiam meam Domino; et sanctus Job ait : Vias meas, id est opera- *Job* XIII, 15, 16. tiones, in conspectu Dei arguam, et ipse erit salvator meus), deinde divinam misericordiam invocare pro interiori curatione, dicendo illud Psalmistæ : Amplius lava *Ps.* L, 4. me, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quarto, quod Christus misit eos ad sacerdotes, ut se illis ostenderent. Per quod insinuatur quod quamvis Deus veraciter pœnitenti statim indulgeat, vult tamen ut peccator suo confessori confiteatur, et vultum conscientiæ suæ ei plene humiliterque ostendat. Quinto, quod dum ibant mundabantur : quia dum pœnitens vadit ad confitendum, curatur si vera contritione movetur. Sexto, quod non nisi unus ad Christum reversus fuit, gratias agens. Per quod figuratum est quod pauci sic confitentur quin recidivent : sicque Christo redduntur ingrati et pereunt, imo plus inquinantur quam ante.

Itaque custodiamus nos ipsos ab omni culpa mortali : quod implere non possumus, nisi et cum diligentia magna etiam venialia vitemus peccata, quoniam ad mortalia A disponunt, et ipsa venialium consuetudo mortalis est. Unde qui assidue verbis vanis, jocosis, scurrilibus, otiosis, superfluis vacant, nequaquam a peccato excusantur mortali, et multo minus qui cogitationibus inutilibus assidue occupantur. Oportet ergo implere quod beatus ait Apostolus, *Philipp.* II, 12. Cum timore et tremore vestram operamini salutem; et quod sanctus Job loquitur, *Job* XXXI, 23. Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Qui enim taliter timet Deum, cum omni diligentia vitat peccata, quum B tam fœda et turpia coram Deo exsistant : sicut in Vitaspatrum narratur, quod quidam sanctus eremita ambulavit in solitudine cum quodam pulcherrimo juvene qui fuit angelus Dei; sed eremita putavit quod homo exsisteret. Quumque pariter ambularent, obviaverunt cuidam specioso adolescenti super equum sedenti : quem eremita diligenter adspexit; angelus vero se avertit ab illo, quasi fœtorem ejus pati non valens. Venerunt quoque ad quoddam cadaver turpe ac fœtidum, a quo avertebat se eremita, non angelus. Ideo eremita admirans, dixit ad angelum : Cur te ab illo pulchro juvene avertisti, et non ab isto cadavere? Dixitque angelus : Juvenis ille luxuriosus est, ideo coram Deo et angelis ejus est plenus fœtore et turpitudine; sed cadaver istud quum sit res totaliter corporalis, coram Deo et angelis ejus non fœtet, quoniam Deus est immaterialis ac simplicissimus spiritus, angeli quoque sunt spirituales substantiæ.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUOMODO RELIGIOSI, SUPERATIS VITIIS ET OPERIBUS CARNIS, FRUCTUS SPIRITUS APPREHENDERE POSSINT, ET SECUNDUM EOS DIGNE VIVERE.

FRUCTUS Spiritus est caritas, gaudium, pax. Galat. v, 22. C

Vas electionis, in suis epistolis, ad carnalium desideriorum et operum ex illis procedentium detestationem ac fugam sæpissime nos hortatur. Quum enim ex carne et spiritu constet homo, profectus et salus ejus consistit in hoc, ut se a carnalibus abstrahat et ad spiritualia erigat, caduca et transitoria aspernetur, divina atque cœlestia contempletur. Sic et in præsenti hortatur epistola, ut spiritu ambulemus, id est, spiritualiter conversemur, et Sancti D Spiritus sequamur instinctum, angelicis inspirationibus acquiescamus, et rectæ rationis sequamur judicium. Dum itaque sentit se homo intus ad salutaria inclinari, ad compunctionem et emendationis propositum stimulari, debet mox consentire et exsequi ac sanctæ inspirationi cooperari, ne Deum in se loquentem aut angelum admonentem videatur repellere, quum scriptum sit : Audiam quid loquatur in me *Ps.* LXXXIV, 9. Dominus Deus; qui per Isaiam fatetur : Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, *Is.* XLVIII, 17. gubernans te in via qua ambulas. De quo et in Job legitur : Per somnium in visione *Job* XXXIII, 15, 16. nocturna aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina. Si igitur ita egerimus, desideria carnis non perficiemus, eis consentiendo aut ea ad effectum perducendo, sed refrenabimus ea. Idcirco ad ea quæ corpori necessaria sunt, non carnaliter, sed spiritualiter solum afficiamur, non secundum passionis impetum, sed juxta rectæ rationis censuram talia appetendo ; nec delicata atque superflua cupiamus, quoniam illa concupiscentiam augent, passionem inflammant, carnem delectant et fovent, et per consequens spiritum necant, secundum Gregorium.

Denique, quam necessaria ad salutem sit carnalium desideriorum coercio, pandit *Galat.* v, 17. Apostolus, dicens : Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem ; hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Caro etenim, utpote appetitus sensitivus, appetit delectabilia sibi in se ; spiritus vero, seu ratio recta, aut intellectivus appetitus (puta voluntas) ratione directus, appetit ea quæ appetit, per ordinationem et respectum ad Deum, prout complacet ei expeditque saluti. Hinc et princeps Apo- I *Petr.* II, 11. stolorum : Obsecro (inquit) vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Sed quum caro conjuncta sit animæ a justo ac sapientissimo Deo, ut animæ serviat, obediat, cooperetur et prosit, mirum quod caro dicitur animæ adversari ut hostis ipsius. Et respondendum, quod contrariatio ista non est ex Deo, sed ex corruptione inclinationeque fomitis, a peccato originali emanans. Deus vero conjunxit corpus spiritui seu carnem animæ in bonum animæ, scilicet ad ejus profectum. Et ita fit dum anima per rationem subjicit sibi corpus : imo tunc unio animæ et corporis est in bonum amborum, quia et caro serviendo ac obediendo spiritui, meretur glorificari. Itaque caro bene gubernata, est salubre animæ instrumentum et amica ipsius ; si vero non recte regatur, protinus insolescit, læditque animam et est hostis ejusdem. Idcirco bene dixit Gregorius : Si corpori necessaria subtrahimus, civem necamus ; si ei superflua indulgemus, hostem nutrimus.

Insuper enumerat sanctus Apostolus *Galat.* v, 19-21. opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia (quæ consistit in libidinoso adspectu, tactu, osculis atque amplexibus, ad concupiscentiam et stimulationem provocantibus : quæ valde vitanda sunt, quia secundum doctores, in eis consistit culpa mortalis), inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, invidiæ, ebrietates, comessationes. Et omnia ista, secundum Apostolum, sunt ex suo genere peccata mortalia, quia subjungit : Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Multo magis consuetudo vitiorum istorum omnino mortalis est atque damnabilis. Væ ergo religiosis contentiosis, discordibus, iracundis, gulosis et ambitiosis, ad quos specialiter æmulatio pertinet. Æmulatio quippe invidentia est eorum qui idem obtinere seu tenere desiderant, sed unus impeditur aut impediri veretur per alium : sicut dum plures ad prælationem adspirant. Væ itaque qui instar sæcularium hominum passionantur, rixantur, dissentiunt, æmulantur, irascuntur, et cibo ac potu se replent, ac alios ad talia provocant. Et, proh dolor ! tales sunt multi, qui pacem turbant communitatis, et scandala atque offendicula pariunt : imo tales sunt universi qui non discunt mortificare et frangere semetipsos, qui in sancta humilitate, vera patientia et Dei timore suam conversationem non fundant, qui impiissimum illum amorem privatum a visceribus animæ suæ radicitus exstirpare non satagunt. Quibus alibi ait Apostolus : Quum I *Cor.* III, 3. sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis ? Jacobus quoque apostolus : Si *Jacob.* III, 14-16. zelum (inquit) amarum habetis, et contentiones sunt inter vos, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem ; non est sapientia ista a Deo, sed terrena, animalis et diabolica : ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Ecce quid acrius, quid terribilius contra hæc dici potest ? Ea igitur prorsus et in æternum vitemus. Porro, si quis contra fratrem suum contendere inchoet, cedat frater ille contentioso : et tunc honeste se habet, et veraciter vincit, quemadmodum in Proverbiis scriptum est, Honor est *Prov.* XX, 3.

homini quum se separat a contentione. Et A II *Tim.* II, 14. Apostolus : Noli (inquit) verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Qui autem contendendo, verba contumeliosa, pungitiva, detractoria vel diffamativa profert, enormiter et valde damnabiliter peccat.

Postremo, superatis his vitiis et operibus carnis, studeamus apprehendere et semper in nobis habere duodecim fructus Spiritus, quos consequenter in hodierna epistola *Galat.* v, 22, 23. Apostolus exprimit, dicens : « Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium », etc. B Quocirca pensandum, quod fructus sunt actiones virtutum, vel delectationes actibus virtuosis annexæ. Dum ergo caritas, patientia, mansuetudo, longanimitas, fides, etc., fructus vocantur, non pro virtutum habitibus, sed pro ipsis virtutum actionibus aut delectationibus accipiuntur. Et dicuntur hæc « fructus Spiritus », vel quia a Spiritu Sancto in nobis causantur, vel quia sunt operationes nostri spiritus rationalis, videlicet animæ nostræ intellectualis. Itaque C «fructus Spiritus est caritas», id est Dei ac fratrum dilectio, « gaudium », hoc est spiritualis delectatio, ex apprehensione seu contemplatione Dei aut rerum divinarum procedens, « pax » quoque, quæ est tranquillitas mentis et gaudium imperturbatum, dum scilicet tranquillitas illa mentis nec ab interiori nec ab exteriori causa turbatur, inquietatur, concutitur (imo tam virtuosi esse debemus, ut quantumlibet forinsecus impugnemur, pectoris tamen pacem non amittamus), « patientia », quæ est æquanimis tolerantia adversitatum, D « longanimitas », quæ est diuturna ac stabilis præstolatio futurorum desuper promissorum bonorum, « bonitas », id est benevolentia, « benignitas, mansuetudo, fides », id est fidei certitudo sive fidelitas, « modestia », utpote moderamen in verbis et apparatu ac factis, « continentia », id est laboriosa refrenatio voluptatum, « castitas », id est venereorum repressio eorumdem prompta et facilis.

Hos fructus nos oportet habere, et prænominatis operibus carnis carere : aliter ad Christum non poterimus pertinere, quia (ut ait Apostolus) qui sunt Christi, carnem *Galat.* v, 24. suam crucifixerunt, id est, a carnalibus vitiis mortificaverunt, cum ipsis vitiis exterioribus et concupiscentiis interioribus, quæ salubriter in se peremerunt quantum ad ea in quibus mortalis consistit culpa, prout alio loco dicit Apostolus : Castigo I *Cor.* IX, 27. corpus meum, et in servitutem redigo. Juxta quem sensum jubet Salvator, scan- *Matth.* XVIII, 8, 9. dalizantem oculum erui, et scandalizantem manum ac pedem abscidi : non utique quantum ad membrorum essentiam, sed quoad eorum abusum, prout alibi loquitur Paulus, Mortificate membra vestra quæ *Coloss.* III, 5. sunt super terram. Quicumque autem per caritatem et gratiam, Christi est eique attinet, carnem suam sic crucifixit actu, proposito aut inchoatione. Religiosorum vero est per quotidiana pœnitentiæ opera, per exercitia virtuosa, vigilias, disciplinas, jejunia, abstinentias, orationes et consimilia, corpora sua ita quotidie mortificare et Deo sacrificare, ac sanctis laboribus jugiter exercere, atque sub rationis domatu tenere, eaque arma justitiæ Domino exhibere. *Rom.* VI, 13.

SERMO QUINTUS

QUALITER QUISQUE SE CONFESSORI OSTENDERE DEBEAT, UT A LEPRA PECCATI MUNDETUR.

I*TE, ostendite vos sacerdotibus.* Luc. XVII, 14.

Sicut in evangelio hodierno scribitur, Christus decem leprosis ad ipsum pro curatione clamantibus jussit ut irent et sacerdotibus se monstrarent. Sic cunctis fidelibus ad ipsum pro interiori sanatione A a culpis orantibus præcipit ut sacerdotibus se ostendant, veram et integram illis faciendo confessionem. Sic ergo et quilibet nostrum confessori suo se ostendat quotidie, conscientiam suam ei plenarie detegendo, peccataque singula cum suis circumstantiis planissime confitendo, et ex qua peccavit radice aperiendo, an scilicet ex ignorantia, an ex infirmitate, aut certe ex proposito, aut consuetudine prava.

Aperiendum est ergo in confessione ubi, et quando, quotiesque peccatum contigerit : ut si quis passus est sordidam cogitationem, et ex ea carnis stimulationem in ecclesia, in choro aut circa altare, et si stimulatio usque ad aliquam resolutionem processit, vel si ex contactu habuit ortum; et an quis stimulari se sentiens, non statim a causa stimulationis, videlicet cogitatione, affectione, contactu, avertit atque retraxit se. Sic et de aliis singulis confiteri debemus, videlicet de immoderantia cibi ac potus, in quibus potest homo multis modis excedere, puta in quantitate, in C qualitate, et si extra congruum tempus refecit, aut aliquid cibi vel potus extra debitum tempus sumpsit, vel si nimis diu sedit in mensa, et si reficiendo habuit cogitationes vanas ac frivolas, si benedictionem ante refectionem, et post eam gratias indevote (quod absit) legit. Deinceps, si culpa est etiam in uno morsello aut haustu delectari inordinate, et ipsam suavitatem sensibilem in se et propter se seu immoderanter appetere, quanta culpa est per totam refectionem aut grandem ipsius par- D tem talem delectationem et mentis super cibum et potum effusionem continuare? Considerandum quoque an quis reficiendo, lectionem refectorii diligenter advertit, an oculos suos hinc inde curiose direxit, aliosque inspexit, atque impertinentia consideravit, et per hoc sibi distractiones, levitates, temeraria judicia, frivolas occupationes adeptus est, aut etiam scandalizavit alios. Quæ omnia sunt sinceriter et circumstantialiter confitenda.

Conformiter, si quis forte obdormivit tempore legendi seu persolvendi aliquam Horam aut faciendi aliquod Ordinis opus, considerandum ex qua causa processerit obdormitio illa, an scilicet ex carnalitate atque pigritia : ut si audierit et discreverit signum aut pulsum excitans ad surgendum, et nihilo minus pausans tardaverit, non erubescens in præsentia summi Dei et angeli sui sancti tam viliter se habere, et aliis Deum laudantibus, orantibus, laborantibus, lecto decumbere, atque ad opus B Domini Dei sui tam acediosus negligensque consistere. Porro, si signum aut pulsum non audivit, vel forsitan non discrevit, videndum ex qua causa contigerit illud, an ex immoderata præcedenti vigilia, an ex refectione superflua; et si ex immoderata vigilia, intuendum qualiter et in quibus exercitiis tempus illud deductum sit, an scilicet orando, meditando, psallendo, aut aliqua inutilia faciendo. Consider anda ergo sunt omnia ista et confitenda, atque de cetero præcavenda.

Præterea considerare debemus qualiter in divinis nos quotidie habeamus : an in psalmodia et cantu alacres ac vigiles fuimus, an pigri ac somnolenti, mente et oculis vagi ; an singula verba distincte protulimus sive advertimus, an ad sensum pro posse attendimus, an magis advertimus ad cantum quam sensum, et an magis delectavit nos cantus quam sensus. Quocirca scire debemus quod asserit Hugo, quemadmodum pro verbo omisso repetendus est totus versus, pro versu psalmus, pro psalmo nocturnus; et item quod loquitur Augustinus : Quoties me magis delectat cantus quam id quod cantatur, pœnaliter peccare me fateor; et tunc mallem non audire cantantem. Verumtamen si quis forte ex subreptione aut oblivione non possit verbum aut versum omissum statim repetere, melius arbitrarer cum choro ultra cantare et psallere, quam ingentem sibi facere occupationem exeundo de choro ad resumendum, seu alio modo a communi labore et actu cantandi et psallendi se subtrahendo per tempus notabile. Imo si quis faceret hoc quasi ad ostentationem suæ magnæ diligentiæ aut strictæ conscientiæ, esset non parum culpabile.

Præterea, non raro contingit psallentibus et cantantibus, ut de inordinatione aliorum in cantando et psallendo, vel vera, vel apparente, satis tententur et indignentur, aut etiam, quod detestabilius est, in quadam aversione et tentatione seu passione permaneant. Qui si proprios bene ponderarent quos habent in cantu et psalmodia defectus, evagationes, irreverentias, levitates, pigritias, tantum sibimetipsis salubriter indignarentur, quod aliis facilius placarentur, nec tam cito et immoderanter contra alios provocarentur. In divinis ergo et aliis mutuo supportemus; et quilibet nihilo minus omnem diligentiam suam apponat ad hoc, ne Deum offendat, aut fratrem gravet, scandalizet, sive devotionem impediat aliorum. Quidquid ergo et qualitercumque in prætactis culpabiles fuerimus, sacerdoti in confessione plenissime aperiamus.

Insuper, perpendamus qualiter in celebrando nos habuerimus : an decenter pro posse nos ad tam divinissimum præparavimus opus agendum, an in celebratione ad singula verba rite attenti exstitimus, si cum debita actuali devotione, humilitate, reverentia et fervore celebrationem complevimus. Vitanda est evagatio etiam in memoriis, et si duo celebraverint simul, alterutrumque servierint, diligenter invicem sibi ministrent, et mutuo patientiam habeant. Quidam vero nimis faciliter tentantur in tanto officio : ut si frater forsan aliqualiter sit prolixus in celebrando, aut in aliquo aliter se habeat quam complacet eis. Qui si digne pensarent quantum ab A omnipotente Deo indigeant supportari, patientiores essent ad fratres suos. Quidquid igitur in his et consimilibus culpæ incurrimus, confessori aperiamus.

Deinceps, si (quod absit) aliquod ex suo genere mortale quisquam commiserit, detractoria, contumeliosa aut seminatoria discordiæ verba loquendo, aut debitum omittendo, sive prohibitum committendo, hoc a venialibus sapientialiter separet et discernat, et tanquam lepram horribilem superiori confiteri non differat. In quo, proh B dolor ! quidam sunt periculosissime negligentes, quia quum sint taliter qualiter religiosi, tam inconsiderate et intimorate pertranseunt, quasi mortaliter non possint peccare, et verba sua ac facta atque omissiones ex genere mortalia, non nisi quasi venialia reputant et confitentur. Quibus incumbit ut coram Deo sollicite ambulantes, verba et opera ac negligentias suas acutius perscrutentur ac justius confiteantur.

Postremo, si juxta formam istam præscriptam quotidie confessori suo se unus C quisque ostenderit, et sua peccata condigne ponderare studuerit, eaque cum cordiali contritione et sapienti confiteatur pudore, præsertim erubescens et confitens de hoc quod toties recidivat, et eadem iterat omni die, nec idoneam ad emendationem apponit diligentiam; tunc utique magnam in brevi sentiet gratiam mirabilemque profectum, et bonæ conscientiæ relevamen ac gaudium, cautelam quoque et cordis custodiam in futurum et emendationem magnam in omnibus. Sic ergo D agamus, et bona quæ quotidie facimus, non quasi superficialiter et ex arido usu, sed quotidie cum diligentia ampliori, devotione recenti et perfectione efficiamus majori.

SERMO SEXTUS

DE INGRATITUDINE PECCANTIUM, DEQUE MULTIPLICI RELIGIOSORUM LEPRA.

N*ONNE decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?* Luc. XVII, 17.

Quemadmodum de leprosis a se curatis Christus conquestus est quod de decem non nisi unus ad ipsum reversus est et gratias egit, et alii omnes fuerunt ingrati; ita quotidie conqueri potest de multis quos in fonte Baptismatis aut in sacramento Pœnitentiæ ab omni purgat lepra peccati, et tamen eorum paucissimi in innocentia atque munditia eis collata persistunt, sed recidivantes fiunt ingrati.

Porro, non solum de illis ita conqueritur, sed de multis quoque pigris ac negligentibus religiosis, quos in assumptione seu professione Ordinis sui ab omni mundavit labe peccati, et tamen tempore procedente *Galat.* III, 3. pigrescunt et fiunt ingrati, et quum spiritu cœperint, carne consummantur, et non proficiendo deficiunt. Creditur autem, et quidam sanctorum id ipsum asseruit Patrum, eamdem gratiam in Baptismo et in assumptione seu professione monasticæ vitæ conferri. Denique, quanto majora gratiarum charismata data sunt religiosis, tanto eorum ingratitudo invenitur enormior, si (quod absit) negligentes exsistant, et corde redeant in Ægyptum. Ideo valde opportunum est eis ut in spiritualibus crescant affectibus, atque in virtuosis exercitiis delectentur, quatenus ex intimo corde ea quæ mundi sunt aspernentur. Non enim potest anima rationalis sine quibusdam affectibus et delectationibus diu consistere : ideo qui spiritualibus affectibus gaudiisque non recreantur, ad carnales et sæculares affectiones et consolationes labuntur, et ad exteriora ac vana se conferunt.

Præterea, prout S. Thomas in secunda A secundæ fatetur, ingratitudo est speciale et frequenter mortale peccatum; atque ut Seneca protestatur, maxima pars ingratitudinis est beneficium non recognoscere. Propterea pigris ac tepidis religiosis magnum valde instat periculum, eo quod magnitudinem pietatis et gratiæ eis a Deo exhibitæ non advertant, nec vicem Deo pro posse rependant, ei regratiando ac fervide obsequendo. Ne ergo sic periclitemur, quidquid potest manus nostra, instanter et infatigabiliter operemur : *Eccle.* IX, 10. quia B ut ait Chrysostomus, quanto majora fuerint alicui beneficia præstita, tanto graviora ei peccanti et ingrato restant judicia. Et, ut ait quidam devotus, nihil adeo indignationem provocat Dei, sicut ingratitudo; ipsa est beneficiorum exinanitio et meritorum exterminatio.

Præterea, quamvis omne mortale peccatum lepra hominis possit intelligi, sunt tamen quædam peccata quæ non immerito religiosorum lepræ specialiter appellantur. Horum primum, est pertinacia sive C immansio proprii sensus, seu indocilitas, quæ veræ sapientiæ maxime contrariatur, ad inobedientiam quoque disponit, et hominem in suo conservat errore, in temerariis suis judiciis, in periculosis defensionibus propriæ affirmationis. Hæc lepra præbet diabolo locum in anima, et innumerabilibus eam involvit peccatis, utpote contentionibus, indignationibus, contumeliis, contradictionibus et disputationibus, etiam contra superiores. Religiosi hac lepra infecti, non advertunt quam debilis D sit intellectus humanus, et quam faciliter decipiatur homo præsertim in propria causa, quod item quasi scelus idololatriæ sit *I Reg.* XV, 23. acquiescere nolle. Talibus ergo clamat

Is. v, 21. Scriptura : Væ qui sapientes estis in oculis vestris. *Prov.* xxvi, 12. Et Salomon : Vidisti (inquit) hominem sapientem sibi videri ? magis illo spem stultus habebit. Nisi etenim pertinaces in suis essent oculis sapientes, non magis crederent sensui proprio quam alieno, potissime quam sensui superiorum ac sapientiorum. Unde etiam hujusmodi homines duri sunt corde, et metuendum est eis quod in Ecclesiastico *Eccli.* III, 27. legitur : Cor durum male habebit in novissimo.

Secunda religiosorum lepra, est hypocrisis, quæ est semen diaboli, venenum mortiferum, excæcatio cordis, stultitia infinita : quoniam homo hac lepra infectus non erubescit Deo mentiri, et coram hominibus simulare cujus oppositum scit Deo constare ; sicque amplius cupit hominibus complacere quam Deo, nec veretur mendax et falsarius esse, apparere et inveniri coram eo. Hæc lepra sic inficit hominem, ut et bona ex genere quæ operatur, ad finem perversum ordinare non desinat. Merito itaque, juxta Scripturam, *Job* xxxvi, 13. simulatores et callidi provocant iram Dei. *Eccli.* xxxvii, 23. Et si, juxta Sapientem, qui sophistice loquitur odibilis est, quanto magis qui hypocritaliter operatur, cujus cor in omnibus obliquatur ?

Hæc lepra in ambitiosis potissime viget religiosis, *Ibid.* xix, 23. et in his qui nequiter se humiliant, qui se honorem et promotionem despicere fingunt, ut honorem et præsidentiam in vita hac consequantur, non pensantes quod ait Gregorius : Unusquisque toties ad apostasiæ culpam delabitur, quoties præesse hominibus afficitur ; et rursus, Toties, inquit, Deum meum præire desidero, quoties hominibus dominari affecto. Utinam miseri isti perpenderent quod coram summi Judicis tribunali tanto confusibilius stabunt, quanto A se nunc amplius ab hominibus reputari procurant.

Tertia religiosorum lepra, est curiositas, quæ ut asserit Hugo, est superflua investigatio impertinentium ad se. Atque, ut ait Gregorius, grave curiositatis est vitium, quæ dum hominem ad discussionem vitæ alienæ sollicitat, propriam vitam sibi abscondit. Quo constat quod quanto quis aliorum defectus immoderantius perscrutatur, tanto a propriorum intuitu vitiorum miserabilius impeditur : quod in B monacho qui sui ipsius dumtaxat custos est positus, maxime reprobatur. Porro, qui aliorum defectus observant, inquirunt, describunt, ut eos suo tempore apud superiores suos valeant accusare, nec interim eos caritative corripiunt ac hortantur, contra caritatem agunt et graviter Deum offendunt, nec fratrum suorum emendationem, sed confusionem et gravamen intendere comprobantur. O utinam tales propria peccata rite intuerentur, conscriberent, ponderarent ! Certe tantum haberent agere in C propria causa, quod non tam stolide adspicerent aliena, neque inspicerent festucam in proximis, qui trabibus pleni sunt in se ipsis.

Insuper aliæ multæ sunt lepræ religiosorum, puta : loquacitas, scandalum, temerarium judicium, complacentia sui. A quibus ac aliis vitiis universis jugiter caveamus. Et si aliquo horum infecti fuerimus, protinus mundari per contritionem et confessionem satisfactionemque properemus ; atque curati regrediamur ad Christum, D et coram eo in terram prostrati, regratiemur ei, affectuosissime deprecantes ut a tantis excessibus, et universis animarum lepris, ac recidivis nos indesinenter præservare dignetur. Sed et quilibet nostrum ad hoc ipsum viribus totis conetur. Ad laudem et gloriam, etc.

DOMINICA XV POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SI SPIRITU VIVIMUS, SPIRITU ET AMBULEMUS. Galat. v, 25, 26; vi, 1-10.

EPISTOLA dominicæ hujus moralibus A saluberrimisque doctrinis plenissima est. Ait namque divinus Apostolus : *Si spiritu vivimus,* id est, si rectæ rationis judicio seu Spiritus Sancti operatione intus in anima vitam gratiæ habemus, spiritualiter intus vivendo per caritatem, *spiritu et ambulemus,* id est, etiam foris spiritualiter conversemur, opera virtuosa et exemplaria peragendo, sicque rationis judicium et Spiritus Sancti instinctum in exterioribus prosequendo, quatenus impleamus quod docet Salvator : *Matth.* v, 16. Sic luceat B lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Sed ne in hoc propriam gloriam intendamus, addit Apostolus : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi,* id est, non appetamus inaniter ab hominibus reputari aut honorari. Hoc est quod præcepit Christus : *Ibid.* vi, 1. Videte ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis. *Invicem provocantes,* id est, verbis aut signis seu factis mutuo ad iracundiam, impatientiam aut aliam pra- C vam animi motionem inducentes aut irritantes, quia hoc esset proximum scandalizare. Non ergo per irrisionem aut alio modo provocandus est proximus. *Invicem invidentes.* Invidia quippe directe contrariatur caritati : ideo sicut caritas est potissimum vita animæ, ita invidia potissimum appellatur mors animæ. Propter quod Salomon protestatur : *Prov.* xiv, 30. Putredo ossium, invidia.

Deinceps hortatur prælatos et perfectiores, ut imperfectis ac subditis pie condescendant atque subveniant. *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,* id est, quamvis aliquis præventus fuerit, ita quod ex tentatione, infirmitate aut ignorantia inciderit aliquam culpam, *vos qui spirituales estis,* id est in virtutibus exercitati et desuper illustrati, *hujusmodi* hominem *instruite in spiritu lenitatis,* id est, animo mansueto, non indignabundo, informate, ostendendo ei suum errorem et culpam, atque ad viam veritatis et æquitatis eum pro viribus reducite. Deinde Apostolus a plurali numero descendens ad singularem, subjungit : *Considerans te ipsum,* id est, istud quod dictum est impleas, propriam fragilitatem perpendens, *ne et tu tenteris,* id est, tentatione vincaris, aut gravi tentatione impugneris. Quemadmodum enim meremur misericordiam nobis fieri desuper, dum aliis condolemus ac subvenimus, secundum illud, Beati misericordes, quoniam *Matth.* v, 7. ipsi misericordiam consequentur; sic aliis lapsis et indigentibus non consulendo, succurrendo aut benefaciendo, sed indignando, meremur a Deo relinqui et in easdem aut majores culpas corruere. Unde propriæ fragilitatis et culpæ consideratio inducit hominem ad habendum compassionem cum aliis, et ad succurrendum eisdem. Hinc in Ecclesiastico habetur : Memento *Eccli.* xxxviii, 23. judicii mei : sic enim erit et tuum. Mihi heri, et tibi hodie.

Alter alterius onera portate, id est, A defectus vestros et infirmitates atque peccata mutuo patienter sufferte, et vobis *Jacob.* v, 16. invicem condolete atque succurrite, orate quoque pro invicem, ut salvemini. *Et sic adimplebitis legem Christi,* id est præceptum caritatis fraternæ, de quo dicit Sal- *Joann.* xiii, 34. vator : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

Itaque præinducta implete, et nolite per superbiam vos ipsos erigere. *Nam si quis existimat se aliquid esse quum nihil sit,* id est, si se ipsum vane reputat et extol- B lit, quasi a se ipso aliquid habeat boni, vel quasi in caritate et gratia sit, quum tamen per superbiam suam virtutes amiserit, et spiritualiter nihil sit. Propter quod in Ec- *Eccli.* x, 9. clesiastico scriptum est : Quid superbit terra et cinis ? Propheta quoque loquitur *Ps.* xxxviii, 6. Deo : Substantia mea tanquam nihilum ante te. *Ipse se seducit,* id est, propria elatione excæcat, in falsitatem præcipitat, et damnationem incurrit, juxta illud Haba- *Habac.* ii, 5. cuc : Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur. C *Opus autem suum probet unusquisque,* id est, actus vitæ suæ prudenter examinet, *et sic in semetipso tantum gloriam habebit,* id est, de propriis bonis operibus exsultabit, si fuerit virtuosus : verumtamen non finaliter nec principaliter in se, sed in *I Cor.* i, 31. Domino, juxta illud, Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Et non in altero,* id est, de factis et meritis aliorum non præsumet, neque in aliorum laude et adulatione læ- *Ibid.* ii, 11. tabitur. Quis enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis ? ut ait Apo- D stolus. *Unusquisque enim onus suum,* id est causam quam cum districto judice habet, seu conscientiæ suæ gravamen, vel vitiorum suorum ultionem, vel actionum suarum manipulum operumque congeri- *Apoc.* xiv, 13. em, *portabit.* Opera enim illorum sequun- *Job* xxxiv, 11. tur illos. Unde in libro Job asseritur : Omnipotens opus hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. Ad Romanos *Rom.* xiv, 12. quoque legitur : Unusquisque pro se rationem reddet.

Porro præinducta Apostoli verba non secundum superficiem litteralem, sed sapienter intelligenda sunt : aliter discordarent ab invicem. Dixit enim, « Alter alte- *Galat.* vi, 2. rius onera portate » ; nuncque adjunxit, « Unusquisque onus suum portabit », quasi unus non sit portaturus onus alterius. Item prædixit, Nemo glorietur in hominibus ; *I Cor.* iii, 21. et, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nunc *Ibid.* i, 31. vero, « In semetipso », inquit, « gloriam habebit ». Sed juxta expositiones prætactas nulla in iis contradictio est.

Communicet autem is qui catechizatur verbo, id est qui instruitur sapientia salutari seu sacræ Scripturæ eloquiis, *ei qui se catechizat,* id est suo instructori, *in omnibus bonis :* id est, tam spiritualia bona sua, videlicet preces et merita, quam corporalia, communicet, impendat, condividat suo informatori, si temporalibus eget ; ei quoque in bonis operibus se conformet. Justum est equidem ut qui ab alio spiritualia accipit, in temporalibus ei subministret, si potest, et ille indigeat. Propter quod alibi dicit Apostolus : Si nos *Ibid.* ix, 11. vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus ? Christus quoque in Evangelio : Dignus est (inquit) *Luc.* x, 7. operarius mercede sua.

Nolite errare, non acquiescendo sanis doctrinis, seu non obtemperando præceptis. *Deus non irridetur,* id est, non fallitur. Cujus signum subjungitur : *Quæ enim seminaverit homo,* id est opera quæ in præsenti vita peregerit, quæ ad præmium comparantur futurum sicut semen ad fructum ; *hæc et metet,* id est, horum condignam mercedem accipiet. Unde per Ezechielem Deus frequenter testatur : *Ezech.* vii, 3, 8 ; xviii, 30 ; xxiv, 14 ; xxxiii, 20 ; etc. Unumquemque vestrum juxta viam suam judicabo. *Quoniam qui seminat in carne sua,* id est, carnaliter vivit, concupiscentias suas sequendo, *de carne et metet corruptionem,* id est, pro vitiis suis carnalibus recipiet æternam damnationem, virium quoque animæ suæ infectionem, quia peccata animam indisponunt, et vires ejus inficiunt seu corrumpunt. Hoc est quod

Rom. VIII, 13. ad Romanos inducitur : Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Unde nunc subditur : *Qui autem seminat in spiritu,* id est, spiritualiter conversatur, sensualitatem domando, et actibus latriæ ac ceterarum virtutum insistendo, *de spiritu metet vitam æternam,* id est, pro spiritualibus et virtuosis suis operibus sempiternam beatitudinem sortietur, juxta *Ps.* XXIII, 5. illud in Psalmo : Hic accipiet benedictionem a Domino; in Apocalypsi quoque, *Apoc.* XXII, 4, 5. Servi Dei videbunt faciem ejus, et regnabunt in sæcula sæculorum.

Bonum autem facientes, non deficiamus, id est, a bonis operibus non cessemus, nec *Matth.* XXIV, 13. tepescamus : quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; nec coronatur nisi qui legitime certaverit. II *Tim.* II, 5. Tepido *Apoc.* II, 4. quoque loquitur Deus in Apocalypsi : Habeo adversus te, quia caritatem tuam primam reliquisti. *Tempore enim suo,* id est hora a Deo præordinata, *metemus,* id est, gloriam consequemur, *non deficientes,* id est, finem non habituri præmii tanti, nec plus C appetituri, juxta illud Psalmistæ : *Ps.* XV, 11. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; et, Satiabor quum apparuerit gloria tua. *Ps.* XVI, 15. Istud erit post vitam præsentem, quando fuerit anima nostra sufficienter purgata sive in vita hac sive in purgatorio. Hinc secundo Paralipomenon dicitur : Confortamini, et II *Par.* XV, 7. non dissolvantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro. *Ergo dum tempus* promerendi *habemus,* videlicet durante hac vita, *operemur bonum ad omnes,* id est, omnibus pro posse benefaciamus juxta exigentiam causæ et loci ac temporis, B spiritualia et corporalia bona nostra eis communicando, prout exigit caritas. *Maxime autem* operemur bonum *ad domesticos fidei,* id est Ecclesiæ filios seu Christifideles; quibus ad Ephesios dicit Apostolus : Jam non estis hospites et advenæ, sed estis *Ephes.* II, 19. cives Sanctorum et domestici Dei. Itaque iis qui nobis magis conjuncti sunt, magis benefacere obligamur. Caritas namque est ordinata. Propter quod prima ad Timotheum scribit Apostolus : Si quis I *Tim.* V, 8. suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

SERMO PRIMUS

DE INANI GLORIA INVIDIAQUE VITANDIS, ET VARIIS CIRCA CARITATEM PROFECTUMQUE PROXIMI OBSERVANDIS.

N*ON efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Galat. v, 26.

In præsentis dominicæ epistola proponit nobis Vas electionis, sanctus Apostolus, multa valde moralia ac saluberrima documenta. Primum est, ut non solum in anima vivamus per gratiam Spiritus Sancti et per interiores actus virtutum, credendo, sperando, diligendo, contemplando, compatiendo, sed etiam forinsecus virtuose et exemplariter conversemur in exteriori ex- D secutione mandatorum, in moderamine linguæ, et sensuum refrenatione, ac vestium simplicitate, quatenus Deo offeramus puram conscientiam, et proximis bonum exemplum : quoniam in Ecclesiastico scriptum est, Unicuique mandavit Deus de *Eccli.* XVII, 12. proximo suo, ut scilicet eum ædificet verbis, factis et moribus. Propter quod ait Apostolus : Quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. *Rom.* XIV, 19.

Secundo docet Apostolus ut « non efficiamur » nec simus « inanis gloriæ cupidi », ne scilicet desideremus propriam excellentiam A, laudem humanam, temporalem honorem; sed quidquid boni in nobis est Deo grata ac humili mente attribuentes, Dei honorem et gloriam, laudem et excellentiam in omnibus præcordialiter affectemus, quatenus ipse ab universis honoretur, extollatur et collaudetur propter infinitam dignitatem, bonitatem et majestatem suam, et propter beneficia sua in nobis. Ideo propriam defectuositatem, vanitatem et vilitatem sapienter intuentes, omnem vanam gloriam totaliter eradicemus B, atque nos ipsos vilipendamus; et quantum in nobis est, vilipendi ab aliis peroptemus; irrisiones, aspernationes, injurias nobis illatas, patienter, imo hilariter patiamur, certi quod multo graviora pati meruimus, juxta illud Judith : *Judith* VIII, 26, 27. Non ulciscamur nos pro iis quæ patimur; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus. C

Denique vana gloria, quæ est gloriatio stulta in se, est vitium valde periculosum, occultum, velocissimum et ingratum. Quum enim a nobis ipsis non habeamus nisi deficere et peccare, et quidquid vanitatis est atque miseriæ, valde inordinatum, ingratum et impium est de donis Dei in se, et non in Deo gaudere, aut pro eis non Dei, sed propriam laudem et honorem appetere. Nihilo minus vitium istud mirabiliter cito et improvise, imo nonnunquam quasi imperceptibiliter hominem pulsat, mentem D invadit, animumque quasi præoccupat. Et antequam homo advertat, cor ejus impletur motu vitii hujus, ita ut etiam de bonis actibus Deique gratiis vanissime glorietur, atque de hoc quod ab aliis videtur, reputatur et in admiratione habetur, intra se insipienter ac perverse lætetur. Ideo ait Bernardus : Time sagittam; leviter volat, leviter penetrat, sed, dico tibi, non leve infligit vulnus, cito interficit. Sagitta hæc, vana gloria est. Chrysostomus quoque testatur : Qui omnium pecuniarum habuerunt contemptum, et totius mundi spreverunt honores, atque tyrannicas corporum concupiscentias superaverunt, ii multoties capti a vana gloria, omnia perdiderunt.

Insuper, quanta mala ex vana gloria sequantur, idem pandit Chrysostomus : Nihil, inquiens, ita pecunias concupiscere facit, ut gloriæ cupido. Propter hanc namque famulorum greges, equos auro opertos et argenteas mensas expetunt homines, non ut utilitatem aut voluptatem hinc hauriant, sed ut multis ostendantur et honorentur. Solet quoque vana gloria noviter conversos vexare, ut ait Isidorus : Qui ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat ne de acceptis se extollat virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat quam prius per lapsum vitiorum jacebat. Vexat quoque hæc gloria vana proficientes, imo etiam aliqualiter et perfectos. Idcirco dicit Gregorius : Quum bene vivitur, valde timendum est ne mens, despectis ceteris, de singulari gratia elevetur. Unde Hieronymus : Ne nimis religiosus velis videri, nec plus humilis quam necesse est; nec quæras gloriam, fugiendo simulatorie eam. Quidam enim pessime vani fingunt et simulant se fugere gloriam et honorem, quatenus per hoc ea acquirant. Quibus competit quod ait Scriptura : Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. *Eccli.* XIX, 23.

Insuper, juxta doctrinam Apostoli, nullus debet alium ad illicita provocare, nec ad iram, impatientiam, indignationem aut aliud vitium incitare per verba aut opera procacia, illusoria, offensiva. Hoc enim diabolicum est, quum dæmonum totus conatus sit homines ad vitia trahere, et contrarium caritati Dei ac proximorum. Qui enim diligit Deum, optat et promovet quantum potest ejus honorem, impeditque ejus offensam : idcirco in se atque in aliis studet vitare seu impedire peccata, ne inhonoretur Dominus Deus. Similiter qui diligit proximum, optat et satagit ne corruat in peccatum, quum nihil ita nocivum sit animæ sicut iniquitas. Ideo unusquisque pro posse provocet proximos suos ad profectum virtutum, ad caritatis fervorem, ad vitæ perfectionem, juxta illud ad Hebræos: *Hebr.* x, 24. Consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum. Rursusque *Ibid.* iii, 13. in eadem epistola dicit Apostolus : Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

Præterea in hodierna epistola docet Apo- *Galat.* v, 26. stolus ne invicem invideamus. Invidia quippe est dolor de prosperitate alterius. Propter quod Hugo de S. Victore : Invidia, inquit, est in suum auctorem reciprocus de bono alterius tabescentis animi cruciatus. Hæc infelix invidia ex superbia nascitur, et in ambitiosis potissimum regnat. Quod enim unus de alterius prosperitate et excellentia contristatur, hinc accidit quia illum præcedere cupit, aut quod ille habet, appetit adipisci, dicente Gregorio : Tanto quisque plus invidet aliis bona præsentia, quanto minus contempserit ea. Interdum tamen ex aliis causis generatur invidia, scilicet ex frequenti ira seu injuria sibi ab alio irrogata, vel quia ab illo gravatur. Invidia itaque est species tristitiæ. Unde melancholici quum specialiter ex naturali dispositione tristes sint, ex complexionis malitia ad invidiam sunt proclives : ideo contra eam præcipue debent pugnare. Magna certe est invidorum miseria. Alia namque peccata communiter habent aliquid delectationis annexum; invidia autem in se ipsa pœnalis est, et quoddam mentis tormentum. Hinc Hieronymus loquitur : Oro te, quid delectationis præstat invido sua invidia, quem quibusdam conscientiæ ungulis livor discerpit?

Ibid. vi, 1. Tertio principaliter docet Apostolus ut proximos quacumque tentatione aut culpa præoccupatos, præventos, deceptos, pie ac mititer instruamus, propriam fragilitatem considerantes, ne et ipsi tentemur ac corruamus. Istud enim pertinet ad spiritualia misericordiæ opera; vera quoque justitia habet compassionem; et sicut nos ipsi habemus nos ad proximos nostros, sic Deus se habebit ad nos. Itaque tentati et lapsi sunt pie instruendi, consolandi et reducendi. Instruendi sunt qualiter pœnitere atque resistere peccatis ac tentationibus debeant, Dei auxilium invocando, Christi passionem inspiciendo, novissima præmeditando, ac aliis modis; consolandi sunt, ne abundantiori absorbeantur tristitia aut *II Cor.* ii, 7. desperent, sed in Christi pietate confidant; reducendi sunt ad pristinum gradum, ad præcedens bonum propositum, ad recentem inchoationem exercitiorum bonorum, juxta illud Apocalypsis : Memor esto unde *Apoc.* ii, 5. excideris, et pœnitentiam age.

Porro aliqui peccant non ex præoccupatione, subreptione, infirmitate aut ignorantia, sed ex deliberatione, ex habitu vitioso, ex certa malitia; nec pœnitent, sed pertinaces sunt et duræ cervicis. Quibus competit quod apud Isaiam loquitur Deus: Scio quia durus es, et nervus ferreus cer- *Is.* xlviii, 4. vix tua, et frons tua ærea. Istos oportet durius reprehendi et per censuram justitiæ castigari, præsertim quando cum pietate lucrari non queunt. Præoccupati vero in malo qui dociles et convertibiles sunt, sicut prætactum est, sunt leniter instruendi ac mititer corripiendi : quia ut Prosper testatur, Leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti; asperitate vero immoderatæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. Ambrosius quoque fatetur : Plus proficit amica correctio, quam accusatio turbulenta; illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Sed diligenter est advertendum efficaciterque implendum quod ait Isidorus : Qui admonitus secrete de peccato, emendare se negligit, publice arguendus est; et vulnus quod occulte sanari non potest, manifeste est emendandum. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda. Palam enim arguendi sunt qui palam peccant scandalizandoque nocent, ut dum illi aperta objurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corrigantur : sicque dum unus corrigitur, plurimi emendantur.

Galat. vi, 2. Quarto docet Apostolus ut defectus nostros atque gravamina mutuo pie et caritative portemus, quatenus unus cum alio patientiam habeat, et sicut ipse cupit portari in suis oneribus, infirmitatibus atque defectibus, tam a Deo quam a proximis et condomesticis suis, sic ipse alios portet. Imo, secundum Gregorium, qui portare malos renuit, ipse sibi per impatientiam suam testis est quia bonus non est.

Quinto docet Apostolus ut qui instruuntur in spiritualibus rebus, instructoribus suis sint grati, et de bonis suis communicent et vicem rependant illis. Unde in Ecclesiastico *Eccli.* LI, 23. dicitur : Danti mihi sapientiam, dabo gloriam. Hinc loquitur Augustinus : Si me posses docere quod nescio, non solum te verbis, sed et pugnis cædentem deberem patientissime sustinere. Hinc constat quod subditi suos prælatos ac prædicatores tenentur cordialiter valde diligere, grates ac honorem et vicem eis rependere, et temporalia prompte subministrare. Ideo C *I Tim.* v, 17. ait Apostolus : Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo; et rursus : *I Thess.* v, 12, 13. Rogo vos, fratres, ut noveritis eos qui præsunt vobis, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in honore et dilectione; et propter opus eorum pacem habete cum eis.

Galat. vi, 3. Postremo, juxta doctrinam Apostoli, non existimemus nos aliquid esse, quum nihil simus, nec decipiamus nos ipsos, sed examinemus vitam et conscientiam nostram D quotidie. Ferventes quoque ac stabiles simus in bonis operibus, et omnibus pro posse benefaciamus; et quod effectu non possumus, affectu agamus, certi quod pro his modicis brevibusque actibus virtuosis æternam et ineffabilem beatitudinem adipiscemur. Propter quod alibi scriptum *Rom.* VIII, 18. est : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Sapiens quo*Sap.* III, 15. que : Bonorum (inquit) laborum gloriosus est fructus.

A Legitur in Vitaspatrum, quod quidam Frater in eremo graviter fuit tentatus, abiitque ad senem quemdam, et retulit ei. Qui carens discretione et exercitatione prælii spiritualis contra invisibiles hostes, dixit ad Fratrem : Perdidisti animam tuam. Quo audito, Frater ille tristis et quasi desperans recessit, proponens reverti ad sæculum; sed Deo ordinante, obviavit ei abbas Apollo, vir magnæ discretionis atque virtutis. Qui considerans Fratrem illum esse vehementer afflictum et mœstum, B petivit quid haberet, et quæ esset tanti causa mœroris. Frater autem ille prima fronte erubuit propalare; tandem tamen aperuit veritatem, videlicet qualiter esset tentatus, et quomodo senex ille sibi responderit. Tunc abbas Apollo sapienter et leniter Fratrem illum instruxit, rogavitque eum ut ad suam cellam rediret; acquievitque ei Frater præfatus. Deinde abbas Apollo perrexit ad senem prædictum. Quumque appropinquasset cellulæ ejus, oravit : Domine Deus, obsecro, converte pugnam seu tentationem Fratris illius in senem istum, ut discat propriam fragilitatem cognoscere ac aliis condolere. Et protinus abbas Apollo vidit dæmonem in forma Æthiopis stantem prope cellam senis illius, igneasque sagittas jacientem in senem illum. Et ecce senex ille quasi insanus et furens cœpit cellam suam exire, et huc illucque discurrere. Quo viso, abbas Apollo accessit ad eum, et ait : Quid habes? Quo curris? Senex vero ille erubuit dicere qualiter tentaretur. Cui abbas Apollo : Redi, inquit, in cellam tuam, et scito te hucusque non esse exercitatum; hæc autem tentatio ideo accidit tibi, quoniam Fratrem illum desperare fecisti. Tunc abbas Apollo rogavit Deum pro sene illo, ut liberaretur ab illa tentatione.

Ex quibus patet, quam salubre sit viris spiritualibus, discretis et exercitatis tentationes et cordis secreta manifestare, quam periculosum sit etiam indiscretis et inexercitatis talia revelare. Præfatus demum Frater post hæc valde profecit in sapientia atque virtutibus. Unde abbas A Apollo postea dixit seni præfato : Ecce Frater ille cui desperationem fecisti, quasi stella inter Fratres jam fulget. Non ergo despiciendi, sed pie tractandi et sapienter instruendi sunt qui tentantur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

NEMO POTEST DUOBUS DOMINIS SERVIRE. Matth. VI, 24-33.

SALVATOR in evangelio hodierno docet B qualiter serviendum sit Deo, videlicet puro ac simplici corde, absque sollicitudine carnali et sæculari. Itaque ait Matthæus : *Nemo potest duobus dominis servire.* Quid est hoc ? Nonne possumus servire Deo et prælatis atque principibus terræ, Sanctis quoque qui sunt in regno cœlesti ? Ad hoc quidam respondent, quod intelligendum sit verbum istud de dominis non subalternatis atque contrariam voluntatem habentibus. Sed rursus objici potest, quod *Rom.* XIII, 1 et seq. ; *Ephes.* VI, 5 ; *Coloss.* III, 22 ; I *Petr.* II, 18. secundum beatissimorum apostolorum Pe- C tri et Pauli doctrinam ac jussionem, servi fideles dominis suis etiam infidelibus ac dyscolis servire debent fideliter, et subditi esse humiliter. Et respondendum, quod nemo potest servire eodem tempore duobus dominis contrariam voluntatem habentibus, in quantum ita contrarii sunt, et quantum ad ea in quibus contrariantur. Sic etenim quidquid placet uni, displicet alteri ; et quod præcipit unus, prohibet alter. *Galat.* I, 10. Ideo dicit Apostolus : Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Unde D dominis infidelibus et iniquis serviendum aut obediendum non est in his in quibus Deo atque justitiæ sunt rebelles.

Deinde Christus rationem dicti sui subjungit. *Aut enim unum* dominum *odio habebit,* quantum ad ea in quibus contrariatur alteri domino, *et alterum diliget,* eum videlicet cui ex animo servit. *Aut unum* dominum *sustinebit,* eum videlicet cui servit : quem etsi non diligat, tamen tolerabit eum, et jugo ejus subjiciet se ; *et alterum contemnet,* videlicet eum cui non servit neque obedit. Non dicit, Aut unum diliget, et alterum contemnet : quia interdum non diligit eum cui deservit, et tamen sustinet eum quasi durum dominum, ut patet de his qui diabolo serviunt, quem non amant. Item non dicit, Et alterum odio habebit, sed, « contemnet », videlicet Deum : quia secundum Augustinum, etiam illi qui non serviunt Deo, non odiunt eum, sed spernunt, dum quasi de pietate ejus securi, præcepta ipsius transgrediuntur. Dicit etenim Augustinus : Nullius fere conscientia Deum potest odisse. Sed objici potest quod Christus asserit de obstinatis Judæis : Oderunt me et Patrem meum gratis. *Joann.* XV, 24, 25. Psalmista quoque loquitur Deo : Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper ; *Ps.* LXXIII, 23. et, Nonne qui oderunt te, Domine, oderam ? *Ps.* CXXXVIII, 21. Et respondendum, quod Deus considerari potest dupliciter. Primo, in se, secundum quod est summus, bonus atque perfectus : et ita non potest odiri. Secundo, ut punitor iniquitatis atque prohibitor vanitatis ac voluptatis : sicque damnati et aliqui scelerati in sæculo isto odiunt Deum.

Ex prætactis elicitur, quod secundum Augustinum, Christus hoc loco ad litteram per duos dominos intelligit Deum, qui ratione creationis, et omnipotentiæ ac præsidentiæ suæ, est omnium dominus, atque *Act.* X, 36. diabolum, de quo ait Salvator : Venit enim princeps mundi hujus. *Joann.* XIV, 30. Dicitur quippe diabolus dominus iniquorum, quoniam propriæ voluntatis perversitate se subdunt

Job xli, 25. diabolo, qui ut in Job asseritur, est rex A super universos filios superbiæ. Nemo ergo potest Deo servire et diabolo. Quicumque enim in mortali est culpa, servit diabolo II *Petr.* ii, 19. tanquam victus ab eo. A quo enim quis superatus est, hujus et servus est, ut secunda Petri habetur. Porro qui in mortali peccato est, Deo servire non potest quamdiu permanet in peccato : nam et si faciat opera bona ex genere, dando eleemosynam audiendoque Missam, non tamen sunt opera Deo accepta ac meritoria vitæ æternæ, quia non fiunt ex caritate. Ex his B infert Salvator :

Non potestis Deo servire vere et meritorie, *et mammonæ,* id est divitiis, seu dæmoni de avaritia tentanti. Qui enim servit Deo, spiritualia et æterna temporalibus ac sensibilibus præfert; qui vero divitiis servit, terrena præfert cœlestibus. Divitiis namque servire, est ad eas superflue affici, atque in eis constituere finem : quod est cupiditatis vitio superari. Porro a quo quis victus est, hujus et servus est. Propter *Joann.* viii, 34. quod ait Salvator : Omnis qui facit C peccatum, servus est peccati. Talis potius possidetur a divitiis, quam possideat eas.

Ideo dico vobis : Ne solliciti sitis, id est, immoderatam et anxiam curam non habeatis, *animæ vestræ,* id est vitæ animali alimoniis indigenti, vel vobis ipsis (ut ponatur pars pro toto, videlicet anima pro homine), *quid manducetis,* id est de cibo, sub quo jam intelligitur etiam potus; *neque corpori vestro* solliciti sitis hoc modo, *quid induamini,* id est de vestitu. Denique superflua circa talia sollicitudo D vocatur, quando circa ea homo in tantum occupatur, quod a spiritualibus debitis seu virtuosis operibus ad quæ tenetur, impeditur, aut ea plus quærit quam necessaria sive utilia sunt sibi. Sollicitudo vero ordinata est, dum homo secundum exigentiam sui status quærit seu providet sibi de necessariis vitæ, ordinando ea ad spiritualia bona. Talisque sollicitudo pars est prudentiæ; quam non habere, esset Deum tentare, aut ignaviter se habere.

Præterea prædictam superfluam sollicitudinem esse vitandam, probat Salvator ratione et exemplo multiplici. Et primo per locum a majori, quum ait : *Nonne anima plus est quam esca?* id est, utique anima præstantior est omni corporeo alimento; *et corpus plus quam vestimentum?* id est, corpus hominis dignius est vestitu. Ac si dicat Filius Dei : Qui absque vestra sollicitudine, ex sua liberalissima bonitate largitus est vobis corpus et animam, alimentum quoque et vestitum præstabit vobis sine immoderata sollicitudine vestra, dummodo confidatis in eo. Ei enim cura I *Petr.* v, 7. præcipua est de rationalibus creaturis.

Deinde ponit aliam rationem ad idem, sumptam ex consideratione irrationalium creaturarum. *Respicite volatilia cœli,* id est, aves diligenter considerate : quæ dicuntur volatilia cœli, quia in cœlo volant aerio, puta in aere, qui infimum cœlum vocatur; *quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea.* Omnia enim hæc rationis sunt opera, quæ illis nequeunt convenire. Videmus tamen ad oculum, quod multæ aves congregant victum in nidos; quemadmodum in Proverbiis habetur : Vade ad formicam, o piger, *Prov.* vi, 6-8. et disce semitas ejus, et disce sapientiam; quæ quum non habeat ducem, parat in æstate cibum, et congregat in messe quod comedat. Itaque, sicut volatilia pergunt ad grana, et colligunt ea secundum naturalem instinctum, sic hominibus committitur labor et providentia, non cura superflua, juxta illud Job : Homo ad laborem *Job* v, 7. nascitur, et avis ad volatum. Unde primo homini post peccatum a Domino dictum est : In sudore vultus tui vesceris pane. *Gen.* iii, 19. *Et Pater vester cœlestis pascit illa,* id est, per causas inferiores providet et concedit eis necessaria vitæ. Siquidem opus naturæ ac intelligentiæ, opus est causæ primæ. Hinc fertur de Deo in Psalmo : Qui dat jumentis *Ps.* cxlvi, 9. escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. In Job quoque dicitur : Quis præparat escam corvo, quando pulli *Job* xxxviii, 41. ejus clamant ad Deum, vagientes eo quod non habeant cibos? *Nonne vos magis pluris,* A id est majoris dignitatis ac pretii, *estis illis* volatilibus? Et per consequens vobis potius providebit quam illis. In tantum equidem major cura est Deo de rationalibus quam irrationalibus creaturis, ut dicat I Cor. ix, 9. Apostolus : Numquid cura est Deo de bobus?

Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? id est, quum nemo possit corporis sui quantitatem augere cubito uno, sed Deus det quantitatem sibi placentem, constat B quod de alimento sufficientiam largietur, similiter de vestitu. Ideo subditur : *Et de vestimento quid,* id est cur, *solliciti estis* superflue? Et quod inde immoderate sollicitari non debeant, probat inanimatorum exemplo. *Considerate lilia agri,* quæ crescunt in agro, *quomodo crescunt. Non laborant, neque nent* pro adeptione naturalis consistentiæ ac decoris, et tamen pulcherrime decorantur, secundum quod subditur : *Dico autem vobis, quoniam nec Salo-* III Reg. iv, x. *mon,* qui fuit rex valde dives ac præpotens, C *in omni gloria sua,* id est apparatu atque ornatu suo, *coopertus est,* id est, tam speciose ornatus est, *sicut unum ex istis* liliis agri. Quæ enim purpura regum, quæ tinctura artificum æquari poterit pulchritudini florum? Ars nempe humana imitatur naturam, non autem adæquat eam. *Si autem fœnum agri,* id est herbam, *quod hodie est, et cras,* id est cito post hæc, *in clibanum mittitur* ad comburendum, *Deus sic vestit,* id est, tam pulchre ornat virore ac aliis qualitatibus; *quanto magis* vestiet D *vos modicæ fidei,* qui de divina providentia imperfectam fidem habetis, ideoque tam immoderatam sollicitudinem de necessariis vitæ habetis?

Nolite ergo solliciti esse, cum inquietudine mentis impediente pacem internam et libertatem cordis in Deo, *dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur,* id est, vestiemur? *Hæc enim omnia,* utpote cibum, potum, vestitum, *gentes,* id est gentiles et infideles, *inquirunt* cum sollicitudine immoderata, quoniam providentiam Dei ignorant aut non advertunt, putantes Deum hæc inferiora non cognoscere distincte, nec actus humanos determinate particulariterque disponere et curare, juxta illud Psalmistæ : Dixerunt, Quomodo scit Deus? et, Si est Ps. lxxii, 11. scientia in Excelso? *Scit enim Pater vester cœlestis,* id est Deus omnipotens, unus in essentia et trinus in personis. Cujus ineffabilis pietas, dulcissima caritas, immensa dignatio patet in hoc, quod a nobis pauperrimis vermiculis pater appellari dignatur. Sed formidandum est nobis, ne propter ingratitudinem et negligentiam nostram mereamur audire ab eo illud Isaiæ : Filios exaltavi et enutrivi, ipsi autem spre- Is. i, 2. verunt me. *Quia his omnibus,* scilicet cibo, potu, vestitu, habitaculo, *indigetis.*

Ex quibus omnibus infert Salvator saluberrimum documentum. *Quærite ergo,* id est, bene vivendo, contemplando, amando adipisci studete, *primum regnum Dei,* de quo Sapiens scribit : Justi accipient re- Sap. v, 17. gnum decoris et diadema speciei de manu Domini. Hoc regnum est beatitudo cœlestis, seu Ecclesiæ triumphantis societas. Quod quum sit finis noster, primo cadere debet in intentione, atque ad ipsum ordinanda sunt alia universa. Sed quoniam illud adipisci non possumus nisi servando præcepta, ideo addit Salvator : *et justitiam ejus,* id est, opera virtuosa ac meritoria, quibus ad regnum cœleste pertingitur, exercete. Nam fides sine operibus mortua Jacob. ii, 26. est. *Et hæc omnia* vitæ necessaria *adjicientur vobis,* quasi bona secundaria et minus principalia, tamen et necessaria. Itaque, si bona spiritualia et æterna in primis condigne quærimus et constanter, temporalia vitæ necessaria, Deo ordinante, non deerunt. Primum autem ad secundum refertur. Per hoc itaque quod Salvator regnum Dei et justitiam ejus docet primo esse quærenda, innuit temporalia quoque esse moderate quærenda cum labore laudabili, non cum sollicitudine sæculari, Ps. cxxvii, 2. quum scriptum sit : Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene Act. xx, 34. tibi erit. Apostolus quoque : Ad ea (inquit) quæ mihi necessaria erant, ministraverunt manus istæ. Non ergo sic adjiciuntur, quod homo otio debet vacare, nec quod in se est facere. Sed nonne aliqui martyres fame exstincti sunt, et multi justi maximas patiuntur penurias, sicut et Paulus asserit se perpessum? II Cor. xi, 9, 27. Et respondendum, quod sæpius subtrahuntur prædicta electis ad probationem eorum, et meriti præmiique augmentum. Christus vero nunc loquitur in communi, et sicut frequentius accidit. Deus tamen ex causis sibi cognitis quandoque aliter agit in particulari.

SERMO SECUNDUS

DE IMPEDIMENTIS DIVINI OBSEQUII, ET MULTIPLICI SERVITUTE.

P*RÆPARATE corda vestra Domino, et servite illi soli, et liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum.* I Reg. VII, 3.

Ista sunt verba sanctissimi prophetæ Samuelis, in quibus ad duo hortatur nos. Primum est, ut corda nostra præparemus Domino Deo, id est, ad ejus caritatem et gratiam gratiosamque inhabitationem, seu gratiæ et virtutum augmentum, nos disponamus. Secundum est, ut soli Deo altissimo serviamus : quod intelligendum est de latriæ servitute, quæ soli Deo debetur. Latria namque est virtus quæ Deo cultum cærimoniamque impendit. Unde in Deuteronomio Deut. VI, 13. habetur : Dominum Deum tuum timebis et ipsi soli servies. Tertio, in verbis præinductis tangit Samuel fructum seu utilitatem provenientem nobis ex Dei obsequio, quia liberabit nos de manibus inimicorum nostrorum, videlicet invisibilium hostium, de quibus ad Ephesios legitur Ephes. VI, 12. : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates. Istud idem docet in Matth. VI, 24. evangelio hodierno Salvator, dicendo : Nemo potest duobus dominis servire; itemque, Ibidem. Non potestis Deo servire et mammonæ. In quibus verbis hortatur nos ut soli Domino serviamus.

Sed his objici potest, quia videmus quotidie quod multi homines quibusdam mortalibus subjacent vitiis, et tamen serviunt Deo, audiendo Missas, orando, jejunando, eleemosynas dando et dies celebrando festivos : imo a multis abstinent peccatis mortalibus, Dei intuitu ac timore. Sunt quippe nonnulli qui licet simplicem fornicationem non vitent, adulterium tamen committere nolunt. Quidam etiam quamvis propria bona cupide servent, aliorum tamen bona non cupiunt. Et respondendum, quod nullus in mortali exsistens peccato vere ac proprie servit Deo. Nunc enim sermo est de servitute Dei quæ est actus virtutis et meritorium opus ex caritate procedens. Qui autem in mortali est culpa, nullam habet virtutem quoad perfectam rationem virtutis, nec caritatem. Unde qui in mortalibus sunt peccatis, non nisi improprie Deo servire dicuntur. Non enim obediunt Deo, quoniam ejus præcepta non implent eo modo quo Deus ea jubet impleri, puta ex caritate et recta intentione ad gloriam Omnipotentis, nec vitant peccata ex caritate aut filiali timore, sed servili formidine aut naturali Dei amore. Dicuntur tamen Deo servire, in quantum faciunt quædam opera bona ex genere, et quoad substantiam facti videntur implere præcepta, honorando parentes, Deum verum solummodo adorantes, non jurantes, non occidentes ; verumtamen A quum spiritualiter mortui sint, nihil efficiunt Deo acceptum atque æternæ meritorium vitæ.

Denique jam pensandum qualiter debeat homo præparare cor suum Deo, et quid sit soli Deo servire. Ad quæ respondendum est, quod Deo cor præparare, est ea a se removere per quæ ineptus est et indignus ad caritatem et gratiam Dei, ad dona Spiritus Sancti, ad salutarem unionem mentis suæ cum proprio Creatore. Hæc autem non sunt nisi peccata mortalia, quæ, Isaia B *Is.* LIX, 2. testante, dividunt inter Deum et nos, at- *Jer.* V, 25. que ut loquitur Jeremias, prohibent bonum a nobis, id est, a susceptione charismatum Spiritus Sancti impediunt corda nostra. Itaque cor Deo parare, est mentem a peccatis purgare : quod facit peccator, de suis peccatis dolendo et eadem confitendo, pro eis quoque satisfaciendo, et cavendo ea in posterum. Iterum cor Deo parare, est illud ad gratiam et virtutes disponere, et se Deo pro viribus applicare, dando se ad opera Deo complacita. Ad C quod etiam beatissimus Christi præcursor *Matth.* III, 3. admonuit, dicens : Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc scri- *Agg.* I, 5. ptum est : Ponite corda vestra super vias vestras; id est, opera vestra considerate an sint virtuosa, an vitiosa : quatenus si virtuosa sint, perseveretis ac proficiatis in eis; si vitiosa, pœniteatis ac emendetis.

Præterea istud est quod in evangelio isto docet nos Unigenitus Dei. Docet enim *Matth.* VI, 24-33. primo, ut avaritiam fugiamus; secundo, ut sollicitudinem immoderatam temporalium D rerum abjiciamus; tertio, ut primo quæramus regnum Dei et justitiam ejus, sicque confidamus in Deo quod temporalia necessaria nobis adjicientur. Qui autem hæc agit, soli utique Deo servit, quia non servit carni, nec mundo, neque diabolo. Quidam etenim serviunt carni, ut gulosi et luxuriosi, quoniam carnis suæ concupiscentiis magis obediunt quam Dei præceptis : imo Dei præcepta transgredi non verentur, quatenus vilissimæ atque fœdissimæ carnis suæ desideriis satisfaciant scelerate. De quibus ait Apostolus : Qui in *Rom.* VIII, 8. carne sunt, scilicet, carnalibus desideriis acquiescunt, Deo placere non possunt. Alii serviunt mundo magis quam Deo, sicut avari, qui transitoriis rebus et terrenis divitiis, magis quam Deo, cordis sui affectum conjungunt, et magis solliciti sunt, magis cogitant et conantur terrena ac peritura acquirere, conservare, augere, quam Deo placere, quam divina præcepta implere, quam salutem adipisci æternam. Quorum fatuitas est immensa; et mirum quod cor hominis obtenebrari sic potest. Isti advertant quod divinus ait Apostolus : Qui I *Tim.* VI, 9. volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et in desideria multa, mala et inutilia, quæ mergunt hominem in perditionem.

Deinceps his avaris valde timendum est illud Ecclesiastici : Avaro nihil est scele- *Eccli.* X, 9, 10. stius, nihil est iniquius quam amare pecuniam; avarus enim animam suam habet venalem. Sed quæri potest, cur avarus dicatur animam suam habere venalem. Et respondendum, quod ideo, quia pro nummo vendit eam ac tradit diabolo. Dum enim ad lucrum seu nummum in tantum afficitur, quod ejus desiderio mentiri aut perjurare, decipere, et dies festivos violare sive infringere, aut alio modo præceptum Dei vel Ecclesiæ transgredi non veretur, quid aliud operatur, nisi quod diabolo animam propriam tradit venditque ?

Deinde quanta et quam horribilia vitia ex avaritia generentur, pandit Augustinus, dicendo : Quæ est ista aviditas avaritiæ, quum et ipsæ bestiæ habeant modum ? Tunc enim rapiunt quando esuriunt, parcuntque prædæ dum sentiunt saturitatem. Insatiabilis est sola avaritia hominum : rapit, nec satiatur; nec Deum timet, nec hominem reveretur; nec patri parcit, nec matrem agnoscit; nec fratri obtemperat, nec fidem amico servat; viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitium revocat; testimonium falsum profert, mentitur, perjurat, mortuorum res occupat. Quæ est ista animarum insania, amittere vitam A gratiæ, appetere mortem culpæ, acquirere aurum, et perdere cœlum?

Alii serviunt diabolo, ut superbi, qui *Job* XLI, 25. diabolum omnium regem superborum specialiter imitantur. Nam primum peccatum diaboli fuit superbia, et usque ad præsens manet in ea, non obstante omni sua miseria. Sic superbi, non obstante quod tot vilitatibus et fœditatibus pleni sunt in corpore et anima, quod tot peccatis gravantur, quod tot periculis æternæ sunt damnationis expositi, imo inferno jam pro- B ximi, utpote in statu damnationis lamentabiliter constituti, nihilo minus insensati et excæcati, tument, extolluntur, seque honorabiles arbitrantur, quum omni sint luto et stercore viliores ac turpiores. Me- *Eccli.* X, 7. rito ergo ait Scriptura : Odibilis coram Deo et hominibus est superbia.

Præterea, istud quod dictum est, quosdam servire carni, aliquos mundo, et quosdam diabolo, intelligendum est per quamdam appropriationem. Certum est equidem quod quicumque mortaliter peccat, servit C diabolo. Idcirco gulosi, luxuriosi, avari, et omnes iniqui, dæmonibus serviunt; sed per appropriationem prætactam, gulosi et lubrici servire dicuntur carni, avari mundo, superbi diabolo. Sed, proh dolor! multi jam sunt qui tam carni quam mundo atque diabolo obsequuntur, quoniam universis vitiis jam prætactis ac aliis multis replentur. Isti pluribus serviunt dominis quam duobus : imo tot dominis serviunt ac subduntur, quot peccata committunt, et quot pravis desideriis devincuntur. O quan- D ta est vilitas, turpitudo et immunditia iniquorum! Certe nulla mundi cloaca tam turpis et fœtida est coram hominibus, ut anima transgressoris coram oculis Creatoris. Unde ergo superbis, vas putridum, mancipium vitiorum, serve diaboli, qui infelicissime servis tam multiplici culpæ 1 *Cor.* II, 14. mortali? Verum, ut ait Apostolus, carnalis homo non sapit ea quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi. Quum enim iniquorum atque carnalium hominum corda sint plena vitiorum fœtore, immunditiarum amore, pravitatis obliquitate, carnalis ac sæcularis prudentiæ stoliditate, introire in ea vix potest odor virtutum, puritatis dilectio, justitiæ rectitudo, sapientiæ splendor. Verumtamen de eis desperandum non est, quia converti possunt. Propter quod clamat ad eos Isaias propheta : Redite, prævari- *Is.* XLVI, 8. catores, ad cor, hoc est, considerate vos ipsos, peccata vestra perpendite, quanta vobis instet damnatio intuemini, et horrete.

Nunc ergo, juxta Christi doctrinam, soli Deo altissimo placere ac deservire conemur, avaritiam et sollicitudinem terrenorum immoderatam jugiter detestemur, et spirituali amore diligamus nos ipsos ac alios. Multi quippe filios suos ac filias, propinquos ac ceteros carnaliter ac mendaciter diligunt, dum eis temporalia bona colligere non desistunt, ut in hoc mundo ditentur, honorentur ac prosperentur : per quod se ipsos ac illos infernalibus parant tormentis. Unde legitur, quod fuit quidam dives avarus filios habens duos, quorum unus nolens patri succedere in divitiis periculose adeptis, factus est eremita. Alius filius mansit cum patre, cupiens ei in hereditate succedere : quod etiam factum est. Defunctoque patre, defunctus est post modicum tempus et filius ejus iste. Quo cognito, contristatus est eremita, timens de patris sui ac fratris damnatione æterna; oravitque Dominum, ut patris ac fratris sui statum sibi ostendere dignaretur. Benignissimus vero Deus preces sanctissimi eremitæ celeriter exaudivit: nam raptus est ille eremita, atque in spiritu ductus est ad infernum. Ubi quum non invenisset patrem suum ac fratrem, exspectavit paulisper; et protinus vidit patrem suum exeuntem de quodam puteo infernali sulfureo, et statim post hoc de eodem puteo vidit fratrem suum egredientem. Vidit quoque quod pater suus et filius ejus ille damnatus se invicem mordebant et affligebant, litigando dicentes mutuo improperatoria verba. Pater equidem filio dixit : Maledictus sis tu, quia ut te ditarem avarus fui. Filius econtrario dixit ad patrem : A Maledictus sis tu, quia nisi temporalia illa mihi reliquisses, damnatus non essem. Ex quo constat quod qui socii sunt in culpis, socii sunt in tormentis,et quod qui in vita præsenti magis se invicem amant carnali amore, postea magis se odiunt in infernali ardore.

SERMO TERTIUS

DE VARIIS CAUSIS VITANDI AVARITIAM SOLLICITUDINEMQUE SUPERFLUAM, ET DE MULTIPLICI INSIPIENTIA AVARORUM.

P*RIMUM quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. VI, 33. B

Quemadmodum Paulus ait apostolus, *II Cor.* VIII, 9. Propter nos Christus egenus factus est, ut ejus inopia, id est merito suæ paupertatis, nos divites simus : divites utique spirituali opulentia, ita ut in vita præsenti abundemus in charismatibus gratiæ ac virtutum, in futuro autem donis gloriæ in æternum. Quia etenim Filius Dei venit in mundum hunc, ut ab amore rerum præsentium transferret nos ad amorem cœlestium, C æternorum ac divinorum, ideo verbis et factis talem edocuit vitam per quam homines magis apte atque faciliter ad æternam possint pervenire salutem : hoc est vitam purissimam, humillimam, itemque pauperrimam, quia superbia et avaritia ac incontinentia a cœlestis regni introitu præsertim impediunt homines. Hinc præsenti in evangelio Christus specialiter avaritiam ac superfluam reprobat circa temporalia curam.

Ad omnem itaque Christianum præcipue D spectat avaritiam sollicitudinemque calcare superfluam. Primo, quoniam Christus, magister, dominus ac judex noster, hoc docuit et præcepit : cujus doctrinis acquiescere, cujus præceptis obedire tenemur. Imo multiplici ratione Christus id persuasit, sicut in evangelii expositione ostensum est.

Joann. XIV, 6. Secundo, quoniam Christus, qui est via, veritas et vita, omniumque Christianorum exemplar, pauperrimam in hoc mundo vitam elegit, secundum quod ipse testatur : Vulpes terræ foveas habent, et volucres *Matth.* VIII, 20. cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Hinc ait Bernardus: Filius Dei in hunc mundum descendens, paupertatem elegit, ut sua æstimatione eam nobis faciat pretiosam. Descendit ab inenarrabilibus cœli divitiis, atque in tanta paupertate advenit, ut natus mox in *Luc.* II, 7. præsepio poneretur. Et vere magna nimisque magna abusio, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem pauper fieri dignatus est Dominus majestatis.

Tertio, quoniam quanto lex evangelica, ad cujus observantiam omnes Christiani tenentur, est spiritualior, perfectior atque divinior omni aliarum gentium lege, tanto Christiani præ ceteris gentibus spiritualiores et magis perfecti ac divini consistere debent, bona carnalia et terrena despiciendo, cœlestia vero et æterna desiderando. Ideo Christus dixit : Estote perfecti sicut *Matth.* V, 48. et Pater vester cœlestis perfectus est ; itemque, Nolite thesaurizare in terra. *Ibid.* VI, 19. Quum ergo in evangelica lege beatificetur paupertas, et voluntarie pauperibus pro hujus brevissimæ vitæ spontanea inopia promittantur regni cœlestis deliciæ, Christo dicente, Beati pauperes spiritu, quoniam *Ibid.* V, 3. ipsorum est regnum cœlorum; hinc non vere christianum, sed magis paganum se esse demonstrat,qui toto affectu temporalibus inhiat, qui magis conatur temporalibus A abundare quam gratiæ ac virtutum beneficiis decorari, qui plus nititur in præsenti ditari quam in cœlestibus coronari. Sed heu, quam multi sunt tales! Dici jam potest de populo christiano quod Jeremias *Jer.* VI, 13. de Judæorum ait populo : A minori usque ad majorem, omnes avaritiæ student. Verumtamen tales sciant se nomine, non virtute, christianos, atque præ ceteris gentibus longe damnabiliores.

Quarto, quia divitiæ sunt homini innumerabilium culparum occasio. Videmus B namque quod homines quanto sunt ditiores, tanto communiter sunt animosiores; ex divitiarum quoque abundantia procedunt vitia gulæ atque luxuriæ, otiositas, loquacitas, pompa in vestibus, pluraque alia mala. Itaque quanto homines plures congregant sibi divitias, tanto plurium vitiorum occasiones sibi procurant, et plura salutis impedimenta sponte assumunt. *Marc.* IV, 19. Hinc ait Salvator : Deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes in cor, suffocant verbum Dei, et sine fru- C *Luc.* VI, 24. ctu efficitur. Denuo quoque : Væ (inquit) vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Deinde, quam verissima hæc sint, constat ex eo quod Unigenitus Dei fate- *Marc.* X, 23, 25; *Matth.* XIX, 23, 24. tur : Quam difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum! Et rursus ait ibidem : Amen dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Quum ergo valde difficile sit divitiis abundare, nec eas immoderanter amare, neque superflue eis uti, certum est quod homines D imperfecti et in virtutibus nondum exercitati, maximis æternæ damnationis periculis se involvunt, atque innumerabilium vitiorum occasionibus se exponunt, dum temporalibus rebus abundare nituntur, et divitias congregare seu conservare quotidie moliuntur.

Quinto, quia immoderatus amor temporalium rerum et sollicitudo superflua circa eas, impediunt hominem a spirituali profectu virtutum, a contemplatione divinorum et a divino amore. Ideo dicit Gregorius : Avaritia mentem facit tam gravem, ut ad appetenda cœlestia attolli non possit. Et Christus in Evangelio protestatur : Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor *Matth.* VI, 21. tuum. Unde probatur quod quando deorsum sunt quæ amantur, tunc cor ad inferiora deprimitur; dum vero sursum sunt quæ diliguntur, cor ad superiora erigitur : præsertim quum asserat Augustinus, Anima verius est ubi amat, quam ubi animat.

Sexto, quia ad Christianos potissime spectat filialem habere amorem ad Deum, et de ejus bonitate, caritate ac providentia plenam habere fiduciam. Idcirco non debent pro temporalibus nimis sollicitari, quasi Deus non habeat providentiam actuum humanorum. Hinc in evangelio hodierno ait Salvator : Scit Pater vester *Ibid.* 32. cœlestis quia his omnibus indigetis.

Insuper multæ sunt stultitiæ avarorum. Prima, quod abundanter sibi præparant de necessariis et utilibus in loco ubi (comparative loquendo) per unam horam vix erunt, et non provident sibi de necessariis in loco ubi æternaliter permanebunt. Hæc enim vita comparatione vitæ futuræ momentum est. Et in hac vita præparant sibi avari cibaria, habitacula, vestimenta ultra mensuram; in futura vero vita nil præparant sibi accommodum, sed æternæ damnationis supplicium. Aguntque stultius quam si quis uno die habitaturus in Francia, et centum annis in Italia, faceret sibi ædificia multa et magna, provisiones ac copias grandes in Francia, nihil vero ædificaret, nec provideret sibi in Italia. Secunda eorum fatuitas est, quod sollicite provident corpori suo et animam propriam negligunt, quum tamen anima incomparabiliter corpore exstet præstantior. Sicque stolidius agunt quam si quis auro purissimo præferat lutum vilissimum. Tertia eorum insipientia, quod quanto plus morti propinquant, tanto plus temporalia sibi accumulare nituntur, quasi tanto diutius essent victuri, quanto magis senescunt. Videmus enim quod in senescentibus ac senibus avaritia crescit. Quarta, A quoniam ultra modum se onerant, atque pro eo quod de onere debent minuere, augent illud tamdiu quousque cadant sub eo, et opprimantur ac pereant. Quid enim sunt temporalia ista nisi onera magna, quibus annexæ sunt variæ curæ, timores, distractiones, inquietudines? Ideo dicit Hieronymus : Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet, quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut habita metuit ne amittat; et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa. B Iterum ait : Avarus hic ardet æstu concupiscentiæ ac multiplici cura custodiæ rei terrenæ, postmodum vero ardebit igne gehennæ. Si potentiorem videt, timet raptorem; si infirmiorem, suspicatur furem. Infelix tanta patitur, quanta pati timet.

Præterea, sicut Thomas scribit in secunda secundæ, q. LV, a. 6. sollicitudo temporalium rerum fit tribus modis illicita. Primo, ex parte rerum de quibus quis sollicitatur, videlicet dum in temporalibus rebus adipiscendis C aut conservandis aliquis sibi finem constituit, inhærendo eis per cordis affectum magis quam Deo. Avarus equidem magis afficitur circa nummum quam circa Deum, nec curat Deum amittere per juramenta, mendacia ac alia vitia, dummodo queat adipisci pecuniam. Ecce quanta est avari insania. Secundo fit sollicitudo ista illicita, propter superfluitatem conatus seu studii circa ea : sicut dum aliquis tantum circa illa insistit ac nititur, quod a spiritualibus et a bonis operibus ad quæ D obligatus est, impeditur. Tertio, ratione timoris superflui quo homo nimis veretur temporalia sibi posse deficere, etiamsi Deo debite obsequatur : et hoc Christus in evangelio isto multipliciter reprobat, ut in expositione patuit textus. Verum loco et tempore opportuno moderate sollicitari pro temporalibus necessariis congregandis aut conservandis, ordinando ea ad spiritualia bona, licitum est atque laudabile.

Postremo, multa sunt remedia contra avaritiam sollicitudinemque superfluam. Primum est consideratio paupertatis Christi in sæculo isto. Non enim est servus major domino suo. *Joann.* XIII, 16. Secundum est consideratio brevitatis et incertitudinis vitæ præsentis, in qua modica possunt sufficere, dicente Boetio : Natura paucis minimisque contenta est. Ideo dicit Gregorius : Longa nostra desideria increpat brevis vita. Tertium est consideratio periculorum ac vitiorum quæ homo ex temporalibus incurrit, præsertim dum abundat in eis, quod scilicet tam difficile est locupletem salvari : quia secundum Hieronymum, impossibile est nunc gaudere cum mundo, et postmodum regnare cum Christo. Quartum est consideratio multiplicis fructus quem homo acquirit contemnendo divitias, quia per hoc Dei gratiam in præsenti et gloriam promeretur æternam, multaque vitia et pericula summa evadit.

Itaque, juxta Salvatoris doctrinam, primo quæramus « regnum Dei », *Matth.* VI, 33. ut scilicet omnia quæ agimus, ad Dei honorem et gloriam ac nostram æternam beatitudinem ordinemus : et expedit omni die actualiter omnia taliter ordinare etiam sæpe. Et antequam ad exteriora agenda quis transeat, quærat « justitiam » regni cœlestis, id est, aliqua opera spiritualia virtuosa exerceat, orando, Deum laudando, et Missam, si potest, audiendo. Sed in isto sunt multi vehementissime reprehendendi : nam quasi bestiæ surgunt, et statim ad exteriora cor suum effundunt, et vix unam legunt Orationem dominicam; sic quoque vadunt dormitum absque memoria Dei, sine examinatione conscientiæ suæ, et absque invocatione pietatis divinæ pro remissione culparum diei præteritæ ac totius vitæ elapsæ. Ideo juxta prætacta quilibet se emendet, et circa spirituales animæ suæ divitias, hoc est virtutes et meritorias actiones, maxime sollicitetur, ne eas amittat, ne Deum offendat, ne sempiternam perdat salutem.

Refert Hieronymus de Socrate philosopho, quod in juventute sua volens ire ad studium, et videns se non posse habere aurum ac sapientiam adipisci, magnam auri massam projecit in mare, dicens : Malo dominari tibi, quam quod tu domineris mihi. Sanctus quoque Antonius dum perrexit ad eremum, invenit in via A copiosissimum ac splendidissimum aurum, et cursum arripiens, cum omni festinatione fugit ab eo tanquam a colubro. Sic et B. Franciscus in tantum sprevit pecunias, quod etiam tactum earum universis sui Ordinis prohibuit Fratribus.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE MULTIPLICI PERFECTIONE AD QUAM POTISSIMUM OBLIGANTUR RELIGIONUM PROFESSORES.

A*LTER alterius onera portate.* Galat. vi, 2.

Quam sancta et exemplaris ac irreprehensibilis esse debeat, et in primitiva Ecclesia fuerit omnium conversatio Christianorum, ex hodiernæ epistolæ perpenditur documentis, quæ non solum religiosis, sed universis scripta ac jussa sunt Christianis. Ut enim devotissimi patres Cassianus Climacusque testantur, talis esse debet vita cujuslibet Christiani, ut quicumque eam diligenter conspexerit, fateri cogatur legem illam esse divinam et sanctam, quæ talem instituit vitam. Ad hanc quoque vitæ perfectionem gloriosissimus apostolici agminis princeps omnes generaliter hortatur *I Petr.* ii, 15. Christianos, dicendo : Hæc est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. *Ibid.* 12. Itemque : Conversationem (inquit) vestram inter gentes bonam habentes, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bona conversatione vestra vos considerantes, glorificent Deum. Si ergo ad omnes hæc pertinent Christianos, quanto magis ad religiosos, quos utique in omnibus istis virtutibus et exercitiis sanctis abundare oportet, prout eorum requirit professio ?

Porro, quod hæc ita se habeant, ex B processu doctrinæ præsentis epistolæ innotescit. In cujus exordio ait Apostolus : *Galat.* v, 25. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus ; hoc est, si vere spiritualiter vivimus intus per gratiam, rectæ rationis judicium et Spiritus Sancti sequendo instinctum, studeamus etiam foris spiritualiter, hoc est virtuose et exemplariter, conversari. Ecce his verbis docet Apostolus ut non dumtaxat coram Deo in sinceritate conscientiæ conversemur, sed et coram proximis ædificatoria operemur : quoniam Deo C debemus bonam conscientiam, proximis bonam famam. Ideo alibi dicit Apostolus : *Rom.* xii, 17. Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Et *Matth.* v, 16. Christus in Evangelio : Luceat (inquit) lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Ex quibus patet error eorum qui pro aliquo verbo aut facto scandalizante correpti, eo quod alii conquerantur de ipsis, respondent se non curare quidquid de ipsis homines dicant, D dummodo coram Deo bene se habeant, quasi aliquis sine Dei offensa possit proximis scandalum aut obicem ponere, quum tamen Ecclesiasticus scripsit sic : *Eccli.* xvii, 12. Unicuique mandavit Deus de proximo suo. Et *Matth.* xviii, 7. Salvator in Evangelio : Væ (inquit) homini

Matth. XVIII, 6, 10. per quem scandalum venit; item, Videte ne A scandalizetis unum de pusillis istis. Intus ergo coram Deo vivamus per caritatem et gratiam, ceterarumque virtutum actus interiores elicitos, in Deum credendo, sperando, et proximis compatiendo. Coram proximis quoque vivamus per exteriores actus virtutum, per mores venustos, per refrenationem linguæ ac sensuum, per exsecutiones præceptorum exercitiorumque Ordinis, ut verbis et factis ac moribus ædificemus confratres nostros. Nempe qui negligit famam, crudelis est, quum lædat B non solum se ipsum, sed et proximos suos : et hoc totum divino contrariatur honori.

Sed quia tam virtuose ac irreprehensibiliter conversantes, solent vana gloria tangi et complacentiam in se ipsis habere inanem, recte post verba præmemorata *Galat.* v, 26. subjecit Apostolus : Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, ne scilicet optemus ab hominibus honorari aut reputari. Et hoc *Matth.* VI, 1. est quod præcipit Christus : Videte (inquiens) ne justitiam vestram faciatis co- C ram hominibus, ut videamini ab eis. Sed circa hoc quæri potest, quomodo ista stent simul. Non enim possumus habere propositum ædificandi proximos, nisi intendamus eos inducere ad bene sentiendum de nobis : ergo oportet ut optemus reputari ab eis, præsertim quum Scriptura horte- *Eccli.* XLI, 15. tur, Curam habe de bono nomine. Et respondendum, quod ista stant simul, quia debemus velle boni reputari et bene de nobis sentiri, in quantum hoc cedit ad Dei honorem, atque necessarium exstat D ad proximorum ædificationem, non autem in quantum hoc cedit ad nostram magnificationem, commoditatem aut venerationem. Imo in quantum in nobis est, debemus potius velle ab omnibus vilipendi, sperni et conculcari : sic tamen ut propter hoc nil indecens aut scandalizativum agamus.

Itaque vanam gloriam odiamus, nec de collatis nobis desuper bonis laudem humanam, temporalem honorem, propriam excellentiam affectemus; sed quidquid boni in nobis est, Deo humillime adscribentes ac regratiantes, ejus honorem, laudem et gloriam in omnibus cordialissime cupiamus, ut ipse a nobis ac aliis debite honoretur, laudetur et extollatur. Quum enim a nobis ipsis non habeamus nisi deficere et peccare, et quidquid miseriæ est et contemptibilitatis ; valde ingratum, impium et perversum censetur, de donis Altissimi, non ipsius sed propriam quærere gloriam et honorem. Imo propriam defectuositatem, ingratitudinem ac transgressionem rite pensantes, omni confusione, increpatione et adversitate reputemus nos dignos; omnem quoque injuriam, subsannationem, persecutionem nobis illatam patientissime toleremus, gratias Deo agentes quod in vita præsenti purgamur, et illud Judith dicentes ac adimplentes : Non *Judith* VIII, 26, 27. ulciscamur nos pro his quæ patimur, reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia esse minora.

Insuper docet Apostolus ne invicem pro- *Galat.* v, 26. vocemus, hoc est, ne unus alium verbo aut signo seu facto inordinato ad iram, impatientiam, turbationem aut quodcumque aliud provocet vitium : quia hoc esset alium directe scandalizare. Estque hoc tam divinæ quam fraternæ caritati contrarium. Caritas namque Dei requirit ut ipsimet Deum honoremus, atque ab aliis honorari optemus : cujus oppositum agit qui provocat alium, quum ipsemet Deum inhonoret peccando, et alium ad illicitum quo Deus offenditur trahere jam conetur. Denique qui alios provocat, coadjutor, instrumentum et servus est dæmonum, quorum summus conatus est homines ad peccata allicere. Constat quoque quod fraterna exigat caritas proximo benefacere, et nocumentum ac læsionem ipsius vitare. Quum ergo peccatum incomparabiliter nocivum et læsivum sit hominis, certum est quod proximum provocare ad culpam, sit caritati fraternæ omnino contrarium : quod etiam in divinis potissime est cavendum. Verumtamen est quædam provocatio bo-

Hebr. x, 24. na, de qua ad Hebræos fertur : Consi- A deremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum. Ideo verbis et exemplis incitemus nos mutuo ad caritatis fervorem, ad spiritualem profectum, ad strenuam pugnam contra hostes nostræ salutis.

Præterea, quia in cupidis vanæ gloriæ, in superbis et ambitiosis, et provocatoribus aliorum, solet regnare invidia, monet Apostolus ne invicem invideamus. Invidia equidem est tristitia de bono alterius. Quod autem unus de alterius prosperitate, B eminentia aut virtute tristatur, contingit ex hoc quod illum præcedere appetit, aut quod ille habet adipisci desiderat, vel certe, quia ab illo derideri, opprimi seu gravari se intuetur. Ideo Solon dixit : Non derideas aliquem, quia ex derisione generatur invidia. Quumque melancholici ex complexionis suæ malitia ad tristitiam invidiamque proclives sint, specialiter circa eos vitanda sunt ea ex quibus ad invidiam atque tristitiam faciliter inducuntur. Præterea, quanto plus religiosi ad sanctæ C caritatis profectum tenentur, quanto ad mutuam dilectionem amplius obligantur, tanto plus ab omni invidia debent esse purissimi. Nec sufficit dicere, Diligo fratres meos, sed ea quæ caritatis et amicitiæ sunt oportet fratribus exhibere, et quæ caritati et amicitiæ repugnant cavere, secundum quod in prima sua Canonica ait I *Joann.* III, 18. Joannes apostolus : Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. Est autem invidorum infelicitas magna ac summa miseria, quia non tantum meren- D tur post vitam hanc in inferno æternaliter cruciari, sed etiam in præsenti corda sua *Prov.* XIV, 30. dilaniant, quum Salomon dicat : Putredo ossium, invidia. Invidia siquidem est species quædam tristitiæ. Et Salomon veraciter contestatur : Spiritus tristis exsiccat *Prov.* XVII, 22. ossa; itemque, Sicut tinea vestimento, sic *Ibid.* XXV, 20. tristitia nocet cordi. Qui autem ad tristitiam et invidiam specialiter proni sunt, contra eas specialiter pugnent, Deum pro virtute et gratia eas vincendi rogando, seque ad caritatem ac spiritualem dulcedinem dando, nec etiam aliorum facta multum considerando, sed proprios intuendo ac deplorando defectus. Non ergo intromittant se de impertinentibus sibi : et sic magis quiescent, ac minus amaricabuntur.

Postremo, quia in multis offendimus om- *Jacob.* III, 2. nes, et unusquisque suos habet defectus, sapientissime monet Apostolus ut « alter *Galat.* VI, 2. alterius onera » portemus, hoc est, unus caritative ac pie supportet et patiatur defectum alterius, sive sit defectus naturæ seu gratiæ, quatenus sicut ipse in suis infirmitatibus atque defectibus cupit a Deo ac proximo supportari, sic et ipse suos portet confratres. Deus namque omnipotens, pius et sapiens, posuit nobis regulam benignissimam istam, ut scilicet taliter habeamus nos ad proximos nostros quemadmodum cupimus Deum habere se circa nos. Qui ergo circa fratres suos duri, amari, querulosi, vindicativi consistunt, quid restat nisi quod Deus circa eos se dure, vindicative terribiliterque habebit, ut impleatur in eis quod ait Salvator, Ea- *Matth.* VII, 2. dem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis ? Verumtamen non sic debemus alter alterius onera portare, ut fraternæ correptionis medelam negligamus proximis, dum culpabiles exstant, impendere, aut pro eorum salubri emendatione orare et nostram diligentiam facere; sed ut non moveamur ad iram, impatientiam, aut turbulentiam, sive invidiam, propter ipsorum defectus, imo caritative et pie compatiamur ac subveniamus eisdem.

SERMO QUINTUS

QUOMODO SUBDITI A PRÆLATIS AD VIAM VIRTUTIS POST LAPSUM SINT REVOCANDI, PRUDENTERQUE DIRIGENDI ; ET QUOMODO ILLI IPSI SUBDITI HABERE SE DEBEANT.

A *FRATRES, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* Galat. VI, 1.

Deus justus, bonus et sapiens, unicuique secundum opera sua restituens, misericordibus misericordiam pollicetur : Beati (inquiens) misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* V, 7. Immisericordibus vero, duris et crudelibus per suum ait Apostolum : Judicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam. *Jacob* II, 13. B Hinc in hodierna epistola, Vas electionis hortatur ut viri spirituales in virtutibus exercitati atque in præliis tentationum experti, tentatis et lapsis pie condoleant, non aspere indignentur, eosque instruant qualiter resurgere, emendare, et de cetero custodire se ac repugnare tentationibus et peccatis debeant universis ; istudque faciant animo mansueto cum magna discretione, juxta dispositionem et capacitatem eorum quibus loquuntur, et cum humilitate, considerando propriam fragilitatem, C præsertim si deserantur a gratia, ne et ipsi tententur tentatione prædominante ac dejiciente. Quam tentationem mererentur incurrere, si tentatis et lapsis non condolerent ac subvenirent humiliter. Quemadmodum enim meretur homo misericorditer adjuvari ac conservari a Deo, aliis misericordiam impendendo, præsertim tentatis, afflictis et lapsis ; sic ad tales indignanter et aspere se habendo, meretur a Deo relinqui et tentationibus vinci. Itaque propriæ defectuositatis et culpæ consideratio incitat D hominem prudentem ad compatiendum auxiliandumque aliis. Propter quod et in Ecclesiastico dicitur : Memento judicii mei : sic enim erit et tuum. Mihi heri, et tibi hodie. *Eccli.* XXXVIII, 23.

Præterea advertendum quod ait Apostolus : « Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto ». *Galat.* VI, 1. Præoccupatus quippe dicitur aliquis in delicto, qui ex subreptione, infirmitate, ignorantia, inadvertentia aut vehementi tentatione in culpam delapsus est : et talis « in spiritu lenitatis » est instruendus, consolandus ac reducendus, ne abundantiori absorbeatur tristitia, *II Cor.* II, 7. sed ad pristinum redeat gradum, atque de cetero cautior perseveret. Aliqui vero peccant non ex tali præoccupatione, sed ex deliberatione, ex habitu vitioso, ex proposito, ex usu iniquo, ex certa malitia : qui sunt durius arguendi, et in spiritu æquitatis disciplinandi. Præoccupati autem in malo qui dociles convertibilesque consistunt, mititer sunt tractandi, nisi forte causa exercitationis aliter fiat cum discretione. Nam, ut Prosper testatur : Leniter reprehensus exhibet reverentiam castiganti ; asperitate vero immoderatæ reprehensionis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. Ambrosius quoque : Plus (inquit) proficit amica correptio, quam reprehensio turbulenta ; illa pudorem, hæc indignationem producit. Verum, ut ait Isidorus : Qui secrete admonitus de peccato, emendare se negligit, publice arguendus est ; et vulnus quod secreta reprehensione curari non potest, publica redargutione curandum est. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, sed manifeste sunt increpandi qui publice peccant, ut dum illi aperta objurgatione curantur, hi qui eos sequendo deliquerant, corrigantur : sicque dum unus debite castigatur, plurimi emendentur. Unde de manifeste peccantibus ait I *Tim.* v, 20. ad Timotheum Apostolus : Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Qui etenim publice peccat, aliis præbet peccandi audaciam, et scandalizando nocet communitati : idcirco dum publice corripitur ac debite castigatur, alii a peccandi audacia retrahuntur, et communitatis saluti prospicitur, communique paci sagaciter providetur.

Deinde ista præoccupatorum in aliqua culpa instructio ad præsidentes potissime pertinet. Ideo spiritualis pater religiosorum, si aliquem viderit contra se aut alium quemquam esse tentatum aut in aliquam culpam notabilem lapsum, debet celerius quo poterit tentatum illum pie accedere, mansuete instruere, ad virtutis viam reducere. Et si viderit expedire, potest aliquem ex Fratribus virum discretum et timoratum mittere ad tentatum sic instruendum ; et ille Frater ad tentatum directus, fideliter et discrete se habeat, ea dumtaxat loquendo quæ ad tentationis sedationem et Fratris curationem possunt conferre. Quod si forte inter præsidentem et Fratrem tentatum causa vertatur, ita quod tam præsidens quam tentatus aliqua dura de se invicem ad Fratrem intermediantem loquantur, non oportet ut Frater ille medians narret ambobus quid de se invicem sunt locuti, quia per hoc interdum augeretur tentatio ; sed duriora verba transiliens, quæ ad pacem expediunt hinc inde denuntiet. In qua re magna opus est discretione. Si autem intermedians fuerit injuste et ficte se habens, et tentatum contra præsidentem magis inflammans, sive econtra, diabolicum crimen committeret. Conformiter, si is qui præest, ex quadam duritia, indignatione, elatione aut zelo amaro nollet se tantum humiliare quod iret aut mitteret ad Fratrem tentatum, sed eum in sua inquietudine per dies et dies dimitteret, non mediocriter A in hoc ipso peccaret. Omnino enim oportet ut præsidens tantæ sit perfectionis, ut sua bonitate, aliorum malitiam, sua humilitate, mansuetudine, patientia, caritate et sapientia, aliorum (maxime sibi commissorum) superbiam, iram, impatientiam, aversionem, imprudentiam possit vincere et curare : alioqui non bonus neque idoneus est medicus animarum.

Hinc sanctus pater Benedictus, postquam in Regula sua expressit qualibus pœnis et quali excommunicationi debeat subjacere B qui aliqua graviori culpa devictus est, ut scilicet a mensa et oratorio suspendatur, nec aliquis Fratrum ei in aliquo jungatur consortio neque colloquio, deinde docet qualiter spiritualis pater circa recuperationem talis Fratris debeat esse sollicitus, dicens : Omni sollicitudine curam agat abbas circa Fratres delinquentes, quia non *Matth.* IX, 12. est opus sanis medicus, sed male habentibus. Ideo procedere debet omnino ut sapiens medicus, immittendo quasi occultos consolatores senipectas*, hoc est senio- * sympæctas C res sapientes Fratres, qui quasi secrete consolentur Fratrem fluctuantem, et provocent eum ad humilitatis satisfactionem, consolenturque eum, ne abundantiori ab- II *Cor.* II, 7, 8. sorbeatur tristitia, sed confirmetur in eo caritas, et oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas et omni industria ac sagacitate curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum suscepisse curam animarum, et boni pastoris imitetur exemplum, qui relictis nonaginta *Matth.* XVIII, 12. D novem ovibus in montibus, abiit quærere unam ovem quæ periit : cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam sacris humeris suis dignaretur imponere, et sic reportare ad gregem. Ecce hæc beatissimi patris Benedicti verba omni spirituali patri sunt diligentissime intuenda ac observanda.

Insuper in præsentis dominicæ epistola ad humilitatem cohortatur nos Apostolus, dicens : Si quis existimat se aliquid esse *Galat.* VI, 3. quum nihil sit, ipse se seducit ; hoc est, qui se ipsum inaniter magnificat et extollit, quasi sit virtuosus aut a se ipso aliquid boni habens, se ipsum seducit, quoniam propria elatione cæcatur, et sibi ipsi maxime nocet superbia sua. Unde Habacuc *Habac.* II, 5. ait : Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur. Quemadmodum enim vinum suaviter intrat, sed paulo post venenum diffundit et mordet ut regulus ; sic vana gloria, propria complacentia, stulta elatio, falsa sui ipsius reputatio, quasi dulciter animum ingrediuntur, sed nisi mox extrudantur, instar basilisci inficiunt mentem, et omni virtutum privant decore. Idcirco se ipsum bene examinet homo, et inveniet se ærumnosum, defectuosum, periculis undique circumvallatum. Qui autem caritate et gratia caret, spiritualiter nihil est.

Amplius, docet Apostolus ut qui informantur ab aliquo de pertinentibus ad salutem, grati sint suo instructori, et ei vicem rependant. Hinc religiosi suum spiritualem patrem, a quo quotidie salubriter instruuntur, debent specialiter valde diligere, honorare, et si ex humana fragilitate in aliquo forsitan defectuosus fuerit, supportare, nec ei faciliter indignari et esse

A molesti. Hinc alibi dicit Apostolus : Qui I *Tim.* V, 17. bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo ; et denuo : Rogo vos, fratres, ut I *Thess.* V, 12, 13. noveritis eos qui præsunt vobis et monent vos, ut habeatis illos abundantius in honore ; propter opus illorum pacem habete cum eis. Nec solum superior, sed et quilibet doctior salubriter aliquem instruens et exhortans, ab illo est honorandus specialiterque amandus, tanquam benefactor præcipuus. Propter quod vir sapiens

B quidam protestatur : Danti mihi sapien- *Eccli.* LI, 23. tiam, dabo gloriam. Et Augustinus : Si me, inquit, posses docere quod nescio, non solum verbis corripientem, sed et pugnis cædentem deberem te patientissime sustinere.

Postremo hortatur Apostolus ut bene- *Galat.* VI, 9. facientes non deficiamus, sed incessanter atque ferventer Domino obsequamur, qui non deridetur, nec fallitur, sed omnia su- *Ibid.* 7. perclarissime intuetur, et unicuique secundum quod seminaverit, reddet. Idcirco *Ibid.* 8.

C dum tempus habemus, operemur bonum *Ibid.* 10. ad omnes, ad minus orando pro universis, et opera misericordiæ, præsertim spiritualia, totis viribus exsequamur.

SERMO SEXTUS

DEO ET ANIMÆ PROFECTIBUS SERVIENDUM, NON CONCUPISCENTIIS CARNIS ; ET DE INUTILI TEMPORALIUM SOLLICITUDINE ABIGENDA.

QUÆRITE *primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. VI, 33.

In evangelio hodierno, multis divinissimis documentis instruit nos Salvator. Primo, quod non possumus simul finaliter inhærere summo et incommutabili bono et rebus creatis caducis. Oportet enim vel in summo bono constituere sibi finem, aut certe in rebus creatis. Quicumque autem super omnia diligit Deum, is in Deo

D sibi finem constituit : imo ipsemet Deus est ejus finis objectalis, et beatifica visio Dei est ejus finis formalis. Hinc itaque in evangelio isto asserit Christus, quod nemo *Matth.* VI, 24. duobus dominis possit servire. Quicumque autem in caritate et gratia stat, Deo servit ; qui vero mortali subjacet culpæ, servit diabolo, qui princeps mundi et rex *Joann.* XIV, 30. filiorum superbiæ appellatur. *Job* XLI, 25.

Caveamus igitur ne ad aliquid amplius quam ad Deum afficiamur. Imo quum ad hoc etiam sæculares homines teneantur, A nos religiosi, quorum non est circa communia languere, sed perfectioni studere, caveamus ne ad aliquid extra Deum immoderate aut inordinate afficiamur, sed solum et pure in Deo et secundum Deum et propter Deum optemus ac diligamus quidquid citra Deum cupimus et amamus : quia in tantum a puritate cultus divini impedimur atque discedimus, quantum ad aliquid qualitercumque inordinate aut immoderate afficimur, hoc est plus aut aliter quam illud nobis necessarium B accommodumque consistit in ordine ad Deum, hoc est ad serviendum, complacendum inhærendumque Deo, ad uniendum nos ei, ad proficiendum in ejus amore, quatenus omnia sub ordine divini ponantur amoris. Denique nec ad nos ipsos aliter quam hoc modo affici nobis licet, quia non aliter nisi in Deo debemus diligere nos ipsos, ut omnia illa æquanimiter operemur ac patiamur quæ nobis expediunt per respectum ad Deum, et ad proficiendum in ejus gratia in hac vita, atque C in ejus gloriosa fruitione in patria. Et si aliter ad cibum, potum, vestitum, ad aliquem hominem aut ad quodcumque creatum, sive ad somnum, sive ad humanum solatium afficimur, jam a vera perfectione, a divini amoris sinceritate, a divini cultus puritate distamus et elongamur. Toto ergo et puro corde Deo adhæreamus ac obsequamur, ut cum Propheta ex sententia decantemus : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. *Ps.* IX, 2; CX, 1; CXXXVII, 1.

Præterea, sicut duobus servire dominis D non valemus, ita non possumus carni servire ac animæ, sensualitati et rationi. Gulosi autem, immundi, pigri, et mente mundani ac indevoti, serviunt suæ carni; et quantum quis de necessariis attinentibus corpori amplius cupit aut sumit quam rectæ convenit rationi ac suæ vocationi, in tantum suæ carni deservit. Sobrii vero, ferventes et spirituales serviunt animæ suæ atque spiritui. Et quia diabolus *Job* XLI, 25. specialiter nominatur rex super omnes filios superbiæ, constat quod superbi ministrent diabolo. Est quippe superbia diabolicum crimen; et quanto quis plus de animositate et arrogantia habet, in tantum diabolo obsequi comprobatur. Abjiciamus ergo semen hoc maledictionis, superbiam vitæ, in qua omnis perditio sumpsit exordium. *Tob.* IV, 14. Quum enim lex Christi sit lex totius caritatis, pietatis et humilitatis, superbia summe indecens est atque illicita Christifidelibus universis : quanto magis religiosis, quos in cunctis virtutibus præfulgere oportet, qui et voluntatem propriam abjecerunt, ut nihil hujusmodi secundum propriæ cupiant voluntatis impulsum? Dicunt quoque doctores, B. Gregorium in hoc ipso sequentes, quod spiritualia vitia, ut superbia, invidia, acedia, graviora sunt, loquendo in genere, carnalibus vitiis, puta gula, luxuria, ira, quamvis luxuria in quantum est contra votum solenne, sit gravior elatione. Quo innotescit quam vigilantissime debeamus semper omnem animositatem, elationem, acediam, invidiam, et consimilia peccata, de nostri habitaculo cordis expellere.

Præterea, quia non potest quis duobus dominis deservire, docet ac jubet Salvator ne immoderatam habeamus sollicitudinem de necessariis vitæ præsentis : quoniam talis sollicitudo ex carnali amore et avaritia, aut simili vitiosa procedit radice, et ex diffidentia quadam providentiæ Creatoris, qui quum corpus et animam dederit, victum et vestitum sperantibus in se non negabit. Et ad hoc Christus, sapientia Patris, multas ac subtilissimas rationes in evangelio isto compendiosissime introducit. Si autem objiciatur, quod aliqui martyres fame exstincti sunt, et multi justi maximas frequenter penurias sunt perpessi; dicendum, quod prædicta interdum ex dispensatione et ordinatione divina subtrahuntur electis ad probationem eorum, et meriti præmiique eorum augmentum permaximum. Salvator autem jam loquitur in communi, et ut frequentius evenit, quanquam Omnipotens, cujus sapientiæ *Ps.* CXLVI, 5. non est finis, ex cognitis sibi causis interdum in particulari aliter operetur ac A ordinet.

Præterea, nos religiosi, non obstante quod ex provisione superiorum nostrorum satis nobis de necessariis vitæ corporeæ ministretur, ita quod nullam habeamus rationabilem causam sollicitudinis circa hujusmodi, tamen sæpius ex carnalitate, negligentia et animi vanitate, cogitamus et sollicitamur de his quæ nobis pro refectione ministrabuntur, an sufficientia, satisque lauta, et sensualitati complacita erunt : quod prorsus inane et B stultum est, ac vacuæ mentis indicium. Rursus, quamvis paupertatem Deo promisimus, nihilo minus pro temporalium abundantia quandoque cupide occupamur, nec ab avaritia invenimur immunes. Unde et sæculares frequenter scandalizantur non parum in religiosis, in quibus omnium mundanorum contemptus et exemplaritas maxime resplendere deberent; atque in hac cupiditate ac avaritia superiores religiosorum videntur sæpe magis culpabiles. Hinc etiam, justo Dei moderante ac C permittente judicio, magna multoties damna religiosis contingunt, a quibus, si ab omni avaritia se arcerent, Deus bonus, justus et sapiens, eos utique præservaret : et tunc essent hominibus cunctis magis amabiles, exemplares, honorabiles et præclari, nec dubium quin et plura in eleemosynas eis darentur; nunc autem contemnuntur et blasphemantur a multis. Et revera ad præcavendum tot mala, ad promovendum tot bona, merito abstinerent omnes religiosi ab omni avaritiæ culpa, frugalitati ac par- D citati studentes, præsertim quum tenuitas victus et vestitus sit indispensabiliter de
I *Thess.* v, 22. essentia religionis, et Apostolus dicat, Ab omni specie mala abstinete vos, et ipse
Matth. viii, 20; *Zach.* ix, 9. Unigenitus Dei in tam extrema paupertate vixerit in hoc mundo. Experientia quoque frequenter edocuit, per temporalium abundantiam periisse devotionem observantiamque claustralem; sed et sollicitudo et cupiditas ista, perfectioni spei in Deo et caritatis sinceritati non mediocriter derogant, ac plurima mala sequuntur ex eis.

Postremo, in evangelio isto docemur ut omni cupiditate et immoderata sollicitudine abdicatis, primo ac principaliter quæ- *Matth.* vi, 33.
ramus regnum Dei, veram salutem, gratiarum charismata, spiritualem profectum; et temporalia huic vitæ necessaria nobis adjicientur. Sit ergo in nobis bona et spiritualis sollicitudo accumulandi spirituales et interiores divitias, exuberantiam meritorum, incrementa virtutum, affluentiam munerum supernorum; et ne Deum in aliquo offendamus, ne tempus aliquod infructuose pertranseamus, ne circumve- II *Cor.* ii, 11.
niamur a Satana, ne frigescat in nobis *Matth.* xxiv, 12.
caritas Dei dilectiove fraterna, ne proximum scandalizemus, ne Deo inveniamur ingrati. Ecce quam solliciti sunt filii hujus mundi pro opulentia temporali, pro obtinendis bonis delectabilibus aut utilibus vel honestis vitæ præsentis, quæ exsistit tam incerta et brevis : quanto magis nos religiosi, pro opulentia spirituali, pro bonis vitæ futuræ æternaliter permansuræ, deberemus summe et incomparabiliter esse solliciti, sicut et sancti patres nostri fuerunt, qui in omni diligentia et fervore, in omni cordis custodia, sobrietate, et corporis castigatione ac moderamine somni, in profectu continuo, in profundissima humilitate, insuperabili patientia, indefesso labore, fidelissime servierunt Domino Deo suo.

Ipsorum ergo vestigia conemur saltem aliqualiter imitari. Et quo anima corpore exstat nobilior, et vita futura vita præsenti diuturnior, eo plus solliciti ac studiosi simus pro animarum nostrarum veris divitiis, internis refectionibus, spiritualibus consolationibus, cœlestibus sempiternisque gaudiis, quam pro necessariis vitæ præsentis; et simus custoditi in omnibus, in omni sensu et verbo ac opere, præsertim in divino Officio, et coram intraneis atque extraneis, ut omnes ædificentur in nobis, et nos ipsi cum illis de eorum ædificatione ditemur donis gratiæ in præsenti, et gloriosius coronemur donis gloriæ in regno cœlesti. Ad laudem et gloriam Dei. Amen.

DOMINICA XVI POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

OBSECRO VOS NE DEFICIATIS IN TRIBULATIONIBUS MEIS PRO VOBIS.
Ephes. III, 13-21.

APOSTOLUS in præsenti epistola ad patientiam atque constantiam nos hortatur, dicendo : *Obsecro vos,* id est, per sacra rogo (de obsecratione quid sit, et de eminentia ac efficacia ejus, dicta sunt multa in expositione epistolæ dominicæ *Cf.* t. XXIX, p. 142. secundæ post nativitatem Christi), *ne deficiatis,* id est, ne per impatientiam, pusillanimitatem tædiumve frangamini, neque a bono opere desistatis, *in tribulationibus meis,* hoc est ex consideratione adversitatum et tribulationum quas patior *pro vobis,* id est ad vestram ædificationem ac probationem; vel, « pro vobis », id est pro prædicatione evangelicæ veritatis quam propter vos facio; *quæ* res seu constantia *est gloria vestra,* id est gloriosum meritum vestrum. Circa verbum istud plura essent dicenda, de quibus in sermone tangetur.

Hujus rei gratia, utpote, ut non deficiatis a bono propter adversa, *flecto genua mea,* id est, cum genuflexione oro, *ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,* id est Deum Patrem æternum, a quo æterna generatione Unigenitus ejus manavit, *ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur,* hoc est, de cujus prima, summa atque verissima paternitate derivatur ac nomen paternitatis sortitur omnis paternitas angelorum et hominum : ita quod paternitas primo ac propriissime convenit Deo Patri, qui genuit Filium non solum in natura similem, sed etiam sibi consubstantialem; ceteris vero convenit paternitas per aliquam imitationem paternitatis divinæ. Ex prædictis vero putandum non est quod in angelis sit proprie dicta paternitas, ita quod unus angelus alium vere produxerit; est tamen in eis quædam paternitas, qua superiores inferiorum patres dicuntur. *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ,* id est secundum opulentissimam plenitudinem suæ perfectionis increatæ, videlicet prout opulentiam ac munificentiam ejus decet, non tamen secundum extremum posse omnipotentiæ suæ : unde divitiæ gloriæ Dei, sunt immensa perfectio atque felicitas ejus penitus infinita; *virtutem corroborari,* id est fortitudinem mentis qua roboremini, *per Spiritum ejus,* id est a Spiritu Sancto, per inspirationem et motionem ipsius : ita quod Spiritus Sanctus est causa efficiens hujus gratiosæ confortationis; virtus autem infusa est causa formalis ipsius. Unde ad Hebræos scriptum est : Optimum est *Hebr.* XIII, 9. gratia stabiliri cor. Hæc autem est confortatio spiritualis contra peccata ac dæmonum tentamenta. Ideo subditur, *in interiori homine,* id est in anima : quod est *habitare Christum per fidem* formatam *in cordibus vestris.* Christus namque est verus Deus, et in illorum cordibus commoratur, quiescit ac præsidet, qui ei per fidem caritate formatam uniti sunt, quemadmodum apud Joannem Christus loquitur : Joann. xiv, 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

Insuper sitis *in caritate* Dei ac proximi *radicati,* id est firmiter stabiliti, *et fundati* per rationes fortissimas propter quas diligendus est Deus primo et incomparabiliter, videlicet propter infinitam I Joann. iv, 10, 19. ipsius bonitatem, et quoniam prior dilexit nos, item propter beneficia ejus, et rursus propter promissa ipsius, deinde et proximus in Deo et propter Deum.

Ut possitis comprehendere, id est sincere cognoscere, *cum omnibus sanctis,* id est, sicut sancti in via hujus exsilii Deo revelante seu illustrante cognoscunt, *quæ sit* spiritualis *latitudo* caritatis, *et longitudo, et sublimitas, et profundum* ipsius. Istæ dimensiones metaphorice attribuuntur caritati, per similitudinem corporalium dimensionum. Siquidem latitudo caritatis est, quod ad omnes se extendit, etiam inimicos, quibus et benefacit. Longitudo ejus est, quod tendit in longum et in futurum, utpote usque in ultimum finem, seu vitam æternam, nec frangitur propter adversa. Hinc secundum Augustinum, longitudo est perseverandi longanimitas. Sublimitas caritatis est, quod immediate unit nos Deo. Profundum vero caritatis est, condescensus ad proximum, vel humiliationis inclinatio ex consideratione terribilium judiciorum Dei. — Possunt quoque hæc metaphorice ad divinam referri naturam : ut latitudo pertineat ad divinæ bonitatis communicabilitatem, qua Jacob. i, 5. dat omnibus affluenter, nec aliquid in universo expers relinquit participatione perfectionis divinæ; longitudo vero per- Sap. viii, 1. tineat ad æternitatem, qua attingit a fine usque ad finem, imo universa præcedit et omnia sequitur, vel ad longanimem exspectationem qua iniquorum pœnitentiam præstolatur; sublimitas autem ad divinæ majestatis excellentiam interminatam, vel ad divinorum promissorum supernaturalem dignitatem; profundum vero pertineat ad incomprehensibilitatem divinæ naturæ, judiciorumque ejus. Hinc apud Job de Deo asseritur : Job xi, 8, 9. Excelsior cœlo est, et quid facies ? Profundior inferno, et unde cognosces ? Longior terra mensura ejus, et latior mari.

Possitis *scire etiam* scientia practica, utpote sciendo sectari, *supereminentem scientiæ caritatem Christi,* id est dilectionem illam præcipuam qua Christus secundum suam scientiam nos dilexit. Dilectio enim ex cognitione procedit. Vel sic, Possitis « scire caritatem Christi supereminentem scientiæ », id est nostram scientiam et capacitatem sua magnitudine transcendentem. *Ut impleamini,* id est, divinorum charismatum recipiendo influxum, tendatis ac perducamini, *in omnem plenitudinem Dei,* id est ad omnia dona perfecta quæ conferuntur a Deo, videlicet ad virtutes virorum heroicorum in vita præsenti, atque ad dona gloriæ magnorum Sanctorum in patria.

Ei autem, scilicet Deo omnipotenti, *qui potens est omnia* sibi placentia ac nobis salubria *facere superabundanter quam petimus aut intelligimus,* id est copiosius et excellentius quam orare aut comprehendere possumus, *secundum virtutem,* id est omnipotentiam suam, *quæ operatur in nobis* ut causa prima ac principalis, nobisque virtutes et gratiam operandi largitur, atque ad bona nos excitat; *ipsi* sit *gloria in Ecclesia* militanti, ut glorificetur ab omnibus, ejusque gloria, beatitudo, lætitia, excellentia, omnibus innotescat atque in cunctis resplendeat, *et in Christo Jesu,* id est propter beneficia quæ per Christum nobis donavit, *in omnes generationes,* id est per universarum generationum intervalla, durationes et tempora, *sæculi,* id est vitæ præsentis contentivæ *sæculorum,* id est includentis in se sæcula universa, hoc est singulas mundi ætates. Postremo, secundum Damascenum, sæculum multa significat : primo, uniuscujusque rei vitam ; secundo, tempus mille annorum; tertio, totam durationem præsentem usque ad mundi finem; quarto, vitam futuram in patria; quinto, mensuram A æternorum; sexto, mensuram perpetuorum; septimo, singulas septem mundi ætates.

SERMO PRIMUS

QUOMODO RADICARI IN DEI AC PROXIMI CARITATE DEBEAMUS, TRIBULATIONESQUE AC SENSUALITATI MOLESTA ÆQUANIMITER FERRE.

D*EUS Pater det nobis secundum divitias gloriæ suæ, virtutem corroborari in interiori homine.* Ephes. III, 16.

In exordio hujus epistolæ docet nos sanctus Apostolus ne terreamur, neque a bonis cessemus operibus, nec per impatientiam, aut pusillanimitatem vel admirationem frangamur, dum videmus homines virtuosos, sanctos et sapientes ab insensatis ac impiis in mundo hoc tribulari ac opprimi. Solent namque pusilli ac imperfecti multum mirari, terreri et a bono cessare, dum cernunt justos ab injustis opprimi et occidi, quasi infructuosum et vanum sit Deo servire, eo quod servi ejus a servis diaboli in hoc mundo sic opprimantur. Hinc in persona imperfectorum inde mirantium dicit Habacuc : Cf. *Habac.* I, 13, 4. Quare, Domine, non respicis contemptores, et taces conculcante impio justiorem se ? Propter hoc lacerata est lex. Hinc etiam apud Malachiam ait Deus de istis *Malach.* III, 13, 14. imperfectis hominibus : Invaluerunt super me verba vestra, et dixistis : Vanus est qui servit Deo; et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino?

Porro exercitati in via Dei et desuper illustrati, de re ista non admirantur, nec conturbantur, neque franguntur. Sciunt namque quod Deus in hac vita exercet et purgat electos ac bonos per reprobos et perversos, ut sic electi in gratia crescant, et a futuris eruantur tormentis, atque cœlestia gaudia celerius ac copiosius B adipiscantur. Unde in Isaia loquitur Deus de rege Assyriorum : Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est. *Is.* x, 5. Gregorius quoque testatur : Abel esse renuit quem Cain malitia non exercet. Insuper, sciunt quod Deus eos quos amat, arguit et castigat, *Apoc.* III, 19. quod item per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum, *Act.* XIV, 21. et quod præcipuum signum reprobationis divinæ ac futuræ damnationis æternæ, est in hoc sæculo prosperari nec castigari, sed propriis adinventionibus desideriisque relinqui, C quemadmodum de talibus Deus fatetur : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. *Ps.* LXXX, 13. Iterum sciunt et pensant quanta Unigenitus Dei a sceleratissimis sit perpessus hominibus; quod demum electi Dei quanto fuerunt Domino cariores, tanto plura et graviora sunt in hoc sæculo passi adversa. Propter quod dixit Apostolus : Quicumque volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. II *Tim.* III, 12. Ex his itaque considerationibus roborati, dum cernunt bonos D conculcari a malis non perturbantur, nec a bonis retrahuntur operibus; imo potius occultum Dei benedicunt judicium, et dicunt quod ait Salvator : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* v, 10.

Deinceps abbas Cassianus, in secundo libro Collationum Patrum, describit quemadmodum suo tempore aliqui sanctissimi eremitæ fuerunt a Sarracenis dira morte occisi. Propter quod aliqui Fratres nondum perfecti mirati sunt cur Deus viros A tam sanctos ab illis inquinatissimis permisit interfici; veneruntque Fratres illi ad abbatem Theodorum, petentes ab eo super hac re informationem : et fecit inde abbas ille pulcherrimam collationem, quam Cassianus redegit in scriptis. Itaque nec in propriis, neque in proximorum ac justorum tribulationibus, per impatientiam corruamus, nec terreamur, sed in via Dei, in virtutum operibus usque in finem viriliter persistamus. Siquidem apud Isaiam *Is.* LI, 7. loquitur Deus : Nolite timere opprobrium B hominum et blasphemias eorum. Christus *Matth.* X, 28. quoque in Evangelio : Nolite (inquit) timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed eum timete qui habet potestatem et corpus et animam mittere in gehennam ignis.

Præterea, juxta doctrinam Apostoli, studeamus *Ephes.* III, 17, 18. semper esse radicati in caritate Dei et omnium proximorum, ut salubriter agnoscamus quæ sit caritatis latitudo, sicque non solum amicos, sed et adversarios diligamus corde, ore et opere, sicut in C prima *I Joann.* III, 18. sua epistola scribit Joannes : Diligamus opere et veritate. Agnoscamus quoque quæ sit caritatis longitudo, sicque futuram beatitudinem longanimiter exspectemus, atque pro ejus adeptione, quotidie cum infatigabili diligentia ac fervore virtuosis actibus insistamus. Noscamus etiam quæ sit caritatis sublimitas, sicque per sanctam dilectionem applicemus et uniamus nos Domino Deo, et transformemur in eo, imo et indissolubiliter colligemur eidem, ut cum Apostolo dicere mereamur : D *Rom.* VIII, 35. Quis nos separabit a caritate Dei ? Item sciamus quæ sit caritatis profunditas, quatenus condescendat unusquisque proximo suo, et patientiam mutuo habeamus, juxta *Galat.* VI, 2. illud Apostoli : Alter alterius onera portate; *Ephes.* IV, 2. et rursus, Supportate invicem in caritate.

Amplius etiam contemplemur qualiter Deo ista conveniant, scilicet longitudo, latitudo, sublimitas et profundum. Consideremus ergo immensam communicabilitatem seu munificentiam Dei; et ita cum omni fiducia et perseverantia invocemus eum pro omni gratia desiderata, quemadmodum ad Hebræos habetur : Adeamus *Hebr.* IV, 16. cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus. Unde et Jacobus dicit : Si *Jacob.* I, 5. quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. Qualiter vero sit postulandum, subditur ibi : Postulet in *Ibid.* 6. fide, nihil hæsitans. Nam et Christus in Evangelio protestatur : Omnis qui petit, *Luc.* XI, 10. accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Nonne Deus libenter dat nobis quod petimus, dum id ab eo petimus ad quod postulandum ipsemet nos hortatur, et quod ipse requirit a nobis, hoc est conversationem sibi placentem, ut divina impleamus præcepta, et digne ambulemus *Ephes.* IV, 1. vocatione qua vocati sumus ?

Consideremus etiam longitudinem Dei, id est æternitatem ipsius, et quam pie ac longanimiter nostram emendationem exspectat; et ita grati simus eidem, nec differamus converti ad ipsum, quia ne- *Eccli.* V, 8. scimus *Matth.* XXV, 13. diem nec horam. Et super omnia præcavendum est nobis ne tam benignissimum Deum ac superdulcissimum patrem in aliquo offendamus : hoc namque sincera ad eum requirit dilectio.

Contemplemur quoque sublimitatem Domini Dei nostri, hoc est incomparabilem et immensam dignitatem et eminentiam ejus, cujus comparatione totum universum est quasi arena perminima, imo minus arena; sicque cum omni reverentia ei deserviamus, et ei humillime nos subdamus, scientes quod ejus majestati nil condignum poterimus facere aut offerre, præsertim quum infinita reverentia dignus sit, et in infinitum majori dignus cultu atque honore quam tota Ecclesia militans ac triumphans ei queat impendere. Cur ergo putat se homo aliquid operari in Dei obsequio, quum hoc ipsum quod agit sit donum Dei, cujus dona sunt omnia merita nostra ?

Consideremus demum et profunditatem, A id est incomprehensibilitatem, Dei ac judiciorum ipsius; sicque caveamus a præsumptuosa et periculosa discussione secretorum Dei, quum et Salomon fateatur : *Prov.* xxv, 27. Qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Quomodo enim poterimus Deum et ejus judicia perscrutari, qui nec minima ista inferiora valemus plene cognoscere, quum utique Deus gloriosus ac adorandus sit in infinitum toto incomprehensibilior universo ?

Postremo, consideremus eminentem et B maximam caritatem Christi ad nos, quæ, quanta et qualia pro nobis fecit ac pertulit; sicque juxta apostolicum documentum, *Ephes.* v, 2. ambulemus in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit se ipsum pro nobis. Merito igitur intuitu et amore Christi, fugeremus omne peccatum, omnem superbiam, incontinentiam, avaritiam, rancorem, pigritiam, atque ad observanda ejus mandata fervidi essemus semper ac alacres.

Legitur in sexto libro Vitaspatrum, quod fuit quædam virgo quæ valde profecit in C timore Dei et in omni virtute, cujus parentes fuerunt valde dissimilis vitæ. Nam pater ejus fuit vir timoratus et simplex, pavitque oves suas in agris et pratis; porro mater ejus libidinosa fuit atque adultera, comessationibus et ebrietatibus ac luxuriis vacans quotidie. Post aliquot annos defunctus est pater ejus : quo mortuo, cœpit esse tempestuosa et ineptissima aura, ita quod sepeliri vix potuit. Ex tunc cœpit mater ejus absque freno vitiis gulæ et luxuriæ esse intenta, quia a viro fuerat D liberata. Post aliquantum tempus et ipsa defuncta est : qua mortua, cœpit esse serenissima aura, ac si elementa ejus beatitudini congauderent.

Paulo post cœpit præfata cogitare puella cujus vitam potius sequi deberet, patris sui an matris; atque post longam deliberationem et argumentationem, videbatur ei vita matris suæ potius esse sequenda : præsertim quia in omni vixerat voluptate, et tamen semper sana fuit, ac prospere ei successit; pater vero ipsius quamvis Deo ferventer servivit, tamen semper quasi infirmus fuit, et tribulationes sustinuit. Quumque sic cogitaret puella ista tempore nocturno jacens in lecto, venit in mentis excessum et rapta est in spiritu. Apparuitque ei in visione quidam Sanctus, et terribiliter eam adspiciens, dixit : Cur sic cogitas? Veni, ostendam tibi patrem tuum et matrem, ut scias cujus debeas sequi vitam. Itaque primo duxit eam in deliciosissimum locum, in quo vidit patrem suum. Qui cum gaudio venit ad eam, amplexans ipsam et filiam vocans. Tunc illa rogavit patrem ut maneret cum eo. Cui pater : Modo, inquit, non hic potes manere; sed si vitam meam fueris assecuta, post modicum tempus huc venies et manebis. Deinde Sanctus ille duxit puellam ad locum tenebrosum, omni stridore, fœtore et confusione repletum, in quo vidit fornacem ardentem, et matrem suam ad collum usque in illa demersam. Mater itaque visa filia sua, cœpit ululare, clamare ac dicere : Miserere mei, o filia mea; memento doloris quem sustinui quando te peperi, memor esto lactis quod sumpsisti a me, et omnium obsequiorum quæ tibi exhibui; extende manum tuam et extrahe me, quoniam crucior in hoc igne sulfureo. Ecce pro parvis et brevibus voluptatibus meis quanta jam patior; miserere mei, o filia mea, et noli despicere matrem tuam. Quumque illa hæc diceret, cœpit filia ejus ex compassione ingemiscere, et clamare ac lamentari; protinusque rediit ad se ipsam, et decrevit vitam sui patris sectari, sicut et fecit.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

IBAT JESUS IN CIVITATEM QUÆ VOCATUR NAIM. Luc. VII, 11-16.

HODIERNO in evangelio describit Lucas evangelista, quemadmodum Christus suscitavit a mortuis unicum filium cujusdam viduæ : in quo Salvator mundi, Christus Dominus, potestatem suam ac pietatem monstravit. Itaque ait : *Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim :* quæ fuit civitas parva (ut fertur) in Galilæa. *Et ibant cum illo discipuli ejus,* præsertim Apostoli qui ei familiarius adhærebant, *et turba copiosa* virorum ac mulierum, puerorum ac senum. Nam propter Christi sapientiam, eloquentiam, sanctitatem, et præcipue propter incomparabilem excellentiam suam in operationibus miraculorum, plurimi sequebantur eum, imo frequenter multa millia. *Quum autem appropinquaret portæ civitatis* Naim, *ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ,* id est, corpus defuncti qui fuerat filius unicus matris suæ, portabatur ad monumentum ; *et hæc vidua erat,* ideo magis condolendum fuerat ei, quia tam viri quam unici filii fuit solatio destituta ; *et turba civitatis multa,* id est magna, ibat *cum illa* pro consolatione ipsius.

Quam quum videret Dominus, id est, non solum exterioribus oculis eam inspexisset, sed et interioribus oculis suæ sapientiæ ac misericordiæ, ejus mœrorem pensasset, secundum quod subditur : *misericordia motus super eam,* id est, ei compatiens. Fuit namque in maximo constituta dolore propter mortem unici filii sui. Quemadmodum enim nil carius unico filio, ita dolor de morte illius maximus est. Propter quod Jeremias dicit populo
Jer. VI, 26. cui maxima vastitas imminebat : Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. Secundo, quoniam amor unici filii maximus est præsertim in vidua : quia non habet mariti solatium, ideo dolor viduæ de unici filii morte gravissimus est. Tertio, quoniam vidua est persona miseranda, ut orphanus, ac pupillus, peregrinus quoque, et pauper, et infirmus, atque oppressus. Ideo in Deuteronomio dicitur : Dominus *Deut.* X, 18.
Deus facit judicium pupillo et viduæ, amatque peregrinum ; et in Psalmo : Do- *Ps.* CXLV, 9.
minus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet. Quarto, quoniam filius iste ad adolescentiæ venit ætatem, et aptus jam fuit conjugio. Adolescentiorum autem mors miserabilior est, quia in flore juventutis ac vitæ fuerunt, et cum grandi sollicitudine ac labore parentum ad illam pervenerunt ætatem.

Dixit illi : Noli flere, quia tristitia tua mox convertetur in gaudium, et erit consolatio tua tanto major quanto inopinatior. *Et accessit, et tetigit loculum* in quo jacuit corpus exanime. *Hi autem qui portabant* defunctum, *steterunt,* sperantes defunctum esse jam suscitandum, quia fama miraculorum Christi devenit ad eos. *Et ait : Adolescens, tibi dico, surge,* id est, divina potestate tibi præcipio ut reviviscas, et surgendo ac ambulando signa vitæ veraciter monstres. — Quæri potest, cui Christus dixit hæc verba : nam quando dixit hoc verbum, adolescens adhuc mortuus fuit, ergo non fuit tunc adolescens. Respondetur, quod in Scripturis multoties ponitur pars pro toto, et econverso. Sicque Christus nomine adolescentis intelligere potuit corpus ejus, cui præcepit iterum animari ac suscitari.

Et resedit qui erat mortuus, hoc est, statim revixit, seque erexit, et sedit super id in quo deferebatur, *et cœpit loqui,* in signum quod vere surrexit. *Et dedit illum* A *matri suæ,* id est, assignavit eum suæ genitrici viventem, ut cum eo læta rediret ad domum : quemadmodum Elias suscita- III *Reg.* xvii, 23. to filio viduæ in Sarepta, dixit ad eam, En vivit filius tuus, ut legitur tertio Regum. Denique, sicut alii infirmi a Christo curati, mox plenarie restituti sunt sanitati ac robori naturali, ut patet de paralyticis, *Marc.* ii, 11; *Luc.* v, 24; *Joann.* v, 8. quibus curatis, statim præcepit proprios lectos deferre; sic credo quod adolescens iste resuscitatus, statim sanus et fortis *Deut.* xxxii, 4. processerit. Christi namque opera fuerunt B perfecta. Hinc creditur Christus adolescentem istum, etiam spiritualiter suscitasse, id est a vitiis, si quæ habuit, emundasse.

Accepit autem omnes timor, id est, universos qui viderunt istud prodigium, timor invasit. Iste fuit timor reverentiæ et admirationis, grandem consolationem et jucunditatem habens admixtam, non timor afflictionis ac desolationis. *Et magnificabant Deum,* id est, ex consideratione tam magni et miraculosi effectus, fatebantur Deum esse omnipotentem, ejusque om- C nipotentiam ac pietatem circa homines totis præcordiis collaudabant, *dicentes: Quia,* id est quod, *Propheta magnus,* id est magnæ sanctitatis ac potestatis, *surrexit in nobis,* id est, inter nos apparuit. Quamvis enim nondum explicite crediderint Jesum esse Deum, non tamen dubitabant quin divina virtute fecit hoc signum: ideo Deum principaliter collaudabant, et Jesum tanquam Dei præclarum ministrum, per quem et per cujus merita Deus fecisset tantum miraculum. Insuper per Prophetam magnum, aliqui dicunt eos intellexisse regem Messiam, ita quod viso hoc signo crediderunt Jesum esse Christum in lege promissum, quemadmodum Samaritani de Christo dicentes : Quia hic est vere Pro- *Joann.* vi, 14. pheta qui venturus est in mundum. Potius tamen reor, quod nomen Prophetæ sumpserunt communiter, intendentes quod Jesus esset magnus Propheta, sicut Elias et Eliseus ac alii quidam fuerunt. Unde et alio loco, quum Christus interrogaret Apostolos, Quem dicunt homines esse Filium *Matth.* xvi, 13, 14. hominis? responderunt : Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis.

Postremo, in isto miraculo modus agendi valde præclarus, mirabilis ac magnificus fuit, quod scilicet Christus tam repente ac imperialiter suscitavit hunc mortuum. Non enim Elias aut Eliseus taliter mortuum suscitavit, sed instanter orando, et III *Reg.* xvii, 19-21; IV *Reg.* iv, 33-35. super defunctum procumbendo.

Et quia Deus visitavit plebem suam, hoc est, misericorditer egit nobiscum, hoc est cum populo Judæorum, mittendo eis tam sanctum Prophetam, atque per eum tot et tanta beneficia impendendo eisdem.

SERMO SECUNDUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE TRIUM MORTUORUM QUOS CHRISTUS SUSCITAVIT.

SICUT Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. D Joann. v, 21.

Quum Patris et Filii ac Spiritus Sancti sit una potestas eademque voluntas, sicut et una essentia, constat quod opera eorum ad extra sint indivisa. Idcirco « sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat »: quod idem de Spiritu Sancto credendum est. Nec alios Pater, alios Filius, sed prorsus eosdem quos suscitat atque vivificat Pater, suscitat vivificatque unigenitus Filius ejus, Dominus noster Jesus Christus. Deinceps, sicut duplex est mors, utpote mors naturæ, quæ vocatur A mors corporalis (de qua ait Salvator : *Joann.* xi, 11, 14. Lazarus amicus noster mortuus est), et *Sap.* i, 11. mors culpæ (de qua scriptum est : Os quod mentitur, occidit animam ; de qua etiam *I Tim.* v, 6. ait Apostolus : Vidua quæ in deliciis vivit, vivens mortua est); sic duplex est suscitatio mortuorum : una spiritualis, qua Deus per pietatem et gratiam suam suscitat peccatorem a morte peccati ad vitam gratiæ ac virtutum. De qua suscitatione Paulus *Ephes.* v, 14. hortatur : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis. B Alia est suscitatio corporalis, qua naturaliter mortuus ad vitam reducitur pristinam : *Luc.* vii, 14, 15. de qua in evangelio hodierno fit mentio. Loquendo ergo de hac suscitatione, non legitur Christus nisi tres mortuos *Marc.* v, 38-42. suscitasse, videlicet filiam Jairi archisynagogi duodennem, et filium viduæ hujus, ac *Joann.* xi, 38-44. Lazarum fratrem Mariæ ac Marthæ. An vero plures suscitaverit mortuos, est incertum : non enim omnia Christi miracula sunt descripta, imo non nisi pauca de multis. Unde *Ibid.* xxi, 25. evangelista Joannes ait : Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus ; quæ si scri- C bantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.

Præterea omnia Christi opera atque miracula, mysticam seu spiritualem et occultam habent significationem, suntque plena doctrinis. Spiritualia quoque per corporalia designantur. Hinc per corporalem illam trium mortuorum illorum suscitationem designata est triplex suscitatio spiritualis peccatorum, quos frequenter suscitavit atque quotidie suscitat Domi- D nus. Diligenter ergo considerandi sunt modus et ordo quibus Christus tres illos suscitavit defunctos. Et primo in generali est intuendum, quod duos illorum Christus *Marc.* v, 22, 23. suscitavit rogatus ab aliis, puta puellam *Joann.* xi, 3, 21, 32. ad instantiam patris ejus carnalis, Lazarum vero ob rogatum sororum ipsius ; sed *Luc.* vii, 13. filium viduæ ex propriæ pietatis compassione, sic tamen quod dolor et lacrimæ matris inclinaverunt eum ad filii sui suscitationem.

Per quod primo spiritualiter designatur quod mortuus in anima per mortale peccatum, promereri non potest de condigno gratiam resuscitationis et conversionis. Verumtamen mereri hanc potest aliquo modo de congruo, faciendo quod in se est, utpote disponendo se ad gratiam per considerationem et detestationem vitiorum suorum, per invocationem divini auxilii, per subtractionem sui ab actibus pravis et ab occasionibus eorumdem pro posse, per accessum ad confessionem, in qua sæpe virtute sacramenti de attritione fit contritio ; per opera misericordiæ, per frequentem auditionem Missæ ac divini Officii, per audientiam prædicationum, per meditationes de pœnis inferni, de districtione divini judicii, de gaudiis civium supernorum, de brevitate vitæ præsentis respectu vitæ sequentis duraturæ in sempiternum, per abstinentias, disciplinas, peregrinationes, jejunia, ac consimilia opera, quæ quantum ad substantiam facti, fieri possunt ab exsistentibus in peccato mortali. Idcirco per ista, unusquisque peccator in quantum statui suo possibile est, ad gratiam se disponat. Unde apud Jeremiam loquitur Deus : Quis est iste qui *Jer.* xxx, 21. applicet cor suum ut appropinquet mihi ? tanquam dicat : Qui hoc egerit, inveniet me paratum ad indulgendum atque ad infundendum gratiam. Hinc Jacobus ait : Appropinquate Deo, et appropinquabit vo- *Jacob.* iv, 8. bis. Per Zachariam quoque Dominus exhortatur : Convertimini ad me, et con- *Zach.* i, 3. vertar ad vos ; itemque, Convertimini de *Ibid.* 4. viis (id est operibus) vestris malis, et a cogitationibus vestris pessimis.

Secundo, per istud significatum est quod Deus ex infinita bonitate et misericordia sua, sæpe nonnullis gratiam conversionis largitur precibus ac meritis aliorum. Imo interdum superpiissimus Deus, omnium cordium cognitor, videns quosdam vere devotos et caritativos de aliorum peccatis cordialiter contristari ac lacrimari, propter eorum sanctum dolorem amorosumque luctum, gratiam pœnitentiæ et conversionis infundit iniquis. De talibus enim devotis A *Is.* LXV, 24. et caritativis dixit per Isaiam : Antequam clament, exaudiam eos. Hinc Psalmista : *Ps.* X, 17, sec. Hebr. Desiderium (inquit) pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum, id est dispositionem ad orandum, audivit auris tua. Hinc innotescit quam utile sit orationes petere devotorum : in quibus tamen nullus debet immoderate confidere, ut scilicet audacius peccet, quoniam multi orant pro eo, quia hoc fatuum esset ac pessimum; Deus quoque non semper audit devotos pro aliis.

Marc. V, 22 et seq. Itaque Christus suscitavit in primis filiam archisynagogi in domo ac lecto jacentem, nondum elatam. Per quam designatur unusquisque peccator qui mortuus est solo interiori cordis peccato, puta vitioso affectu et pravitatis consensu, ita quod nondum processit ad opera prava, sed quiescit in lecto, hoc est in propriæ mentis ac malæ conscientiæ turpi nido, similis avibus fœdis quæ proprios nidos commaculant. Talis indiget suscitari a Christo, qui mentem peccatoris misericor- C diter visitando, infundit ei compunctionem displicentiamque culparum suarum : ad quarum considerationem ac detestationem illuminat eam, ita quod advertit ac pensat quam multipliciter atque enormiter Deum offendat, quanta sibi damnatio instet, quanta quotidie negligat bona, et quantam perdat felicitatem in patria.

Luc. VII, 11 et seq. Secundo, Christus suscitavit filium viduæ extra domum et civitatem portatum, loculoque impositum. Per domum intelligi potest familia seu cohabitantium multitu- D do; per civitatem autem, ipsa communitas plebis. Itaque per defunctum istum signatur quicumque peccator non solum intus culpabilis, sed qui in actum peccati mortalis processit in tantum, ut tam condomesticis suis quam communitati pateat ejus peccatum, ita quod plurimos, quantum in se est, scandalizat. Quod prorsus iniquum est et valde damnabile, Augustino dicente : Peccator tantos occidit a quantis male agere scitur aut cernitur. Si enim tam impium atque damnabile est unum scandalizare pusillum, ut dicat Salvator, Qui *Matth.* XVIII, 6. scandalizaverit unum ex his pusillis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris : quam vitiosum et damnabile exstat totam familiam, et præsertim totam communitatem, scandalizare, quum et sancti doctores testentur, Quicumque in conspectu populi male agit, tot occidit coram quot peccat? Denique gravitas hujus scandali tanto est major, quanto B scandalizans amplius obligatur exemplaris exsistere, et quanto majoris est auctoritatis, potestatis, gradus, ordinis sive scientiæ. Certumque est quod sicut prælatus tenetur esse exemplaris plebi sibi commissæ, ita parentes propriæ soboli ac toti familiæ. Rectores quoque communitatis, videlicet officiati, ut scultetus, scabini ac alii, valde tenentur ædificatorii esse ac virtuosi : alias essent indigni ministri ac exsecutores justitiæ, quoniam sancti patres Ambrosius Chrysostomusque testantur, quod indignus est alios judicare, qui in eisdem cum illis aut majoribus seu paribus est peccatis, quum et Apostolus loquatur : In quo alterum judicas, te ipsum *Rom.* II, 1. condemnas; eadem enim agis. Et rursus : Existimas, o homo, qui judicas alios et *Ibid.* 3. talia agis, quia tu effugies judicium Dei?

Insuper per domum intelligi potest proprium corpus, juxta illud Job : Qui habi- *Job* IV, 19. tant domos luteas, consumentur velut a tinea. Unde et Apostolus loquitur : Scimus II *Cor.* V, 1. quoniam si terrestris domus nostra corrumpatur, quod ædificationem habemus in cœlis. Rursus, per domum intelligi potest cor, juxta illud in Ecclesiastico scriptum : Nisi in timore Domini tenueris te *Eccli.* XXVII, 4. instanter, cito subvertetur domus tua, id est cor tuum. Tunc ergo peccator extra domum portatur, dum vitia cordis procedunt in corpus, ita quod membra nostra exhi- *Rom.* VI, 13. bemus arma iniquitatis peccato ; item, dum peccata nostra per corpus patrata inferunt aliis damna, sicut dum verbis aut factis proximos lædimus. Ad quod vitandum hortatur Apostolus ad Romanos, dicens A (*Rom.* xiv, 13, 15.) : Non ponatis offendiculum fratri, vel scandalum ; noli illum perdere pro quo Christus mortuus est. Nempe quam grave sit hoc, pandit alio loco (I *Cor.* viii, 12.) : Peccantes (inquit) in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Verbis ergo et factis, incessu, vestitu et moribus, totaque vita et fama studeat unusquisque proximos ædificare. Maxime quoque cavendum est ne peccator extra civitatem feratur, id est, ne tam publice male agat, quod etiam ad alias terras ac B nationes vitiositatis suæ deveniat fama, sicque innumerabilium hominum culpa redundet in ipsum. Talis namque non est bonus odor Christi in omni loco (II *Cor.* ii, 14, 15.), sed pessimus odor diaboli undequaque.

(*Joann.* xi, 17-44.) Tertio, Christus suscitavit Lazarum jam sepultum, et quatuor dies jam in sepulcro habentem. Per quem intelligitur omnis transgressor qui ad vitiosam consuetudinem venit, et vitiorum voragine pressus est ac induratus in malis, ita quod singulariter fœtet et mole consuetudinis pravæ C jacet opertus (*Ibid.* iii, 20.), ita quod non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. Talis difficulter convertitur, quia ut Salomon contestatur (*Prov.* xviii, 3.), Impius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Tunc enim spiritualem perdidit sensum, et vitiorum veneno totus infectus, stupidus mortuusque effectus est : idcirco ad hoc designandum, Christus Lazarum suscitaturus, in se ipso infremuit, et turbavit se ipsum ac flevit, deinde alta voce clamavit. Verumtamen de tali transgressore desperandum non est, eo D quod Deus sit animarum omnipotens medicus, cujus virtus ac sapientia ad curandum, finem non habet, et non solum nil impossibile, sed et nihil difficile ei est (*Jer.* xxxii, 17, 27; *Luc.* i, 37.). Itaque quocumque modo quis mortuus est per culpam, sive in corde tantum, sive in corde et opere, sive in corde, opere et consuetudine, erigat se contra se, et ad Deum respiret ; consideret ea quæ pertinent ad salutem, et ad Dei gratiam se disponat ; perpendat quam brevis sit præsentis vitæ vanitas et voluptas, quam item amara, intolerabilia et æterna sint inferni tormenta : sicque indesinenter clamet ad Deum, et ejus misericordiam invocare non cesset.

Legitur in vita S. Pacomii, quod juvenis quidam nomine Silvanus, cœnobium S. Pacomii est ingressus, sed ad tempus valde negligenter et perverse vixit in eo, in tantum quod quosdam Fratres suis pravis exemplis traxit ad malum. Ideo seniores Fratres cœnobii illius multoties rogaverunt S. Pacomium ut Silvanum illum expelleret : quod Pacomius facere distulit ; ac Fratrem illum frequenter seorsum pie, seriose ac sapienter corripiens ac informans, indesinenter oravit pro Fratre præfato. Et paulo post, meritis precibusque B. Pacomii, Spiritus Sanctus illum Silvanum tanto implevit Dei timore, et tanto succendit fervore, et tanta compunctione emollivit cor ejus, quod deinceps a lacrimis abstinere non potuit : imo in omni loco et actu jugiter plorans, nec tempore refectionis potuit se a lacrimis cohibere. Propter quod Fratres sæpe rogabant eum ut saltem in mensa cessaret a lacrimis, quoniam multi Fratres visis lacrimationibus ejus, manducare nequibant. Quibus respondit : Conor sicut jubetis a lacrimis temperare, nec possum, quoniam pectus meum tanquam flamma incensum, me non sinit quiescere. Itaque Frater ille emendatus, per omnia magnum ædificationis ac perfectionis exemplum præbuit universis, atque ad tam profundissimam pervenit humilitatem, quod S. Pacomius dixit, nullum Fratrum sic esse suam humilitatem secutum sicut fratrem Silvanum. Sicque Silvanus per octo annos taliter militans Christo, feliciter obdormivit in Domino. De cujus exitu testabatur S. Pacomius, quod multitudo angelorum animam ejus accipiens, eam magna cum lætitia obtulit Christo.

SERMO TERTIUS

DE PORTITORIBUS QUI PECCATORES SPIRITUALITER MORTUOS PORTANT SEPELIENDOS IN INFERNO.

A *MISERICORDIÆ Domini, quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.* Thren. III, 22.

Sanctus propheta Jeremias considerans *Ps.* CII, 10. quod Deus non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, locutus est verba hæc : « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti », id est, divinæ pietati et gratiæ adscribendum est quod non omnino periimus, quod æternaliter condemnati non sumus. Si enim juste nos reliquisset, non solum omni virtute et gratia careremus, B sed insuper innumerabilibus repleti essemus peccatis, aut jamdudum propter ea occisi essemus a Deo, atque damnati. Quandocumque enim quis peccat mortaliter, eodem momento meretur a Deo relinqui, diabolo tradi, corporaliter perimi, æternaliterque damnari. Hoc itaque est immensa misericordia Dei, quod peccator qui eum in tantum offendit, non solum non protinus condemnatur, sed diu portatur, et demum gratiam conversionis ab ipso sortitur. Denique, qualiter id communiter C aut frequenter fiat, ex evangelio perpenditur hodierno. Nam legitur in eodem, *Luc.* VII, 12 et seq. quod dum Jesus propinquaret civitati nomine Naim, defunctus efferebatur, filius unicus viduæ matris : cujus dolori Christus compatiens, consolatus est eam, ejusque filium suscitavit. Conformiter omni die conspiciens Deus peccatores ad infernum deduci, illucque ire, imo et currere, condolet eis, et quibus vult gratiam tribuit conversionis.

Hic considerandum, qui sunt isti qui D peccatorem spiritualiter mortuum portant quotidie ad infernum, ita ut non resipiscat, nec redeat ad cor, nisi a Christo misericorditer adspiciatur, et præveniatur gratia ejus. Primus itaque hic portitor, est amor peccati seu vanitatis ac voluptatis. Quidam enim sic afficiuntur ad hæc, ut sine eis dicant se vivere non valere : quemadmodum quidam libidinosi asserunt se mulieribus carere non posse, et aliqui iracundi ac invidi affirmant se suos adversarios non posse diligere, nec injuriatoribus suis se posse ignoscere; sic et gulosi dicunt se jejunare non posse, quasi Deus impossibilia hominibus præceperit. Quod dicere, blasphemia plenum est. Hos increpat Salomon, dicendo : Usquequo stulti *Prov.* I, 22. ea quæ sibi nociva sunt cupient? Quibus clamat Psalmista : Filii hominum, usquequo *Ps.* IV, 3. gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Isti namque ineffabiliter stulti sunt qui ea amant, exercent, reservant, quæ eis incomparabiliter nocent, puta peccata mortalia : per quæ perdunt omnia gratiarum charismata in præsenti, donaque gloriæ in futuro, imo summum et incommutabile bonum, Dominum Deum, et spiritualiter occiduntur, atque post vitam hanc, ad infernalis miseriæ mortem omni morte amariorem trahuntur. Ideo odiunt semetipsos, quemadmodum scriptum est : Qui diligit iniquitatem, odit *Ps.* X, 6. animam suam. Et certe tales sunt omnes superbi, invidi, avari, lubrici, acediosi, gulosi et iracundi. Propter quod Salomon protestatur : Stultorum infinitus est numerus. *Eccle.* I, 15. Denique isti sunt similes quibusdam infirmis corruptum palatum habentibus, qui ea cupiunt manducare quæ comesta mortem mox inferunt. Cesset igitur unusquisque ab ista stultitia suique ipsius odio, et vere se diligat, illa optando quæ A suæ saluti expediunt.

Secundus portitor, est timor spiritualis laboris, seu exercitii virtuosi, aut pœnitentiæ. Multis namque videtur quod tam durum sit Deo servire, pœnitentiam agere, operibus insistere virtuosis, ab actibus retrahi vitiosis, quod nec volunt nec audent iter virtutum arripere atque condigna pœnitentiæ opera exercere, sed manent in fæcibus, fœditatibus et malitiis suis. Isti *Matth.* xi, 28-30. non credunt Christo qui ait : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, B et ego reficiam vos; tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : jugum enim meum suave est, et onus meum leve. O utinam isti agnoscerent quam vere dulcissimum sit Deo altissimo puro corde servire, tranquilla mente vacare, virtutibus insudare! Et quamvis sæpe sit in principio difficultas, in processu tamen suavitas est; et qui constanter proficere satagit, atque in bonis exercitiis strenue perseverat, consolationes C divinas, cœlestes, internas, frequenter ac copiose experitur, quemadmodum Jeremias *Jer.* vi, 16. asserit : Quærite quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. Hinc apud Isaiam Deus *Is.* lxvi, 13. suis promittit cultoribus : Quemadmodum mater consolatur filios suos, ita et ego II *Cor.* i, 3, 4. consolabor vos. Apostolus quoque ait : Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Subinde, secundum theologos atque philosophos, quælibet virtus habet delectatio- D nem spiritualem ac propriam sibi annexam. Propter quod in Proverbiis scriptum *Prov.* xxi, 15. est : Gaudium est justo facere judicium. Et Aristoteles : Signum (inquit) virtutis est delectatio fiens in opere. Idcirco, dum pervenit homo ad radicationem et exercitationem seu assuefactionem virtutum seu actuum virtuosorum, tunc opera bona sunt sibi delectabilia valde, et quod mundanis carnalibusque hominibus videtur difficile, est ei perfacile ac suave. Ideo dixit Deo Psalmista : Exsultabunt labia mea dum *Ps.* lxx, 23. cantavero tibi, et anima mea quam redemisti. Imo revera impiorum vita multiplici inquietudini, tribulationi, anxietati, dolori, remorsui ac tædio permiscetur, quemadmodum in Sapientiæ libro dicunt, et in die judicii sunt dicturi : Erravimus *Sap.* v, 6, 7. a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis; lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles. Hinc Ecclesiastes ait : Homini bono in *Eccle.* ii, 26. conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam; peccatori autem, afflictionem et curam superfluam. Utinam miseri amatores carnis ac mundi essent ista experti; utinam saperent, et intelligerent, *Deut.* xxxii, 29. ac novissima providerent.

Tertius portitor, est præsentis vitæ prosperitas seu temporalium affluentia rerum, quæ decipit multos, et tanquam tenacissimus viscus detinet eos in vitiis, ita quod ad divina et spiritualia, ad cœlestia et æterna parum aut nil afficiuntur. Ideo in Proverbiis inducitur : Prosperitas stultorum *Prov.* i, 32. perdet eos. Unde, secundum Gregorium, servis Dei prosperitas multo plus quam adversitas est timenda : præsertim quia in temporalibus prosperari, solet esse signum reprobationis ac damnationis futuræ, quia electos suos Deus in sæculo isto arguit et castigat. In adversis ergo potius quam in prosperis est gaudendum, juxta illud Jacobi : Omne gaudium existimate, *Jacob.* i, 2. fratres, quum in varias tentationes incideritis. Hinc ait Salvator : Væ quum benedixerint *Luc.* vi, 26. vobis homines. Imo Psalmista terribiliter loquitur : Deus dissipavit ossa *Ps.* lii, 6. eorum qui hominibus placent ; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Ecce quam periculosa est mundi prosperitas. Qui itaque cupit esse de numero electorum, non recuset exerceri eventibus adversorum.

Quartus portitor, est immoderata confidentia de misericordia Dei, quasi minor sit divina justitia quam misericordia. Illis quippe Deus pronus est misereri qui de pristinis dolent abstinentque peccatis; qui vero peccant in spe, atque ob id audacius contumeliam faciunt Deo, quoniam ipse bonus et pius est, incidunt in divinæ rigorem justitiæ, quum sint ingratissimi Deo et improbissimi coram eo. Hinc scriptum *Eccli.* v, 5-7. est in Ecclesiastico : Non adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas, Miseratio Domini magna est; misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius.

Insuper possunt et portitores alii assignari. Primus est fiducia longioris vitæ. *Matth.* xxv, 13. Contra quam loquitur Christus : Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Et quamvis quis sciret se diu victurum, tamen quanto diutius perseverat, habituatur et assuescit in vitiis, tanto ineptior erit ad resurgendum. Iterum, certum est quod stultum est emendationem et conversionem differre : nam interim homo Deum creatorem suum graviter multipliciterque offendit, tempus infructuose, imo et damnose expendit, multa et maxima negligit bona, et futura sibi auget supplicia; servit diabolo, ingratus est Christo, animam suam quotidie miserabiliter vulnerat, fœdat, occidit, et coram Deo facit odibilem, fœtidam atque turpissimam. Secundus est consideratio culpæ alienæ. Multi quippe dum majores et doctiores vident peccare et gravia scelera perpetrare, peccant audacius; qui tamen et si viderent illos præcipitare, submergere aut jugulare se ipsos, non imitarentur eos in his. Isti quoque *Ibid.* xx, 16; xxii, 14. non pensant quod ait Salvator : Multi sunt vocati, pauci vero electi. Qui ergo non vult cum multis et magnis peccatoribus condemnari, non audeat eos in malis sequi. Hinc in tertia sua Canonica ait Joannes : III *Joann.* 11. Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est semper. Accipe ergo exempla virtutum a bonis, non vitiorum a malis. Tertius est dilatio divini judicii. Ideo Salo- *Eccle.* viii, 11. mon ait : Quia non cito profertur contra malos judicium, absque omni timore filii hominum perpetrant mala. Sed attendamus *Ibid.* ix, 12. quod rursus Salomon loquitur : Nescit A homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo, sic homines capiuntur tempore malo, quum eis extemplo supervenerit. Quartus est adulatio injustorum : quia ut ait Psalmista, Laudatur *Ps.* x, 3, sec. Hebr. peccator in desideriis animæ suæ, et injustus benedicitur.

Insuper per loculum in quo adolescens *Luc.* vii, 12. defunctus ferebatur ad monumentum, intelligendum est corpus in quo anima peccatrix ad infernum deducitur, dum concupiscentiis servit, nec vanitatibus suis B renititur. Sed Christus electis compatiens animabus, accedit, et corpus tangit per infirmitatem et tribulationem multiplicem, ita quod præfati portitores desistunt et stant. Quoniam homo tunc timet se moriturum atque in manus Dei viventis casurum, idcirco exhortationibus acquiescit ac pœnitet, et cum adolescente illo spiritualiter surgit. Porro misericordia Dei, omnium horum bonorum fontalis est causa.

Abjiciamus ergo a nobis universos portitores præfatos, nec permittamus nos per C eos ad infernum deduci, hoc est sic decipi ut in vitiis maneamus emendationemque differamus, et morte jam imminente postulemus pœnitentiæ tempus : quemadmodum accidit cuidam juveni viro, qui fuit in studio socius meus et commensalis ad tempus. Eratque vir corpore valde fortis, sed vagus lascivusque nimis : unde et ab ipso me separavi. Quumque ad tricesimum circiter annum venisset, pestilentia tactus, ad extrema perductus est; et videns mortem jam sibi imminere, lamentabiliter di- D xit : Heu! nunc venit mors quando inciperem primo aliquid agere boni. Quibus dictis, protinus exspiravit. Denique, eodem anno quo Ordinem ingressus sum, vidi in villa magna, in die dedicationis, presbyterum juvenem ultra modum vagum ac lubricum, qui habuit super caput suum pileum stramineum ita pennis pavonum in altum erectis opertum, ut vix stramen videretur in eo : qui eodem anno defunctus est.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE TRIBULATIONIS UTILITATE ; ET QUOMODO CHRISTUS IN CORDE ET CORPORE PORTANDUS SIT.

F*LECTO genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Ephes. III, 14.

Hortatur sanctus Apostolus in præsenti epistola, ne quis tam pusillus et imperfectus exsistat, ut ex consideratione tribulationum, persecutionum et adversitatum quas viri virtuosi sustinent in vita præsenti, pusillanimis fiat aut retrahatur a bonis : sicut quidam nondum satis illuminati, dum justos et studiosos ac sapientes conspiciunt in hac vita tribulationibus exerceri, terrentur atque a bono deficiunt inchoato, quasi inane sit Deo servire aut sapientiæ operam dare, quum hi qui devotionis ac sapientiæ studio magis insistunt, et zelo Dei atque justitiæ amplius inardescunt, multoties præ ceteris a ceteris irrideantur ac molestentur. Imo quidam defectuosiores, instar squamarum sibi cohærent ad persequendum eum in quo forte aliquid specialis gratiæ videtur lucere, in tantum quod quidam simpliciores Fratres Fratrem talia patientem quodammodo miserum reputent, et ejus vestigia sequi non audeant, ne et eis contingant similia. Sed isti sunt valde imperfecti, sicut et illi persecutores sunt valde maligni. Nonne Deus electos suos in vita hac per adversa et aspera purgat, exercet ac perficit, et per talia disponit eos quotidie ad perfectiora gratiæ dona beatitudinemque majorem, facitque eos expertos et exercitatos in via virtutum, atque a multis vitiis retrahit eos, et a purgatorii pœnis salubri compendio eos præservat? Ecce quanta est A tribulationum utilitas, quanta electio ac beatitudo æquanimiter sustinentium eas. Hinc electissimi Dei gravissima in hoc mundo pertulerunt adversa. Quemadmodum ergo beatificamus patres et sanctos dudum defunctos qui in sæculo isto passi sunt gravia ; sic et homines devotos quos nunc infirmitatibus corporis, tentationibus dæmonum, persecutionibus iniquorum, increpationibus et correctionibus superiorum suorum exerceri conspicimus, beatificemus in cordibus nostris, eosque tanto B arbitremur feliciores, quanto omnia illa abundantius ac æquanimius patiuntur, quum et Christus in Evangelio protestetur : Beati estis quum maledixerint vobis homines, etc. *Matth.* v, 11. Jacobus quoque apostolus : Omne (inquit) gaudium æstimate, quum in diversas tentationes incideritis. *Jacob.* I, 2. Porro impios quos prosperari et deliciari videmus, miseros arbitremur, et pro ipsis Dominum deprecemur.

Ephes. III, 15. Insuper gloriosus Apostolus dicit omnem paternitatem in cœlo et in terra a C Patre æterno nominari ac derivari, ita quod nomen et ratio paternitatis primo, principalissime ac verissime Deo Patri conveniunt, quamvis per modum eminentiorem quam comprehendere valeamus. Ipse enim est prima omnis fecunditatis et communicabilitatis origo, omnis causalitatis et paternitatis principium, qui se ipsum intuendo et intelligendo, sui ipsius conceptum et verbum æternaliter in se profert ac gignit. Quod verbum est unicus Filius ejus, ei non solum similis in natura, sed et A consubstantialis eidem, videlicet Patri, et unum cum ipso in essentia, sicut in Evangelio loquitur : Ego et Pater unum sumus. *Joann.* x, 30.

Quemadmodum ergo beatus Apostolus *Ephes.* iii, 14 et seq. flexis genibus Deum Patrem oravit pro Ephesiis quibus hæc scripsit, ut ipse Deus Pater secundum divitias gloriæ suæ, corroboraret corda eorum per Spiritum Sanctum, ita ut Christus per fidem habitaret in eis, radicatique essent in caritate ; ita et nos devotissime Deum Patrem oremus, quatenus corda nostra ex se ipsis semper B fragilia atque in omne peccatum proclivia, dignetur secundum infinitam opulentiam et munificentiam ac omnipotentiam suam, gratiosissime confirmare et omni die in se ipso fortius consolidare, ne in peccata ruamus, sed Christo per fidem formatam habitante in nobis, in omni caritate et perfectione stabiliamur, omnem quoque tentationum impulsum, et omnem passionum ventum ac impetum velociter exsufflemus, simusque similes viro sapienti *Matth.* vii, 24. qui ædificavit domum suam supra petram. C Ædificemus ergo habitaculum nostri cordis supra Christum, in ejus humilitate, patientia, paupertate, obedientia, caritate cor nostrum et omnem vitam nostram fundantes, præfatas Salvatoris virtutes strenue imitantes, ut non habeamus ad aliquid passionem, id est, ad nihil vitiose afficiamur.

Quod quid sit, et a quo fiat, et qualiter fieri debeat, pandit Climacus, dicens : In veritate Dominum nostrum Jesum Christum diligens, et ipsum in corde suo ac D corpore portans, in corde per fidem, in corpore per ipsius castigationem et quotidianam crucifixionem, in veritate futurum regnum adipisci inquirens ac studens, in veritate dolorem de suis peccatis et offensionibus habens, in veritate memoriam tormentorum inferni possidens, et rigorem æterni judicii pensans, in veritate memoriam et timorem exitus sui assumens, non ulterius amabit, neque curabit, neque sollicitus erit de pecuniis, nec de possessionibus, nec de parentibus, nec de gloria vitæ præsentis, non de amicis, aut fratribus, aut quocumque terreno; sed omnem suam habitudinem et affectionem, omnem ad aliquid passionem, omnem de his sollicitudinem odiens atque excutiens, et proprium corpus refrenans, nudus et sine sollicitudine terrena, et absque pigritia, Christum sequetur, in cœlum semper adspiciet, et inde auxilium implorabit, secundum sanctum David qui dixit, Adhæsit *Ps.* lxii, 9. anima mea post te, et Jeremiam dicentem, Ego non laboravi te sequens, et diem *Jer.* xvii, 16. hominis non concupivi, tu scis. Confusio maxima est post vocationem ad quam vocavit nos Deus, et non homo, nos qui omnia exteriora reliquimus, de aliquo curare et sollicitari non valente nobis in die mortis nostræ prodesse. Nempe istud dixit Dominus Jesus Christus, converti re- *Luc.* ix, 62. trorsum et respicere retro, nec aptum inveniri ad regnum cœlorum. Dominus Christus sciens cordis nostri lubricam fragilitatem ad affectiones mundanas, et quomodo monachi sæcularibus participantes seu communicantes seque commiscentes, faciliter convertantur rursus in mundum, dicenti sibi, Dimitte me primum ire et *Ibid.* 59, 60; *Matth.* viii, 21, 22. sepelire patrem meum, respondit : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Hæc in sententia Climacus.

Sed circa præallegatum Jeremiæ verbum utiliter quæritur, quid sit concupiscere diem hominis. Respondetur, quod diem hominis concupiscere, est ea desiderare quæ homines mundani et carnales in diebus suis in sæculo isto affectant, appretiantur et amplectuntur, videlicet divitias, delicias et honores, vanitates et insanias falsas, jocari, ridere, in concupiscentiis et carnalitatibus tempus expendere, quemadmodum ad Jerusalem dixit Salvator : Et quidem in hac die tua, quæ ad *Luc.* xix, 42. pacem tibi. Qui ergo Dei intuitu et amore hæc omnia aspernatur, diem hominis non concupiscit. Nec solum ea non desiderare debemus, sed etiam fastidire, et tanquam tormenta vitare ac fugere, ut sic mundus crucifixus sit nobis, et nos mundo. Qui *Galat.* vi, 14. talis est, cum Apostolo dicere habet : Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Postremo certissimum est quod quanto cordialius Deum diligimus, et Christum in nostris circumferimus cordibus, atque novissima nostra præmeditamur, tanto intensius ac intimius omnia illa despicimus ac fastidimus mundana, nec aliquid honoris aut excellentiæ, aut pristinæ libertatis seu egressionis de cœnobii monumento appetimus, imo ineffabiliter abhorremus : quemadmodum sancti viri internæ exercitationis suavitatem experti ac desuper illustrati, scientes prælationis pericula et spiritualium A exercitiorum atque profectuum impedimenta ex occupatione externa et discursu per loca diversa provenientia, vehementissime prælationes atque officia, et eductionem de cellulis suis ac claustris, detestabantur ac fugiebant. Discamus ergo et assuescamus in solo summo omnipotentique Deo cor nostrum defigere, omnia ejus desideria adunare, omnes intentiones rectificare, actionesque universas et cogitationes simplificare, ut in cordis latitudine, puritate et devotione dulciter, amorose et B familiariter ambulemus in eo, et cum eo, et coram eo. Habitemus quoque in ipso, et ipse in nobis, et immobilitemur in ipso, in ejus amore semper crescentes. Ad laudem, etc.

SERMO QUINTUS

MEMORIA MORTIS QUÆ GIGNAT BONA ; ET DE PURGATORII POENIS.

M*ISERICORDIA motus Jesus, dixit : Adolescens, tibi dico, surge.* Luc. vii, 13, 14.

Sicut in evangelio legitur hodierno, benignissimus Filius Dei compatiens vehe- *Luc.* vii, 12 et seq. mentissimo mœrori matris viduæ unici filii sui mortem deflentis, etiam non rogatus consolatus est eam : primo verbis, Noli (inquiens) flere ; deinde exhibitione miraculi, filium ejus suscitando a morte solo imperio potestatis suæ divinæ. Suscitavit autem Christus Dominus et alios *Marc.* v, 38-42 : *Joann.* xi, 38-44. duos, videlicet filiam archisynagogi ac Lazarum. Quid vero spiritualiter per horum trium mortuorum suscitationem designetur, in præmissis est expressum sermonibus. Illis ergo omissis, nunc quod inspiraverit Spiritus veritatis, dicetur.

Quemadmodum ergo adolescentem illum corporaliter mortuum, quum duceretur ad tumulum, Christus corporaliter suscitavit, sic usque in præsens multos C quotidie per intentam mortis meditationem suscitat a morte peccati. Eos quoque qui vivunt per gratiam, et in spirituali profectu sunt constituti, Spiritus Sanctus per profundam mortis corporalis meditationem suscitat aut præservat ab omni torpore pigritiæ et negligentia animæ, facitque eos ad labores ac alia quæque exercitia virtuosa paratos. De hoc sic loquitur Climacus : Memoria mortis his qui sunt in monasterio gignit labores, dolores et exercitationes, videlicet quia ad illa D inducit eos ; magis vero beatæ ignominiæ delectationem, id est injuriam, ignominiam, aspernationem, facit delectabiliter sustinere, quatenus talia propter Deum et sua peccata libentissime tolerando, mereantur apud Deum misericordiam invenire in mortis suæ articulo. Porro in solitariis habet hæc meditatio mortis alios quosdam salubres effectus, sicut Climacus ait : Apud eos qui solitarii sunt, gignit depositionem turbationis ac tumultus curarum, indesinentem orationem et mentis custodiam. Denique, Cassiano testante, ad omnium vitiorum, præsertim superbiæ, exstirpationem, atque ad omnis boni executionem, ad omnem spiritualem profectum valde præcipue confert cordialis ac frequens meditatio mortis. Cujus quamvis certa hora ignoretur, tamen certissime scitur quod ad eam incessabiliter unusquisque propinquet mortalium, quod item celeriter veniet. Et istud intelligendum est in quantum mors non solum consideratur ut mors, et ut finis vitæ præsentis ac quædam acutissima pœna, sed etiam ut porta ad aliam vitam perpetuam, sive in summa miseria, sive in gloria maxima, et item ut quidam ingressus ad districtum ac supermetuendissimum Dei judicium. Hinc Augustinus et alii multi Sancti affirmant : Nihil sic revocat a peccato, ut frequens mortis meditatio.

Et merito unusquisque diem et horam suæ mortis expavescere debet. Primo, quo-
Eccle. IX, 1. niam nescit an amore an odio dignus sit, potissimum vero ignorat an tunc amore an odio dignus invenietur. Secundo, quia in hora mortis, homines a dæmonibus tentantur gravissime. Tertio, quoniam post mortem non est pœnitentiæ locus, sed in quali mentis dispositione, videlicet conversione seu aversione, quis moritur, in ea æternaliter est mansurus. Vehementissime ergo formidare debemus ne tunc a Deo mereamur relinqui : ideo interim laudabiliter conversari non differamus, quia ut Augustinus loquitur, Non potest male mori qui usque ad mortis horam vixerit bene, et bene vix moritur qui male vixit. Quarto, quia post mortem mox restat particulare judicium morientis districtum ac metuendum. Quinto, quia quum paucissimi evolent, ad minus purgatorii pœna post mortem etiam bonis pene universis adultis infligitur. Quæ pœna mirabiliter est molesta, et omnem quam sancti martyres passi sunt pœnam, excedit; estque amarior indesinenter quam pœna quam
A tolerat moriens in ipso mortis articulo, quando cor frangitur, quæ pœna indicibiliter gravis et magna est. Si ergo tam intense formidaremus per unam horam jacere nunc in medio fornacis ardentis, mirum quod non timemus per multos dies aut etiam annos post vitam hanc purgatorii ferre supplicia. Merito ergo dixit S. Hieronymus : Qui se quotidie recordatur moriturum, contemnit præsentia et ad futura festinat. Sanctus quoque Gregorius ait : Ad hoc Conditor noster latere nos
B voluit diem nostræ mortis, ut dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur, et tanto unusquisque sit ferventior in operatione, quanto incertior est de suæ vocationis hora ac die. Mors ergo sit semper suspecta, ut dum eam providere non possumus, ad ipsam sine intermissione nos præparemus. Insuper, omni excussa mentis ignavia, quidquid boni valemus, infatigabiliter ac ardentissime in vera discretione agamus, non solum propter evadenda prætacta pericula, sed ideo quoque, quia quum
C brevis sit vita præsens et mors jugiter appropinquet, statim et indilate post mortem sortiemur certissime inæstimabilem illam beatitudinem sempiternam, si interim sancte et fructuose vixerimus, et pro quotidianis culpis quotidie plene satisfecerimus. In ipso quoque agone, qui sancte interim vivit, securior erit, et consolationem desuper obtinebit majorem.

Deinceps, quamvis timor mortis sit homini naturalis, tamen ut Climacus profitetur, tremor mortis, videlicet intensa et
D immoderata ejus formido, est non actæ de offensionibus pœnitentiæ argumentum. Unde ut scribit Hieronymus : Quum beatissimus pater Mutius vidisset quemdam ex suis discipulis in extremis laborantem, et metu mortis graviter concuti, dixit ad eum : Cur imparatus es, fili, ad profectionem ? Accusatrix, ut video, ignaviæ tuæ, tecum pergit conscientia tua. Quumque S. Mutium rogaret discipulus, Obsecro, Pater, intercede pro me, ut modicum temporis spatium Dominus mihi largiri

dignetur, quo possim me emendare; A respondit Mutius : Modo tempus pœnitendi requiris ? Quid faciebas in omni tempore vitæ tuæ ? Post hæc Mutius impetravit ei quod petiit. Verumtamen agnoscendum, quod etiam dispensatione divina interdum contingit ut et sancti viri in extremis multum formident, sicut de S. Arsenio legitur, qui morti proximus dixit discipulis suis : Timor mortis qui semper fuit in me, etiam modo in me est. Unde Gregorius : Sanctorum (inquit) animæ a levibus quibusque contagiis ipso sæpe mortis B pavore purgantur, atque æternæ retributionis gaudia post ipsam a carne resolutionem suscipiunt; plerumque vero contemplationis internæ dulcedine, etiam dum mortis debitum solvunt, hilarescunt, et antequam carne exuantur, quadam lætitia perfruuntur.

Refert Climacus, quod fuit solitarius quidam in eremo Choreb habitans, in omni negligentia vivens, et nullam suæ animæ curam gerens. Qui tandem extreme ægrotans, quasi unius horæ spatio perfecte C migravit a corpore. Qui rediens ad se ipsum, rogavit omnes qui aderant, inter quos fuit et Climacus, confestim recedere. Ipse vero ostium suæ cellulæ obstruens, intus clausus annis duodecim mansit, cum nullo colloquium habens, nec parvum nec magnum, nil præter panem et aquam gustans. Jugiter sedens, et ad ea quæ vidit in ecstasi stupens, sic mœrens intendebat, ut nunquam proprium morem seu apparatum mutaverit. Attentus considerans excessumque patiens, calidas lacrimas sine strepitu semper fundebat. Quum autem migraturus esset ad Dominum, ostium destruentes introierunt ad eum Climacus et alii Fratres, et eum valde rogantes, hoc solum audierunt ab eo : Indulgete mihi; nemo memoriam mortis habens ac noscens, potest peccare. Quumque sepultus fuisset, requirentes Fratres ejus reliquias sanctas, eas non invenerunt, Deo eos certificante per hoc de studiosa et sancta pœnitentia viri illius.

Itaque his exemplis discamus omnem levitatem, pigritiam negligentiamque vitare, et juxta nostræ exigentiam vocationis, *Ephes.* iv, 1. juxta debitum nostræ professionis digne Deo jugiter ambulare, in sanctitate et justitia Altissimo deservire, in linguæ et sensuum ac ventris refrenatione, in cordis custodia, in mentis munditia perseverare ac crescere, sicque nos ad mortem indesinenter parare, ipsam affectualiter omni hora præmeditando cum beato abbate Arsenio, de quo Theophilus archiepiscopus moriens dixit : Beatus es, abba Arseni, quia hanc, scilicet horam mortis, semper præ oculis habuisti. Sic ergo agamus ad gloriam et honorem Altissimi. Amen.

SERMO SEXTUS

DE UTILISSIMA MORTIS MEMORIA, ET PRÆPARATIONE AD EAMDEM.

P*ROPHETA magnus surrexit in nobis.* D Luc. vii, 16.

Hæc sunt verba turbæ quæ viso miraculo resuscitationis adolescentis defuncti, timore reverentiæ ac admirationis repleta, Deum magnificavit, et de Christo asseruit : « Propheta magnus surrexit in nobis ». Christus enim secundum naturam humanam, etiam gratia prophetiæ fuit plenissime decoratus, et de secretis Dei, de futuris eventibus, de magnis mysteriis copiose erudivit per se ipsum suos discipulos, potissimum in sermone quem post *Joann.* xiii-xvii. Cœnam fecit ad eos. Sed quia discipuli tunc adhuc rudes fuerunt, nec ea quæ dicebantur a Christo capere erant idonei, ipse Dominus Jesus Christus post suam resurrectionem et ascensionem in cœlum, *Act.* II, 3, 4. misit illis Spiritum Sanctum, qui ipsos de universis instruxit, quemadmodum in sermone præfato ipsis promisit, dicendo : *Joann.* XVI, 13. Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ; et rursus, *Ibid.* XV, 26; XIV, 26. Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille vos omnia docebit, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Christus ergo fuit summus sapientissimusque propheta, ut etiam adversarius nostræ legis, miserrimus Mahometus, in suo Alcorano testatur, quem et de virgine natum fatetur, verbumque Dei et spiritum ac nuntium Altissimi nominat.

I Cor. I, 24. Hic itaque Christus, virtus et sapientia Dei Patris, verbo et sui ipsius exemplo docuit nos cuncta terrena despicere, carnalia et caduca relinquere, æterna et cœlestia jugiter affectare, atque ad mortem *Matth.* XXIV, 42. nos indesinenter parare : Vigilate, inquiens, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit; et item, *Ibid.* XXV, 13. Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Unde et Marcus eum dixisse scribit : *Marc.* XIII, 35, 36, 33. Vigilate (nescitis enim quando Dominus veniet : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne, quum venerit repente, inveniat vos dormientes ; videte, vigilate et orate. Porro magna pars præparationis ad mortem, est frequens et cordialis, affectiva atque profunda meditatio mortis, qua homo se cogitat celeriter moriturum, et in ipsa mortis hora puncturas et angustias mortis amarissimas acutissimasque passurum, ab invisibilibus hostibus circumvallandum et dire tentandum, divini quoque judicii consistorio præsentandum, et de minutissimis etiam culpis tam commissionis quam omissionis dijudicandum ac puniendum, pro quibus interim non satisfecit plenarie. Itaque talis meditatio mortis saluberrima est et sapientia magna, quoniam revocat hominem a peccatis, et de præteritis vitiis parit contritionem, compunctionem, et terrenorum despectum inducit, facitque hominem custoditum, timoratum ac fructuosum in omnibus.

Denique ad hoc ipsum allegant summi Doctores et sancti Patres etiam Platonem philosophum. Ait namque Hieronymus : Platonis sententia est, omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. Debemus ergo et nos præmeditari quid aliquando simus futuri : et quod, velimus nolimus, longe abesse non potest. Ambrosius quoque disseruit : Secundum Platonem, summa philosophia est meditatio mortis assidua. Sed et Climacus aliquid inde tangit, dicendo : Mirum certe quomodo et Græci tale aliquid sunt effati, quia philosophiam esse dicunt mortis meditationem. Verum ut hæc evidentius innotescant, diffusius introducam ac commemorabo quid de hac re dixerit et in scriptis reliquerit Plato, ut etiam ex gentilium philosophorum doctrinis confundatur pigritia, negligentia, insipientia et carnalitas nostra. Itaque in Phædone sic loquitur Plato : Vir in philosophia ducens vitam, confidit quum mori debeat, maximis fruitum ire bonis. Revera philosophantes morti se parant. Mors aliud non est nisi animæ corporisque divisio. Non est philosophi studere circa voluptates escarum et potuum ac venereorum. Ridiculum est virum omni vita præparantem se ad mortem, adveniente ea, moleste ferre eamdem. Si quem videas graviter ferre quum debeat mori, nullo modo erat philosophus. Hæc Plato. Nomine autem philosophi intelligit amatorem sapientiæ. Præterea advertendum, quod in eodem libro multum seriose, pulchre, subtiliter et profunde loquitur Plato contra voluptates carnales, contra avaritiam, contra curiositates ac cetera vitia, et de contemplatione ac retributione quæ fit post vitam præsentem. Consuevit autem Plato libros suos nominibus intitulare discipulorum suorum, quorum intuitu edidit libros. Habuit vero discipulum nomine Phædonem, qui primo fuit servus quorumdam qui pravissima lucri cupiditate inducti, A prostituerunt Phædonem, quia adolescens erat pulcherrimus. Quem Plato bonæ indolis esse considerans, redemit pecunia de turpitudine tanta, et philosophiæ eum applicuit, ejusque nomine præallegatum composuit librum, quatenus ipsum Phædonem ab omni carnalium voluptatum amore prorsus averteret, et amore sapientiæ inflammaret.

Præterea ad habendam salubrem mortis memoriam, expedit quod in Horologio æternæ sapientiæ dicitur, commemorare. B Ibi enim pro excitanda devotione, similitudinarie inducitur quidam speciosus juvenis morte præventus sic loqui et exclamare : *Ps.* xvii, 5, 6. Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me. Heu me, Deus æterne, ad quid in hunc mundum sum natus ? O mors, quam amara est memoria tua cordi jucundo in deliciis enutrito, quam horribilis est ei præsentia tua ! O quam parum credidissem quod tam cito mori debuissem ! Sed nunc, o mors, repente quasi ex insidiis C erumpens, super me irruisti, et mille funibus me ligasti, et tecum me trahis. Nunc præ dolore complosis manibus rugitum emitto, cupiens mortem evadere, et non est locus effugiendi. O quanta bona in tanto tempore sano corpore facere potui, et non feci ! Quam immensas spirituales divitias congregare potui, et neglexi ! En cruentæ bestiæ, larvales dæmonum facies, nigerrimi æthiopes innumerabiles circumdant me, insidiantes et exspectantes miseram animam meam in proximo exituram, D ut eis torquenda tradatur. O districtissime Judex, quam districtissima sunt judicia tua, quam multum ponderas, judicando me miserum, ea quæ nulla aut minima reputantur ! En sudor mortis adest, membra penetrans et victam jam esse naturam contestans. O terribilis adspectus justi Judicis mihi jam præsentis per timorem, subito venturi per exhibitionem ! Nunc valete, o socii et amici carissimi, quia hinc nunc exiturus, oculum mentis ad aliam et ignotam regionem converto, et ad purgatorium quo deducendus exsisto, inde *Matth.* v, 26. non exiturus nisi minimum quadrantem reddidero. Ibi oculo cordis intueor miseriam et dolorem, pœnam et afflictionem multiplicem ; video ibi exsurgere flammas ignium, atque involvere et reimpingere animas miserorum, quæ tanquam scintillæ in medio ignis hinc inde jactantur. Multa in libro illo de ista scribuntur materia, ad devotionem excitandam proficua.

Idcirco hæc diligentissime præmeditemur ac salubriter imaginemur, quatenus omnia vana et frivola nobis omnino vertantur in nauseam, solisque spiritualibus exercitiis ac virtuosis laboribus delectemur, et quolibet die sic conversemur quasi morituri de sero. Nempe, ut beatissimus pater Macarius dixit, Monachus semper sic vivere debet quasi centum annis victurus, et quasi eodem die quo vivit moriturus, ut scilicet cum vera discretione sanctis exercitiis ferventissime et incessanter insistat, quatenus fervor et discretio se invicem ornent, informent, regant et actuent. Denique hoc ipsum et Seneca tetigisse videtur : Nemo, inquiens, scit quam prope terminus suus versetur. Sic itaque faciamus animum, quasi ad extrema jam ventum sit. Venientem nemo hilaris suscipit mortem, nisi qui se ad illam composuerit diu. Omnis dies velut ultimus ordinandus est, quia de felicitate hominis dies ejus ultimus judicat. Hinc ait et Climacus : Non est præsentem diem pie transire et exsequi, id est, diem hodiernum non possumus pie et fructuose expendere, nisi eum extremum et ultimum totius vitæ nostræ existimemus. Et denuo ait : Non sufficit hominibus dies, ut possint suum debitum Deo solvere absque diminutione et defectu. Quemadmodum omnibus alimentis magis necessarius est panis, ita præ ceteris bonis operationibus, intenta meditatio Dei ac mortis. Postremo, scire mori, non aliud est quam ad mortem semper esse paratum, secundum quod ait quidam devotus : Scire mori, est animam et cor semper ad divina habere erecta, ut quandocumque mors venerit, paratum inveniat hominem, ut absque omni retractione eam quasi amicam suscipiat.

Discutiamus ergo quotidie conscientias nostras, et quidquid parit remorsum, vera contritione, integra confessione, digna satisfactione mox deleamus ac evitemus; horam mortis semper præ oculis habeamus, atque quotidie in sanctis operibus magis ac magis abundare conemur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis. Amen.

DOMINICA XVII POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

OBSECRO VOS, EGO VINCTUS IN DOMINO. Ephes. IV, 1-6.

HORTATUR Apostolus in præsenti epistola omnes Christifideles, ut juxta A evangelicæ legis exigentiam conversentur, dicendo : *Obsecro vos, ego* Paulus *vinctus in Domino,* id est propter Deum et fidei prædicationem incarceratus (fuit enim Apostolus Romæ incarceratus atque ligatus, quando hæc scripsit Ephesiis), *ut digne ambuletis,* quotidie in virtutibus proficiendo, quia in via Dei non procedere, est retroire : « digne », inquam, *vocatione qua vocati estis* ad evangelicam legem christianamque fidem et religionem, Deo intus B agente et per inspirationem internam vocante, meque Dei apostolo foris per prædicationem meam vocante : hoc est, sic vivite ut Christi lex jubet.

Cum omni, id est perfecta, *humilitate;* vel, « cum omni humilitate » tam interiori quam exteriori, *et mansuetudine,* quæ est virtus moralis iram refrenans. Hoc est *Matth.* XI, 29. quod docuit ac præcepit Salvator : Discite (inquiens) a me, quia mitis sum et humilis corde. Quo patet quod hæ duæ virtutes ad omnem Christianum præcipue perti- C nent. *Cum patientia,* quæ passionem tristitiæ moderatur. *Supportantes invicem,* ita ut unus defectum alterius patienter sustineat, unusque alteri in omnibus pro *Galat.* VI, 2. posse opem impendat, juxta illud : Alter alterius onera portate; *in caritate,* id est sincero affectu, non simulatione aut pro commodo temporali; *solliciti servare unitatem spiritus,* id est diligentes ac studiosi ad conservandum spiritualem unionem conformitatemque animarum, ut per caritatem habeatis cor unum et animam *Act.* IV, 32. unam : unde ait Salvator, Pater sancte, *Joann.* XVII, 11. serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos; *in vinculo pacis,* id est animi tranquillitate, quæ est spirituale vinculum unitatis præfatæ, quoniam nutrit eam atque conservat. Nam sicut per discordiam homines ab invicem dividuntur, ita per pacem spiritualiter colligantur.

Unum corpus Christi mysticum estis, quia uno Spiritu, utpote paracleto Spiritu Sancto, spiritualiter vivificamini per caritatem et gratiam. Quemadmodum enim multa membra sunt unum corpus naturale, organicum, in quantum ab una anima informantur; sic multi fideles sunt unum mysticum corpus, secundum quod ab uno Spiritu Sancto spiritualiter vivificantur, et item in quantum in uno capite, scilicet Christo, connectuntur, a quo influentiam sortiuntur, videlicet vitam gratiæ et motum virtutum. *Et unus spiritus* estis cum Deo, ei fideliter adhærendo, quemadmodum alibi dicit Apostolus : Qui adhæret I *Cor.* VI, 17. Deo, unus spiritus est. Vel, « unus spiritus » cum spiritu proximi estis, concordando cum eo in bonis. Vel, omnes estis « unus spiritus », non per essentiam, sed per caritatis adunationem, quemadmodum per Jeremiam loquitur Deus : Dabo eis *Jer.* XXXII, 39. cor unum et animam unam. *Sicut vocati* *estis in una spe,* id est ad eamdem beatitudinem A, *vocationis vestræ,* id est ad quam vestra ordinatur vocatio.

Deinde subditur ratio cur conservanda sit unitas ista : nam, *Unus Dominus,* scilicet Deus Trinitas. De quo in libro Esther *Esther* xiii, 9. legitur : Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita. *Una fides,* id est, omnium Christianorum est una et eadem fides in specie, puta ex parte objecti, quod est veritas prima; sed ex parte subjectorum fides numeraliter multiplicatur. Quamvis enim multa sint credibilia et B multi articuli fidei, una tamen est formalis et propria ratio objectalis cui fides innititur, et propter quam omnia illa creduntur, utpote veritas increata : quemadmodum etiam una est caritas qua Deus proximusque diligitur, quoniam Deus est causa formalisque ratio diligendi proximum. *Unum* est *Baptisma* in specie, quia materia una est, utpote aqua, et una est forma ipsius, videlicet forma verborum. Dicitur quoque « unum Baptisma », quoniam iterari non potest, estque ejusdem C valoris a quocumque ministretur, quoniam non consistit in merito dantis seu exterius baptizantis, sed in virtute et merito dominicæ passionis, seu Christi intus lavantis. *Unus Deus et Pater omnium,* id est Deus Trinitas : qui Deus omnium appellatur ratione creationis; Paterque omnium, ratione benignæ gubernationis atque paternæ provisionis. Cui Isaias dicit : Pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. *Is.* lxiv, 8. *Qui est super omnes,* id est, infinita excellentia universos transcendit : juxta illud in Psalmo, Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos; *Ps.* xcvi, 9. *et per omnia,* id est, sua immensitate omnia continet, implet et penetrat : quemadmodum per Jeremiam contestatur, Numquid non cœlum et terram ego impleo? *Jer.* xxiii, 24. *et in omnibus nobis* est, quia in Christifidelibus est per fidem, caritatem et gratiam. Nam et ipsi sunt templum Dei, dicente Apostolo : Templum Dei sanctum est, quod estis vos. I *Cor.* iii, 17.

SERMO PRIMUS

DE PERFECTIONE VITÆ CHRISTIANORUM, ET QUOMODO DIGNE AMBULARE IN VOCATIONE SUA DEBEANT.

DIGNE ambuletis vocatione qua vocati estis. Ephes. iv, 1.

In his verbis compendiosissime docet Apostolus qualis esse debeat omnium Christifidelium vita, ut scilicet conversentur juxta Christi doctrinam, præcepta et opera, quia ut ait Salvator, Cui plus datum est, plus requiretur ab eo. *Luc.* xii, 48. Qui ergo ad christianæ religionis ac evangelicæ legis notitiam est vocatus atque perductus, ita quod Christianus effectus est, tenetur Deo gratus esse de beneficio tanto, ita quod Deus requiret ab eo conversationem tam gratiosæ ac sublimi vocationi correspondentem, D consonam seu conformem. Tenetur itaque quilibet Christianus evangelicæ legis præcepta servare, primo unum Deum colendo. Primo autem et maxime colitur Deus per fidem, spem et caritatem, ut scilicet in ipsum indubitanter credamus, in eo firmiter confidamus, et eum ferventer jugiterque amemus. Isti sunt actus interiores quibus colitur Deus.

Denique, sicut lex Christi est maxime alta, spiritualis atque perfecta, sic Christianorum vita debet esse præ ceterarum gentium conversatione sublimis, id est in A omni virtute excellens, et spiritualis per terrenarum et carnalium rerum contemptum, perfecta quoque per ferventem Dei amorem divinorumque contemplationem.

Christiani itaque debent præcipue esse casti ac sobrii, divino amore succensi, et salutaribus meditationibus ac sanctis contemplationibus occupati. Hinc ad Philippenses scribit Apostolus : *Philipp.* II, 14-16. Omnia facite sine murmurationibus, ut sitis sine querela, simplices filii Dei, in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucetis sicut B luminaria mundi, verbum vitæ continentes. Unde prima Petri omnibus dicitur *I Petr.* II, 12. Christianis : Conversationem vestram inter gentes habete bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. Ex quibus auctoritatibus elucescit, quam alta et in omni virtute sublimis ac irreprehensibilis debet esse Christifidelium vita.

Insuper, quod debeat esse spiritualis per omnium terrenarum atque carnalium C rerum contemptum, constat ex verbis Christi dicentis : *Matth.* V, 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo; *Luc.* XII, 15; *Matth.* XIX, 24. et rursus, Cavete ab omni cupiditate, quia possibilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Ad idem pertinet quod iterum ait : *Luc.* VI, 24, 25. Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram ; væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Itemque : *Ibid.* XXI, 34. Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hujus D sæculi. Hinc iterum docet : *Matth.* VI, 34, 19. Nolite solliciti esse in crastinum, et nolite thesaurizare super terram. In quibus omnibus jubet carnalia et terrena contemni, nisi in quantum necessaria aut utilia sunt pro conservatione propriæ vitæ aut speciei. Idcirco ait princeps Apostolorum : *I Petr.* II, 11. Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.

Postremo, quod vita Christianorum debeat esse perfecta per divinæ dilectionis ardorem, testatur Christus quum ait : *Matth.* XXII, 37-39; *Marc.* XII, 29-31. Primum mandatum est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quamvis autem præceptum hoc etiam in veteri datum fuerit Testamento, *Deut.* VI, 5. Christus tamen docet perfectiorem et expeditiorem modum implendi illud, quam docebatur in veteri lege.

Præterea, quum Apostolus in præsenti epistola dixisset in generali, « *Ephes.* IV, 1. Digne ambuletis vocatione qua vocati estis », protinus quasi exprimens quid sit hoc et qualiter fieri debeat, subdidit, *Ibid.* 2. Cum omni humilitate : primo, quia humilitas est omnium fundamentum virtutum ; secundo, quoniam Christus verbo et opere potissimum docuit humilitatem ; tertio, quia ut ait Gregorius, sicut superbia signum est reproborum, ita humilitas signum est electorum. Unde quemadmodum Augustinus distinguit filios Dei a servis diaboli, per hoc quod in filiis Dei, qui sunt cives supernæ Jerusalem, regnat ac prævalet amor Dei crescens usque ad contemptum sui, in servis vero diaboli, qui cives sunt Babylonis, regnat improbus amor sui crescens usque ad contemptum Dei (nam facit hominem præcepta Dei negligere, voluntatemque propriam voluntati Dei præponere); ita Gregorius inter istos distinguit per humilitatem atque superbiam, quia per humilitatem fit homo filius Dei, per superbiam servus filiusque diaboli.

Præterea, valde pensandum est quod ait Apostolus, Cum omni humilitate, quia ad vere Christianum non solum pertinet atque requiritur humilitas cordis, verum etiam humilitas oris, ut vitet verba jactantiæ, præsumptionis et animositatis, ne quis laudet se ipsum, juxta illud in Proverbiis: *Prov.* XXVII, 2. Laudet te alienus, et non os tuum ; extraneus, et non labia tua. Item humilitas operis, juxta illud Ecclesiastici : *Eccli.* X, 29. Noli te extollere in faciendo opere tuo. Idcirco in opere curiositas singularitasque vitandæ A sunt. Requiritur quoque humilitas in vestitu, quia ut sancti Patres testantur, si vir aut mulier ornaverit se, et suo ornatu adspectum hominum in se provocaverit, etiam si nullum malum inde sequatur, tamen æternum supplicium patietur, quoniam quantum in se fuit, propinavit venenum, si fuisset qui biberet. Unde certissime potest concludi, quod uti vestitu ornato ad libidinem provocativo, sit mortale peccatum. Item humilitas in incessu omnique apparatu, quoniam per Isaiam loquitur Do- B *Is.* III, 16, 17. minus : Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt collo erecto, et gradu composito incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, etc. Ideo de se ipso testatur Hieronymus : Ab adolescentia mea nihil sic didici evitare sicut tumido corde et erecto collo incedere. Per Sophoniam quoque Dominus comminatur: *Soph.* I, 9. Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur. In Ecclesiastico quoque ait Scri- *Eccli.* XI, 4. ptura : In vestitu ne glorieris unquam.

Ephes. IV, 2. Secundo adjecit Apostolus, Et mansuetu- C dine. Nempe post humilitatem, præsertim spectat ad unumquemque Christifidelem mansuetudo, per quam fit Deo proximisque amabilis, et in mutua conversatione tolerabilis ac suavis. Propter hoc in Eccle- *Eccli.* III, 19. siastico dicitur : Fili, in mansuetudine opera tua fac, et super omnem hominum gloriam diligeris. Mansuetudo quoque est signum sapientiæ, sicut ira est signum *Jacob.* III, 13. stultitiæ. Propter quod Jacobus ait : Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat operationem suam in mansuetudine D sapientiæ. Denique qui vere est humilis, non facile propter injuriam sibi illatam irascitur, nec inordinatam appetit ultionem : sicque ex humilitate mansuetudo causatur.

Ephes. IV, 2. Tertio addit Apostolus, Cum patientia, quia hæc virtus valde necessaria est omni fideli in vita præsenti, quæ adversitatibus plena est. Ideo ne quis propter adversa immoderate tristetur ac perturbetur, pa- *Luc.* XXI, 19. tientia indiget. De qua ait Salvator : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quod si in patientia nostra nostras animas possidemus, constat quod per impatientiam eas amittimus, quia ut Salomon loquitur, qui impatiens est, stultitiam operatur. *Prov.* XIV, 17. At vero qui humilis vere consistit, adversitatibus, tribulationibus, confusionibus ob sua peccata dignum se reputat : idcirco dum sibi contingunt, non contristatur, imo potius gaudet in eis. Sicque ex humilitate patientia generatur.

Quarto addit Apostolus, ut nos invicem *Ephes.* IV, 2. caritative et pie sustineamus ac supportemus, quemadmodum in nostris defectibus a Deo misericorditer tolerari optamus. Quilibet enim proprios habet defectus, et indiget a proximis supportari atque a Deo misericorditer adspici. Unde qui contra proximos propter eorum defectuositates facile indignatur, cito amaricatur, eosque despicit et supportare renuit, quid aliud promeretur, nisi ut Deus eum juste despiciat, rigoroseque judicet, et ejus peccata graviter ulciscatur, ut impleatur in eo quod ait Salvator, Eadem mensura qua *Matth.* VII, 2. mensi fueritis, remetietur vobis?

Postremo saluberrimam Apostolus dat doctrinam, ut simus solliciti servare uni- *Ephes.* IV, 3. tatem spiritus in vinculo pacis. Unusquisque ergo summe provideat, curet, conetur ne sua singularitate, impatientia, turbulentia, inordinatione aut quacumque perversitate alios turbet dissentientesve faciat, et ne ipse ab aliis per mentis discordiam separetur, sed caritatem, pacem, conformitatem laudabilem totis viribus foveat et conservet cum his inter quos conversatur. Hoc enim angelicum est, quia in angelis inviolabilis est dilectio, pax atque conformitas sancta : unde unitatem spiritus solvere et vinculum pacis dirumpere, diabolicum rite censetur. Idcirco de talibus turbatoribus, inquietis, perversis, ait in sua Canonica Judas apostolus : Hi sunt queru- *Judæ* 16. losi, murmuratores, secundum desideria sua ambulantes; itemque, Hi (inquit) sunt *Ibid.* 19. qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.

Præterea præinductum documentum Apostoli, quo hortatur ut digne ambulemus vocatione qua vocati sumus, non solum est intelligendum modo prætacto, ut scilicet juxta communia evangelicæ legis ambulemus præcepta, ad quorum observantiam universi tenentur, verum etiam ut unusquisque ea adimpleat ad quæ ratione specialis status seu gradus vel ordinis obligatur : ut scilicet religiosi seu monachi juxta suarum regularum vivant tenorem, canonici quoque juxta decreta summorum Pontificum eis præfixa, similiter sacerdotes secundum statuta eis præcepta, conjugati etiam prout ad eorum pertinet statum, quatenus vir debito modo se habeat ad suam uxorem, et econverso, et parentes ad sobolem suam, et econverso, unusquisque quoque ad suos superiores, et econverso. Quæ omnia adimplere, est de necessitate salutis, et magna indiget gratia, magna custodia præcipuoque conatu. Propter quod *Matth.* VII, 14. verissime testatus est Christus : Arcta est via quæ ducit ad vitam; *Ibid.* XI, 12. itemque, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud; II *Tim.* II, 5. atque Apostolus : Non coronatur nisi qui legitime certaverit. Agamus ergo viriliter, et juxta præsentis epistolæ sacratissima documenta, studeat unusquisque digne sua vocatione coram Altissimo ambulare, præsertim quia ingratum est Spiritui Sancto quidquid ei obtulerimus, neglecto eo ad quod tenemur.

Præterea, quum juxta præscripta, tam virtuosa, pia, simplex et humilis debeat Christianorum vita exsistere, nonne hinc vehementissime est dolendum ac flendum, quod populus christianus in omni statu jam ad tantam devenit ruinam, ad tam intimoratam scandalosamque vitam? Ecce enim quanta est eorum vanitas, curiositas, pompa et novitas in vestitu, quanta incustodia in loquendo, quanta superfluitas in cibo et potu, quanta acedia ad divina, quam facile mutuo irascuntur, contendunt ac pugnant. Nullus vult aliquid pati a proximo, vixque a superioribus suis corripi volunt ac corrigi, et alia innumerabilia et A graviora his scelera vigent in eis. O quam pauci incedunt per arctam viam salutis! Ideo S. Brigitta in Revelationibus suis, et alii quidam Sancti, fatentur et scribunt quod sicut cadit nix super terram, sic animæ corruunt in infernum.

Legitur in secundo libro Machabæorum, II *Mach.* IX, 4 et seq. quod quum Antiochus rex sederet in curru, et currum agitari præciperet, quia contra Judæos fuit inflammatus, voluitque eos omnino destruere, Deus plagavit eum, ita quod cadens de curru, gravissime læsus B est. Insuper dolore incurabili viscerum Deus eum percussit, in tantum quod vermes de ejus corpore scaturiebant, et fœtor tam ingens, quod proprium ferre nequivit fœtorem. Tunc Antiochus vexatione instructus, rediit ad se ipsum, et dixit : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Deinde oravit Deum, et multa bona se promisit facturum, ac honoraturum Judæos et templum, universaque loca sacra se visitaturum, Judæum quoque se esse futurum : et C tamen, sicut præfato scriptum est loco, misericordiam non est consecutus a Deo. Cujus causam assignant doctores, quoniam tota ejus pœnitentia, oratio atque promissio ex servili venit timore, non ex zelo justitiæ, neque ex Dei amore. Ex quo plane exemplo datur intelligi quam periculosum sit pœnitentiam usque ad agonem differre, et item quod plurimi videntur tunc pœnitere, et tamen non prodest eis ad veram salutem, quoniam ex servili pœnitent et confitentur timore. Verumtamen desperatio D nulli est persuadenda. Sed idcirco hæc recito, ut certiorem securioremque viam eligat unusquisque, atque dum sanus et potens ac juvenis est, pœnitere ac Deo servire non negligat qui ad senium et languorem nondum devenit. Porro qui distulit usque ad senium et languorem, doleat se distulisse tamdiu, et invocet misericordiam Dei immensam, ut veræ pœnitentiæ gratiam sibi dignetur infundere, nec se æternaliter permittat perire. Ad laudem et gloriam nominis sui piissimi.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM INTRARET JESUS IN DOMUM CUJUSDAM PRINCIPIS PHARISÆORUM SABBATO MANDUCARE PANEM, ETC. Luc. XIV, 1-11.

LUCAS evangelista in evangelio hodierno A describit qualiter Christus curavit hydropicum, quomodo etiam confutavit adversariorum suorum errorem, et qualiter humilitatem docuit esse servandam. Itaque ait : *Quum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum,* invitatus ab illo, *sabbato,* qui fuit dies celebris apud Judæos, quemadmodum apud nos dies dominica, *manducare panem,* id est cibum. Per panem etenim in Scripturis intelligitur quilibet cibus, sicut per aquam quilibet potus : ut constat ex eo quod in B libris Regum Eliseus regi Israel dixit de Syris : Pone panem et aquam coram eis. IV *Reg.* vi, 22. Et subditur ibi : Apposita est eis ciborum magna præparatio. *Ibid.* 23. *Et ipsi,* scilicet Pharisæi, *observabant eum,* qualiter possent eum reprehendere in verbis aut factis, præsertim an aliquid faceret contra sabbati celebritatem. Christus namque, secundum Bernardum, in factis suis passus est observatores, in verbis contradictores, in tormentis illusores. Denique Pharisæi avidissimi erant laudis humanæ, et a Judæis C reputari consueverunt præ ceteris religiosi et boni : ideo Christo maxime invidebant, quia sapientia, sanctitate, miraculis, eloquentia et fama ipsos transcendit, et præ eis honorabatur a populo. Itaque Pharisæos nunc multi sequuntur ficte devoti et false justi, qui præ ceteris cupiunt honorari, promoveri, et sapientes virtuosique reputari : idcirco invident his quos cernunt se doctiores, prudentiores ac meliores, et eos observant, ut eorum famam valeant denigrare. Contra quos in libro Sapientiæ D scriptum est : Cum tabescente invidia non communicabo. *Sap.* vi, 25.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, id est, hydropicus iste venit ad Jesum ut sanaretur ab eo. Porro ab ὕδωρ, quod est aqua, dicitur hydropisis : quæ est morbus aquosus, ex vesicæ vitio natus, cum inflatione turgente atque fœtente anhelitu. De spirituali autem significatione hydropici in sermone dicetur.

Et respondens Jesus, non ad verba, sed ad insidiosas cogitationes Pharisæorum, quas intuebatur, *dixit ad legisperitos,* id est Scribas seu doctores Judæorum, *et Pharisæos : Si licet sabbato curare,* a corporali infirmitate supernaturaliter et miraculose? Non ex ignorantia hoc petivit, sed ut illorum errorem corrigeret. Taliter quippe curare, est opus divinum, pium et caritativum, ad Dei honorem, laudem ac dilectionem inflammans, ad divinæ quoque omnipotentiæ contemplationem inducens, non a vacatione Dei, ad quam sabbati celebritas ordinabatur, impediens. *At illi tacuerunt:* quia subtilitatem ac sapientiam Christi sciebant, ideo metuebant confutari ab eo quidquid responderent. *Ipse vero apprehensum sanavit eum,* id est, Jesus hydropicum illum manu accipiens, supernaturaliter et miraculose curavit eumdem, imperialiter et repente, *ac dimisit* abire, ut expedite velociterque eundo, ostenderet se vere esse curatum, atque ad Dei laudem alios provocaret.

Et respondens Jesus ad cogitationes Pharisæorum ac legisperitorum, qui viso hoc signo, cœperunt cogitare et intra se judicare quod Jesus sabbatum violasset curando hydropicum. In quo apparet magna illorum perversitas, quod viso tanto prodigio non fuerunt ædificati; magna quoque cæcitas eorumdem, quod cogitabant et judicabant tam fatue. *Ad illos dixit : Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati?* quasi dicat : Si licet brutis die sabbati cum grandi labore succurrere, cur non potius licet homini ægro sanitatem supernaturaliter dare die sabbati, præsertim quum istud fiat tam absque labore, imo facillime? *Et non poterant ad hæc respondere illi,* videlicet Christo. Sed viderunt se esse convictos ab eo, secretaque cordium suorum inspecta et redarguta esse ab ipso : quod fuit magis mirabile ac divinum quam hydropici corporalis curatio, quem tamen etiam spiritualiter curavit (id est a peccatis mundavit) Salvator.

Confutatis ergo adversariis veritatis, et corporali hydropisi in uno curata, convertit se Christus ad spiritualis curationem hydropisis, utpote superbiæ et ambitionis, qua laborabant legisperiti ac Pharisæi, et nunc usque plurimi sunt infecti. *Dicebat autem et ad invitatos parabolam,* id est sermonem aliquid mystice significantem, quia per corporalia ista, innuebat spiritualia documenta; *intendens,* id est, considerans vel intelligi dans, *quomodo primos accubitus eligerent,* id est, ad altiora loca in mensis adspirarent, aviditate honoris, vel propter fercula lautiora quæ altius sedentibus proponuntur; *dicens ad illos : Quum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco,* id est, te ipsum vane non ingeras ad sedendum in loco superiori, *ne forte honoratior te sit invitatus,* etc. Sensus superficialiter litteralis difficultatem non habet; sed magister humilitatis hoc exemplo, hacque rationabili persuasione, intendit nos informare, ut semper, quantum in nobis est, humiliemus et parvi faciamus nos ipsos, ne quis ultra propriam mensuram se erigat, imo potius inferioribus arbitremur nos viliores. Denique, quando per Christi ministros, id est prælatos ac prædicatores, invitamur ad nuptias spirituales, hoc est ad unionem mentis cum Deo, ad refectionem et delectationem internam in eo, non debemus in primo loco discumbere, id est aliis nos præferre, neque de meritis nostris præsumere, ne reprobemur a Christo.

Sed quum vocatus fueris ad nuptias sive convivium, *vade, recumbe in novissimo loco,* id est, quantum in te est, locum elige inferiorem; *ut quum venerit qui te invitavit, dicat tibi,* admonitione seu supplicatione honoraria (sufficit enim monitio apud discretos) : *Amice, ascende superius.* Sicque per humilitatem honor acquiritur, sicut subjungitur : *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus :* juxta illud Job, Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. *Job* xxii, 29. Huic morali doctrinæ Christi consonat quod in Proverbiis Salomon ait : Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris; melius est ut dicatur tibi, Ascende huc, quam ut humilieris coram principe. *Prov.* xxv, 6, 7. Dicit quoque Basilius : Occupare ultimum locum in conviviis, juxta mandatum Christi, conveniens est ; sed rursus in hunc contentiose se ponere, vituperabile est, tanquam destructivum ordinis et causativum tumultus, et de hoc mota contentio comparabit nos litigantibus de primatu. Quapropter, sicut docet hic Christus, expedit accubitus ordinem committere facienti convivium. Sic enim in patientia nos mutuo sustinebimus, honeste et secundum ordinem omnia prosequentes.

Quia omnis qui se exaltat per superbiam, *humiliabitur* humiliatione justæ ultionis, id est, reprobabitur, deprimetur ac punietur tanto confusibilius atque pœnalius, tam in particulari suo judicio quam in judicio generali, quanto nunc magis se erigit, nisi vere pœniteat seque in vita hac sponte humiliet. *Et qui se humiliat,* id est, propriam defectuositatem et culpam pensando, dejicit et prosternit se ipsum coram Altissimo, atque in exterioribus humilitatem vere ostendit in verbo et facto, *exaltabitur :* quia in hac vita magna a Deo accipiet dona gratiæ ac virtutum, in futuro quoque sublimis erit in

Jacob. iv, 6. gloria cœlestique patria. Deus namque superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hinc in Numeris Moyses loquitur : Num. xv, 30, 31. Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Dominum rebellis A fuit, peribit de populo suo : verbum enim Dei contempsit. Ecclesiasticus quoque dicit : Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam ab humilibus honoratur. Eccli. iii, 20, 21.

SERMO SECUNDUS

DE SEPTEM HYDROPICORUM PROPRIETATIBUS, PER QUAS SEPTEM MORTALIA PECCATA DESIGNARI POSSUNT.

D*UO mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Jer. ii, 13.

Hæc sunt verba Dei, in quibus ad litteram conqueritur de indurato populo Judæorum, quod duo commiserunt peccata, loquendo in generali : innumerabilia namque commiserunt peccata in speciali. Primum est, quod corda sua averterunt a summo et infinito ac invariabili bono, videlicet Deo, qui est fons aquæ vivæ, id est origo salutaris doctrinæ, juxta illud Ecclesiastici : Eccli. i, 1. Omnis sapientia a Domino Deo est; itemque, Ibid. 5. Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis. Secundum malum est, quod Deo relicto converterunt se ad pseudoprophetas, ad falsos doctores, ad idolorum culturam seu gentium deos, qui vocantur Jer. ii, 13. dissipatæ seu perforatæ et fractæ cisternæ quæ aquas nequeunt continere. Cisternæ namque seu putei sunt quasi vasa aquarum; quæ cisternæ si fuerint dissipatæ, aquas continere non valent. Per cisternas itaque intelliguntur homines seu corda humana, quæ esse debent vasa sapientiæ et scientiæ, gratiæ ac virtutum ; si autem fuerint corda hæc per concupiscentiarum et vitiorum pravitatem corrupta, continere nequeunt sapientiam salutarem, gratiam Sap. i, 4. et virtutes, juxta illud libri Sapientiæ : In malevolam animam non introibit sapientia. Unde in Ecclesiastico asseritur : Eccli. xxi, 17. Cor B fatui quasi vas confractum, omnem sapientiam non tenebit. Falsi ergo doctores, et fabulatores vani ac impii, atque simplicium seductores, vocantur dissipatæ cisternæ. Conqueritur itaque Deus de perversis Judæis, quod ejus doctrinam et sanctos Prophetas dereliquerunt, et pseudoprophetas, mendaces magistros, garrulos seductores exquisierunt ac susceperunt.

Deinde hoc ipsum conqueritur modo Christus de populo christiano, quod ipsum dereliquerunt, qui est via, veritas et vita, Joann. xiv, 6. C fons totius sapientiæ atque scientiæ, nec ejus servant doctrinam. Imo ut in libro Judicum fertur de filiis Israel, quod audientes Judic. ii, 17. præcepta Dei, omnia fecere contraria, ita jam populus christianus, quantumcumque ei prædicetur de Christi doctrinis atque præceptis, totum agit contrarium. Insuper fodit sibi « cisternas dissipatas », hoc est, prælatos et prædicatores exquirit a quibus non multum corripiatur nec castigetur, sed ea audiat quæ amplius placent. Sicque impletum est nunc quod ad Timo- D theum prædixit Apostolus : II Tim. iv, 3. Erit tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus. Isti sunt duri et incorrigibiles, qui si veraciter corripiantur justeque corrigantur, protinus indignantur, resistunt et obloquuntur. De quibus in Isaia legitur : Is. xxx, 10. Dicunt adspicientibus. Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis A errores. Tales sunt omnes qui in suis permanent culpis mortalibus, qui spiritualiter fiunt et exstant hydropici. Ex quo enim aquam sapientiæ salutaris, hoc est fluenta sanæ doctrinæ, repellunt a se, cordaque sua carnali implent prudentia, mendacibus documentis, cogitationibus vanis, curiosisque fabulis, et superstitiosis scientiis; pessimas in se congregant ac continent aquas, et recte hydropici nominantur, atque per istum (de quo in evangelio hodierno fit sermo) hydropicum de- B signantur; indigentque curari a Christo, nec curari queunt ab alio.

Præterea septem sunt proprietates hydropici, per quas septem peccata mortalia designantur. Prima est tumor corporis ac membrorum, præcipue ventris. Sicque per hydropicum designantur superbi, quia superbia est quidam animi tumor, erectio *Job* xv, 13. sive elatio (juxta illud Job : Quid tumet contra Deum spiritus tuus?), quemadmodum econtrario humilitas est quædam inclinatio ac depressio mentis, et resilitio C ejus in propriam parvitatem. Hinc sicut aqua colligi nequit in monte sive monticulo, sed in concavo loco, ita dona cœlestium gratiarum recipi ac servari non valent in corde superbo, sed humili. Itaque si a Deo appetis misericorditer adspici, gratiose visitari, beatitudinem adipisci, aufer a corde tuo tumorem superbiæ; propriamque vilitatem, impietatem, defectuositatem atque ad omne peccatum proclivitatem perpendens, despice et inclina te *Eccli.* vii, 19. ipsum (juxta illud Ecclesiastici : Humilia D valde spiritum tuum, quoniam vindicta impii, ignis et vermis) : alioqui deprimeris a Deo, et usque ad profunda laci infernalis dejicieris. Siquidem proprium est Deo justo ac omnipotenti superbos prosternere, prout in Ecclesiastico æterna Sa- *Ibid.* xxiv, 11. pientia protestatur : Omnium superborum et sublimium colla propria virtute calcavi. Unde ad sanctum Job Dominus dixit : *Job* xl, 4, 6, 8. Si habes brachium ut Deus, et si simili voce tonas, disperge omnes superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia, demerge eos in foveam. Abhorreamus ergo maledictum semen superbiæ, ex quo omnia vitia oriuntur, et cum beato David rege dicamus, Ego sum vir *I Reg.* xviii, 23. pauper et tenuis; atque cum Jeremia, Ego *Thren.* iii, 1. vir videns paupertatem meam. Specialiter autem superbia in pauperibus vituperabilis intolerabilisque censetur. Propter quod sapiens ait Ecclesiasticus : Tres species *Eccli.* xxv, 3, 4. odivit anima mea : pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum.

Secunda proprietas hydropici est compressio spirituum, per quam designatur invidia. Invidi quippe aliorum bona opera pro posse abscondunt; et si bona sint manifesta, quantum possunt ea denigrant, detrahendo atque in pejus ea interpretando. Idcirco invidia est detestabile et ineffabiliter vile ac grave peccatum, tam naturali quam divinæ legi prorsus contrarium. Invidus quoque eo ipso quo alteri invidet, parvum, vilem ac defectuosum se esse ostendit : quoniam bonum quod invidet alteri, fatetur sibi deesse, sicque inferiorem se efficit eo cujus invidet bono. Propter quod fertur in Job : Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. *Job* v, 2. Quocirca scribit Gregorius : Invidere non possumus nisi his quos nobis in aliquo meliores putamus. Parvulus ergo est qui livore occiditur, quoniam ipse sibi testimonium perhibet quod eo minor sit cujus torquetur invidia. Abjiciamus ergo hoc infernale venenum sanctæ caritati omnino contrarium, quod non animam tantum, sed corpus quoque occidit, Salomone dicente : Putredo ossium, invidia. *Prov.* xiv, 30. Porro ad invidiam specialiter proni sunt melancholici et pusillanimes : idcirco incumbit eis contra invidiam singulariter præliari, dando se ad caritatem sinceram ac spiritualem lætitiam.

Tertia proprietas hydropici est ardor sitis. Sicque per eum designantur avari, qui quanto plura acquirunt, tanto plura desiderant, et semper sunt pauperes, quia se reputant indigentes. Ideo loquitur Augustinus : Avarus similis est inferno. Infernus enim quantoscumque absorbet, nunquam dicit, Sufficit; sic nec avarus, quantumcumque acquirit. Gregorius quoque fatetur : Omnis avarus ex potu sitim multiplicat, quia dum ea quæ appetit adeptus fuerit, ad adipiscenda alia amplius anhelat. Denique quidam hac siti ita insaniunt, ut etiam aliorum bona optare non vereantur, aut per fraudem occulte, vel per violentiam manifeste rapere moliantur : quibus damnatio imminet sempiterna nimis gravissima. Avaris ergo timendum est vehementer quod Deus loquitur per *Is.* v, 8. Isaiam : Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis; numquid habitabitis vos soli in terra? Disce ergo, o Christiane, spiritualia gratiæ dona appetere, summum et incomparabile bonum, Dominum Deum creatorem tuum diligere, æternam desiderare salutem : sicque despicies ista terrena, quæ ab illorum amore atque adeptione bonorum impediunt, *Matth.* vi, 24. quoniam Christo testante, nemo potest Deo servire ac mammonæ.

Quarta proprietas, indigestio est humorum : sicque per hydropicum designantur iracundi. Ira namque est velut fumus et vapor incensus, mentem offuscans, turbans et inquietans, per quem fit homo similis fatuo et insano. Per iram quoque societas aggravatur, concordia dissipatur, imo et Spiritus Sanctus repellitur. Ideo in *Prov.* xviii, 14. Proverbiis habetur : Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?

Quinta proprietas est tarditas pedum ad incedendum. Sicque per hydropicum designantur acediosi, qui nec summi boni accenduntur amore, nec divinæ majestatis reverentia provocantur ad agendum viriliter, nec quanta beatitudo ac merces sit ferventibus Dei ministris præparata, perpendunt, sed ad bene agendum tædio afficiuntur tartareo, neque in spiritualibus delectantur. Considerate ergo, o acediosi, quam ferventer diligendus sit Deus, quam reverenter ac prompte obsequendum sit ei, quam copiosissimus remunerator opeA rum sit bonorum, quanta beneficia incessabiliter largiatur hominibus. Considera demum quam indesinenter et clare ipse te et omnia intueatur, quantum ipsam acediam detestetur, quantam damnationem acediosis infliget. Siquidem in Apocalypsi ait: Quia tepidus es, incipiam te evomere de *Apoc.* iii, 16. ore meo; quasi dicat, Nauseam habeo de te.

Sexta, est genitalium inflatio, per quam luxuria designatur. Est quoque proprietas hydropici, fœtor anhelitus, per quem aptius significatur luxuria, in qua est maxima B turpitudo et bestialitas fœda ac inhonestas erubescenda. Quod si ita est, quam turpes, vitiosi ac fœtidi sunt coram altissimo atque sanctissimo Deo, qui non solum una ac simplici fornicatione se maculant, sed et adulterio et consuetudinali luxuriatione absque freno se polluunt? His præparatus est ardor gehennalis incendii et fœtor ineffabilis infernalis ergastuli, juxta illud Apocalypsis : Pars illorum erit in stagno *Ibid.* xxi, 8. ardenti igne et sulfure. Unde et in Psalmo : Ignis, sulfur et spiritus procellarum, *Ps.* x, 7. C pars calicis (id est pœnæ) eorum. Quod si totum hoc est pars pœnæ illorum, qualis et quanta est tota eorum pœna? Væ infelicissimis ac deflendis hominibus qui quidquid eis prædicetur, in suis manent spurcitiis, nec intolerabiles pœnarum sibi imminentium acerbitates considerant. Præterea, per prætactam genitalium inflationem potest intelligi gula, quæ luxuriæ præbet materiam et corporis inflammationi deservit. Quæ prorsus vitanda est tanquam vere peccatum mortale, ad quam D multa et magna peccata sequuntur; quæ et rationem obtenebrat, corpus lædit ac indisponit, et vitam non parum abbreviat.

Itaque quacumque spirituali hydropisi jam prætacta infectus quis fuerit, festinet ire ad Christum, coram ipso prosternat se, indulgentiam gratiamque conversionis et emendationis in omnibus deprecetur, recogitet sua peccata et confiteri acceleret, ac juxta præhabita instituat ac gubernet se ipsum.

Legitur de quadam devota matrona, cujus vir miles fuit, et fidem violans conjugalem frequenter, atque post bellica exercitia balneis et luxuriis vacans. Quo mortuo, uxor ipsius instanter Deum rogavit ut mariti sui statum sibi ostendere dignaretur. Cujus precibus annuit Deus. Nam rapta in spiritu, ducta est in visione ad inferos, viditque ibi animam viri sui in quodam calidissimo sulfureo balneo balneari. Deinde audivit dæmones dicentes : A Præparemus ei lectum mollissimum et pulchram puellam. Statimque vidit virum suum poni super ferreum lectum et totaliter inflammatum, et juxta eum infernalem bufonem. Qui quum apprehenderet et amplecteretur virum illum, sustinuit inæstimabilissimam pœnam. Qua visione conspecta, intellexit devota illa matrona in quantis suppliciis esset vir ejus : ideo ipsa de cetero ad virtuosiorem vitam se dedit.

SERMO TERTIUS

DE VARIIS VIRTUTIBUS QUIBUS COELESTIBUS NUPTIIS DISPONUNTUR FIDELES.

B*EATUS homo qui invenit sapientiam.* Prov. III, 13.

Doctrina sacræ Scripturæ merito sapientia appellatur, nam docet Deum cognoscere et ea quæ ad salutem sunt necessaria scire. Hanc sapientiam debent Christiani singulariter adamare, non solum ut sciant, sed ut juxta Christi præcepta sive consilia vivant, sicque in divinæ bonitatis amore, in divinæ æquitatis timore, in divinæ majestatis veneratione crescant quotidie.

Denique, quamvis verba aliqua Evangelii interdum videantur esse non multum C sententiosa, si tamen diligenter considerentur, spiritualibus sensibus salutaribusque doctrinis sunt plena. Itaque in evangelio hodierno multipliciter edocemur : Primo, quanta sit fragilitas, imo et malitiositas cordis humani. Ecce legisperiti ac Pharisæi, non obstante quod Christus tam innumerabilia ac præclarissima fecit miracula, etiam totam creatæ naturæ facultatem transcendentia, solique Deo possibilia, quod tanta sanctitate, sapientia et eloquentia fulsit, quod cuncta terrena contempsit, D nihilo minus insidiabantur ei ubique. Ambitiosi namque et cupidi laudis humanæ, innumerabilia incidunt vitia ; et quidquid boni agere videantur, eorum intentio est B semper corrupta atque ad proprias commoditates reflexa, nec unquam pure ac recte feruntur in Deum. Hi miseri homines faciliter invident aliis, et melioribus insidiantur, observando facta et verba eorum ut eos valeant accusare. Advertant hi quod Salomon loquitur : Qui observator *Prov.* XI, 27. est malorum, opprimetur ab eis. Dum enim aliorum peccata observat, ipse a vitiis superatur, et multis defectuositatibus adimpletur, negligitque se ipsum. Insuper ex his duo documenta trahuntur. Primum C est, ut homines virtuosi ac sapientes non frangantur per impatientiam, quando se sentiunt observari, accusari et diffamari ab aliis, sed quid passus sit Christus recogitent, et quod servus non est major domino suo considerent. *Joann.* XIII, 16. Secundum est, ut qui cupit Deo placere et in virtutibus crescere, bona aliorum penset ad imitandum, et ab unoquoque homine virtuoso discat virtutem in qua ille magis abundat, ut discat ab isto humilitatem, ab illo patientiam, ab alio caritatem, ab alio sobrietatem, D ab illo spiritualem lætitiam, ab isto constantiam, sicque de aliis actibus virtuosis.

Secundo, ex evangelio isto docemur quanta sit negligentia atque impietas malorum ac negligentium prælatorum, Pharisæos sequentium : quia si viderint pecoribus suis aliquid adversitatis contingere, dolent, protinusque pro posse succurrunt; si vero conspexerint proximos suos ac subditos spiritualiter lædi, imo occidi, hoc est mortaliter transgredi, tacent, dissimulant, non curant, neque subveniunt. Quo constat quod veram Dei ac proximi non habeant caritatem : nempe quo anima est præstantior corpore et omni jumento, eo de animarum morte ac perditione amplius est dolendum, atque eisdem celerius succurrendum. Hinc ait Chrysostomus : Si populus decimas non obtulerit, murmurant pastores; sed si populum peccantem viderint, tacent. Omnes de suo honore solliciti sunt, non de Dei honore. Ideo etiam dicit Bernardus : Cadit asina, et est qui sublevet; perit anima, nec est qui curet. Deinceps in isto sæculares etiam inveniuntur culpabiles : multi enim parentes plurimum tristarentur, si filii aut filiæ eorum suas perderent vestes; sed quod per diversa peccata mortalia suas amittunt animas, non advertunt. Paucissimi (proh dolor!) sunt qui spiritualis dilectionis debitum proximis suis impendant, corripiendo, dirigendo, orando, et de eorum ruina dolendo ac succurrendo pro posse.

Tertio, ex evangelio isto docemur ambitionem vitare, nec superiorem locum appetere. Nam sicut avaritiæ, ita et ambitionis jugiter crescit sitis tam in spiritualibus quam in sæcularibus ubique hominibus, quemadmodum sanctus describit Bernardus. Nam si quis in aliquo collegio exstat canonicus, cito verecundatur esse canonicus simplex, sed ad aliquod adspirat officium. Quo adepto, adspirabit ad altius, et quanto plus promovetur, tanto adhuc ad altiora conabitur : quod si archidiaconus fuerit, jam ad episcopatum nitetur pertingere, sicque deinceps. In sæcularibus quoque hominibus proportionabiliter invenitur. Unus appetit esse magister civium, alius consul, tertius scultetus aut judex ; et quanto quis ampliorem acquirit honorem, tanto

A plus adspirabit adhuc ad sublimiorem. Sed sicut isti sunt miseri, ita beati sunt qui omnia ista spernunt, omnesque suas affectiones figunt in Deo, nec ditari, nec delectari, nec honorari quærunt nisi in eo : qui contemnunt terrenos et temporales honores, ut adipiscantur cœlestes ac æternales; nec in transitoriis optant abundare divitiis, quatenus mereantur divinorum impleri charismatum donis, in virtutibus perfici, Deo uniri; similiter carnales despiciunt voluptates, ut mereantur conso- B lationes experiri divinas et delectari in Domino, atque post vitam hanc labilem, nunquam terminandam beatitudinem sortiri ab ipso. Hinc de hujusmodi homine ait Propheta : Beatus vir cujus est nomen *Ps.* XXXIX, 5. Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Quarto, instruimur ex evangelio hodierno qualiter ad cœlestem felicitatem oporteat pervenire. Ait quippe Salvator : Quum *Luc.* XIV, 10. invitatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco. Omnes etenim ad cœle- C stis regni sumus nuptias invitati, in quibus mens Deo plenissime inavertibiliterque unitur, beatificæ fruitionis suavitate reficitur, et torrente voluptatis divinæ po- *Ps.* XXXV, 9. tatur. Qui ergo ad nuptias has pervenire cupit ex animo, recumbat in novissimo loco, hoc est, in humilitatis tutissimo figat se fundamento, vilipendat se ipsum, et aspernationes atque injurias æquanimiter ferat. Hoc est quod alibi docet Salvator. Quum enim interrogassent eum Apostoli, Quis, putas, major est in regno cœlorum? *Matth.* XVIII, 1-3. D vocavit puerum unum posuitque eum in medio, dicens, Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum; et rursus ibidem, Qui- *Ibid.* 4. cumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Cujus causam in evangelio exprimit hodierno, dicendo : Quia omnis qui se humiliat, ex- *Luc.* XIV, 11. altabitur; et qui se exaltat, humiliabitur. Quæ verba sunt cordibus Christianorum firmissime inscribenda ac jugiter recolenda. Utinam verbum istud adverterent excæcati ac miseri amatores sæculi hujus, qui quum variis vitiis sint repleti, nihilo minus cupiunt aliis præfici, præsidere ac imperare; et qui nesciunt regere semetipsos, ingerunt se ad regendum alios, imo alios multos, quorum non quærunt salutem, nec Dei honorem, sed propriam promotionem, dominationem atque similia, non pensantes illud in libro Sapientiæ : *Sap.* vi, 6, 7. Judicium durissimum in his qui præsunt fiet, et potentes tormenta potenter patientur.

Postremo est aliquis principatus salubris quem Deus vult nos appetere et habere, ut scilicet per rationem rectam evangelica doctrina instructam sit homo rector sui ipsius, propriam voluntatem frangendo et eam Deo in omnibus semper subdendo, vanis cogitationibus locum negando. Itaque regamus et cohibeamus vires animæ nostræ et membra corporis nostri, ne appetitus sensitivus cupiat sensibilia, carnalia et terrena nisi secundum rationis dictamen, ne lingua proferat verba otiosa, mendosa, detractoria, provocatoria aut lasciva, ne pedes currant ad spectacula aut choreas, ne manus extendantur ad opera vitiosa, nec aures audiant verba oblocutoria et iniqua; sic quoque refrenandi sunt oculi, ne per eos mors concupiscentiæ introeat animam. Hunc principatum Deus nobis commisit, juxta illud *Eccli.* xv, 14. Ecclesiastici : Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui. Hoc etenim Deus requirit a nobis, ut omnibus membris ac viribus nostris utamur ad laudem et gloriam ejus, sicque glorificemur ab eo : quoniam ipse glorifi- I *Reg.* ii, 30. cantes se temporaliter, glorificat æternaliter; eos vero qui eum contemnunt, etiam frequenter in præsenti sæculo terribiliter punit, quemadmodum secundo Paralipomenon legitur de Joram, qui fuit filius Josaphat regis.

Qui Josaphat fuit vir valde virtuosus, II *Par.* xvii-xx. justus ac timoratus : propter quod Deus etiam in hac vita contulit ei multiplicem prosperitatem, divitias, potentiam, victorias et honores. Quumque moriturus esset, *Ibid.* xxi, 3. dedit filiis suis argentum et aurum copiosum, ac pensitationes, cum munitissimis civitatibus in regno suo. Porro regnum dedit filio suo Joram, quia primogenitus fuit. Qui quum confirmatus esset in regno, *Ibid.* 4 et seq. ex intolerabili ambitione et avaritia interfecit omnes fratres suos numero sex, quatenus bona illorum devolverentur ad se; insuper cultum Dei reliquit, ac idolis deservivit. Idcirco electissimus ille Dei beatissimus Elias misit ad Joram increpatoriam comminatoriamque epistolam; nec tunc vere pœnituit : ideo paulo post, sicut Elias prædixit impletum est. Siquidem Philistæi et Arabes intraverunt regnum Joram, atque ad libitum vastaverunt; diripuerunt quoque omnes thesauros Joram et uxores ejus ac filios, et in magnis eum reliquerunt doloribus. Insuper Deus percussit eum insanabili alvi dolore, in tantum quod interiora sua ac vitalia egerebat; sicque per duos annos consumptus, vita pariter caruit et languore. In quo facto considerari potest providentia Dei, et justissimum ejus judicium.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE VARIIS MEDIIS QUIBUS PERTINGITUR AD FINEM PERFECTIONIS MONASTICÆ.

OBSECRO vos ut digne ambuletis vocatione A *qua vocati estis.* Ephes. IV, 1.

Quam virtuosa esse debeat universorum vita Christianorum, rursus in præsentis dominicæ epistola compendiose docet Apostolus ; et quanto conversatio religiosorum excellere debet vitam plebis communis, tanto perfectius oportet eos implere documenta hodiernæ epistolæ. Eis ergo specialiter et affectuose clamat Apostolus : « Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis » ad vitam monasticam, juxta vestræ professionis tenorem : cujus profes- B sionis finis est cum speciali animi puritate, cum interna et stabili tranquillitate, cum libertate salubri, cum omnium passionum reformatione completa Deo per contemplationem sinceram et dilectionem fixam fervidamque vacare. Ad quem saluberrimum finem in hac vita pertingitur per promptam obedientiam, observantiam regularem, quotidianum virtutum profectum, per indesinentem mentis custodiam, per continuam divini auxilii invocationem, per refrenationem et fractionem sui C ipsius virilem.

Deinde non potest religiosus digne sua vocatione Deo servire nisi per grandem diligentiam sui cordis coram Altissimo, ut memor sit semper cur venerit, et penset quousque pervenerit, quantum profecerit sive defecerit, sicque consideret semper se coram divinæ majestatis præsentia ambulare, et coram Rege superdignissimo, supersanctissimo et supersapientissimo erubescat se indecenter, inhoneste, negligenter habere, cum Elia pronuntians, Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie ; III *Reg.* XVII, 1. et illud Psalmistæ perpendens, Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. *Ps.* XVIII, 15. Si in præsentia præsidentis non audemus silentium frangere, et si intuente eo aut aliis, erubesceremus obdormire aut pigre surgere ad divina, aut in aliis quæ sunt Ordinis reprehensibiliter nos habere ; quomodo omnipotente Judice summo præsente, inspiciente et omnes vias nostras ac gressus observante ac dinumerante, audemus horum quidquam committere, et debita nostra aut injuncta negligere ? Non sic parvi pendamus Dominum majestatis, ut plus timeamus, curemus et revereamur humanum intuitum quam divinum : alioqui juxta irreverentiam, negligentiam perversitatemque nostram restituet nobis Dominus justus, qui primo Regum fatetur : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. I *Reg.* II, 30.

Præterea, quum humilitas sit fundamentum virtutum, et ad omne incrementum gratiarum cœlestium præparamentum, quum dixisset Apostolus, « Ambuletis digne » Deo, mox subdidit, Cum omni humilitate : *Ephes.* IV, 2. quoniam teste Gregorio, sicut superbia signum est reproborum, ita humilitas electorum. Simus igitur humiles vere, non nequiter, et primo interius coram Deo, cujus immensam excellentiam considerando, debemus nos coram throno gloriæ ejus intus profundissime inclinare ac nihilum reputare, foris quoque humiliter genua flectere, corpus totum in terram prosternere ac decenter inclinare Altissimo. Sed et coram proximis nostris ac fratribus debemus nos humiles exhibere in omnibus, in verbis, factis et moribus, in incessu et apparatu, ac omnibus nos viliores putare, atque *Eccli.* III, 19. in mansuetudine opera nostra perficere. *Matth.* V, 4. Beati etenim mites; *Eccle.* VII, 10. ira vero in sinu stulti requiescit. *Ephes.* IV, 2. Monet demum Apostolus ut cum patientia invicem supportemus, ne unus ex defectu aut gravamine alterius, aut de injuria sibi illata, tristetur inordinate, indignetur et impetuose se habeat : *Prov.* XIV, 17. quia impatiens operatur stultitiam. Quemadmodum autem mansuetudo iram, sic patientia refrenat tristitiam. Estque patientia ista nobis necessaria valde, quoniam ea carentes, cito ac sæpe turbantur, inquietantur et vitam sæpe ducunt amaram, et ultra hæc omnia æternam merentur damnationem.

Porro qui humilitatem perfecte amplectitur, iram et impatientiam faciliter superare cognoscitur, quum se tribulationibus ac persecutionibus multis ac magnis dignum esse profiteatur. Est autem patientia virtutum probatrix et spiritualis profectus argumentum : idcirco an vere devoti, virtuosi proficientesque simus, melius ac certius sciri non poterit, nisi per hoc, an in adversitatibus, tribulationibus, persecutionibus, irrisionibus, injuriis vere patientes inveniamur. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* XXVII, 6. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Quemadmodum ergo mala olla in fornace ardenti posita, exsilit, crepat et deficit, sic homo apparenter et ficte virtuosus et devotus, in igne adversitatis, tribulationis exercitationisque positus, per impatientiam suam erumpit, et per impatientiæ verba ac signa, qualis sit intus prodit. Ideo loquitur Augustinus : Perfacile est vestem vilem portare, capite inclinato incedere, velum super oculos demittere; sed verum humilem ostendit patientia vera injuriæ. Unde, secundum Gregorium, patientia est, aliena mala æquanimiter tolerare, contra eum quoque qui mala irrogat nullo dolore morderi. Itaque teste Ambrosio, illud magnificum est, si subjectus contumeliis, judicium Dei laudes, si vexatus ægritudine, te Deo committas. Hinc ait et Hugo : Patientia religiosi viri est, laborum ac dolorum omnium, spe futurorum bonorum et Dei amore, tolerantia grata. Hæc est virtus quæ omnia vincit adversa, non colluctando, sed sufferendo, non murmurando, sed grates agendo. Fortis atque egregia res est, audire injuriosa ac noxia verba, nec tamen respondere contraria.

Sed quæri potest, cur patientia specialiter probatrix virtutum vocetur. Et respondendum quod ideo, quia patientiæ est passionem tristitiæ moderari ac refrenare, ne homo pro injuriis sibi illatis et adversitatibus irrogatis immoderanter tristetur. Quemadmodum autem ex privato contingit amore et ex superbia de talibus contristari, inquietari, turbari; ita de talibus non tristari nec commoveri, signum est eradicationis privati amoris et elationis. Quum ergo amor privatus dicatur origo omnium vitiorum, superbia quoque mater eorum, merito patientia, quæ signum est eradicationis privati amoris atque superbiæ, dicitur esse probatrix virtutum, quæ utique copiose insunt his qui a privato amore et superbia sunt purgati. Imo si rite consideremus quam multipliciter fructuosum sit et salubre adversa omnia æquanimiter ferre, non solum libenter, sed et hilariter ea curabimus sustinere.

De hoc in Horologio æternæ sapientiæ sic habetur : Sicut in cithara chordæ proportionabiliter extensæ sonum reddunt suavem, sic electus quisque dum adversitate premitur, quasi vi quadam extra se tenditur, quia in Deum se dirigit, et sic ad reddendum dulcem ac cœlestem melodiam plenius habilitatur. Patientia a Judice summo pretiosissima reputatur. Ipsa etenim Judicis iram exstinguit, et ejus severitatem in benignitatem amicitiamque convertit. Qui adversa pro Deo libenter patitur, Christo passo assimilatur, et ab eo tanquam a simili, dilectionis nexu valde adstringitur. Fructus patientiæ balsamiticus imputribilem præstat vigorem. Quemadmodum stella matutina vicinum nuntiat huic mundo solis ortum, sic tribulatio æquanimiter tolerata, supercœlestis solis animam tribulatam invisere volentis jucundam monstrat propinquitatem, atque internam auget consolationem subsequentem. Et sicut nox tenebrosa diem præcedit luminosum, hiemisque asperitas æstivalem antecedit jucunditatem; sic bonarum mentium internam et æternam consolationem præcedit tribulatio in hac vita. Sicut arcus refulgens inter nebulas, signum est pacis divinæ ad genus humanum; sic tribulatio sæviens, signum est divinæ propitiationis ad homines. Patientia est gratiæ præambula, spei socia, dilectionis puerpera. Ipsa activam vitam suo munimine protegit, et contemplationis oculum subtiliter acuit. Hæc est quæ hominem carnalem facit spiritualem, et mentem terrestrem mutat in cœlestem. Ipsa est arcta via, sed secura et compendiosa ducens ad vitam. O quanti sunt qui gravissima commisissent peccata, si non pia dispositione divina per tribulationes præservati fuissent! Quid est quod æque cor tumidum animumque elatum ac ferocem A se ipsum faciat recognoscere et non alta sapere, sed in se ipso humiliter sistere ac timere? Quid etiam sic condescendere proximo docet? Perpendat nunc unusquisque quam stultus sit qui has patientiæ ac tribulationum utilitates cognoscit, et tamen ab eis supportari * desiderat.

Matth. vii, 14.

* *Cf.* t. XXVII, p. 45 C.

Postremo, juxta doctrinam Apostoli, simus semper solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, servando spiritualem unionem, fixam concordiam et animi conformitatem in tranquillitate pectoris B nostri: quæ tranquillitas est spirituale vinculum unitatis præfatæ, quum eam nutriat et conservet. Quemadmodum enim per discordiam homines ab invicem dividuntur, ita per pacem spiritualiter colligantur. Unitatem vero spiritus in vinculo pacis faciliter veraciterque conservant, qui juxta præhabita, humiles, mites et patientes consistunt, non prudentes in oculis suis, neque in sensu proprio pertinaces. Superbi autem, iracundi et impatientes unitatem istam non tenent, sed per contentiones, C discordias ac varias difformitates, ab invicem separantur, unoquoque in suo sensu abundante, suas passiones sequente et se alteri præferente. Quod religiosis vehementissime illicitum, indecens, periculosum atque damnabile est. Ideo semper humilitate, mansuetudine, patientia, caritate et pace interna proficere ac firmari nitamur.

Ephes. iv, 3.

SERMO QUINTUS

QUÆ DEBEAT FUGERE VITIA, QUASQUE COLERE VIRTUTES VERUS VESTIGIORUM CHRISTI OBSERVATOR.

IPSI *observabant eum.* Luc. XIV, 1.

Quemadmodum sanctus ait Bernardus, Christus in factis suis passus est observatores, in verbis contradictores, in tormentis illusores. Qui ergo vult Christi sequi vestigia, non frangatur, neque a bono D desistat, si et sibi aliquid tale contingat, memor verbi Domini Jesu dicentis: Non est servus major domino suo. Denique in omnibus quæ de Salvatore leguntur, facile est pensare quam verissime divinus Dionysius protestetur: Quod uni est cibus,

Joann. XIII, 16.

alteri est venenum. Nam sicut homines boni et dociles, spiritualium profectuum cupidi, caritativi, sinceri, Dei honorem et proximorum ædificationem sinceriter cupientes, gratulantur de gratiis et excellentiis gratiosis desuper aliis distributis, nec dolent quod excedantur ab illis, imo quod in se ipsis non habent gaudent in aliis inveniri; sic perversi, ficti, ambitiosi et invidi bona aliorum quibus ipsi carent obscurare nituntur, et eminentia bona interpretantur in pejus. Quod ut verisimilius facere videantur, gesta aliorum et verba observant, occasionesque expetunt contra illos, ut eos valeant accusare. Sic in omnibus accidit Christo. Quum enim tantæ esset sapientiæ et eloquentiæ, tantæ sanctitatis et eminentiæ, tamque potentissimus in miraculis, quod merito ab omnibus honorari, laudari ac diligi debuisset, nihilo minus a multis, præsertim a majoribus populi sui, et legisperitis ac Pharisæis, a sacerdotibus et pontificibus, insidias, injurias, detractiones, persecutiones perpessus est. Et in isto perpendere debemus quam mirabiliter ac lamentabiliter peccata humanam obtenebrent mentem, præsertim invidia, quæ non sinit hominem rancorosum bene judicare de eo quem odit : imo quo præclariora sunt documenta, facta et magnalia ejus, eo invidus magis torquetur, pejoratur atque obloquitur.

Excutiamus ergo, o fratres, et funditus eradicemus ex cordibus nostris omnem privatum amorem et germina ejus venenata, invidiam, ambitionem et omnem elationem, zelum amarum, temeraria quoque judicia, omnem abusum et universam malitiam. Non simus curiosi aliorum observatores, quum hoc monachis maxime exstet illicitum, eo quod unusquisque eorum, unius, utpote sui ipsius, constitutus sit custos. Et dato quod religiosus etiam ex proposito caveat alios observare, nihilo minus sæpius et abundantius quam oportet occasio sibi occurret videndi, considerandi ac judicandi facta illorum. Cur ergo nobis ipsis injicimus laqueum, cur distractiones et perversa judicia sponte assumimus ? Deinceps, non simus proni ad scandala, sed quæ mala apparent in aliis, quantum valemus, intra nos excusemus; simusque proni ad ædificationem, ut scilicet bona confratrum consideremus ad imitandum, et instar prudentissimæ apis hinc inde flosculos colligamus, ut mellificemus ex eis. Ab isto humilitatem, ab illo mansuetudinem, ab uno patientiam, ab alio caritatis fervorem discentes, hujus alacritatem ac spiritualem lætitiam, illius studiositatem, taciturnitatem, maturitatem sectemur. Unusquisque enim proprium donum habet a Deo. 1 Cor. vii,7. Sic quippe agendo, beatissimus pater noster Antonius cito ad magnam devenit perfectionem. Sed, heu ! quidam adeo sunt perversi, ut quamvis mille bona in aliquo cernant, non ædificentur, nec reminiscantur; si autem unum malum in ipso conspiciant, protinus scandalizentur, irrideant, memoriter teneant, et illud divulgent. Hi se potant absinthio, felleque cibant.

Amplius, in evangelio hodierno docet Salvator omnem ambitionem esse penitus detestandam, proponens parabolam in qua legisperitorum ac Pharisæorum notavit ac reprobavit ambitionem. Nonne immensa est fragilitas, imo pravitas ac cæcitas humanæ mentis ? Quia quum homo vix valeat gubernare, custodire ac refrenare se ipsum, neque pro se solo sufficiat reddere rationem ; quum insuper tanta sit incertitudo ac brevitas vitæ præsentis, tam item rigorosissimum judicium instet præsidentibus, quemadmodum scriptum est, Judicium durissimum in his qui præsunt fiet : Sap. vi,6. nihilo minus excæcatus, vanus et miser homo ingerit se ad primatum, ad prælationem adspirat, et ut possit præesse, nequiter se humiliat, callide applicat, dolose blanditur, seque frangit in multis. Ecce quanta est ista calamitas miseri hominis tot periculis se involventis, nec Deum omnia intuentem considerantis : et tamen, ut sanctus docet Bernardus, quemadmodum avaritiæ, ita et ambitionis sitis crescit in infinitum. Abjiciamus ergo hanc mortem, et coram Deo sit purum cor nostrum, sit rectum, humile, timoratum ; imperfectum nostrum videant oculi nostri, dirigatque unusquisque et refrenet ac purget se ipsum, et sicut ad præsidendum non ingerit semetipsum, sic nec alterius promotioni inordinate resistat, nec impertinenter se occupet.

Præterea, quoniam ad cœlestes nuptias, in quibus Deo altissimo plenissime perfruemur, invitati sumus, docet Dominus *Luc.* XIV, 10. viam perveniendi ad eas : Quum fueris (inquiens) invitatus ad nuptias, recumbe in novissimo loco. Sunt enim et nuptiæ quædam spirituales etiam in hac vita in militanti Ecclesia. Quemadmodum enim universalis Ecclesia militans, est sponsa generalis Sponsi cœlestis ; sic anima omnis veraciter christifidelis, ejusdem Sponsi est sponsa particularis, quia per fidem et caritatem conjungitur illi, eumque brachiis caritatis affectuose constringit, et ipso, prout in hac peregrinatione fieri potest, jam fruitur, ei tanquam summo et invariabili bono propter se pure et amorose inhærens, et cetera cuncta ad ipsum finaliter ordinans. Si ergo optamus in nuptiis patriæ, in nuptiis gloriæ, in nuptiis fruitionis consummatæ constitui atque in illis magni sublimesque fieri, interim in militanti Ecclesia careamus superbia, amplectamur humilia, deprimamus et despi- *Eccli.* VI, 2. ciamus nos ipsos. Nemo in cogitatione sua se extollat ut taurus, nullus cornua sibi assumat : imo si quis in donis naturæ aut gratiæ, in sapientia aut scientia videtur præclarior, in omnibus sit humilior, quia ut ait Bernardus, Nihil tam efficax est ad inveniendum gratiam apud Deum, quam ut semper inveniaris non alta sed humilia de te sentire, nec præsumere, sed timere. Unde et sanctus pater Hieronymus dixit, se ab adolescentia sua nihil sic abhorruisse, sicut erecta cervice seu superbo corde incedere. Quid enim superbit terra et cinis ? *Eccli.* X, 9. Quid superbit homo miserrimus quotidie peccans, innumerabilibus defectuositatibus plenus, tot expositus periculis, tot circumdatus laqueis ? Hinc Christus interrogatus a discipulis, quis major sit in regno *Matth.* XVIII, 1-3. cœlorum, respondit : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum ; et rursus, Quicumque *Ibid.* 4. humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Simus ergo humiles sicut parvuli, simus mansueti ut oves, simplices ut columbæ ; simus agiles *Ibid.* X, 16. et ferventes in omnibus quæ sunt cultus divini ; simus sobrii, custoditi, exemplares, constantes, sinceri ; cupiamus quantum in nobis est semper nesciri, obedire, subesse.

Postremo, in evangelio isto instruit nos Salvator ut sit ordinata dilectio nostra, ne ad temporalia et corporalia magis quam ad spiritualia et æterna afficiamur, sicut (proh dolor !) multi sunt etiam religiosi, qui si in aliqua ruant peccata, non tantum tristantur nec conturbantur, neque sic conqueruntur sicut si aliqua utensilia aut victualia, aut victualium lauticinia*, seu alia quævis exteriora eis a præsidente aut alio abstrahantur. Aliqui quoque religiosorum prælati, sunt non mediocriter negligentes, atque in ordine caritatis deficientes : qui si cœnobii pecora dissipentur, tristitiis affliguntur ; si vero quidam ex Fratribus sibi commissis acediose et male se habeant, si somnolenti, contentiosi, passionati consistant, cito facileque pertranseunt. Tales prælati non videntur satis illuminati, neque animarum pericula satis pensantes, nec quam summe et incomparabiliter omnis inhonoratio et offensa Dei sint fugiendæ rite ponderantes. Cum extrema igitur diligentia exstirpent prælati peccata a se ipsis ac subditis suis, et subditus unusquisque a proprio corde.

* lautitia

SERMO SEXTUS

DE HYDROPE SEPTEMPLICI NEGLIGENTIUM ET PEREUNTIUM RELIGIOSORUM, QUI OPUS HABENT CURARI A CHRISTO.

A *IPSE apprehensum sanavit eum.* Luc. XIV, 4.

Spiritualia per corporalia designari certissimum est; et sicut dona gratiæ designantur per dona naturæ, sic mala culpæ exprimuntur per mala naturæ. Porro in hydropico septem inveniuntur proprietates, juxta quas septiformis negligentium ac pereuntium religiosorum distinctio potest intelligi.

Est namque in primis in hydropicis inflatio ventris, tumor corporis ac membrorum. Sicque per hydropicum intelligitur B quicumque superbus religiosus, cui in Job *Job* XV, 12, 13. dicitur : Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus? Nonne contra Deum tumet cor horum qui contra superiores suos, Dei vicarios, intumescunt et eos despiciunt; quos non solum ex jure seu præcepto divino, sed ex proprio quoque solenni voto honorare tenentur? Quibus prælati dicere possunt : *Exod.* XVI, 8. Non contra nos est inflatio vestra, sed contra Deum. C

Denique, sicut legisperiti et Pharisæi specialius erant superbi, sic usque in præsens aliqui magis eruditi ac famosi, sunt magis superbi, vani et ambitiosi, quum ceteris humiliores et exemplariores consistere *Eccli.* III, 20. obligentur, juxta quod scriptum est : Quanto major es, humilia te in omnibus; et, *Luc.* XII, 48. Cui plus datum est, plus requiretur ab *I Cor.* VIII, 1. eo. Isti sunt quos inflat scientia, in quibus est informis, nuda, insipida, non formata et saporosa notitia; non pensantes illud *Ibid.* III, 18. Apostoli : Qui vult sapiens esse, stultus D fiat ut sit sapiens. Isti specialius ac gravius alios scandalizant.

Nec solum istos, sed et eos qui in religione devotiores, alacriores, exemplariores et perfectiores esse censentur, impugnat ista superbia, secundum quod ait Bernardus : Superbiæ vitium peccatum est maximum, quod Dei populo magis insultat, specialiterque insurgit adversus eos qui cetera videntur vicisse peccata. Unde enim animam illam tentet superbia, quam sibi subjugavit tepiditas aut pigritia? Unde ei oriatur superbia, unde extollentia oculorum, cui in tantum cetera vitia dominantur, ut dijudicari se ab universis tanquam sibi male conscius arbitretur? Quid qui cetera vitia potenti virtute devicit, nisi contra nequissimum superbiæ vitium dimicaturus accedat?

Quid autem mali ex superbia innascatur religioso, pandit Bernardus, dicendo : Gravis labor superbia. Hæc est quæ non recipit disciplinam, curari renuit, nec recipit medicinam, ulcus pessimum medelam non sustinens, quod nec summis digitis se patitur attrectari. Hinc superbia recte vocatur morbus dictus, Noli me tangere. Et designantur superbi per hericium, qui pro pilis quasi spinis opertus est. Sunt etenim quidam tanta elatione atque duritia offuscati, ut nec pro suis excessibus patiantur se corripi, et præsidenti indignentur correpti : quod est intolerabile malum, et cæcitas atque perversitas consummata.

Isti advertant quod Climacus ait : Sit *Cf.* t. XXVIII, p. 93. tibi cervicoso, arroganti et elato, pastor celer et acutus ac irremissibilis, non benignus et mitis; sit tibi iste modus ad obedientiam pulcher et bonus, ut scilicet semper existimes quod probet et tentet te ille qui præest; et nunquam decides vel A inerrabis. Quando incessanter redargutus et correptus a patre spirituali, ampliorem ad ipsum assumis fidem et caritatem, Spiritus *Luc.* I, 35. Sanctus visibiliter habitat in anima tua, et virtus Altissimi obumbravit tibi. Verumtamen ne glorieris nec gaudeas vane, sufferens patienter contumelias et ignominias; sed magis plora et luge, quia aliquid contumeliis dignum egisti, et conturbasti aliquem contra te. Noli admirari et stupere super id quod dicturus sum (habeo enim Moysen mecum idem dicentem): Ex- B pedit magis, id est, minus malum est, in Deum quam in spiritualem patrem peccare. Deo enim ad iracundiam concitato, spiritualis pater noster potest eum reconciliare; patre autem spirituali a nobis conturbato, jam non habemus aliquem pro nobis Deum exorantem ac mitigantem. Ecce ex verbis his Climaci innotescit quantum honorandus sit præsidens, quam patienter sit ejus correptio atque correctio sustinenda, quam summe vitanda sit ejus offensa, quam optimum signum sit ex assi- C dua præsidentis correptione et castigatione ampliorem ad ipsum caritatem fiduciamque assumere. Hoc enim revera certissimum signum est magnæ humilitatis, sapientiæ salutaris et mortificationis salubris seu exstirpationis privati amoris: quemadmodum ex correptione eidem indignari, signum est pravissimæ elationis, magnæ fatuitatis et inveterati privati amoris.

Secunda hydropicorum proprietas est ardor sitis. Sicque per hydropicum significantur avari, qui quanto plura acquirunt, D tanto ad plura obtinenda vehementius inardescunt. Sed forte ab avaritiæ vitio reputamus nos esse immunes, quoniam propria non habemus, nec habere appetimus, imo penitus abhorremus. Verumtamen non blandiamur sic nobis, neque fallamus nos ipsos, quoniam quidquid superflue affectamus, quidquid curiose appetimus, quidquid intensiori affectu quam rectum est coram Deo cupimus aut tenemus, quamvis eo indigeamus, hoc totum nobis in avaritiæ reputabitur culpam, ita quod inordinata cupiditas, et immoderata ad ea quæ corporis sunt affectio, sit avaritia religioso. Porro, quam inordinata sit nostra cupido, declarat rerum amissio sive abstractio aut deterioratio, ex quibus frequenter ad contentiones, tristitias atque prædominantes accendimur passiones. Nec potest ad divini amoris puritatem ac perfectionem pertingere, quamdiu in se habet aliquid hujusmodi cupiditatis aut avaritiæ religiosus.

Tertia hydropici proprietas est compressio spirituum. Et ita per hydropicum denotatur rancorosus et invidus, qui aliorum bona deprimere nititur et celare ac vituperare, et eo ipso quo talis est, parvum, vilem, depressum et inferiorem eo cui invidet, se esse demonstrat, juxta quod ait Scriptura: Parvulum occidit invidia. Quæ *Job* v, 2. hominem in præsenti et futuro miserum efficit et afflictum; tantoque amplius detestanda est religiosis, quanto plus in caritate proficere, atque ad eam omnia sua ordinare tenentur.

Quarta hydropicorum proprietas est tarditas pedum ad gradiendum. Et ita per hydropicum designatur acediosus, cui improperatur a Christo quod caritatem suam *Apoc.* II, 4. primam reliquit. Ista acedia summe fugienda est religiosis, qui ad quotidianum tenentur profectum. Et infert acedia religiosis gravissima damna, quia et in præsenti privat eos consolatione divina, devotione jucunda, et tanquam pondus ingens deprimit eos. Quumque ea quæ Ordinis sunt cum grandi prosequantur labore, parum tamen aut nihil merentur, quoniam sine caritatis affectu et spirituali alacritate faciunt ea, et cum tædio ac horrore. Isti sunt quos nec bonitas Dei infinita inflammat, nec divinæ majestatis immensa honorabilitas provocat, nec æternæ beatitudinis supercopiosissima retributio incitat, ut ea quæ Dei et Ordinis sunt fervide exsequantur, atque cum gaudio obsequantur Altissimo. Abjiciamus ergo infernalem illum torporem, et opera bona strenua ac veloci agilitate incipiamus, fervide continuemus, reverenter adimpleamus. Consideremus quod pigri servi adstantibus dominis suis fortiter et instanter laborant, quamvis illis absentibus torpeant : quanto magis erubescere nos oportet in summi Dei præsentia superari acedia, vinci pigritia, et non ferventer, jucunde ac strenue Creatori omnia intuenti servire ?

Quinta hydropicorum proprietas, indigestio est humorum. Et ita per eos iracundi designantur, qui commotione iracundiæ suæ quasi quodam fumo fervescunt et indigestæ sunt mentis : a quibus Spiritus Sanctus recedit, quemadmodum hospes a domo in qua vapor fumi abundat. Estque ira in religioso nimium abhorrenda, quem in ovina mititate et columbina simplicitate oportet incedere, et societatem suam ædificare, non aggravare.

A Sexta hydropicorum proprietas, genitalium est inflatio, per quam luxuria explicatur. A qua non solum, sed ab omni quoque cogitatione immunda, ab omni concupiscentia mala, ab omni incitamento libidinis et occasione ac provocatione ad eam omnino cavere oportet religiosum.

Septima illorum proprietas est fœtor anhelitus : quo gula recte exprimitur, quia ex ea multiplex fœtor tam spiritualis quam corporalis consequitur. Atque, ut sanctus B loquitur Benedictus, nihil tam fugiendum est religioso ut crapula, ex qua nascuntur loquacitas, pigritia, somnolentia, stimulatio et concupiscentia vitiosa. Emundemus igitur nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, et quacumque hac spirituali hydropisi fuerit quis infectus, a Christo curari exoret. II *Cor.* VII, 1.

DOMINICA XVIII POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

GRATIAS AGO DEO MEO SEMPER. I Cor. i, 4-8.

BEATUS Apostolus in præsenti docet epistola, quantum superiores de spirituali profectu et gratia subditorum suorum debeant gratulari. Nam ait : *Gratias ago Deo meo semper,* id est omni tempore opportuno seu convenienti ac debito, *pro vobis,* quos spiritualiter diligo sicut me ipsum, *in gratia Dei quæ data est vobis,* id est pro omnibus supernaturalibus atque gratuitis donis vobis a Deo collatis, *in Christo Jesu,* id est per Christum mediatorem, seu merito ejus, per quem gratiarum charismata hominibus desuper conferuntur.

Quia in omnibus ad salutem necessariis *divites facti estis in illo,* hoc est, per Christum abundatis in omni gratia et virtute, secundum modum et statum hujus fragilis vitæ. Juxta quem modum ait Psalmista : Ps. xxxiii, 10. Nihil deest timentibus eum. Has quoque divitias exprimit in speciali Apostolus. *In omni verbo* evangelicæ prædicationis ac salubris exhortationis, ita quod abundatis in gratia prædicandi, exhortandi, docendi salubriter. Vel ideo ait, « in omni verbo », quoniam linguis omnibus loquebantur. In primitiva namque Ecclesia, per impositionem manuum Apostolorum dabatur communiter baptizatis donum linguarum. *Et in omni scientia* salutari, videlicet in doctrina sacræ Scripturæ, et in multiplici intellectu ipsius, utpote litterali, tropologico, allegorico, anagogico. *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis,* A id est, prout protestatio qua Christus prædixit gratiam copiosam credentibus dandam, in vobis impleta est, et per effectum ratificata. Ipse enim dixit : Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Joann. vii, 38, 39.

Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia necessaria ad salutem, et tam in donis gratiæ gratum facientis, quam in donis gratiæ gratis datæ, notabiliter abundetis. Virtutes namque et dona Spiritus Sancti B connexa sunt. Verumtamen non ita perfecti fuerunt, quin potuerunt, imo et debuerunt omni die proficere perfectioresque fieri, quum dicat Salvator : Omnem qui fert fructum, purgabit eum Pater, ut fructum plus afferat. Ibid. xv, 2. Unde ad Philippenses de se ipso fatetur Apostolus : Quæ retro sunt oblitus, ad ea vero quæ priora sunt extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium vocationis supernæ. Philipp. iii, 13, 14. Itaque, nihil gratiæ deest vobis *exspectantibus revelationem,* hoc est mani- C festam apparitionem, *Domini nostri Jesu Christi* in die judicii, quando juxta Isaiæ oraculum, videbit omnis caro Salutare Dei nostri. Is. lii, 10; Luc. iii, 6. De qua revelatione scriptum est in Apocalypsi : Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Apoc. i, 7. Vel, « revelationem Christi », id est claram visionem ejus in patria : quæ visio est tota merces. De qua Christus pollicetur : Qui diligit me, diligetur a Patre Joann. xiv, 21.

meo; et ego diligam eum, et manifestabo A ei me ipsum.

Qui et confirmabit vos in virtute et gra- *Hebr.* xiii, 9. tia, ut confido (optimum enim est gratia stabiliri cor), *usque in finem* vitæ præsentis inclusive, *sine crimine,* id est mortali peccato, ita quod gratiam perseverantiæ dabit vobis, ne peccetis mortaliter. Itaque, «confirmabit vos usque in finem», qui erit *in die adventus Domini nostri Jesu Christi,* id est die judicii universalis in fine mundi, vel judicii particularis in morte *Matth.* xxiv, 42. cujuslibet hominis. Unde et ait : Vigilate, B quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est. De quo item adventu com- *Apoc.* iii, 3. minatur negligenti in Apocalypsi : Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam. Dicitur autem Christus in morte cujuslibet venire, non corporaliter descendendo ad morientem, sed per justitiæ suæ effectum. Unde Jacobus dicit : Patientes estote usque ad ad- *Jacob.* v, 7. ventum Domini, id est usque ad mortem. Nam subditur ibi : Ecce judex ante januam *Ibid.* 9. adsistit. Postremo adventus Christi, potest intelligi spiritualis ejus adventus quo quotidie venit per gratiæ infusionem ac incrementum ad devotos ac obedientes, quemadmodum loquitur : Si quis diligit me, *Joann.* xiv, 23. sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

SERMO PRIMUS

DE GRATITUDINE PRO NATURÆ ET GRATIÆ BENEFICIIS.

Majorem horum gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in C *veritate ambulare.* III Joann. 4.

Ista sunt verba S. Joannis apostoli in tertia sua Canonica. In quibus in omnium prælatorum persona loquens, fatetur maximam suam esse lætitiam, quod spirituales filios suos seu subditos percipit Deo juste atque sinceriter deservire. Nempe quo pastor gregem sibi commissum specialius intentiusque diligere obligatur, eo de illius spirituali profectu amplius gloriari, de ruina quoque illius plus contri- D stari tenetur. Hinc in exordio hodiernæ epistolæ, Paulus apostolus, qui teste Chrysostomo, instar ferri igniti in caritate Dei et proximorum ardebat, testatur se semper gratias agere Deo pro omni gratia spiritualibus filiis suis, puta Corinthiis, impertita.

Nec solum prælati, sed et singuli Christiani, quemadmodum se mutuo tenentur diligere, ita pro invicem gratias agere debent Deo pro universa virtute et gratia proximis suis concessa. Debet itaque unusquisque Deo quotidie præcordiales agere gratias pro universis beneficiis ejus, tam sibi ipsi quam aliis desuper contributis. Primo, quia divina Scriptura ad hoc multipliciter nos hortatur. Ait namque Propheta : Benedic, anima mea, Domino, et *Ps.* cii, 2. noli oblivisci omnes retributiones ejus. Deinde partim enumerat beneficia Dei, dicendo : Qui propitiatur omnibus iniquita- *Ibid.* 3. tibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Rursus sanctus David ad gratiarum actionem nos admonet, devotissime dicens : Quid retribuam Domino pro omni- *Ps.* cxv, 12. bus quæ retribuit mihi? Conformiter affectuosissime loquitur Isaias : Miserationum *Is.* lxiii, 7. Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. Ad hoc hortatur Apostolus ad Colossenses : Orationi (inquiens) insta- *Coloss.* iv, 2. te, vigilate in ea in gratiarum actione; et

I *Thess.* v, 18. alibi, In omnibus gratias agite. Hoc est A quod docuit filium suum Tobias, dicendo: *Tob.* iv, 20. Omni tempore benedic Deo. Hinc ait Bernardus : Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis; stude pro singulis donis gratias agere.

Secundo debet unusquisque Deo regratiari, quoniam indesinenter utimur beneficiis ejus. Ipse etenim nos in esse conservat, ipse nos alit et vestit; terra utimur ad sustentandum, aere ad respirandum, aqua ad refrigerandum, igne ad calefaciendum. Corpora quoque cœlestia creavit in ministerium gentibus universis: imo *Hebr.* i, 14. et angelicos spiritus mittit hominibus pro custodia et directione eorum salutis. Nonne *Gen.* i, 28. volatilia cœli, bestias terræ piscesque maris donat ad hominum utilitatem? Omnis itaque creatura ad regratiandum Deo invitat nos.

Tertio, quoniam non regratiari est valde rusticanum, indecens et injustum, etiam apud barbaros et indoctos. Si quis manducanti propinat quartam vini, vituperatur is cui propinatur, nisi regratietur. Qualis ergo rusticitas est Deo omnipotenti non regratiari, cujus dona sunt omnia bona? Idcirco ait Chrysostomus : Admoneo vos ut Dominum semper benedicatis : si venerint mala, benedicite, et dissolventur; si venerint prospera, benedicite, et stabunt. Itaque, non solum in prosperis, sed etiam in adversis regratiandum est Deo. Nam de *Ps.* xlviii, 19. impio ait Psalmista ad Dominum : Confitebitur tibi quum benefeceris ei. Unde loquitur Augustinus : Quid est sine intermissione Deum laudare? Hoc est, gratias agere in prosperis quoniam consolaris, et in adversis quia corrigeris. Imo si quis incidat malum culpæ, nihilo minus gratias agere debet, non quod peccavit, sed justum Dei judicium benedicendo, quia non nisi juste relictus est ita ab illo.

Quarto, summe et incomparabiliter ac affectuosissime regratiari debemus Domino Deo nostro, propter innumerabilem multitudinem atque incomprehensibilem magnitudinem beneficiorum suorum. Quis enim universa beneficia Dei generalia et specialia ac singularia, naturalia et supernaturalia, corporalia ac spiritualia, exteriora et interiora comprehendere queat, enumerare, effari aut scribere? Si alicui nostrum unum deesset membrum aut sensus unus, quantum regratiaretur ei qui membrum illud aut sensum sibi conferret? Si aliquis dives per unum annum bene nutriat pauperem, quantum ei pauper regratiatur? Quantum ergo, quam incessanter, quam summe, ardenter atque humiliter regratiari habemus B Deo sublimi et benedicto, a quo omnia dona naturæ, corpus et animam, membra ac vires, universaque dona gratiæ et necessaria vitæ suscepimus, qui toties nobis pepercit et indulsit, et bona pro malis retribuit, imo ingratissimis nobis benefacere non cessavit, quod quum peccaremus tam graviter et frequenter, non permisit nos a diabolo protinus jugulari atque ad inferos trahi, item quod toties prævenit nos gratiose, et gratiam pœnitendi infudit piissime, ab innumerabilibus etiam malis C ac vitiis præservavit, et tam longanimiter nostram exspectavit emendationem. Insuper, quod unigenitus Filius Dei pro nostra salute tanta fecit ac pertulit, et nostram assumpsit naturam, atque in Sacramento tam superamorose et superliberalissime tribuit nobis se ipsum.

Quinto ad jugem gratiarum actionem nos debet inducere, quia hoc ipsum singulariter placet Deo. Propter quod Augustinus disseruit : Quid melius animo geramus, et ore promamus, et calamo ex-D primamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Bernardus quoque hinc loquitur : Danti rependi nil gratius potest ab accipiente, quam si gratum habuerit quod gratis accepit. Idcirco spiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis grata non suscipit mente.

Sexto, quoniam actus iste est homini multipliciter fructuosus. Primo, quoniam beneficia collata custodit, ne amittantur.

Secundo, quia majora meretur. Propter quod ait Salvator : Habenti dabitur, id est, gratias de acceptis agenti dabitur gratia copiosior in præsenti : quemadmodum per ingratitudinem meretur homo collatis donis, his quoque quæ sibi danda erant nisi ingratus fuisset, privari, graviterque puniri. Propterea ait Bernardus : Ingratitudo est ventus urens, fontem pietatis et gratiæ sibi desiccans. Gregorius quoque : Indignus (inquit) est dandis, qui non agit gratias de collatis. Tertio, quoniam magnam promeretur gloriam in futuro.

Matth. xxv, 29.

Præterea ingratitudo habet tres gradus in malitia differentes, secundum tria quæ ad gratitudinem exiguntur : quorum primum est, beneficium impensum recognoscere; secundum est, illud laudare et gratias agere; tertium est, juxta exigentiam loci ac temporis pro posse vicem rependere. Primus ergo ingratitudinis gradus est, vicem non reddere : ad quod reducitur reddere mala pro bonis. Quod faciunt omnes iniqui, quoniam inhonorationem, contemptum et contumeliam faciunt Deo. Secundus gradus est, beneficium dissimulare, non demonstrando se illud accepisse : ad quod reducitur beneficium vituperare. In quo gradu sunt negligentes, qui beneficia Dei non pensant, et ita se habent quasi ea non sint a Deo sortiti. Tertius atque gravissimus gradus est, beneficium non recognoscere : ad quod reducitur, beneficium quasi maleficium æstimare. Hoc ingratitudinis gradu laborant increduli. Hinc ait Chrysostomus : Optima beneficiorum custoditrix est ipsa memoria beneficiorum, atque perpetua confessio gratiarum.

Itemque quæri potest utiliter, quomodo habere se debet homo in regratiando Deo pro donis gratiæ gratum facientis, quia incertus est homo an sit in caritate et gratia, sicque videtur non posse de eis Deo regratiari. Propter quod Cassiodorus protestatur : Qui quanta sibi gratia collata sit nescit, quantas largienti gratias debeat non intelligit. Et respondendum, quod cum

A

conditione implicita de talibus regratiandum est Deo, et item in generali atque cum probabili æstimatione.

Itaque juxta præhabita consideremus frequenter ac diligenter universa beneficia Dei generalia, specialia ac singularia, et Deo præcordiales grates dicamus, eique pro posse vicem jugiter rependamus, ipsum totis viribus honorantes, nec tamen quidquam condignum nos agere profitentes : præsertim quia hoc ipsum est donum Dei præcipuum, taliter Deo esse gratum,

B

nec possumus gloriari nisi in misericordia Dei. Ideo cum Psalmista dicamus : Misericordias Domini in æternum cantabo.

Ps. LXXXVIII, 2.

Insuper, juxta tenorem hodiernæ epistolæ, studeamus ditari in Deo in universis donis, gratiis atque virtutibus, quibus animæ veraciter locupletantur, ornantur, impinguantur, vestiuntur ac roborantur; et quanto istæ divitiæ sunt terrenis divitiis præstantiores, quantoque anima corpore dignior est, tanto plus enitamur istis abundare divitiis quam externis. Sed infelices

I Cor. I, 5.

C

filii Adæ, excæcati miserandique homines, exteriora atque præsentia plus quam interiora ac futura pensantes, pro temporalibus istis divitiis sollicitantur quotidie, laborant continue, et varias vias excogitant quibus congregent sibi terrena, quasi in hoc sæculo sint perenniter permansuri; de veris et interioribus animæ divitiis, aut nulla, aut novissima cura est eis, quasi post vitam hanc non sint in alio sæculo in æternum victuri.

Consideremus quam incessanter ac stre-

D

nue sancti viri pro expurgatione vitiorum, pro adeptione virtutum, pro gratia perfectionis laboraverunt, orando, jejunando, plangendo, se ipsos coram Deo quotidie examinando ac semper custodiendo, quemadmodum de beatissimo viro S. Dominico, institutore Ordinis Fratrum Prædicatorum, legitur. Qui dum adhuc adolescentulus esset, sæpe in noctibus super nudam humum dormivit. Quumque missus esset ad studium, et magna esset caristia in civitate qua mansit, libros suos cum omni supellectili sua vendens, totum eorum pretium erogavit pauperibus. Denique hospitatus in partibus Tolosanis apud quasdam matronas ab hæreticis per fictas devotiones abstinentiasque deceptas, per totam Quadragesimam in solo pane et aqua jejunavit ; noctibus vero vigiliis ac orationibus instans, quando necessitas requirebat, lassa membra sua super nudam tabulam reclinavit ad dormiendum : atque per hæc matronas illas ad fidei reduxit integritatem. Per hæc et similia exercitia sancta, ad tantam pervenit perfectionem virtutum, quod multa præclara egit miracula, et inter cetera duos mortuos suscitavit in Roma. Studeamus itaque sanctorum patrum sequi vestigia, nec corpori parcere in vigilando, orando, abstinendo, ac cetera bona opera exercendo, quatenus per hoc ditentur animæ nostræ in omni dono, virtute et gratia Spiritus Sancti, sicque totis præcordiis Deo adhæreamus. Unusquisque quoque proximos suos ædificare conetur verbo et factis, atque erroneos ac deceptos ad viam reducere veritatis et æquitatis. Ad laudem Dei.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ACCESSERUNT AD JESUM PHARISÆI. Matth. XXII, 34-46.

In evangelio hodierno docet Salvator ad quid omnia præcepta, documenta et scripta legis Mosaicæ ac Prophetarum tendant ac ordinentur, videlicet ad hoc, ut Deus toto corde ametur, et proximus sicut ipsemet amans. Ait ergo evangelista Matthæus : *Accesserunt ad Jesum Pharisæi, et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum,* id est, reprehendere et vincere cupiens : *Magister, quod est mandatum magnum,* id est summum, *in lege* Moysis datum ? Istam quæstionem proposuit Christo hic Scriba die sequenti post Ramos palmarum. Quum enim Christus feria secunda in Jerusalem rediisset, et multa in templo fecisset miracula, proposuerunt ei multas quæstiones Judæi, videlicet principes sacerdotum et Pharisæi, deinde et Sadducæi. Quibus quum Christus imposuisset silentium, rursus Pharisæi convenerunt in unum, inter se conquirentes quam Christo proponerent quæstionem : et deliberaverunt quod unus eorum loqueretur pro omnibus. Venerunt quoque multi simul, ut multitudine vincerent quem ratione superare non poterant.

Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Deut.* VI, 5; *Marc.* XII, 30, 31; *Luc.* X, 27. Hæc est Christi responsio. Denique de expositione verborum istorum et duorum horum præceptorum, dictum est diffuse supra in expositione *Cf.* p. 400 C' et s. atque sermonibus evangelii dominicæ tertiædecimæ post octavas Pentecostes : idcirco non reor nunc immorandum, ut vitetur prolixitas, præsertim quoniam opus istud in majorem jam crevit quantitatem quam æstimabam. Itaque Deum « toto corde », id est toto voluntatis affectu, et « tota mente », id est toto intellectu, totaque « anima », quantum ad ceteras animæ vires, diligere dilectione spirituali infusa, est « maximum », id est principalissimum, « et primum », id est dignissimum perfectissimumque « mandatum », quoniam actus quem præcipit, utpote dilectio Dei, inter omnes actus virtutum atque donorum sortitur primatum. Quemadmodum enim caritas est nobilissima virtus, et omnium im-

A peratrix, vita, vertex, forma ac finis virtutum, sic actus ejus inter omnes actus virtuosos perfectissimus perhibetur. « Secundum » vero mandatum « est simile huic » primo mandato, non tamen æquale in dignitate, sed proxime sequens, videlicet : diligere « proximum », id est quemlibet hominem in mundo hoc conversantem, sicut se ipsum, spirituali amore, desiderando ejus salutem, et cooperando ei ad illam pro posse, juxta exigentiam seu opportunitatem temporis, loci et causæ. Denique diligendus est proximus propter B *Gen.* I, 26, 27. Deum, id est, quia Deus præcepit hoc, et quia ad Dei imaginem factus est, et gratiæ capax, atque finaliter ob hoc, ut Deo uniatur feliciter in æternum.

In his duobus mandatis implendis *universa lex* Moysis, imo et Evangelii, *pendet, et Prophetæ,* id est, scripta Prophetarum pendent in eis : hoc est, universa præcepta, hortamenta et dogmata legis et Prophetarum, ordinantur ad horum duorum observantiam præceptorum, et virtualiter continentur in eis, sicut conclu- C siones in primis principiis. Propter quod *I Tim.* I, 5. ad Timotheum ait Apostolus : Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Et alibi : *Rom.* XIII, 10, 9. Plenitudo (inquit) legis, est dilectio : nam, non occides, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices; et si quod aliud est mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

Denique, Christi responsione descripta, introducitur quæstio quam ipse proposuit D Pharisæis et Scribis. *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens : Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est* dicendus ? *Dicunt ei : David,* id est, filius regis David dicendus est. Noverant enim Judæi communiter Christum *Ps.* CXXXI, 11. de David semine nasciturum fuisse.

Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu, id est, inspirante ac edocente eum Spiritu Sancto; vel, « in spiritu », hoc est in spirituali ac prophetali intuitu; *vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus,* *Ps.* CIX, 1. id est Deus Pater, *Domino meo,* videlicet Christo, *Sede a dextris meis?* Hoc dupliciter de Christo exponitur. Primo, secundum ejus divinitatem, hoc modo : « Sede a dextris meis », id est, mecum residendo, regnando, essendo, esto mihi æqualis. Unde ad Hebræos Apostolus dicit de Christo : Qui quum sit splendor gloriæ, sedet *Hebr.* I, 3. ad dexteram majestatis in excelsis. Secundo exponitur quantum ad Christi humanitatem : « Sede a dextris meis », id est, præ cunctis creaturis esto mihi vicinior, et in potioribus bonis meis consiste, repletus gratia et honore, omnique felicitate et gloria præ omni penitus creatura, omnibus quoque prælatus. *Donec ponam inimicos tuos,* id est omnes reprobos, *scabellum pedum tuorum,* id est, eos tibi perfecte subjiciam : quod erit in die judicii. A principio quippe incarnationis Filii Dei, data est Christo homini omnis potestas in *Matth.* XXVIII, 18. cœlo et in terra, quantum ad potestatis hujus possessionem; in resurrectione vero et deinceps data est ei ista potestas, quoad ejus manifestationem, quia ex tunc cœpit præcipue apparere ac prædicari potestas ac dignitas Christi; sed in die judicii dabitur ei ista potestas, quantum ad ejus plenariam exsecutionem, quia tunc Christus potestate sibi a Patre collata omnes adversarios suos plene dejiciet, et in infernum retrudet, dicendo : Ite, maledicti, in *Ibid.* XXV, 41. ignem æternum. *Si* (pro Quia) *ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est,* præsertim quum David fuerit tantus propheta et rex ?

Et nemo Pharisæorum et Scribarum : nam aliqui Pharisæi fuerunt Scribæ, sicut nunc quidam religiosi sunt doctores theologiæ; *poterat ei respondere verbum* aliquod ad quæstionem prætactam; quia non exspectabant Christum nisi ut hominem purum; et secundum hoc, non esset Dominus David. Si autem exspectassent eum ut Deum et hominem, faciliter respondissent, quod secundum deitatem esset Dominus David, secundum humanitatem vero diceretur filius ejus. *Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare,* quia timebant vinci atque confundi. Verumtamen post paucos dies, videlicet tres aut quatuor, ausi fuerunt eum captivare ac crucifigere. Unde et tempore A passionis interrogavit eum Annas, deinde et Caiphas, multique alii, an esset Christus. *Joann.* XVIII, 13, 19. Hæc namque consuetudo est impiorum, ut quando prævalere non possunt per rationem atque justitiam, prævalere conantur per oppressionem ac violentiam.

SERMO SECUNDUS

DE AMORE SPIRITUALI PERFECTO, QUI VOCATUR AMOR ECSTATICUS, ET DE SIGNIS IPSIUS.

F*ULCITE me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. II, 5.

Sapientissimus Salomon, qui etiam spiritum habuit prophetiæ, tres edidit libros, quorum unus vocatur Canticum canticorum, in quo de spirituali tractat amore qui est inter sponsum cœlestem, unigenitum Dei Filium Jesum Christum, et animam amorosam; et frequenter sub similitudine quadam carnalis amoris ac corporalium rerum, loquitur illo in libro de spirituali amore, et de vehementia ac proprietatibus ejus, quia nec aptius potest notificari amor ille spiritualis cum proprietatibus suis, quam per carnalem amorem et proprietates ipsius.

Præterea, sicut amor carnalis interdum tam magnus, fervens vehemensque efficitur, quod facit amantem desiderio rei amatæ languere, quemadmodum scribit Ambrosius de filio Symphronii præfecti urbis Romæ, quod in tantum amavit beatam Agnetem, quod ejus desiderio languorem incidit grandem et lecto decubuit; sic amor spiritualis divinus in virtuosis hominibus quandoque in tantum crescit, perficitur atque accenditur, quod spiritualem languorem facit in anima. Qui languor dici potest defectus mentis amorosæ et sanctæ, quo præ amore ac desiderio Sponsi cœlestis, quem super omnia ardentissime incomparabiliterque affectat, deficit, dejicitur et tabescit in semetipsa.

B Denique, quum Deus gloriosus, omnipotens et perfectus, sit omni creatura in infinitum amabilior, pulchrior, convenientior atque suavior, quid mirum si homo spiritualis quandoque sic incalescat sancto amore ipsius, ut spiritualiter langueat, quum amor carnalis quandoque sic crescat ut homo carnalis præ desiderio sensuali alterius hominis corporaliter infirmetur, arescat, tabescat aut etiam moriatur, quemadmodum secundo Regum de Amnon narratur? II *Reg.* XIII, 1, 2. Quemadmodum enim amor est C causa delectationis, dum amans conjungitur suo amato; sic amor est causa afflictionis, mœroris ac defectionis, quando a sui amati præsentia, conjunctione, usu seu fruitione differtur, impeditur, abstrahitur: quod tam in carnali quam in spirituali amore solet contingere. Itaque quum jubeamur Deum superbonum et superamabilem et superdulcissimum tota voluntate, toto intellectu totisque viribus adamare tanquam infinitum, summum et incomparabile bonum, et tanquam omnium bono- D rum datorem, utpote creatorem, salvatorem ac glorificatorem, in quo solo tota nostra consistit felicitas; hinc decet omnem Christifidelem quotidie ad hoc niti, ut in sincerissimo Dei amore proficiat, quatenus tandem ad perfectum Dei pertingat amorem, qui vocatur amor ecstaticus, id est, mentem amantis a se ipsa totaliter alienans, atque in dilectum ipsum omnino transferens ac transformans, ita ut A vix aliud quam id quod tam ardentissime diligit, scilicet Deum, valeat cogitare.

Porro, ut possit homo agnoscere probabiliori modo quo id fieri potest, an amore spirituali ecstatico diligat Deum, describendæ jam sunt proprietates amoris istius. Et quia spiritualia per corporalia cognoscere connaturale est homini, idcirco proprietates amoris spiritualiter ecstatici notificandæ sunt per proprietates amoris carnalis ecstatici, qui etiam amor ἔρως appellatur, quasi prædominans rationi. Nam B et amor carnalis dum tam intensus ac fervens efficitur, quod totaliter superat rationem, carnaliterque amantem in amatum ita transponit atque transformat, ut aliud quam ipsum vix cogitare queat, amor ecstaticus nuncupatur ab ecstasi, quod extrapositio interpretatur.

Itaque prima proprietas amoris carnalis ecstatici est, quod taliter amorosi multa de se invicem concipiunt, præsertim quando ab invicem sunt absentes; sed dum præsentes sunt, pauca loquuntur, ac suos C conceptus exprimunt imperfecte. Defectivæ namque locutiones propriæ sunt ita amantium, maxime quando de re amata vel cum re amata loquuntur. Cujus duæ sunt causæ. Prima, quoniam magnitudo affectionis verba abrumpit et intercidit. Unde et Christus quum destructionem Jerusalem deploraret, defectiva usus est locutione, dicendo : Quia si cognovisses et tu; et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Secunda causa est, quia D affectus unius ita transfert et absorbet eum in alium, quod plura simul loqui non vacat. Hoc itaque modo locutionis, Sponsa purissima, hoc est anima spiritualiter amorosa, utitur frequenter in Canticis, sicut quum ait : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus; itemque, Dilectus meus mihi, et ego illi. Unde quemadmodum Aaron eloquens loquebatur pro Moyse ineloquente, ita in locutionibus istis debet ratio loqui pro affectu, et verba ferventis affectus supplere atque exponere, ut quum dicitur : Ego dilecto meo, id est, cœlesti Sponso mihi super omnia caro totis præcordiis sum intenta, illi vaco, ei complaceo; et ad me conversio ejus, hoc est, ipse mihi vicem rependit, gratiosus et dulcis est mihi, caritatem suam ostendit ad me. Itaque, si quis scire desiderat an spiritualem amorem ecstaticum habeat ad Deum sponsum cœlestem, perpendat qualibus sermonibus alloquatur illum in suo secreto, in ferventis dilectionis alloquio, in cordis sui effusione coram illo.

Luc. XIX, 42.

Cant. VII, 10. *Ibid.* II, 16.

Exod. IV, 14-16, 30; VII, 1, 2.

Cant. VII, 10.

Secundum signum carnalis amoris ecstatici, desiccatio est membrorum : quoniam taliter amorosi arefiunt in membris, quia ex vehementi cordis applicatione circa rem dilectam, multiplicantur spiritus, ex quo interiorem desiccationem patiuntur. Sic ex spirituali amore ecstatico, anima desiccatur ab omni carnalis voluptatis humore, ab omni libidinoso affectu, ita quod carnis concupiscentia tollitur. Nunc ergo perpende an carnalium desideriorum mortificationem tibi inesse sentis. Nempe quo homo Deum in cordis sui thalamo ardentius frequentiusque amplectitur, eo ab omni carnali atque mundano affectu plus moritur, ita quod neque in cibo, potu, vestitu, somno, neque in aliqua re temporali inordinate delectatur, nec aliud quærit in illis nisi necessitatem naturæ et utilitatem animæ, per respectum ad spiritualia bona ac veram salutem.

Tertium signum carnalis amoris ecstatici, est concavitas oculorum. Consueverunt enim taliter amorosi oculos habere concavos seu profundos, quoniam oculi sequuntur spiritus sese retrahentes atque ad locum æstimativæ concurrentes. Conformiter, interiores oculi animæ spiritualiter amorosæ ecstatice, profundantur in corde. Totum namque est intra, quod quærit ac diligit; extra nil cupit, intus nihil fastidit. Itaque ad contemplationem Dei, ad ejus intuitum et ardentem amorem se totam recolligit intus. Intus enim fulget, intus manet quem diligit, quemadmodum

Is. xxvi, 8. Isaias loquitur Deo : Nomen tuum et memoriale tuum, Domine, in desiderio animæ. Insuper in cordis profundo habet oculos suos intellectuales anima taliter amorosa, ut consideret et perpendat ne quid in ea sit quod cœlesti Sponso, qui solus cor intuetur, displiceat. Considerat quoque adspectu interius profundato occultos accessus et recessus Sponsi cœlestis : qui accedit dum insolita aut singulari devotione, illuminatione seu inflammatione mentem tangit, visitat ac perfundit ; recedit vero dum hujusmodi gratiam pia subtrahit dispensatione. Ex his homo perpendere potest an ecstatice diligat Deum. Qui enim incustoditi est cordis, dissolutus, verbosus et levis, ac sensibus vagus, procul nimis ab isto ecstatico distat amore.

Quartum signum amoris carnalis ecstatici, est siccitas oculorum seu carentia lacrimarum : unde nec mors proximorum, nec damna rerum, in taliter amorosis lacrimas queunt excutere. Similiter anima amorosa caritate ecstatica, omnia exteriora damna sive adversa parvi pendit, nec aliquid tale eam contristat, quia tam vehementer circa Deum afficitur, quod nil aliud ejus comparatione appretiatur ; et quidquid a Deo non elongat nec impedit, hoc pro nihilo arbitratur, dummodo ei remaneat salvum quod summo et incomparabili cupit amore, videlicet Deo uniri, eum intra se retinere, amplecti, contemplari, gustare. Unde qui amplius contristantur de temporalium rerum amissione seu adversitate terrena, quam de Dei offensa seu culpa, longe sunt ab ista ecstatica caritate.

Quintum signum amoris carnalis ecstatici, est inordinatus pulsus. Omnis equidem taliter amorosus habet pulsum aut nimis tardum et rarum, aut nimis frequentem atque velocem, secundum diversas apprehensiones quas concipit de amato : tardum enim habet pulsum, dum de illius adeptione desperat ; velocem, quando de adeptione confidit. Sic anima ecstatice amorosa pulsum habet velocem, id est affectionem ferventem, promptam, jucun- A dam, quando de Dei præsentia gratiosa ejusque fruitione gloriosa habenda confidit ex consideratione bonitatis, caritatis, misericordiæ beneficiorumque ejus. Ex quali affectione dixit Propheta : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. *Ps.* lxxxiii, 3. Porro, dum anima amorosa, ex consideratione propriæ defectuositatis et culpæ, ac difficultatum obtinendi salutem, formidat de suis periculis, pensans meliores se corruisse, tunc habet quasi tardum pulsum, id est lentum affectum.

B Sextum signum carnalis amoris ecstatici, est profunda cogitatio et sollicitudo versa ad interiora, ita quod taliter amorosus gerere videtur imaginem dormientis. Qui evigilare vix potest, nisi fiat ei mentio de dilecto ; cetera non advertit, quoniam tota sua cogitatio et affectio fixa est in amato. Sic anima ecstatice amorosa ita in Deo est fixa, quod vana et sæcularia verba non curat, nec otiosa advertit ; si autem de Deo sit sermo, mox quasi evigilans audit libenter, et de ipso fatur hilariter. C Væ igitur eis qui ad loquendum ac audiendum de rebus carnalibus ac mundanis, curiosis et vanis sunt prompti, ad loquendum vero ac audiendum de Deo ac rebus pertinentibus ad salutem sunt tardi. Hoc equidem signum est, quod in eis deficit amor Dei, regnatque amor mundi.

Septimum signum carnalis amoris ecstatici est, quod taliter amorosus quum videt rem rei amatæ consimilem, inflammatur, commovetur, et quasi insanire videtur. Pariformiter anima ecstatice amo- D rosa, dum in vita præsenti Dei bonitatem atque dulcedinem experitur (quæ experientia, futuræ beatitudinis prælibatio quædam est ac summæ suavitatis quædam imago), mox alienatur, accenditur, et ad æternam felicitatem cum impetu sanctæ dilectionis afficitur.

Itaque, juxta evangelii hodierni doctrinam, in vera Dei ac proximorum caritate esse, permanere, proficere indesinenter curemus ac enitamur, omnemque carnalem abjiciamus amorem. Qui tanto est vilior ac culpabilior, quanto intensior sive A ferventior, quia per ipsum subjicitur homo rebus carnalibus subjectione vitiosa, prorsus vilissima. Amor quoque carnalis ecstaticus, est ineffabiliter vilis ac vitiosus, non animæ tantum, sed corpori quoque valde nocivus. Porro amor spiritualis ecstaticus nobilissimus est ac virtuosissimus nimis. Quo divino ac deificante amore mirabiliter plenus fuit sanctissimus ille eremita abbas Bessarion, de quo retulit sanctus ejus discipulus abbas Dulas, quod per quatuordecim dies stetit in continuo B raptu mentis suæ ad Deum, alienatus ab omni sensu exteriori et Deum indesinenter contemplans. Alio tempore, idem abbas Bessarion cum discipulo suo abbate Dula ambulavit juxta mare, dixitque abbas Dulas : Sitio valde. Quumque abbas Bessarion orasset, discipulo suo dixit : Bibe de mari. Et dulcis facta est aqua maris. Et bibit abbas Dulas, hausitque parum de aqua illa in vase. Cui dixit abbas Bessarion : Cur implesti hoc aqua ? Respondit : Ne iterum sitiam. Cui dixit abbas Bessarion : Deus qui hic est, et ubique est. Alio tempore, idem Bessarion pedibus pertransivit fluvium magnum, et aqua non pertingebat nisi usque ad talos ejus. Iterum, præfatis abbatibus euntibus ad quemdam senem, venit sol ad occasum, dixitque abbas Bessarion : Obsecro, Domine, stet sol donec perveniam ad servum tuum. Et factum est ita. Ecce quanta agit Deus omnipotens pro suis amicis viris perfectis, spirituali amore ecstatico inflammatis ac roboratis.

SERMO TERTIUS

DE AMORE MULTIPLICI, ET DE FOEDITATE AC SIGNIS AMORIS CARNALIS.

In novissimis diebus instabunt tempora C *periculosa, et erunt homines amantes se ipsos, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei.* II Tim. III, 1, 2, 4.

Ista sunt verba Apostoli, quæ nunc impleta videntur, atque quotidie adimplentur. In primitiva namque Ecclesia Christiani dilexerunt se ipsos ac proximos suos amore veraciter spirituali ac fervido, quia æternam salutem et gratiarum charismata quibus ad illam pertingitur, sibi ipsis ac aliis præcordialiter optaverunt, et pro eisdem acquirendis, conservandis ac perfi- D ciendis strenue et infatigabiliter laboraverunt. Sed, heu ! in fæcibus temporum *Matth.* XXIV, 12. horum caritas ista refriguit, et pro ea amor carnalis, privatus ac improbus corda hominum est ingressus, ita quod homines amant se ipsos in se, non in Deo, quia carnaliter, non spiritualiter amant se. Siquidem ea quæ carnem delectant et fovent, non quæ animæ prosunt, desiderant et exquirunt, videlicet temporales divitias, carnales delicias, humanos honores, lauta cibaria, curiosa ac superflua vestimenta, fabulationes vanas et frivolas, ludos, jocos, spectacula et choreas. Taliter se amare, est se false diligere veraciterque odire, juxta quod scriptum est : Qui diligit *Ps.* X, 6. iniquitatem, odit animam suam. Qui enim amant se ita, ea sibi ipsis desiderant quæ eis maxime nocent, per quæ spiritualiter occiduntur, omni virtute et gratia Spiritus Sancti privantur, dæmonibus subjiciuntur, et tandem æternaliter condemnantur. Ecce qualiter amant se impii, utpote omnes qui sunt in peccato mortali, qui creaturis magis quam Creatori inhærent, afficiuntur, deserviunt.

Præterea, ut sciatur quis amor sit bonus ac meritorius, et quis malus ac demeritorius, quis item indifferens, advertendum quod quintuplex ponitur amor : est enim amor naturalis, socialis, mercenarius, carnalis et spiritualis. Omnis autem amor in quadam similitudine et communicatione unius cum alio fundari videtur. Amor itaque naturalis, est affectio animi qua eos qui nobis in natura aut naturalibus communicant seu propinqui sunt, vel in naturalibus donis eminentiores videntur, diligimus, ut parentes ac sobolem et cognatos, eos quoque qui ejusdem nobiscum sunt complexionis, et qui in naturalibus magis sunt gratiosi. Porro amor socialis, est affectio qua eos cum quibus familiarius ac frequentius conversamur, diligimus, ut collegas. Unde in Proverbiis scriptum est : *Prov.* xviii, 24. Vir amicabilis ad societatem, magis erit amicus quam frater. Amor mercenarius, est affectio qua aliquid amamus seu cupimus, non propter commodum ejus, sed in quantum est utile nobis, sicut diligimus vestem, pecuniam, bruta. Hunc amorem quidam appellant amorem concupiscentiæ, qui distinguitur ab amore amicitiæ, quo aliquid amamus propter bonum ipsius, videlicet proximum ut salvetur. Amor carnalis est, quo aliquid propter carnalem delectationem, vel ob ea quæ ad carnem spectant, amatur. Amor spiritualis est, quo Deum propter se ipsum, et intellectuales creaturas felicitatis capaces in Deo diligimus.

Deinceps omnium horum amorum, solus spiritualis amor infusus, qui caritas nuncupatur, laudabilis, virtuosus meritoriusque censetur, quia per eum Deo placemus. Amor vero carnalis vituperabilis est, fœdus et demeritorius; tamen inter conjugatos quodammodo admittitur et excusatur, quia carnalis voluptas in actu matrimoniali per tria bona matrimonii honestatur, et a culpa immunis fieri perhibetur: sicque per hujuscemodi voluptatem se possunt diligere, referendo tamen ad spirituale bonum eamdem. Porro amor naturalis ac socialis sunt indifferentes, quia nec boni nec mali moraliter; sed si ad finem laudabilem ac salutem referantur, et spirituali amore condiantur ac formentur, actus eorum meritorii fiunt. Quemadmodum enim amor naturalis ac socialis fit faciliter ac frequenter occasio et incitamentum carnalis amoris ac vitiorum, nisi prudenter regatur (nam unus sociorum trahere solet alium ad opera sua ; et si se invicem incaute tangant aut tractent, carnalis affectio generatur); sic quilibet horum amorum si sapienter regatur, fit utilis, et spiritualem dilectionem valde accendit, fovet ac agilem facit, dum scilicet caritati subjicitur, et ea formatur ac regitur. Unde homines spirituales qui etiam naturalem aut socialem ad invicem habent amorem, valde spiritualiter amant se mutuo, et ferventer orant pro invicem, et obsequiosi sunt simul, atque ad mutuam communicationem et subventionem promptissimi. Præfati ergo hi duo amores sapienter sunt ac sollicite gubernandi, ne generent mortem, sed augeant caritatem.

Præterea amor mercenarius etiam, in se vocatur indifferens : nam exteriora ac temporalia diligere possumus propter commoda nostra, quum et propter nos credantur creata. Sed amor hujusmodi potest fieri excessivus, si propria commoda quæramus inordinate; et item laudabilis, si commoda nostra referamus ad gratiam ac salutem, et Dei honorem : ut si diligamus cibum, potum, vestem, pecuniam et jumenta, in quantum nobis necessaria sive utilia sunt ad vivendum ac serviendum Domino Deo. Servus quoque amat dominum suum, et dominus servum, mercenario hoc amore : dominus namque diligit servum propter obsequium, et servus dominum propter lucrum, loquendo de eis ut sunt servus et dominus ; verum in quantum sunt homines christiani, debent se invicem spirituali amore diligere.

Insuper quæri potest, an liceat nobis mercenario amore diligere Deum. Videtur quod imo, quia possumus et tenemur eum diligere propter beneficia ejus, videlicet quia utilis et necessarius nobis est. Possumus quoque Deo servire propter nostram

A utilitatem, videlicet ob mercedem æternam, quum dicat Psalmista : Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Ps.* cxviii, 112. Unde de Moyse dicit Apostolus, quod respexit in remunerationem. *Hebr.* xi, 26. Oppositum hujus videtur, quia Deo servire et diligere eum propter propriam utilitatem et mercedem, est Deo uti et se ipso frui, hoc est Deum habere pro medio et se ipsum pro fine. Ad hanc quæstionem quidam doctores respondent affirmative, alii negative ; verumtamen in sensu concordant. B Nam servire Deo et diligere eum propter propriam utilitatem ac mercedem principaliter atque finaliter, id est potius quam propter propriam Dei bonitatem, gloriam et honorem, perversum est : sicque quidam doctores accipiunt amorem mercenarium, asserentes quod amor ille sit in se inordinatus et vitiosus. Sed Deo servire et eum diligere propter mercedem utilitatemque propriam minus principaliter quam propter ipsius bonitatem et gloriam, licitum est, quamvis sit imperfectum, C quum sit ibi quædam reflexio ad se ipsum. Porro, si homo serviat Deo et diligat eum propter beneficia ejus ac præmia, in quantum sine illis Deo servire, placere ac uniri non potest, ita quod pure atque totaliter refert ea ad Deum et ejus honorem ; tunc Deo servire et eum diligere propter beneficia ejus ac præmia, nequaquam perfectionem minuit caritatis, imo et auget, quia tenemur Deum etiam propter beneficia sua ac promissa amare.

D Subinde, quia frequenter amor carnalis spirituali amori se miscet, et sub specie spiritualis amoris quidam se amant carnaliter; ut discernantur isti amores ab invicem, aliquid de indiciis amoris carnalis tangendum est. Primum signum carnalis amoris, est inquietum desiderium exsistendi corporali præsentia cum dilecto sive dilecta : nam quoniam carnem carnaliter diligit, carni cupit uniri. Spiritualis autem dilectio, quoniam spiritualia respicit, quæ locum et tempus transcendunt, parum curat de corporali præsentia, nisi forte propter spiritualem profectum, sed sincero cordis intuitu ac tranquillo affectu dilectum contemplatur ac diligit, sive absentem, sive præsentem. Secundum signum carnalis amoris, est collocutio de vanis et inutilibus rebus, præsertim de magnitudine mutuæ dilectionis, verba adulatoria aut lasciva miscendo. Tertium signum, est corporalis contrectatio, insertio manuum, applicatio laterum, amplexus et oscula, contactusque uberum, atque similia, ex quibus frequenter hinc inde libidinosi motus causantur, et quod horrendum est, resolutio seminis : quæ gravi non carent culpa, quoniam causa eorum sponte admittitur. Sed ratio carnali mollitie et fœdo amore obtenebrata, in particulari non advertit nec judicat quod in generali indecentissimum esse cognoscit : imo hic amor talia efficit in occulto, qualia nec fateri nec fari audet amator in publico. Propter quod ait Apostolus ad Ephesios : Quæ in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere. *Ephes.* v, 12. Quartum signum, est quod carnalis amator vult solus amari, et de facili suspicatur alium plus amari quam se. Quintum, est pronitas invicem indignandi ac irascendi, iterumque placandi, quemadmodum pueri cito rixantur ac reconciliantur. Sextum, est datio seu transmissio munusculorum, quibus hic amor nutritur. Septimum, est fraternæ correptionis subtractio et mutuorum vitiorum palpatio sive laudatio, in tantum quod taliter se amantes, frequenter se mutuo juvant in defendendo sua peccata.

Vitet itaque Christifidelis omnem carnalis amoris labem, effectum et notam, ne ratio sua veræ sapientiæ luce privetur, voluntasque effeminata, spiritualis dilectionis sinceritate destituatur. Spiritus enim est qui vivificat ; caro autem non prodest quidquam. *Joann.* vi, 64. Et qualiscumque sit dispositio carnis, quid est caro nisi caro? — Legitur de quadam sanctissima femina, cujus manum quum tangeret suus confessor, et sensisset ex hoc stimulum corporis, femina illa audivit in spiritu vocem sibi dicentem : Noli me tangere. Ignorans quoque cur verba illa dicerentur ad eam, dixit ad confessorem : Pater, audivi in spiritu verba hæc, Noli me tangere. Tunc confessor propria conscientia tactus, dixit ei qualiter ex contactu manus ejus sensisset corporis motum; atque ex tunc ipse vitavit talem contactum. Ex hoc patet quam caute et pure A habere se debet Christifidelis circa omnem proximum suum, nec solum vir circa feminam, sed et masculus circa masculum, et mulier circa mulierem. Præcipue quoque dum quis incipit motum carnalem sentire, debet contactum dimittere. Similiter qui frequenter propriam fragilitatem ex contactu expertus est, debet eum semper vitare, ne illaqueet semetipsum.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUOMODO RELIGIOSI SATAGERE DEBENT UT SPIRITUALITER DIVITES FIANT, ET NIHIL EIS DESIT IN ULLA GRATIA.

G*RATIAS ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis.* I Cor. I, 4.

Ex hodierna docemur epistola, quam ardentissime sanctus Apostolus spirituales filios atque discipulos suos dilexit, de quorum conversione, perfectione et gratia tam præcordialiter lætabatur, tamque devotissime Deo regratiabatur. Sic et omnis prælatus de gregis sibi commissi gratia et profectu debet intime gloriari et Deo regratiari, tanto amplius quo eos magis specialiter ac intense tenetur diligere ; ex eadem quoque caritatis radice, de uniuscujusque sibi commissi negligentia et ruina debet ex corde tristari. Hinc S. Joannes apostolus, in tertia sua Canonica, in sua ac omnium bonorum prælatorum persona
III *Joann.* 4. fatetur : Majorem horum gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. Nec istud solis præsidentibus competit ; sed unusquisque fidelis, quemadmodum proximos suos obligatur diligere sicut se ipsum, ita de proximorum suorum gratia et virtute, meritis et profectu gaudere debet in Domino, et gratias ei B referre. Siquidem gratiarum actio, est præclarissima species laudis, et actio Deo valde accepta, exercitiumque divinum, angelicus actus et occupatio vere cœlestis : superni etenim cives Deo adorando, æterno et benedicto incessabiles immolant grates, laudes perennes. Per gratiarum actionem, supernorum fluenta charismatum ad proprium refluunt fontem, exuberantiusque inde derivantur ac diffunduntur in animam gratam. Hinc loquitur Augustinus : Quid melius animo geramus, ore proma- C mus, et calamo exprimamus, quam Deo gratias ? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.

Consideremus ergo pro viribus omnem caritatem, pietatem et munificentiam Dei super omne genus humanum, et universa beneficia ejus impertita hominibus a principio mundi usque in præsens, et præsertim quæ modo in tota præstat Ecclesia et nobis ipsis, propinquis, commissis et benefactoribus nostris ; et de omnibus istis D Deo ex totis regratiemur præcordiis. Bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, misericordiam ejus in omnibus pro toto posse magnificemus, laudemus, admiremur ac veneremur, diligamus et vereamur.

Præterea consideremus qualiter sanctus Apostolus in præsenti epistola suos laudat *I Cor.* I, 5, 7. discipulos : In omnibus (inquit) divites facti estis in Christo, in omni verbo et in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia. Videamus ergo an etiam nobis conveniat ista laudatio, vel quantum distamus ab ea. Primo ergo intueamur an spiritualiter divites simus in omni verbo, ita ut linguam nostram sciamus refrenare ac temperare in omnibus, atque in loquendo et etiam in tacendo congruum tempus, locum et modum servare; item, an habeamus gratiam verbi cœlestis in consolando tentatos, afflictos, pusillanimes, mœstos, in corripiendo delinquentes, in exhortando pigritantes, in instruendo ignaros, in perterrendo præsumptuosos, in comminando duris et obstinatis, ne aliquid horum facere præsumat qui gratiam id agendi non habet, quoniam scriptum est : *Eccli.* v, 14. Si est tibi sensus, responde proximo tuo : alioqui sit manus tua super os tuum. Nihilo minus unusquisque faciat ista pro posse suo, loco et tempore opportuno.

Insuper videamus an divites simus in omni scientia, eorum videlicet quæ pertinent ad salutem et ad sacræ paginæ intellectum. Omnes quippe homines naturaliter scire desiderant; sed in desiderio illo naturali multi negligenter, curiose, infructuose, imo et nocive se occupant, non solum sæculares, sed item religiosi, qui ad sciendum ea quæ Ordinis sui sunt et observantiam regularem concernunt, sunt tardi et defectuosi, atque ad sciendum impertinentia suæ vocationi, sunt studiosi, curiosi et fervidi. Multi quoque libentius legunt et student subtilia et scholastica aut historialia, quæ ingenium immoderate occupant, et a devotionis fervore, a salubri conscientiæ discussione impediunt, memoriam lacerant, quam libros devotionales monasticos, ex quorum studio diligenti inflammatur dilectio, nutritur devotio, et mens A vere ac saluberrime illustratur ad inspiciendum ac deplorandum suos defectus, et excitatur ad emendationem et profectum in omnibus. Aliqui quoque studiis suis nimis diu insistunt, ita ut vix ab eis possint avelli dum spiritualiora ac magis debita sunt exercitia peragenda.

Quemadmodum ergo ceteri actus boni debitis virtutum circumstantiis sunt ornandi, ita et studium seu lectio, ut scilicet apto loco et tempore fiat cum discretione et recta intentione. Ea quoque studeamus B quæ nostræ magis consonant vocationi, ex quibus in omni virtute et gratia nostræ professioni necessaria et accommoda amplius crescere, confirmari perficique valemus, sicut in Ecclesiastico legitur : *Eccli.* III, 22-24. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis : ideo in supervacuis rebus noli scrutari multipliciter. Studea- C mus itaque non quæ magis delectant, non quæ curiositatem, vanitatem, loquacitatem, jactantiam nutriunt et inutiliter tempus consumere faciunt, sed quæ vere magis expediunt. Nec obliviscamur quod dictum est : Maledictum studium quo negligitur divinum Officium. Imo ingratum est Spiritui Sancto quidquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. Ea quoque quæ legimus, applicemus ad praxim, quia *Jacob.* IV, 17. scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi.

D Deinceps inspiciamus pro posse an nihil desit nobis in ulla gratia, nobis videlicet necessaria ad salutem : an juxta Ordinis nostri regulam seu statuta digne Deo vivamus, idonce proficiamus; an ea quæ Ordinis sunt, inviolate servemus. Puto quod in hac consideratione compellemur humiliare et aspernari nos ipsos, et conversationem nostram pro nihilo reputare, magisque damnationem vereri quam vane præsumere aut nos ipsos jactare, eo quod a patrum nostrorum conversatione, a pura et inviolata Regulæ aut Statutorum A observatione distemus ac deficiamus tam infinite. Videamus an nihil nobis desit in humilitate, sine qua Deo non possumus complacere. Si autem ex levi occasione, ad elationem, ad vanam gloriam incitamur, aut contra alios indignamur, et fratrem despicimus aut temere judicamus, multum nobis deest humilitatis. Conformiter examinemus nos, an nihil nobis desit in mansuetudine, patientia, fortitudine, justitia, obedientia, sobrietate, discretione, caritate, ceterisque virtutibus; atque, ni B fallor, in omnibus inveniemus nos defectuosos ac pauperes.

Quid itaque restat, nisi ut quotidie in nostro secreto coram Deo nos discutiamus, accusemus, corripiamus, defleamus, castigemus, confiteamur, satisfaciamus, atque in universis nos totis viribus emendemus? Ad quid venimus, assidue revolvamus ; temporis infructuosam deductionem vehementissime detestemur ; orando, meditando, psallendo occupetur semper cor nostrum in Deo. Dominum Deum cum C *Ps.* LXXXV, 11. Propheta oremus : Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum ; *Ps.* CXVIII, 133. itemque, Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei *Ps.* CXLII, 8. omnis injustitia ; rursusque, Notam fac *Ibid.* 10. mihi viam in qua ambulem ; et, Doce me facere voluntatem tuam ; ut tandem perfectionem adepti beatitudinemque sortiti, cum sancto viro grata ac hilari mente cantemus : Tenuisti, Domine, manum dexteram meam, *Ps.* LXXII, 24. et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Quum enim præcepta Dei sciamus, et quid agendum sit nobis non ignoremus, quid necessariæ nobis sunt prætactæ orationes et eis consimiles, nisi quia ad bene ac meritorie operandum, cogitandum, appetendum, loquendum jugiter indigemus actuali motione et directione Spiritus Sancti, ope et protectione Altissimi, ut unctio ejus in *I Joann.* II, 27. cunctis nos doceat, et universa cum vera discretione agamus, errores et vitia atque malorum permixtiones quantum possibile est declinantes.

Ut autem hæc omnia a Deo impetrare possimus, cum omni humilitate et filiali fiducia confidamus in eo, et ejus auxilio incessabiliter innitamur. Ad ipsum suspiret cor nostrum, invocemusque eum, et indesinenter simus solliciti ne ipsum in aliquo offendamus, informationem quoque a superioribus nostris et sapientioribus libenter accipiamus. Unde et Climacus loquitur : Quicumque volunt discere Domini voluntatem et beneplacitum ejus, suas ipsorum voluntates et complacentias prius mortificare tenentur et debent, et in fide ac simplicitate absque malitia Patres suos aut etiam Fratres interrogare, et consulta benigne suscipere. Ut ergo nihil in ulla gratia desit nobis, infatigabiliter satagamus juxta nostræ professionis exigentiam efficaciter conversari, ad laudem Altissimi.

SERMO QUINTUS

QUOMODO DILIGENDUS SIT DEUS (QUEMADMODUM PRIOR DILEXIT NOS) SUAVITER, SAPIENTER ET FORTITER.

IN *his duobus mandatis tota lex pendet et Prophetæ.* Matth. XXII, 40.

Quum caritas sit omnium finis ac regina virtutum, Scriptura divina ad ipsam D uberrime nos cohortatur. Unde in evangelio hodierno Christus testatur quod tota lex Moysis, imo et Evangelii, et omnes Prophetæ pendent in duobus caritatis præceptis. Quorum primum est, ut Deus toto A corde, tota anima, tota mente totisque viribus diligatur; secundum, ut quilibet diligat proximum, hoc est omnem hominem viatorem, sicut se ipsum. In his duobus primis altissimisque mandatis tota lex et Prophetæ dicuntur pendere, quoniam universa præcepta, hortamenta, documenta, consilia, ad hæc duo ordinantur mandata, et virtualiter continentur in eis, quemadmodum conclusiones in primis principiis. I *Tim.* i, 5. Propter quod ait Apostolus : Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia B *Rom.* xiii, 10. bona, et fide non ficta; et iterum, Plenitudo legis est dilectio. Idcirco et nos omnia exercitia nostra, et quidquid propter Deum agimus et patimur, ad hoc finaliter referre debemus, ut in pura Dei ac proximorum dilectione crescamus ac perficiamur. De hac re dicta sunt multa valde in diversis sermonibus supra, hinc inde.

Deinceps, quum perfectio rationalis creaturæ sit, suo Creatori ordinate assimilari (propter quod Deus in veteri Testamento *Lev.* xi, 44, 45; xix, 2; xx, 26. sæpe præcepit : Sancti estote, quoniam ego C sanctus sum ; Christus quoque in Evange- *Matth.* v, 48. lio : Estote, inquit, perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est; et rursus ju- *Ibid.* 44, 45. bet ut et inimicos amemus, persecutoribus benefaciamus, ut simus filii Patris cœlestis, qui pius et benignus est super iniquos, et beneficia multa largitur ingratis, impiis, perfidis et indignis), hinc sicut I *Joann.* iv, 19. Deus dilexit nos, sic debemus et nos diligere Deum.

Porro, ut ait Bernardus, Deus dilexit nos tribus modis, videlicet dulciter, sa- D pienter et fortiter : dulciter, quia nostram assumpsit naturam, et caritatem suam ad nos multis et evidentissimis nobis monstravit caritatis effectibus, signis ac beneficiis; sapienter, quia sic naturam assumpsit humanam, quod non assumpsit peccandi pronitatem, nec aliquam contraxit aut fecit culpam, juxta quod Isaias *Is.* liii, 9. prædixit : Iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Dilexit quoque nos fortiter, quia pro nobis pertulit mortem. Unde evangelista Joannes fatetur: Quum dilexisset suos qui erant in mundo, *Joann.* xiii, 1. usque in finem dilexit eos. Plenum certe omni dulcedine, videre in carne Deum hominem, hominum conditorem. In carnis assumptione, nobis condescendit; culpam vitando, nobis quid agere debeamus ostendit; mortem sustinendo, Patri pro hominibus satisfecit. Ecce amator dulcis, consultor prudens, fortis adjutor. Ei secure nos credimus qui salvare nos scit, vult et potest. Dulciter igitur nos amavit, qui ad nos requirendos, redimendos, beatificandos, in hujus peregrinationis descendit exsilium. Sed huic affectioni junxit sapientiam, qua falleret dæmones, et patientiam, qua Deum Patrem placaret offensum : sic et nos affectionem nostram sapientia gubernare et patientia adornare debemus.

Præterea et nos his tribus modis debemus Deum diligere. Primo, suaviter, ne male allecti quacumque delectatione carnali, sæculari, inordinata, aut mundi honoribus, a Dei avertamur amore. Ideo monet Propheta : Delectare in Domino; atque *Ps.* xxxvi, 4. Apostolus, Gaudete in Domino. Noverant *Philipp.* iv, 4. sanctus Propheta et beatus Apostolus mentem humanam non diu posse sine delectatione consistere, nec delectationem carnalem ac spiritualem, sensualem et cœlestem, humanam et divinam se invicem compati aut pariter esse posse : ne ergo in nobis ipsis aut rebus creatis, caducis, vanis ac vilibus illicite delectemur, hortantur ut delectemur in Deo. Et mirum, quum Deus sublimis et benedictus sit universis et singulis in infinitum pulchrior, dulcior, melior, amabilior, amœnior, convenientior, sapientior, ditior, potentior, perfectior, felicior, liberalior ac beneficentior, quod non maxime atque assidue delectamur in eo, in contemplatione, memoratione et amore ipsius, in laude et cultu ejus, in omni actu quo ipse honoratur ac colitur. Si delectamur in cibo et potu, in adspectu et colloquio hominum, in rebus materialibus, cur non multo plus in eo qui essentialiter et incircumscriptibiliter dulcis est, in spirituali gustu atque alloquio ejus, puta in psalmis, orationibus, meditationibus et lectionibus sacris? Magna est ergo imperfectio, tarditas, cæcitas cordis nostri, imo et infectio interioris palati. Propterea satagamus mentem ab omni inordinato affectu purgare, a pravis cogitationibus custodire, spiritualibus actibus semper et affectuose habere intentam.

Insuper, diligamus Deum sapienter. Deus etenim sapiens est et sapientia ipsa : ideo vult sapienter amari, ut sapientia caritatis affectum informet (ne indiscreto zelo agatur, præcipitet et fallatur), erroresque excludat, et bene sentiatur de Deo, quemad- *Sap.* I, 1. modum scriptum est : Sentite de Domino in bonitate. Alioqui, ut ait Bernardus, facillime illudet spiritus erroris zelo tuo, si scientiam negligas; nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si possit efficere ut in ea incaute, et non secundum rectum rationis judicium, ambules. Unde *Ibid.* VII, 28. et alibi scriptum est : Neminem diligit Deus nisi qui cum sapientia inhabitat.

Amemus etiam Deum fortiter, ut nec prospera nec adversa a divini amoris sinceritate nos avertere queant, aut amoris sancti actum ac profectum in aliquo impedire. Imo quo plura occurrunt incitamenta corruendi a caritatis exercitiis atque profectibus, eo intensius ac frequentius cor nostrum ad Deum levare assuescamus, et in prosperis amplius quam in adversis metuere ac dolere. Sit itaque constans et fortis nostra dilectio, non cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Non abducamur blanditiis, nec seducamur erroribus, nec frangamur injuriis. Sit fervens caritas nostra, ut omnem semper pigritiam, teporem ignaviamque excludat; sit discreta, nec præcipitanter impellat; negligentiam et omnem errorem devitet; sit fortis, ne præsentis vitæ adversitatibus terreatur. Dilige Dominum Deum tuum toto et pleno cordis affectu; dilige tota mente, id est tota rationis vigilantia et circumspectione; dilige tota anima, tota sci- A licet intentione et exquisitione; sed et tota virtute, ut nec mori pro Dei amore formides. Sit suavis tuo affectui Deus contra blandientes illecebras, contra dissolutiones, risus, jocos, ludos, cachinnos et confabulationes. Confortet te virtus Dei Christus, ut nec comminatione, nec adulatione, nec quocumque commoditatis tuæ intuitu relinquas justitiam, a veritate discedas, passioni aut pravæ machinationi consentias. Beati enim qui esuriunt sitiuntque *Matth.* V, 6. justitiam. Esto rectus corde coram Altissi- B mo, quoniam rectus Dominus Deus noster, *Ps.* XCI, 16. et justus Dominus justitiam diligit, justos *Ps.* X, 8. amplectitur, et pro ipso zelantes deosculatur, roborat et tuetur.

Amplius, sicut Deus dilexit nos gratis, videlicet non propter commodum suum, nec originaliter propter merita nostra, sed propter puram et incircumscriptibilem suam bonitatem; ita et nos eum gratis amemus, videlicet ob bonitatem ipsius immensam, non propter commoda nostra. Et si diligamus eum propter sua beneficia et C promissa, hoc sit non in quantum illa sunt nobis accommoda per respectum ad nos ipsos, sed in quantum sunt nobis necessaria per comparationem ad ipsum, videlicet in quantum sine eis Deum perfecte diligere, honorare et colere, aut plenarie frui eo non possumus : ut sic nos ipsos et omnia rectissime referamus ad illum, super omnia incomparabiliter intendendum, amandum, colendum, nec aliqua recurvatione seu obliquitate ad nos reflectamur.

D Postremo, quia signum dilectionis est exhibitio operis, caritatem nostram sinceram et magnam ad Deum et proximos, per opera virtuosa sincere ac magnifice demonstremus, ut omne opus Dei reverenter ac fervide exsequamur; sensus, linguam et cor jugiter refrenemus et custodiamus, ne Deum in aliquo offendamus, ne distractionem mentis caritatisque minorationem anima nostra incurrat; atque ad hoc semper nitamur, ut quantum possibile est, simus actualiter ubique et semper Deo intenti. Proximis quoque obsequiosi, favorabiles, benefici, pii exemplaresque simus. Ut autem ad actualem Dei unionem assiduam proficiamus, stet, juxta Climaci documentum, semper in porta cordis nostri aliqua A cogitatio virilis, fortis, pervigil, non dormitans, cogitationes inutiles advenientes repellens, et mentem in Deo firmans. Hæc autem cogitatio potest esse ista aut similis : Volo semper Deo esse intentus.

SERMO SEXTUS

DE EFFECTIBUS ATQUE INDICIIS AMORIS ECSTATICI, DEQUE MULTIPLICIBUS AMORIBUS ALIIS.

D*ILIGES Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc. Matth. XXII, 37.

Spiritualia per corporalia declarantur. Est autem amor quidam carnalis tam vehemens atque prædominans, quod merito amor ἔρως et ecstaticus appellatur, quia rationi amantis in tantum prædominatur, quod amantem a se ipso quasi totaliter alienat et in amatum transponit, transformat, defigit, in tantum ut ejus nequeat oblivisci, et amore illius crebro languescat, deficiat, imo interdum in amentiam quamdam labatur. Quum ergo Deus omnipotens, cujus bonitatis nullus omnino est finis, sit universis creatis infinite amabilior, non mirum si homines spirituales, devoti, sæpe ad tantam divinæ dilectionis vehementiam perducantur, ut præ summi boni amore defluant a se ipsis, et per caritatis ardorem transformentur in Deum, et quasi in divinæ amabilitatis absorbeantur abyssum, sicque divino amore vulnerentur, ac langueant, moriantur que sibi ipsis et cunctis caducis, soli quoque vivant Creatori superdignissimo. Hujusmodi autem amor spiritualis vocatur ecstaticus, quasi extra se ponens et in Deum transferens amorosum, ita ut cum Sponsa possit fateri : *Cant.* II, 5. Fulcite me floribus, quia amore langueo; *Ibidem.* itemque, Caritate vulnerata ego sum; *Galat.* II, 20. et cum Apostolo, Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.

Denique proprietates et effectus ac si- B gna amoris spiritualis ecstatici, per effectus et signa ac proprietates amoris carnalis ecstatici sunt pandendi. Itaque primus effectus et primum signum amoris carnalis ecstatici, est concavitas oculorum, quoniam oculi sequuntur spiritus sese ad intra retrahentes atque ad locum æstimativæ concurrentes. Conformiter interiores oculi animæ spirituali amore ecstatico inflammatæ, profundantur ad intra in fundo seu intimo cordis, ab exterioribus se retrahentes, quoniam summum bonum et C primum verum quod quærit, quod contemplatur, cupit, amplectitur, omni secreto exstat secretius, intusque fulget ac invenitur. De quo loquitur Isaias : Vere tu es Deus absconditus. *Is.* XLV, 15. Habet item anima taliter amorosa oculos intus sic profundatos ad discutiendum se ipsam, ne quid cœlesti displicens Sponso in ipsa resideat, ut etiam occultos Sponsi accessus ac recessus advertat. Accedit etenim Sponsus, quando insolita aut ingenti illuminatione, inflammatione, consolatione, devotione D mentem visitat, tangit, perfundit; recedit autem, quando hujusmodi dona subtrahit aut suspendit. Itaque qui incustoditi est cordis, dissolutus, verbosus vagusque sensibus, ab ecstatico spirituali amore procul est nimis.

Secundum signum et opus amoris carnalis ecstatici, est pulsus inordinatus. Taliter equidem amorosi habent pulsum aut nimis velocem, aut valde tardum : et hoc, A secundum diversas apprehensiones de dilecto conceptas. Dum enim de ejus adeptione diffidunt, tardum habent pulsum ; velocem vero, quando de ejus adeptione confidunt aut certi sunt. Sic anima spiritualiter ecstatice amorosa, pulsum habet velocem, id est, promptum, lætum fervidumque affectum, quando de gratiosa Dei præsentia aut gloriosa ejus fruitione futura multum confidit. Ex quo affectu dixit *Ps.* LXXXIII, 3. Propheta : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Tardum autem B pulsum, id est lentum affectum, habet anima, dum in sua quasi ariditate relinquitur, et ex propriæ defectuositatis ac culpæ intuitu, atque ex difficultate obtinendi salutem, spiritualiter consternatur, et de suo veretur periculo, non ignorans meliores se corruisse.

Tertium signum et effectus amoris carnalis ecstatici, est defectiva locutio, quia in taliter amorosis magnitudo affectionis verba intercidit atque abrumpit. Sic quoque ipsa intensissima affectio unum trans- C ponit et absorbet in alium, quod plura simul loqui non vacat : imo in absentia, de se invicem multa concipiunt ; dum vero præsentes sunt, pauca loquuntur, et suos conceptus exprimunt imperfecte. Conformiter anima ecstatice amorosa, hoc modo locutionis alloqui solet Sponsum cœlestem, ut dum ait in Canticis : *Cant.* VII, 10. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus ; itemque, *Ibid.* II, 16. Dilectus meus mihi, et ego illi. In quibus ratio supplere et exponere debet verba ardentis affectus, quemadmodum olim elo- D *Exod.* IV, 14-16, 30 ; VII, 1, 2. quens Aaron loquebatur pro Moyse.

Quartum signum amoris carnalis ecstatici, desiccatio est membrorum : nam ex vehementi cordis applicatione circa dilectum, multiplicantur spiritus in taliter amorosis, sicque interiorem desiccationem patiuntur et arefiunt in membris. Sic anima ecstatice amorosa, a carnali voluptate, libidinoso amore et concupiscentiis arefit, et desipit ei omnis caro.

Quintum signum amoris carnalis ecstatici, est lacrimarum carentia, ita quod nec mors propinquorum, nec damna rerum, taliter amorosos queunt movere ad fletum. Sic animam spiritualiter ecstatice amorosam parum aut nihil contristat quæcumque terrena adversitas aut corporalis infirmitas, sed solum id quod cœlesti displicet Sponso, et quo ab ejus unione, præsentia, amplexu, osculo impeditur, quia ipsum super omnia incomparabiliter appretiatur, et cetera ejus comparatione parum attendit.

Sextum signum amoris carnalis ecstatici, est profunda sollicitudo versa interius, ita quod taliter amorosus gerit quasi imaginem dormientis, vixque evigilat, nisi de dilecto sit sermo. Sic anima spiritualiter amorosa, circa Deum ita est sollicita, sic fixa, occupata, intenta in eum, quod exteriora, vana et sæcularia non advertit, nec quæ dicuntur libenter audit, nisi sit sermo de Deo et pertinentibus ad salutem. O quantum distant ab amore spirituali ecstatico, qui promptiores sunt loqui et audire verba inutilia, vana, sæcularia, dissoluta, quam ædificatoria ac divina !

Septimum signum amoris carnalis ecstatici est, quod taliter amorosus, dum aliquem videt consimilem ei quem tam valide amat, inflammatur, concutitur, et quasi insanire videtur. Sic anima ecstatice amorosa, Deum in hac vita clare sicut in se ipso est contemplari atque gustare non valens, dum eum in suis effectibus experitur, eumque prout in hac vita fieri potest, gratiose contemplatur ac dulciter sapit (quæ experientia ac degustatio, futuræ beatitudinis aliqualis prælibatio est et quædam imago), protinus inflammatur, alienatur, atque ad futuram felicitatem intenso caritatis fervore afficitur.

Ecce ex iis spiritualis amoris ecstatici proprietatibus, indiciis et effectibus perpendamus quousque in caritate profecerimus, quantum caritati ecstaticæ appropinquaverimus ; et si ab ea multum distamus, contristemur de hoc et festinemus ad eam, simus jugiter introversi, coram Deo solliciti, intus et extra custoditi.

Præterea multiplex ponitur amor : est A enim amor carnalis, amor naturalis, amor socialis, amor mercenarius, et amor spiritualis, divinus, infusus. Amor carnalis est, quo aliquem propter carnalem delectationem, vel maxime quantum ad ea quæ carnis sunt, diligimus. Amor naturalis est, quo aliquem propter naturæ similitudinem, aut naturalem propinquitatem, aut convenientiam talem, amamus. Amor socialis est, affectio qua eos cum quibus familiarius aut frequentius conversamur, diligimus. Amor mercenarius est, quo ali- B quid amamus, non propter ipsius commoditatem, sed nostram, puta in quantum est utile nobis. Amor spiritualis est, quo Deum primo et maxime propter suam propriam bonitatem, deinde rationales ac intellectuales creaturas atque nos ipsos in Deo, secundum Deum et propter Deum diligimus. Inter omnes istos amores sola spiritualis dilectio est per se virtuosa, meritoria et Deo accepta. Amor vero carnalis detestabilis est et fœdus, præsertim in religiosis, qui spirituales vocan- C tur et esse tenentur. Alii amores indifferentes esse dicuntur : qui tamen facile fiunt carnales, nisi diligens adsit custodia cordis.

Postremo, signa amoris carnalis sunt hæc : inquietum desiderium corporalis præsentiæ, collocutio de vanis et inutilibus rebus, potissimum de magnitudine mutuæ dilectionis; corporalis quoque contrectatio, insertio manuum, applicatio laterum, amplexus et oscula, et indecentes ac impudici contactus, ex quibus frequenter sentiuntur motus lascivi, stimulatio fœda, imo sæpenumero, quod horrendum est, calefactio periculosa ac resolutio seminis : quæ non carent culpa enormi, quum causa eorum spontanee admittatur; item pronitas mutuo indignandi, irascendi, et rursus placandi, collatio munusculorum, et exclusio comparis, quia amator carnalis vult solus amari.

Fugiamus ergo hunc carnalem cum suis signis effectibusque amorem, et naturalem ac socialem, mercenarium quoque amorem ordinemus ad amorem divinum. Et ne quis sub specie spiritualis amoris fallatur amore carnali, eum sub specie spiritualis amoris admittendo, ex præinductis perpendat signis et effectibus amoris carnalis, an amor suus vere spiritualis exsistat. Quod si quis aliquem spiritualiter diligat, et aliquid de sensuali affectione habeat admixtum, separet pretiosum a vili, *Jer.* xv, 19. et quidquid carnalis fœditatis est, exstirpare non differat, ne modicum venenum paulatim serpens, inficiat totum et perimat caritatem. Sit ergo affectio nostra omnis ordinata, spiritualis et pura, ad laudem et gloriam Omnipotentis. Amen.

DOMINICA XIX POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

RENOVAMINI SPIRITU MENTIS VESTRÆ. Ephes. IV, 23-28.

APOSTOLUS in præsenti epistola ad internam nos admonet puritatem ac tranquillitatem, et ait: *Renovamini spiritu mentis vestræ,* id est, novum ac spirituale esse acquirite in superioribus viribus animæ vestræ, gratiam ac virtutes accipiendo a Deo aut in eis proficiendo. Ideo quasi expositorie subditur: *et induite novum hominem,* id est, similitudinem Christi assumite, ejus sequendo vestigia: *Rom.* XIII, 14. unde alibi ait Apostolus, Induimini Dominum Jesum; *qui secundum Deum creatus est,* id est, a Deo seu operatione divina, vel secundum beneplacitum Dei formatus est, *in justitia et sanctitate veritatis,* id est in vera justitia ac sanctitate. Quas Christus, secundum quod homo, accepit in ipso incarnationis momento: nam anima ejus, in omni gratia, sapientia, virtute, dono, fructu et beatitudine essentiali perfecta creata est.

Propter quod deponentes mendacium omne, puta jocosum, et officiosum, et præsertim perniciosum, quod est mortale *Sap.* I, 11. peccatum, de quo Sapiens ait: Os quod mentitur, occidit animam; et in Psalmo, *Ps.* V, 7. Perdes omnes qui loquuntur mendacium; *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo,* id est non nisi verba veracia quæ expedit dici: unde apud Zachariam *Zach.* VIII, 19. inducitur, Pacem tantum et veritatem diligite; *quoniam sumus invicem membra,* id est per fidem et caritatem conjuncti, atque ad idem mysticum corpus Ecclesiæ A pertinentes, ad subventionem quoque mutuam obligati.

Irascimini, et nolite peccare. Hoc ex Psalmo acceptum est. *Ps.* IV, 5. Et multipliciter potest exponi, secundum quod ira variis modis accipitur. Si enim sumatur pro motu primum primo seu pure naturali, non est peccatum, sicque permissive dicitur, « irascimini »; additur tamen, « et nolite peccare », quatenus ira illa non permittatur procedere, ne fiat culpabilis. Secundo sumitur ira pro motu subito, ex humana in- B firmitate et pœna peccati prodeunte, qui est veniale peccatum. Procedit namque ex aliqua apprehensione, nec rationis exspectat judicium. Et ita quod dicitur, « irascimini », non est exhortatio irascendi, sed consilium atque remedium iram vincendi: nam subditur, « et nolite peccare ». Tanquam dicat: Si talis in vobis oritur ira, non ei consentiat ratio, sed per rectum judicium ac mansuetudinem reprimat eam. Tertio, sumitur ira pro motu rationem sequente, quo contra propria vel C aliena peccata movemur, optando vindictam juxta rationis censuram. Et ista est ira per zelum, estque laudabilis, faciens actum virtutis robustius exsequi: quam virtuosi frequenter sponte assumunt. De qua dicit Gregorius: Tunc robustius ratio contra peccata erigitur, dum ei ira subita* (* subdita) famulatur. Sicque admonendo nunc dicitur, « irascimini »; additur vero, « et nolite peccare », quia et ira hæc magno moderamine indiget, ne excessive fervescat, aut majorem inferat ultionem quam culpa meretur. A

Sol non occidat super iracundiam vestram, id est, si inordinatus aliquis motus iræ in vobis nascatur, non tamdiu perseveret in vobis quousque sol iste visibilis perveniat ad occasum, sed ante noctis adventum tollatur. Vel, Sol justitiæ, scilicet Christus, aut certe sol intelligentiæ, id est lux seu judicium rationis, « non occidat super iracundiam vestram », id est, a vobis non elongetur, nec separetur propter B iræ vestræ excessum. *Nolite locum,* id est ingressum ad cor vestrum, aut mansionem in eo, *dare diabolo,* ejus suggestionibus consentiendo, aut ad pristinas iniquitates redeundo. Hinc subditur :

Qui furabatur ante suam conversionem aut confessionem, *jam non furetur,* ne recidivando ingratus sit Deo, graviusque offendat, quoniam vulnera repetita plus nocent. Furari quoque est contra præceptum Decalogi : ideoque ex suo genere est Exod. xx, 15. peccatum mortale. *Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est,* id est, opera exteriora licita pro pretio faciat, *ut habeat* aliquod bonum temporale *unde tribuat necessitatem patienti,* id est, indigentibus eleemosynam aut succursum impendat de labore manuum suarum : quod valde sanctum et meritorium est. Unde in Actibus ait Apostolus : Omnia ostendi vobis, Act. xx, 35. quia sic laborantes oportet suscipere infirmos, et meminisse verbi Domini Jesu : Quia beatius est magis dare quam accipere.

SERMO PRIMUS

DE RENOVATIONE SPIRITUS ; ET DE MENDACIO, IRA FURTOQUE VITANDIS.

RENOVABITUR *ut aquilæ juventus tua.* Ps. CII, 5. C

Ista, ut fertur, aquilæ est natura, quod tempore senectutis suæ superius labium suum per modum unci in tantum excrescit, quod nec os aperire, nec cibum sumere potest. Propter quod tandem fame senioque afflicta, ex naturali industria labium collidit ad petram, deponitque uncatum, quo sumptio cibi impediebatur : quo facto, ad valetudinem pristinam reparatur per sumptionem escarum. Sic anima rationalis, mole hujus gravissimi corporis atque D terrenæ inhabitationis occupationibus ac necessitatibus prægravata, et a divinorum contemplationibus impedita, per vitiosam quoque conversationem spiritualiter Ephes. II, 20 ; I Cor. X, 4. inveterata, ad Christum, qui lapis angularis ac petra vocatur, deponit gravedinem istam ac senectutem, id est, Christi virtutes considerando ac imitando, ejus doctrinis intendendo atque ipsius obtemperando præceptis, a carnalibus desideriis, ab exterioribus occupationibus, a necessitatibus vitæ præsentis ac miseræ carnis, quantum potest se abstrahit, spiritualibus vacat orationibus meditationibusque devotis, contemplationi cœlestium et summi boni dilectioni ferventi intenta est : sicque instar aquilæ renovatur ejus juventus, id est, per Ps. CII, 5. gratiam, virtutes ac dona Spiritus Sancti, per exercitia virtuosa, per divinorum contemplationem ac ceteros actus prætactos, spiritualiter renovatur, reviviscit, ornatur, splendida ac robusta efficitur. Hoc itaque est primum ac præcipuum documentum quo in præsenti epistola nos informat Apostolus. Unde ad Corinthios testatur : Licet II Cor. IV, 16. is qui foris est, noster homo corrumpatur, id est caro mortalis, quæ quotidie tendit ad mortem ; tamen is qui intus est, id est anima rationalis, renovatur de die in diem.

Studeamus ergo quotidie in præfatis virtutibus actibusque earum proficere, et per orationes ac sanctas meditationes mentes nostras ad Deum frequenter levare, ad cœlestem patriam adspirare, ad æternam atque plenissimam illam felicitatem et gloriam affici, quatenus intuitu et amore Domini Dei nostri et spiritualium æternaliumque bonorum, vilescant nobis universa carnalia et terrena, sicque cum Isaia
Is. xxvi, 9. propheta dicamus Deo : Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis; de mane vigilabo ad te. Sed, proh dolor! multi jam sunt Christiani, si tamen Christiani, qui totum diem ita expendunt, quod raro aut nunquam cogitant de Deo et sua salute, et vix unam legunt Orationem dominicam; sic quoque vadunt dormitum absque discussione conscientiæ suæ et absque devotione, ut bestiæ. Quam rationem daturi sunt isti Domino Deo de omni hora seu tempore eis impenso?

Secundo nos docet Apostolus in præ-
Ephes. iv, 25. senti epistola, ut vitemus omne mendacium. Unde S. Hieronymus quum ageret in extremis, suis præcepit discipulis : Non sit inter vos mendacium; omnis mendax est abominabilis Deo. Deus namque est veritas, et veritati contrariatur omne mendacium : hinc omne mendacium est peccatum. Nulloque modo licet mentiri, nec debet homo quasi ex humilitate asserere se fecisse vitium quod non fecit. Propter quod loquitur Augustinus : Quum humilitatis causa mentiris, et quod non fecisti fecisse te dicis, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris. Verumtamen licet et expedit interdum veritatem celare, et per quamdam industriam ac circumlocutionem abscondere, ut aliquis a periculo liberetur, quemadmodum Augustinus iterum fatetur : Aliud est mentiri, aliud verum occultare, sicut aliud est falsum dicere, aliud verum tacere : ut si quis non velit ad mortem prodere hominem, paratus esse debet occultare verum, non dicere falsum, ut neque prodat, nec A mentiatur, neque occidat animam suam pro alterius corpore.

Præterea triplex est mendacium, puta : jocosum, quod dicitur causa solatii; et officiosum, quod dicitur causa alicujus utilitatis sine damno alterius : ut si quis dicat non esse in domo hominem qui quæritur ad mortem, qui tamen est ibi. Tertium est mendacium perniciosum, quod dicitur causa nocumenti alterius, vel in se ipso contrarium est veritati fidei christianæ aut eorum quæ directe pertinent ad B salutem : et istud mendacium est mortale peccatum, quia contrariatur veritati divinæ et caritati atque justitiæ. Alia duo mendacia non sunt ex suo genere peccata mortalia, sed assiduitate et immoderata complacentia seu libidine mentiendi, mortalia fieri possunt et fiunt, præsertim quum Ecclesiasticus dicat : Melior est fur *Eccli.* xx, 27.
quam assiduitas viri mendacis.

Denique, etiam coram hominibus valde honestum et exemplare est ut homo sit jugiter verax in verbis, ita quod scienter C non proferat falsum, sed verbum suum sit quasi juramentum suum. Verumtamen si quis dixit aut et juramento firmavit se facturum quod divino prohibetur præcepto, non debet verbum tale implere. Nec fit mendax non implendo, sed dicendo sive jurando : nam eo ipso quo dicit seu jurat se facturum quod non licet, tenetur non adimplere. Præterea, quum mendacium sit falsa verborum prolatio intentione fallendi, constat quod si quis dicat aliquod falsum quod æstimat esse verum, non mentitur D formaliter, sed materialiter tantum. Similiter si dicat aliquis verum quod putat falsum, quamvis materialiter verum dicat, formaliter tamen mentitur et peccat. Tollat igitur unusquisque a se pessimam consuetudinem mentiendi, quæ vitiosa est et damnabilis valde, præsertim dum quis se in suis peccatis false excusat : quod est non solum mendacium, sed propriæ quoque iniquitatis defensio, quæ (secundum Bernardum) est iniquitas maxima et nega- *Job* xxxi, 28.
tio contra Deum omnipotentem, potissi-

mum quando ex ea sequitur aggravatio injusta alterius. Omni itaque fugato mendacio, loquatur unusquisque veritatem cum proximo suo, nec quamlibet veritatem, sed loco et tempori congruentem, causæ ac personæ convenientem, quum Salomon dicat : *Prov.* xv, 23. Sermo opportunus optimus est. Itemque Apostolus : *Ephes.* iv, 29. Omnis (inquit) sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. Maxime ergo cavenda sunt verba detractoria, rixosa, lasciva ac scandalosa.

Ibid. 26. Tertio docet Apostolus ut sic irascamur quod nec peccemus, nec in ira perseveremus, hoc est, ut iram per vitium quæ rationem prævenit et perturbat, vitemus, et iram per zelum cum grandi moderamine habeamus, nec excedamus in ira. In qua dupliciter homo excedit : primo, si ira nimium inardescat, quia sic rationis judicium impedit valde ; secundo, si graviorem velit inferre vindictam quam illata meretur injuria : quod est contra justitiam. De hac materia, quoniam in diversis sermonibus dicta sunt plura, pertranseo.

Ibid. 27. Quarto docet Apostolus ut non demus locum diabolo, sed orando, jejunando, documenta, præcepta et exempla Christi pensando, viriliter resistamus cunctis tentationibus ejus, nec patiamur corpora nostra ac corda, Spiritui Sancto in templum ac habitaculum consecrata, fieri dæmonum loca. Omnia equidem dæmonis tentamenta mendosa sunt, et quidquid suggerit ordinat ad fallendum. Propter quod ait Salvator : *Joann.* viii, 44. Diabolus in veritate non stetit, quia veritas non est in eo ; quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quoniam mendax est, et pater ejus, puta mendacii. Ideo loquitur Augustinus : Quemadmodum Deus Pater genuit filium veritatem, sic diabolus lapsus genuit quasi filium ipsum mendacium. Unde si aliquando verum quid dicat, non nisi ad falsitatis confirmationem id ordinat, dicente Chrysostomo : Concessum est diabolo aliquando dicere verum, ut mendacium suum rara veritate commendet. Ex quibus omnibus innotescit, quod sicut veritatem semper loquendo fit homo filius Dei, sic assidue mentiendo filius fit diaboli.

Ephes. iv, 28. Quinto docet Apostolus ne quis furetur, quia furari ex suo genere est peccatum mortale. Tamen interdum est veniale, propter actus imperfectionem, aut damni illati parvitatem : ut si quis alteri pomum furetur, præsertim dum probabiliter putat id domino rei parum aut nil displicere ; alioqui non excusaretur a gravi culpa. Quod si furtum omne vitandum est, multo plus detractio : quæ gravior culpa est furto, quoniam majus nocumentum proximo infert quam furtum, utpote carentiam bonæ famæ, quæ præferenda est exteriori substantiæ. Maxime vero seminatio discordiæ est vitanda, quoniam aufert concordiam, pacem et caritatem, quæ tam famæ quam substantiæ sunt anteponendæ : sicque seminatio discordiæ est gravius vitium quam ipsa detractio. Idcirco Salomon loquitur : *Prov.* vi, 16, 19. Detestatur anima mea eum qui inter fratres seminat discordias. Vitemus ergo universa hæc vitia. Et quod ineffabiliter virtuosum est, ita de *Ephes.* iv, 28. laboribus manuum suarum vivere studeat Christianus, ut etiam inde valeat indigentibus subvenire : quemadmodum abbas Joannes Cassianus describit, quod suis temporibus et ante, monachi in Ægypto ac alibi de laboribus manuum suarum vixerunt, et quidquid eis superfuit, captivis, egentibus ac infirmis miserunt.

Legitur de illustrissimo duce Godefrido de Bolonia, quod diligentissimus fuit veritatis amator, in tantum quod legitur nunquam fuisse mentitus. Quumque tempore suo Christiani obtinuissent sanctum sepulcrum ac Terram sanctam, ad quod ipse strenuissime juvit, fecerunt eum regem Jerusalem Terræque sanctæ. Verumtamen ex maxima humilitate, nunquam ferre voluit regium diadema, dicens se nequaquam velle auream ferre coronam illo in loco ubi Dominus suus Christus Jesus, unigenitus Filius Dei, spineam portavit coronam.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ASCENDENS JESUS IN NAVICULAM, TRANSFRETAVIT. Matth. IX, 1-8.

MATTHÆUS evangelista sanctissimus, in A evangelio hodierno describit qualiter Christus paralyticum quemdam curavit, qui pene omnium perdiderat usum ac motum membrorum, et ait : *Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit* per mare Galilææ, *et venit in civitatem suam,* puta Capharnaum : quæ dicitur civitas Christi, non quia in ea conceptus aut natus sit, sed quia in ea frequenter fuit, habitavit, prædicavit ac multa peregit miracula. *Matth.* VIII, 28 et seq. Denique, ante jam Christus in navicula transfretavit ultra mare Galilææ, et B venit in terram Gerasenorum; quumque ibidem docuisset, et duos curasset obsessos, reversus est inde in navicula, sicut nunc scribitur. Venerunt quoque Apostoli in navicula ista cum Christo. Denique in hoc Christi patet humilitas, quod non grandem et cortinatam, sed vilem elegit naviculam. Paupertatem namque et humilitatem, ab utero matris usque ad patibulum crucis, in omnibus præelegit ac docuit.

Et ecce offerebant ei paralyticum ja- C *centem in lecto,* id est, habitatores aliqui urbis Capharnaum, cognito reditu Christi, statim portaverunt ad eum in lecto paralyticum unum, ut eum curaret. Et ut Marcus habet, *Marc.* II, 3. portabatur a quatuor viris. Atque ut Lucas testatur, *Luc.* V, 19; *Marc.* II, 4. quum domum in qua Jesus prædicavit, præ multitudine audientium ingredi non valerent, ascenderunt tectum, et facto in eo magno foramine, per tegulas submiserunt paralyticum istum in lecto ante Jesum, per funes, ut creditur. *Et videns Jesus* oculo interio- D ri, *fidem illorum* qui adduxerunt hunc ægrum : quorum magna fides in exterioribus eorum actibus relucebat, sed Christus cordium est inspector; *dixit paralytico : Confide, fili,* id est, spera te adepturum corporis sanitatem : imo majora recipies. Nam subditur : *remittuntur tibi peccata tua,* propter quæ forsan sustinuit paralyticus hic ægritudinem istam. Sciendum vero, quod antequam Christus dixit paralytico verba hæc, infudit ei displicentiam seu contritionem quamdam culparum suarum : non enim dimittuntur adultis sua peccata, nisi pœniteant, seu absque prævia contritione eorum.

Et ecce quidam de Scribis, id est legisperitis seu doctoribus Judæorum, quorum Scribarum multi tunc aderant, ut legitur apud Lucam : *Luc.* V, 17. qui magis venerunt ex curiositate et animo insidiandi ac calumniandi, quam desiderio proficiendi; *dixerunt intra se,* id est cogitaverunt (cogitatio namque est interior locutio) : *Hic blasphemat,* id est, Deo contumeliam facit, usurpando sibi quod Dei est, videlicet dimittere culpas. Dixerunt enim in cordibus suis, secundum Lucam : *Ibid.* 21. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Quoniam ergo putabant Jesum esse hominem purum, imposuerunt ipsi crimen blasphemiæ, eo quod dixit, « remittuntur tibi peccata tua », quum tamen non dixerit, Dimitto tibi peccata tua, sed, « remittuntur » : quod etiam unus alius posset dicere peccatori, si Deo revelante sciret illum veraciter pœnitere. Verum Scribæ isti ex invidia traxerunt verba Christi ad partem reprehensibiliorem, non ad pium intellectum : ut moris est perversorum, qui promiores sunt reprehendere quam emendare. Nihilo minus Christus verus Deus, per verba hæc insinuavit se divina auctoritate huic infirmo peccata sua dimittere. Præterea advertendum, quod tribus modis blasphemia in Deum committitur : primo, quando ab eo negatur quod ei convenit; secundo, dum ei attribuitur quod sibi non competit; tertio, quando id quod Dei est aliquis sibi usurpat : sicque Scribæ imposuerunt Christo crimen blasphemiæ.

Et quum vidisset Jesus, id est, mente intuitus esset, *cogitationes illorum, dixit* eis : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris,* imputando mihi blasphemiam, qui indesinenter honorifico Patrem meum æternum ? Sic Salvator divinitatem suam submonstravit, cordium reserando arcana. Subinde probat eamdem per grande miraculum. *Quid est facilius dicere,* id est dicendo efficere, istud videlicet quod *remittuntur tibi peccata tua, an dicere* cum effectu, *Surge,* o paralytice, *et ambula* omnino sanatus ? *Ut autem sciatis quoniam,* id est quod, *Filius hominis* (noverant turbæ quod per Filium hominis intellexit se ipsum, quia communiter ita expressit se) *habet potestatem in terra,* id est in hominibus qui demorantur in terra vel in loco peregrinationis præsentis, *dimittendi peccata,* secundum quod Deus est, per auctoritatem primam ac principalem, ita quod operari possit in anima, maculam culpæ per nitorem infusæ gratiæ auferendo. Loquitur quippe nunc Christus de potestate sua divina, increata, immensa : aliter argumentum istud non videretur concludere. *Tunc ait paralytico.* Hoc verbum interponit Evangelista. Christus enim adjecit : Tibi dico, paralytice, *surge* sanus de lecto quo jaces, *tolle lectum tuum,* in signum quod plene curatus es, *et vade in domum tuam.*

Joann. VIII, 49.

Sed quæritur, quomodo ista argumentatio valeat, quum utique majus sit animam a peccato curare, quam corpus infirmum sanare. Dicendum, quod Christus intendit probare utrumque soli omnipotenti Deo posse competere. Nam quamvis paralysis naturaliter possit curari, et item miraculose per virtutem infusam seu homini præstitam, tamen tam imperialiter, instantanee ac auctoritative eam curare, non competit nisi divinæ potentiæ. Ideo Christus ostendendo se taliter posse curare paralysim, ostendit se etiam posse dimittere culpam et esse Deum.

Et surrexit paralyticus jam sanatus, *et abiit in domum suam* cum gaudio vehementi. *Videntes autem turbæ* tantum miraculum, *timuerunt.* Cur non potius exsultaverunt, quum valde delectabile sit nova, præsertim facta miraculosa, videre, propter quæ videnda multi remote discurrunt ? Objectum quoque timoris est malum : istis autem non malum, sed bonum objiciebatur videndum. Et respondendum, quod ex isto prodigio perpenderunt Christi sanctitatem ac dignitatem, quem licet nondum credebant Deum, tamen tenebant eum esse virum sanctissimum, divina virtute agentem : sicque Christi sanctitate pensata, propriam quoque defectuositatem et culpam consideraverunt, quia opposita juxta se posita clarius innotescunt; sicque ultionem divinæ formidabant justitiæ, et se ipsos abhorruerunt, Christi quoque præsentia se reputabant indignos, et eum offendere verebantur. *Et glorificaverunt,* id est, gloriosum, pium ac omnipotentem esse professi sunt, *Deum, qui dedit potestatem talem hominibus,* scilicet faciendi miracula. Cur non dixerunt singulariter, Qui dedit potestatem talem homini huic ? Dicendum, quod forsan intendebant ponere plurale pro singulari; vel nondum putabant majorem potestatem datam Christo, quam Moysi et Prophetis.

SERMO SECUNDUS

DE SPIRITUALI COMPARATIONE NAVIS ET ECCLESIÆ, MARIS ET MUNDI, TRANSFRETATIONIS VITÆQUE PRÆSENTIS.

IMPII *quasi mare fervens quod quiescere non potest.* Is. LVII, 20. A

Qualiter per navem possit intelligi crux Christi ac pœnitentia, monastica quoque religio, itemque Ecclesia, crebro prætactum est; nunc tamen plenius est tangendum quomodo per navem designetur Ecclesia. Itaque navis est vehiculum ligneum quo homines deferuntur per aquas; ita Ecclesia est vehiculum per quod fideles transferuntur per sæculum istud nequam, ad portum salutis æternæ patriamque cœlestem. Nec aliquis potest evadere pericula B sæculi, neque salvari, nisi in Ecclesia exsistendo : quod significatum est per arcam Noe, quæ apertissima fuit figura Ecclesiæ, *Gen.* VII, 23. extra quam nullus hominum temporis illius evasit demersionem in aqua. Nec sufficit in Ecclesia permanere per fidem *Jacob.* II, 26. dumtaxat, quoniam fides sine operibus mortua est; sed oportet quoque per caritatem et divinorum observantiam præceptorum in Ecclesia perseverare, sicut *Matth.* XIX, 17. ait Salvator : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. C

Nec mirum quod Ecclesia navis vocetur, quum quilibet vir perfectus possit communis populi navis dici. Legitur enim IV *Reg.* II, 11, 12. quarto Regum, quod dum Deus omnipotens tolleret ac transferret beatissimum Eliam prophetam in paradisum in igneo curru, Eliseus clamavit ad ipsum Eliam : Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus. Quod non est intelligendum quasi per currum Israel intellexerit Eliseus igneum currum in quo transferebatur Elias; sed per currum Israel intellexit Eliam, quem D etiam per aurigam Israel intellexit. *Ibid.* XIII, 14. Unde et postea, ægrotante Eliseo ad mortem, venit ad eum rex Israel, flevitque coram eo, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus. Itaque tam Elias quam Eliseus appellatus est currus Israel, hoc est Israeliticæ plebis, quoniam per modum currus portavit unusquisque eorum populum illum, defectus plebis illius supportando, pro ea rogando, eamque ad finem salubrem pro posse vehendo; et sicut auriga dirigit equos, sic ipsi sua discretione direxerunt populum illum ad meliora. Nec dubium quin hoc modo Moyses, Josue, David, ac alii quidam, fuerunt currus Israel et ejus auriga. Porro in novo Testamento, potissimum Christus, deinde summus ac plenus et universalis ejus vicarius gloriosissimus Petrus, et aliquo modo ceteri sancti Apostoli, fuerunt currus populi christiani et ejus auriga; eademque ratione possunt vocari navis populi hujus et gubernator ipsius.

Præterea, vehiculum istud sive navigium recte ligneum nuncupatur, quoniam ex fidelibus constat hominibus, quorum unusquisque lignum seu arbor vocatur, quemadmodum apud Matthæum ait Joannes Baptista : *Matth.* III, 10. Jam securis ad radicem arboris posita est : omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Unde homo virtuosus comparatur arbori pulchræ ac fructuosæ, juxta illud in Psalmo : *Ps.* I, 3. Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et rursus, *Ps.* XCI, 13. Justus ut palma florebit. Propter quod sanctus David, non præsumptuosa, sed grata ac humili mente de se ipso disseruit : *Ps.* II, 10. Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum. Imo et Christus se ipsum dixit viride lignum, quando bajulans sibi crucem exivit, et mulieribus *Luc.* xxiii, 28, 31. ipsum plangentibus ait : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros ; quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?

Secundo, Ecclesia dicitur navis, quoniam sicut navis continue est in aqua, et partim tingitur ea, ita Ecclesia militans, seu populus christianus fide et caritate ornatus, indesinenter est in tribulationibus, persecutionibus tentationibusque nonnullis, *Act.* xiv, 21. quum dicat Apostolus : Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum *II Tim.* iii, 12. cœlorum. Et denuo : Omnes (inquit) qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Deus quoque electos suos in sæculo isto adversis exercet, ut per ea purgentur a vitiis, atque ad gratiarum charismata disponantur. Propter quod *Apoc.* iii, 19. loquitur : Ego quos amo, arguo et castigo. Præterea, homo volens veraciter juxta evangelicam vivere legem, continuam habet pugnam contra aciem vitiorum ac dæmonum, contra proprium corpus et mundum. Propter quod apud Job scriptum *Job* vii, 1. est : Militia est vita hominis super terram.

Tertio, Ecclesia navis vocatur, quoniam sicut navigium supereminet aquis, ita quod eis non totaliter operitur, ita quantumcumque Ecclesia in hoc mundo tribulationibus adversitatibusque prematur, nunquam tamen in toto demergitur, nec succumbit, quia a Spiritu Sancto omnipotente juvatur et conservatur, ne prorsus deficiat. Hinc Christus prædixit discipulis *Joann.* xvi, 33. suis : In mundo pressuram habebitis ; sed confidite, ego vici mundum.

Quarto, quoniam sicut navis contra aquarum pericula fortiter compaginatur et clavis connectitur; atque ne aquæ ab imo eam subintrent, sollicite custoditur : ita Ecclesia, contra invisibilium hostium impugnationes, contra vitiorum læsiones et contra omnes adversitates, per gratiam, virtutes ac dona Spiritus Sancti firmiter ædificatur ac adunatur, præsertim per caritatem A, et velut clavis configitur per Dei timorem ; et ne per occultas dæmonum artes vincatur, diligentissime custoditur et circummunitur, tam per Dominum salvatorem, imo totam superbeatissimam Trinitatem, quam per angelos sanctos, quam etiam per prælatos. Hinc Ecclesia designatur per templum ac civitatem quæ Ezechieli in visione monstrata sunt. Videbatur quippe templum triplici muro Cf. in *Ezech.* xl, p. 612 C, 617 D'. circumdatum, ad insinuandum quod Ecclesia militans triplici spirituali muro circumdatur B, firmatur ac custoditur. Primus est Dominus Deus, seu ejus adsistentia gratiosa, protectio pia, quia ut ait Propheta, Dominus in circuitu populi sui; et *Ps.* cxxiv, 2. iterum, Nisi Dominus custodierit civitatem, *Ps.* cxxvi, 1. frustra vigilant qui custodiunt eam. Hinc in Isaia legitur de Ecclesia : Urbs *Is.* xxvi, 1. fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Secundus murus est angelorum custodia : unde uno modo exponitur quod in Isaia Dominus loquitur, Super muros tuos, Jerusalem, *Ibid.* lxii, 6. C constitui custodes. Tertius murus est prælatorum ac prædicatorum directio seu præsidentia. Istud quoque est figuratum per hoc quod Jerusalem tempore Salomonis, Cf. in III *Reg.* iii, 1, p. 598 B. triplici muro erat circumdata.

Quinto, per navem signatur Ecclesia, quoniam sicut in navi unus est gubernator, cujus directioni obtemperant ceteri, ita in tota Ecclesia est unus pontifex summus universalisque rector, videlicet dominus Papa, cui omnes ac singuli obedire tenentur, cui etiam quilibet Christianus magis D tenetur obedire quam cuicumque inferiori prælato. Quælibet demum particularis Ecclesia proprium habet prælatum, nec in eodem genere prælationis una Ecclesia habere debet nisi unum prælatum. Quemadmodum ergo omnes exsistentes in navi, quantumcumque sint magni, acquiescunt gubernatori, atque ad pedes ejus se ponunt; sic quilibet Christianus, quantumcumque sit litteratus, potens, dives aut nobilis, nihilo minus suo proprio debet humiliter obedire prælato in his quæ ad illius spectant officium : alioqui non solum A prælato, sed et Christo esset rebellis. Siquidem Christus suis ait vicariis, puta *Luc.* x, 16. prælatis : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Quod quantum *Num.* xvi, 1 et seq. displiceat Deo, hinc innotescit, quod Dathan et Abiron, Core et Hon, Moysi rebelles, terra vivos absorbuit. Quilibet ergo Christianus diligenter observare debet præcepta Ecclesiæ, jejunando, festivando, decimas persolvendo, ac alia bona agendo, vitandoque mala, prout jubet Ecclesia.

Sexto, quia sicut in navibus super magna B maria transeuntibus sunt homines in magno timore atque custodia propter diversa maris pericula, sic in Ecclesia debent universi fideles esse timorati, custoditi atque solliciti coram Deo, ne eum offendant, ne æternaliter pereant. Si etenim navigantes in magno exstant timore ac custodia pro temporali vita et exteriori substantia conservanda, quanto magis Christiani in hoc sæculo peregrinantes, debent summe esse timorati ac custoditi, ne spiritualem mortem animarum suarum C incurrant, ne virtutes et dona Spiritus Sancti amittant, ne æterna felicitate priventur, ne in perpetua inferorum tormenta *Prov.* xxiii, 17, 18. projiciantur ? Ideo Salomon ait : In timore Domini esto tota die, et habebis spem in *Philipp.* ii, 12. novissimo. Apostolus quoque : Cum metu (inquit) et timore ac tremore vestram operamini salutem.

Septimo, quoniam sicut in navi non quæritur cibus et potus delicatus atque superfluus, nec mansio spatiosa, ita in Ecclesia volens integer esse et computari, D nequaquam debet delectabilia ac mollia carni appetere, nec divitiarum abundantiam quærere, sed pœnitentialem ducere vitam, et mediocri victu ac decenti vestitu esse contentus, sicque juxta doctrinam I *Cor.* ix, 27. Apostoli, castigare proprium corpus et in servitutem redigere. Propter quod jubet *Luc.* xxi, 34. Salvator : Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, ac curis hujus sæculi. Quemadmodum enim navis si nimium oneretur, demergitur, sic qui volunt ditari, deliciari ac honorari, in æternæ damnationis profunda labuntur, Christo testante qui loquitur : Væ vobis divitibus, *Luc.* vi, 24, 25. qui habetis consolationem vestram, væ vobis qui ridetis; et iterum, Quomodo potestis *Joann.* v, 44. credere (scilicet fide formata), qui gloriam ab invicem accipitis ?

Insuper nunc dicendum, cur mundus iste vocetur mare. Cujus multæ sunt causæ. Prima, quoniam sicut in mari multi periclitantur, ita quamplures, imo, proportionabiliter loquendo, valde plures, pereunt in hoc mundo, et in æternum damnari merentur. Nam multi vocati, pauci *Matth.* xx, 16; xxii, 14. vero electi. Secunda, quoniam sicut mare diversis tempestatibus, inquietudinibus, inundationibus plenum est, sic sæculum istud, seu homines pravi, carnalibus desideriis tumultuantur, passionibus agitantur, nec in Deo, neque in ratione, neque in virtutum medio stabiliuntur, sed de uno peccato ruunt in aliud. Hinc apud Job dicitur : Si iniquitatem abstuleris a te, stabilis *Job* xi, 14, 15. eris. Tertia, quoniam sicut aqua maris amara et salsa est, ita mundanorum hominum mentes, vitiorum amaritudinibus adimplentur, ira, indignatione, invidia, et curas habent superfluas angustiasque diversas. Unde et Christus divitias *Matth.* xiii, 22. comparat spinis, quia et cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur. Quarta, quoniam sicut mare insatiabile dicitur, juxta illud Ecclesiastæ, Omnia flumina intrant in mare, *Eccle.* i, 7. et mare non redundat; sic corda hominum iniquorum, nec divitiis, nec voluptatibus, nec honoribus satiantur, sed semper adspirant ad amplius. Ut ergo non simus similes mari, conemur in pacis tranquillitate firmari, in rectæ rationis judicio stabiliri, et contra passionum inquietudines virtutibus decorari ac roborari moralibus, contra vitiorum quoque amaritudines ac sæculi acerbitates spiritualibus recreari consolationibus, atque in bonis actibus delectari, in divinorum contemplatione lætari, quemadmodum ait Propheta : Memor fui Dei, et delectatus sum. *Ps.* lxxvi, 4.

Postremo, per transfretationem maris designatur conversatio virtuosa, qua omni hora electi tendunt ad patriam beatitudinis sempiternæ.

Studeamus ergo quotidie per arctam viam salutis ad regnum propinquare cœleste, omnia carnis ac spiritus inquinamenta vitando, in verbis servando decentiam, in cibo, potu, vestitu ac somno moderantiam fixam, atque ab omni superbia, invidia, incontinentia, avaritia, acedia, ceterisque mortalibus vitiis, multo plus quam a serpentibus ac draconibus fugiendo : quemadmodum secundo Machabæorum describitur de venerabili ac virtuoso illo Eleazaro, ætate sancta provecto. *II Mach.* VI, 18 et seq. Qui quum esset nonaginta annorum, et a gentilibus urgeretur comedere carnem porcinam contra Moysis legem, nullatenus acquievit, sed amarissima maluit pati supplicia ac mortem durissimam, quam vesci cibo in lege Dei prohibito : unde gentiles illi, ministri Antiochi, acerbissimam ei mortem intulerunt in tam senili ætate. Sicque venerandus senior ille reliquit nobis præclarum exemplum, ut potius eligamus omnia mundi pati adversa ac mortem pœnosam, quam Dei prævaricari præceptum.

SERMO TERTIUS

DE SPIRITUALI INTELLECTU EORUM QUÆ CIRCA PARALYTICI CURATIONEM ACTA SUNT.

U*NICUIQUE mandavit Deus de proximo suo.* Eccli. XVII, 12.

Quemadmodum Deus præcepit hominibus ut unusquisque diligat proximos suos, sic jussit eisdem ut quilibet loco et tempore opportuno benefaciat et succurrat proximis suis, tam in spiritualibus quam in corporalibus rebus. Hoc quoque in *Matth.* VII, 12. Evangelio Christus exprimit, dicens : Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis. Unde et Tobias *Tob.* IV, 16. ait : Quod tibi non vis ab alio fieri, vide ne aliquando alii facias. Sicque istud est tam de jure naturali quam divino.

In primis autem mandavit unicuique Deus de proximo suo, ut præbeat ei bonum exemplum, et ne scandalizet eum directe. Unde, secundum Augustinum, proximis tenemur bonam famam : nam qui in conspectu aliorum male agit aut impie vivit, tot quantum in ipso est, spiritualiter perimit, a quantis conspicitur. Secundo mandavit Deus unicuique de proximo suo, ut congruo loco et tempore caritative corripiat eum, dum exstat culpabilis : quia ad correptionem fraternam omnes, secundum Augustinum, tenentur, quum dicat Salvator, Si peccaverit in te *Matth.* XVIII, 15. frater tuus (hoc est te sciente proximus tuus), vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Quocirca asserit Augustinus : Si corripere eum neglexeris, pejor eo efficeris. Tertio mandavit Deus unicuique de proximo suo, ut oret pro eo, juxta illud Jacobi, Orate pro invicem, ut salvemini; *Jacob.* V, 16. et item ut instruat eum, hortetur ac dirigat quantum potest, dum causa et tempus requirunt. Quarto, ut in necessariis vitæ ei subveniat indigenti, atque a corporalibus nocumentis ac læsionibus eum pro viribus protegat, quantum permittit justitia. Impendat ergo hæc omnia unusquisque proximis suis pro posse, juxta exigentiam causæ ac temporis. Sed væ eis qui absque timore perpetrant mala, et sine erubescentia coram aliis peccant, præsertim qui alios trahere ad peccata nituntur, ut homines incontinentes, ac alii multi. De quibus in Isaia legitur : Peccata *Is.* III, 9. sua quasi Sodoma prædicaverunt; in Pro-

Prov. II, 14. verbiis quoque, Lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. O quam remote hi distant a Christi doctrina et a via salutis !

Præterea, hujus doctrinæ, videlicet qualiter debeat unusquisque proximo suo cooperari ad bonum, habemus in evangelio hodierno efficax evidensque exemplum, in quatuor viris istis qui paralyticum in lecto jacentem tulerunt ad Salvatorem; qui quum præ multitudine turbæ non valerent accedere, ascenderunt tectum, et illo nudato, per tegulas submiserunt eum in medio ante Jesum. Itaque dum Christiani, præsertim prælati et qui animarum curam habent, ac seniores atque parentes, viderint quempiam spiritualiter paralyticum, id est acediosum, lascivum, aut quibuscumque magnis peccatis fœdatum, portare eum protinus debent ad Jesum, orando pro ejus conversione, seu hortando eum ad emendationem, et loquendo ei de pertinentibus ad salutem, item ducendo eum ad ecclesiam, ad sermones, et ad homines spirituales, quorum exemplo, fama, doctrina, meritis ac precibus possit converti. Si etenim caritativum et pium fuit corporali paralysi tabefactum pro corporea sanitate ferre ad Salvatorem, nonne multo plus amorosum atque piissimum est, spiritualiter paralyticum seu in mortali vitio exsistentem, præfatis modis pro spirituali curatione Salvatori adducere ? Hinc zelus animarum est sacrificium Deo gratissimum; atque, ut divinus Dionysius protestatur, De Cœlest. hier. c. III. omnium divinorum divinissimum est Deo cooperari in reductione animarum ad eum. Ideo beatissimus Jacobus ait apostolus : Jacob. v, 20. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. Et sicut istud est valde divinum et sanctum, ita homines ad peccandum inducere, a via salutis avertere, diabolicum est omnino et impiissimum vehementer.

Præterea, sæpe contingit ut quum quis vult aliquem ita ad Christum convertere, A præ multitudine impiorum non potest id adimplere, quia impeditur a pravis hominibus, qui ex proposito trahunt peccatorem ad vana et ad permanendum in culpa. Sed tunc homo devotus et caritativus debet ascendere tectum, id est ad altitudinem divinæ pietatis confugere, et alta contemplationis intrare, considerando qualiter supersapientissimus Deus omnia intueatur, nec sperantes in se derelinquat, sicque indesinenter pro peccatore orare, eumque divinæ pietatis conspectui præsentare, B nec cessare a bono incepto, quousque obtineatur effectus : siquidem per hujuscemodi actus meretur frequenter unus alteri gratiam conversionis.

Insuper, nunc pensandum qui per istos quatuor portitores hujus paralytici designentur. Per quos primo intelligi possunt divinus instinctus hominem ad bona instigans (juxta illud in Psalmo : Ps. LXXXIV, 9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; pro quo orat Propheta, dicendo : Ps. CXVIII, 36. Inclina cor meum in testimonia tua; et rursus, Ibid. 133. Gressus meos dirige secundum eloquium C tuum); item angelica inspiratio, exhortatio quoque superiorum, et naturalis instinctus ad bonum (quia synderesis semper movet ad bonum, secundum Hieronymum), seu propria ratio per Scripturas instructa seu naturali lege edocta. Itaque quatuor ista quotidie incitant nos ad bona, videlicet : Deus omnipotens seu ejus instinctus, angeli sancti, homines boni, potissimum præsidentes, et ratio naturalis sive synderesis. Et certe valde ingratus D ac durus est, qui tot tamque dignissimis ad bonum incitatoribus non obedit nec acquiescit, sed dæmonibus desideriisque iniquis præbet assensum.

Amplius per hos quatuor portitores possunt intelligi quatuor novissimorum diligentes considerationes, quæ si quis profunde consideret, peccata vitabit, juxta illud Ecclesiastici : Eccli. VII, 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Hæc vero novissima sunt : mors, divinum judicium, pœna inferni, gloria cœli. Consideremus ergo vivaciter A ac frequenter quam cito moriemur, quam amara sit mors, quam incerta sit nobis hora ipsius; quam graviter a dæmonibus in agone tentabimur, quam vehemens ac multiplex tunc erit angustia nostra, quanta formido; quam periculosa sit *Ps.* xxxiii, 22. mors impiorum, sicut ait Propheta : Mors *Ps.* cxv, 15. peccatorum pessima. Pretiosa autem in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

Consideremus quoque districtionem divini judicii, tam in mortibus singulorum quam in die novissimo; pensemus B *Matth.* xii, 36. qualiter exiget Deus rationem a nobis de omni verbo otioso, multo plus de omni verbo iniquo, lascivo, mendoso, detractorio, pungitivo, de omni cogitatione vana, de omni affectione perversa, de omni opere pravo, et de omni bono ad quod tenemur omisso. O quam metuendum est exspectare irrevocabilem illam Judicis summi sententiam, qua vel æterna damnatio vel perpetua salus redditur pro mercede ! *Hebr.* x, 31. Certe, sicut fatetur Apostolus, horrendum est incidere in manus Dei viventis. C

Insuper attendamus infernalium tormentorum multiplicitatem atque inæstimabilem acerbitatem : quantus sit ardor tartarei ignis, quam amara sit desperatio illa æterna; quam afflictivus innumerabilium dæmonum sit adspectus, quum unum dæmonem intueri tam intolerabile sit in vita præsenti ; quid sit in igne illo calidissimo, sine spe evasionis, perpetuo cruciari, quum per unam horam, in fornace ardenti nemo velit pro toto mundo jacere. O quanta est excæcatio peccatorum ista D non attendentium, sed quotidie peccatis peccata addentium ! Merito sanctus Moyses *Deut.* xxxii, 28, 29. dixit de eis : Gens absque consilio est et sine prudentia; utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.

Adhuc autem pensemus æternæ beatitudinis gloriam : quanta sit Beatorum jucunditas, qui summo, infinito et incommutabili bono ad libitum cum inviolabili securitate immediate fruuntur, et supergloriosissimam Trinitatem clare per speciem æternaliter intuentur; quorum tanta est salus ac gloria, ut mille anni eis videantur vix unum momentum, quemadmodum tanta est damnatorum miseria, quod una hora videtur eis mille anni.

Præterea, per hos quatuor portitores possunt intelligi bona et devota societas, quæ homini valde cooperatur ad bona, sicut et societas prava maxime nocet et trahit ad vitia; item paterna visitatio qua Deus per adversa visitat hominem, ita quod vexatio ei tribuit intellectum (unde *Is.* xxviii, 19. in Job dicitur : Visitat per dolorem in *Job* xxxiii, 19, 30. lectulo, et omnia ossa hominis marcescere facit, ut revocet eum ab impietate) : hoc modo plurimi convertuntur ad cor, imo ad Deum ; eleemosynarum quoque largitio et ceterorum operum misericordiæ exercitatio, quoniam scriptum est, Beati misericordes, quoniam ipsi miseri- *Matth.* v, 7. cordiam consequentur; et item preces ac merita devotorum, nam et paralytico huic Christus subvenit merito fidei et virtutis eorum qui eum tulerunt. Ideo studeat unusquisque, virtuosorum ac sapientium hominum uti consortio, quia ut ait Hieronymus, nihil tantum nocet ut mala societas; cupiat quoque a Deo in hac vita paternaliter castigari, ne pereat in æternum : siquidem beatus homo qui corripitur *Job* v, 17. a Domino. Sed et operibus misericordiæ, tam corporalibus quam spiritualibus, unusquisque pro posse caritative liberaliterque insistat, et devotorum precibus ac meritis juvari se deprecetur; atque ut hoc sortiatur, devotos honoret, diligat, et eis pro posse deservire ac benefacere non omittat.

Postremo, quemadmodum in tertio libro Vitaspatrum describitur, sanctus abbas Arsenius dixit : Quum quidam eremita senex sederet in cella sua, venit angelus Dei dicens ad eum, Veni, ostendam tibi opera hominum. Duxitque angelus eremitam illum ad quemdam locum, et ostendit ei Æthiopem ligna incidentem facientemque sarcinam grandem : quam quum vellet levare, non poterat præ gravitate; et pro eo quod debuisset sarcinam minorare, ivit

A et abscidit plura ligna, ac sæpius auxit eam. Deinde angelus parum procedens, ostendit sancto eremitæ hominem haurientem aquam ex puteo et effundentem eam in cisternam pertusam, quæ refundebat aquam illam in puteum. Iterum dixit ad eremitam : Veni, ostendam tibi aliud. Ostenditque ei templum et duos viros equestres lignum ex transverso portantes ; et volebant per januam templum intrare, nec poterant propter lignum illud quod vehebant transversum sive per longum ; et non B inclinantes se unus post alium ut ferrent lignum illud directum, remanserunt extra templum. Quumque eremita interrogaret angelum quid ista significarent, respondit : Per istos equestres, designantur superbi quorum unus non vult se alteri humiliare, ideo remanent extra regnum Dei. Per eum vero qui sarcinam fecit de lignis, intelliguntur hi qui in multis et magnis peccatis sunt, atque pro eo quod pœnitentiam agerent et peccata sua minuerent, augent ea. Porro per haurientem aquam, signantur qui bona opera efficiunt, sed propter mala admixta Deo non placent. Idcirco oportet hominem esse acutum ac sobrium in considerandis operibus suis, ne frustra laboret.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE RENOVATIONE SENSITIVI APPETITUS CETERORUMQUE HABITUUM INTELLECTUM ET VOLUNTATEM PERFICIENTIUM, ET QUIBUSDAM ALIIS ORNAMENTIS ANIMÆ.

C RENOVAMINI *spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Ephes. IV, 23, **24**.

Anima rationalis, quantum ad naturalia sua, ad summæ Trinitatis imaginem est creata. Sed illa naturalis sua similitudo cum Creatore, nuda, informis et imperfecta consistit. Per peccata autem corrumpitur et fœdatur, non tamen penitus tollitur; sed per dona gratiæ gratum facientis reficitur ac perficitur. Renovatur autem non solum in infusione charismatum gratiæ, D sed etiam per gratiæ ac virtutum profectum, per donorum et fructuum incrementum ; et quanto in illis magis proficimus, tanto spiritualiter recentiores efficimur. Ideo quum Propheta loquens de *Ps.* CII, 5. Deo dixisset animæ suæ, Qui replet in bonis desiderium tuum, mox addidit : Renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Itaque, juxta doctrinam Apostoli, renovemur quotidie, imo omni hora, « spiritu mentis » nostræ, videlicet in superiori parte animæ nostræ, in dono sapientiæ, in salutari scientia, in vera discretione, ceterisque habitibus intellectum perficientibus proficiendo, ut sic vis intellectiva seu ratio nostra renovetur, ornetur ac perficiatur ; et potissimum in contemplatione Dei, quæ est actus doni sapientiæ, crescere omni die conemur, atque ad tam salubrem profectum, per orationes et dominicæ passionis affectuosas meditationes nos disponamus. Insuper renovemur in superiori vi appetitiva, scilicet voluntate, in caritate Dei et proximi, in vera justitia, pietate, fortitudine, filiali timore, spe æternorum, ac ceteris habitibus voluntatem perficientibus concrescendo. Studeamus quoque ad hoc, ut memoria nostra stabiliatur in his. Tunc in anima nostra Dei imago speciose splendebit, eritque Sponso cœlesti anima

Prov. VIII, 31. nostra valde cara ac placita; eruntque deliciæ ejus esse in ea, A et quotidie eam magis ac magis divinis charismatibus fecundabit; II Cor. IV, 16. et cum Apostolo fari poterimus: Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.

Verumtamen ad hanc mentis renovationem perfectam nequaquam pervenire poterimus, nisi in primis appetitus noster sensitivus in suis passionibus per virtutes reformetur ac decoretur morales, quoniam fumus ac impetus passionum mentem ob- B tenebrant, quemadmodum vapores ac nebulæ aerem. Si autem appetitus sensitivus fuerit per virtutes morales bene ac firmiter reformatus, armatus ac confortatus, tunc etsi motus passionum subito oriantur in eo, non tamen prævalebunt, nec usque ad superiorem animæ partem, in qua Trinitatis imago resplendet, ascendere poterunt, illamve offuscare: quemadmodum impressiones meteorologicæ, quamvis generentur in aere, ad cœlestium corporum regionem non queunt pertingere. C

Ephes. IV, 23. Hinc quum dixisset Apostolus, «Renovamini spiritu mentis vestræ», protinus sub- Ibid. 24. didit: « Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est», id est, Christum sequamini, similitudinem ejus assu- Rom. XIII, 14. mite, juxta illud: Induite Dominum Jesum. Qui dicitur novus homo propter singularem suam formationem ac productionem Luc. I, 26 et seq. secundum naturam assumptam, quia conceptus est de Spiritu Sancto et natus ex Virgine, nec unquam fuit in eo ulla vetustas culpæ. Quem debemus induere se- D quendo ejus vestigia, ut vere et digne ab ipso Domino Jesu Christo Christiani voce- I Joann. II, 6. mur, juxta quod ait Scriptura: Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Quid est Christi vestigia sequi, nisi ab eo per effe- Matth. XI, 29. ctum addiscere quia mitis est et humilis Ibid. XX, 28. corde, et quod non venit ministrari, sed Philipp. II, 8. ministrare, et quia obediens factus est Joann. V, 30. Patri usque ad mortem, quia non venit facere voluntatem suam, sed Patris æterni?

Denique passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, I Petr. II, 21. faciendo quod ait: Qui vult Luc. IX, 23. venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Istud est Christum induere, per ar- Matth. VII, 14. ctam viam incedere, in adversitatibus, correptionibus, castigationibus, aspernationibus, sicut in omnibus divitiis gloriari. Et sicut, teste Apostolo, Christus non clarifi- Hebr. V, 5. cavit se ipsum ut pontifex fieret, sic nullus ad primatum adspiret se ipsumve ingerat, aut in eo inordinate et ambitiose manere nitatur, quia vindex est Dominus I Thess. IV, 6. de omnibus his. Discipulis quoque de primatu concertantibus dixit: Nisi conversi Matth. XVIII, 3. fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. O quam metuenda sunt verba hæc, si rite pensentur! Ideo Climacus protestatur: Quemadmodum ignis non parit nivem, ita neque qui in præsenti quærit honorem, futuri honoris jucunditate fruetur; et rursus, Quemadmodum qui in scalam ascendunt teredine putrentem et vetustate corruptam, periclitantur, ita in honoribus et prælationibus, in fama et gloria periclitantur qui diligunt ea, quæ amata, sunt veræ humilitati contraria, et habentem subtus cadere faciunt atque dejiciunt. Chrysostomus quoque: Quis est, inquit, qui cupit præesse, nisi qui non timet judicium Dei?

Præterea, juxta Apostoli documentum, Ephes. IV, 25. deponamus omne mendacium, non solum perniciosum, sed et jocosum ac officiosum. Quum enim Deus sit veritas, et omne mendacium veritati repugnet, constat quod et Deo displiceat atque culpabile sit. Potissimum autem nos sacerdotes et religiosi, quorum ora consecrata sunt Deo, qui verba divina incessanter proferimus, et per sacratissima verba corpus et sanguinem unigeniti Filii Dei consecramus, ab omni verbo mendaci, imo ab omni verbo illicito, præsertim detractorio, pungitivo, contumelioso et discordiæ seminativo, prorsus abstineamus. Summe quoque cavendum est nobis ne in capitulo A aut alibi a superioribus nostris aut etiam a confratribus correpti, excusemus nos non vere, et incurramus enorme mendacium. Nec aliqua calliditate palliemus aut occultemus nostros excessus ex quocumque rubore, vel ut disciplinam effugiamus, *Hebr.* XII, 7, 8. quum dicat Apostolus : In disciplina perseverate; quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis. Impleamus *Josue* VII, 19. ergo quod Josue ait : Fili mi, da honorem Deo, et confitere atque indica quid feceris, nec abscondas. Qui peccatum suum B negat, abscondit, palliat vel excusat, similis est vulnerato et infecto qui medico non vult detegere vulnera sua, neque evomere ingesta sibi venena. Impleamus quoque compendiosissimum illud dogma Apo- *Ephes.* IV, 29. stoli : Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti.

Præterea, juxta doctrinam præsentis epi- *Ibid.* 26. stolæ, sic irascamur ut non peccemus, neque in ira perseveremus, quia iram per zelum licenter assumere possumus, maxi- C me contra propria vitia. Iram vero per vitium prorsus eradicare nitamur : quod sine humilitate non valemus implere, Climaco protestante, Quemadmodum non est possibile sine armatura fortem bestiam capere aut necare, sic non est possibile sine humilitate inirascibilitatem possidere. Porro, qui propter alterius culpam inordinate irascitur, et cum passionis vehementia illum redarguit, se ipsum lædit ut alium sanet.

Ibid. 27. Postremo, ut docet Apostolus, non de- D mus locum diabolo. Cui locum damus non solum peccando mortaliter, quia sic damus ei locum ad possidendum nos sibi in servos; sed etiam quodammodo damus ei locum peccando venialiter et habendo nos remisse, tarde ac negligenter, quia per hoc concedimus ei occasionem et aditum tentandi ac pertrahendi nos ad pejora. Qui autem protinus et indesinenter ac fervide resistit omni suggestioni malignæ, omni affectioni inordinatæ, omni negligentiæ, non dat locum diabolo. Et istud utique necessarium est volenti proficere : quia si quis una hora devotus ac diligens est, alia vero remissus et vagus ac levis, non proficit; sed quod uno tempore colligit, alio stultus dispergit, estque similis mit- *Agg.* I, 6. tenti merces in sacculum pertusum. Hinc asserit Climacus : Quemadmodum cancri cito progredi nequeunt, quia quandoque ante, quandoque retro gradiuntur, et per hoc faciliter capiuntur; sic anima quandoque ridens, quandoque lugens, quandoque deliciis utens, quandoque pœnitentia se affligens, nihil proficere potest. Necesse est ergo ut simus jugiter custoditi, et tunc plus ubi major est dissolutionis occasio, nec immoderate utamur indulto solatio. Et sicut fons ex eodem foramine non emanat *Jacob.* III, 11. amaram et dulcem aquam, ita ex eodem ore nostro non procedant verba veritatis et verba falsitatis, verba exemplaria et verba scandalizantia, verba Dei et verba diaboli.

Rursus, hortatur Apostolus ut qui fura- *Ephes.* IV, 28. batur, jam non furetur, sed laboret manibus suis, ut tribuat necessitatem patienti. Sic quidquid potest manus nostra, id *Eccle.* IX, 10. est quæcumque vis seu potentia boni operativa, instanter agamus, quatenus in bonis actibus taliter abundemus, quod aliis, præsertim benefactoribus, propinquis et commissis, ac nostra suffragia cupientibus, cunctisque indigentibus, subvenire possimus.

SERMO QUINTUS

QUO PACTO PER NAVICULAM, NEDUM MONASTICA, SED TOTA RELIGIO CHRISTIANA DESIGNETUR ; ET DE VERA ET FALSA POENITENTIA.

ASCENDENS *Jesus in naviculam,* A *transfretavit, et venit in civitatem suam.* Matth. IX, 1.

Quemadmodum per naviculam monastica designetur religio, superius dictum re- *Cf.* t. XXIX, p. 246 Bets. cordor. Nec solum monachalis, sed et christiana religio, ad quam universi tenentur fideles, potest per naviculam significari. Primo, quoniam sicut in navi est tenuis victus, sic et christiana religio cunctos suos cultores ad sobriam semper vitam, et certis diebus ad abstinentias atque jejunia obligat, quoniam cunctis fidelibus B *Luc.* XXI, 34. ait Salvator : Videte ne graventur corda *Ibid.* VI, 25. vestra crapula vel ebrietate ; itemque, Væ vobis qui saturati estis. Secundo, quoniam sicut exsistentes in navi, propter imminentia pericula sunt in continua custodia et timore, sic christiana religio omnibus *Philipp.* II, 12. suis professoribus jubet cum timore et tremore propriam operari salutem, et cum metu ac reverentia Deo servire, eumque *Matth.* X, 28. super omnia formidare qui habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam. Tertio, quoniam sicut navis aquarum C *II Tim.* III, 12. inundatione hinc inde concutitur, sic omnes qui volunt pie vivere in Christo secundum christianam religionem, persecutio- *Act.* XIV, 21. nem patiuntur, et per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Nam et Do- *Matth.* XI, 12. mino protestante, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, utpote hi qui efficaciter præliantur contra proprias concupiscentias, passiones et inclinationes malignas. Quarto, quia quemadmodum exsistentes in navibus, frequenter a piratis ac aliis impugnantur, sic in christiana D religione Domino ministrantes, a mundo atque dæmonibus sæpissime invaduntur, dicente Apostolo : Non est nobis *Ephes.* VI, 12. colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

Quinto, quoniam sicut navis a suo frequenter impeditur progressu ex contrariis ventis aut etiam nimia tranquillitate maris ; sic veraciter christiani a profectu virtutum quem christiana docet religio, frequenter ex diversis causis præpediuntur, videlicet ex curis et necessitatibus corporis, ex fragilitate et instabilitate propriæ mentis, ex diversis occupationibus, suggestionibus, tentationibus occurrentibus. Nam corpus hoc fragile quod gestamus, nunc cibo et potu, nunc somno, nunc aliis plurimis indigens, a spiritualibus exercitiis sæpe nos impedit, quemadmodum scriptum est : Corpus quod corrumpitur, *Sap.* IX, 15. aggravat animam. Propter quod dixit Apostolus : Quis me liberabit de corpore mor- *Rom.* VII, 24. tis hujus ? Et alter : Educ (inquit) de carce- *Ps.* CXLI, 8. re animam meam ad confitendum nomini tuo. Denique de hoc in Phædone sic loquitur Plato : Quamdiu habuerimus corpus, et conglutinata fuerit anima huic malo, nunquam plene adipiscemur quod cupimus. Decies enim millena vacationum impedimenta nobis inde proveniunt, propter corporis necessitatem et alimoniam. Amplius, si quid morbi acciderit, impediet animam nostram, quæ et diversis amoribus, et timoribus, et concupiscentiis, ac idolis omnifariis, a contemplationibus impeditur. Et iterum notabiliter ait : Si quæ nobis aliquando fiat vacatio a corpore, et convertamur ad considerandum quod verum est, iterum undique illabens, tumultum præstat et turbationem, ac stupefacit, ut non possimus sub eo conspicere A veritatem.

Sexto, quoniam sicut navis partim immergitur aquis, et partim supereminet eis : sic christiana religio partim circa corporalia quædam versatur, et quasi terrestris est; partim vero, imo et principaliter divinis spiritualibusque intendit, atque cœlestis est. Septimo, quia sicut in navi unus gubernator est, sic christiana religio docet unum summum Christi vicarium universis præesse fidelibus. Octavo, quoniam sicut navis transvehit navi- B gantes ad locum cupitum, sic christiana religio suos professores ac viatores ad portum deducit salutis æternæ. Nono, quoniam sicut navis contra aquarum pericula compaginatur, clavis connectitur; sic christiana religio contra suæ fidei adversarios veteris ac novi Testamenti consolidatur scripturis, atque innumerabilibus roboratur divinis miraculis soli omnipotenti Deo possibilibus, ac variis argumentis, diversis quoque gratiarum charismatibus, donis, virtutibus, fructibus Spiritus Sancti orna- C tur, ac suos confortat cultores.

Insuper per naviculam pœnitentia designatur, quæ vere per hoc mare magnum, per sæculum nequam, de peregrinatione præsenti ad patriam regni cœlestis perducit. In qua utique pœnitentia prætactæ proprietates inveniuntur. Primo videlicet, tenuitas victus. Propter quod asserit Climacus : Pœnitentia est fortis tribulatio ventris ; quia ad eam pertinet etiam de necessariis corpori subtrahere aliquid pœnitenti, ut fiat recompensatio pro pecca- D to, ut asserit Thomas. Secundo, in pœnitentia vera est continuus timor, ne recidivare contingat, et grandis custodia cordis, ut de cetero peccata confessa vitentur. Unde ait Gregorius : Inanis est pœnitentia quam sequens coinquinat culpa. Et iterum : Pœnitentia, inquit, est præterita peccata deflere, et deflenda non rursus committere. Ideo loquitur Augustinus : Nil prodest lamentatio, si replicantur peccata; nihil valet de malis veniam poscere, et mala denuo iterare. Quum ergo religiosos oporteat venialia quasi mortalia abhorrere, deflere ac fugere, quum ad spiritualem teneantur profectum caritatisque incrementum, a quibus certum est venialia hominem impedire : qualis est pœnitentia nostra, quando post confessionem et celebrationem, mox ad consuetas ac pristinas dissolutiones, distractiones, loquacitates, verbositates, cachinnos redimus ? Ab omni etenim vana consolatione atque illicita delectatione pœnitentem abstinere necesse est. Ideo ait Bernardus : Equum indomitum domant flagella, et pœnitentem contritio spiritus ac assiduitas lacrimarum. Climacus quoque : Pœnitentia, inquit, est indesinens desperatio corporalis consolationis, atque afflictio animæ in sensu vehementi. Hoc est quod ait Bernardus : Verus pœnitens semper in dolore est et labore : nam sicut de præteritis dolet, ita pro futuris cavendis laborat; sic plangit commissa, ne committat plangenda. Irrisor namque et non pœnitens est, qui adhuc agit quod pœniteat.

Præterea, quia ad pœnitentem pertinet peccata quibus Deum offendit vehementer detestari, et ad recompensationem esse paratum, ut pro peccatis quibus Creatorem suum inhonoravit, libenter patiatur aspera et adversa ad ipsius honorem, imo ab omni creatura despici et affligi arbitretur se dignum ; idcirco ad pœnitentem pertinet injurias, adversitates, derisiones, persecutiones æquanimiter sustinere, imo cum gaudio eas amplecti, nec pro expiandis vitiis suis eas reputare condignas. Idcirco ait Ambrosius : Qui pœnitentiam agit, paratus esse debet ad sustinenda opprobria, ad subeundas injurias, nec moveri si quis ei peccati sui crimen objiciat. Et Climacus contestatur : Pœnitentia est voluntaria omnium tribulantium et affligentium patientia. Sed quia nos miseri et obtenebrati, nos negligentes et quotidie recidivantes, peccati gravitatem non intelligimus nec pensamus, nec Deum sincere diligimus, nec nocumenta quæ ex nostris incurrimus culpis, advertimus ; propterea A pro parva re ad impatientiam concitamur, et ad emendandum quotidiana peccata parum aut nihil conamur, superficialiter pertransimus, et in fæcibus nostris manemus : imo vix caritativam ac justam correptionem et correctionem a præsidente æquanimiter toleramus. Hinc ad perfectionem nequaquam pertingimus ; et utinam non contra nostræ professionis debitum ab ea longius discedamus, ac periclitemur. Faciamus ergo quod admonet Augustinus : Ad tribunal tuæ mentis con- B scende contra te, et reum te constitue ante te.

Itaque consideret unusquisque suos quotidianos defectus atque excessus, omissionisque culpas, et quam grave sit quod opus Dei facit tam negligenter, quod in divinis, in celebratione, in psalmodia tam distractus est, quod coram Altissimo tam irreverenter se habet, quod negligit et omittit tot bona : sicque puniat et castiget se ipsum, et a spirituali patre corripi optet ac corrigi. Porro, si quis adhuc tam C pusillus consistit ut præsidentis correptiones non satis gratanter accipiat, iste, juxta Climaci documentum, formet sibi in animo judicium Christi, et coram illo cogitet se judicandum adstare : et nequaquam indignabitur præsidenti, sed super se ipsum verebitur. Hinc idem Climacus asserit : Beatus monachus qui omni ignominia et despectu se dignum singulis reputat horis. Beatus qui sibi ipsi vim facit, propter Deum quotidie maledictus, contemptus et exprobratus : nam iste cum martyribus tripudiabit, et cum angelis fiducialiter aget. Beatus qui propriam voluntatem usque in finem mortificat, et superiori suo tradit curam sui. Si quis autem redargutionem sive justam sive injustam a se projecit, iste suam negavit salutem. Simus ergo in omni eventu tranquilli ac Deo intenti, quoniam Climaco teste, cœnobium est cœlum terrenum. Propter quod sicut afficiuntur in cœlo angeli Domino ministrantes, ita afficiamus cor nostrum in cœnobio servientes. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO SEXTUS

DE EXEMPLARI INDUCTIONE QUORUMDAM VERACITER POENITENTIUM, UT VERE POENITERE DISCAMUS.

C*ONFIDE, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. IX, 2.

Exempla, ut communiter dicitur, plus movent quam verba. Moralia namque documenta sunt de actibus et passionibus hominum, actiones vero et passiones sunt suppositorum : ideo quanto in moralibus magis ad particularia quædam descenditur, tanto perfectior est doctrina, ac melius instruit audientes atque legentes. Ut ergo quæ de pœnitentia dicta sunt, clarius intelligantur, exemplarem de eis narrationem inducam.

Itaque Climacus, in solenni ac sancto D cœnobio in quo, ut sæpius tactum est, multis fuit diebus, vidit quosdam monachos seorsum reclusos, videlicet incarceratos, de quorum pœnitentia scribit revera mirabilia in hunc modum : Concurrite et venite, venite et audite, et narrabo vobis, o omnes qui Deum offendistis. Congregamini et videte quæ ad ædificationem ostensa sunt animæ meæ. Audiamus, custodiamus et faciamus secundum hæc, quicumque peccavimus. Attendite, fratres, verba mea, inclinate aurem vestram, quicumque vobis reconciliare Deum appetitis. A Ecce totum istud, imo et alia quæ brevitati studens omitto, invitatorium est et admonitorium ad ea quæ recitat et recitanda nunc sunt. Ex quo constat quam magna sint ea.

Deinde narrationem prosequitur in hac forma : Audiens, inquit, ego infirmus, esse quamdam magnam et insolitam humilitatem ac institutionem quorumdam degentium in semota mansione, carcere dicta, oravi Patrem cœnobii, qui fuit luminare luminarium, justus et magnus, ut B me permitteret illuc accedere ; et consensit pius ille, qui nunquam voluit animam contristare. Quum ergo accessissem in pœnitentium mansionem, et vere in regionem lugentium, verissime vidi quæ nec oculus hominis negligentis adspexit, nec auris pusillanimis audivit, nec in cor hominis otiosi ascenderunt, videlicet res et verba Deum violentare valentia, adinventiones et modos pietatem Dei celeriter flectentes.

Alios illorum incarceratorum vidi to- C tis noctibus vigilantes usque mane, sub æthere stantes, pedes habentes immobiles, et a tali vi naturæ miserabiliter somno confractos, qui se ipsos dejicientes, ignominiis se et improperiis increpabant, nullam sibi requiem dantes. Alios vidi in cœlum sursum miserabiliter adspicientes, et inde auxilium cum fletibus, lamentis ac vocibus invocantes. Alios vidi in orationibus stantes, et more damnatorum retro suas manus ligatas tenentes, qui in terram vultum suum obscurum ac mœ- D rentem inclinantes, se ipsos judicabant indignos in cœlum adspicere, et a cogitationibus suis ac confusione conscientiæ suæ aporiati, nec quid ad Deum dicerent habentes, nec unde aut quomodo supplicationem formarent invenientes, solam sine voce mentem et animam Domino exhibebant. Alios vidi in pavimento sedentes in sacco et cinere, qui faciem genibus operientes, frontem in terram percutiebant. Alios vidi pectus suum semper tundentes, et suam vitam ad memoriam revocabant : quorum aliqui in suis lacrimis pavimentum balneabant. Aliqui vero lacrimari non valentes, se ipsos disciplinis cædebant. Aliqui super animas suas quasi super mortuos ululabant, formidinem et angustiam turbationis sui cordis ferre non valentes. Quidam vero corde frendebant, se continere ulterius non potentes.

Vidi ibi quosdam more et mœrore et meditatione quasi se ipsos excedentes et exaggerantes, stupentes et multa mœstitia quasi mutos effectos, atque ad omnia hujus vitæ quasi insensibiles constitutos, mentem de cetero jam in abyssum humilitatis profundantes. Alios vidi repletos mœstitia, sedentes et terram intuentes, suaque capita indesinenter moventes, et instar leonum e cordis medio emittentes rugitum, dentibusque frendentes. Quidam illorum bona spe remissionem culparum quærebant et obtinebant. Alii se ipsos remissione indignos ex humilitate indicibili judicabant, et non posse se satisfacere nec Deo rationem reddere clamitabant. Alii deprecabantur Deum hic ad tempus cruciari et in futuro misericordiam invenire. Alii quum essent sub onere conscientiæ conterriti, sincere dicebant : Neque damnemur, Domine Pater, si possibile est, neque salvemur, et sufficit nobis.

Vidi ibi animas humiles et contritas, lapideum cor suis vocibus ad Deum exclamatis potentes compungere. Ita namque ad terram adspicientes dicebant : Scimus ergo, scimus quod omni pœna digni sumus et juste. Neque enim de cetero sufficientes sumus, etiamsi pro nobis universum convocaverimus mundum flentem, ad satisfactionem et rationem reddendam debitorum nostrorum. Illud vero solum petimus, Domine, ne in furore tuo arguas nos, neque in ira tua corripias nos, nec justo judicio tuo nos crucies ; sed parce, et sufficit nobis, atque a multis minis tuis et a tormentis dissimilibus, innominatis et occultis, nos libera. Nam in finem ad plenum remissionem petere non audemus,

Ps. VI, 2 ; XXXVII, 2.

sicut qui promissionem nostram non custodivimus, A sed ipsam post priorem benignitatem et remissionem violavimus. Isti habebant ossa adhærentia carni, erantque ut fœnum arefacti. Nil apud eos erat audire nisi ista et similia verba : Ah, ah ; væ, væ ; juste, juste ; parce, Domine ; miserere, miserere ; indulge, indulge, si possibile est. In illis erat videre linguas adustas et instar canum ex ore projectas. Quidam eorum se in caumate puniebant, quidam se in frigore cruciabant. Quidam vero modicum aquæ gustantes, requiescebant, et refrigerium B capiebant tantum ne siti morerentur. Quidam vero modicum panis sumentes, hunc longe a se projiciebant, se ipsos cibo humano reputantes indignos, eo quod irrationabilia opera commisissent. Ubi in illis risus, ubi otiosum verbum, ubi furor aut ira, qui neque si ira in hominibus esset sciebant, luctu plenarie exstinguente furorem ? Ubi in illis contradictio, ubi præsumptio, aut corporis cura, aut vestigium gloriæ vanæ, ubi deliciarum spes, aut meditatio vini aut degustatio C fructus, ubi coctio aut ulla delectatio gustus ? Nempe omnium horum spes erat apud illos exstincta. Ubi in illis aliquem judicare ?

Omnes sedebant, in oculis mortem semper habentes, et dicebant : Putas appropinquaverunt nobis custodes nostri angeli sancti, an longe a nobis sunt ? Illis enim non appropinquantibus nobis, omnis labor noster infructuosus est. Quidam quoque ex eis dicebant : Forte exaudivit nos Deus, forte miserebitur nostri, forte adspiciet D nos. Alii autem respondebant ad ista : *Jonæ* III, 9. Quis novit, sicut dixerunt fratres nostri Ninivitæ, si quo modo convertatur Dominus, et saltem a supernimio nos redimat cruciatu ? Nos nihilo minus quod nostrum est faciamus : et si quidem aperuerit nobis, bene quidem ; alioqui, benedictus Dominus Deus nos juste excludens. Quocirca resuscitabant se ipsos, dicentes : Curramus, fratres, curramus ; cursus enim nobis necessarius est, et cursus nimius, quoniam bonam nostram societatem reliquimus.

Vidi in illis ex multitudine genuflexionum genua arefacta, oculos extra factos, et in parte concavos ad profundum, capillis privatos, genas a fervore calidarum lacrimarum exustas, facies tabidas et pallidas, nil in apparatu a mortuis differentes, pectora plagis dolentia, sanguinisque livores ex frequentibus in pectore tunsionibus aggregatos. Ubi erat in illis lectuli statio, aut vestimentorum integritas atque munditia ? Omnia dirupta et sordida, pediculis aut pulicibus cooperta. Quid ad illorum comparationem, a dæmonibus vexatorum afflictio ? Et certe multi illorum precabantur abbatem circumponi sibi in collo et manibus ferramenta, et pedes suos compediri in ligno usque ad mortem ; nec sepeliri, sed tanquam sepultura indignos, in campo bestiis tradi, aut submergi.

Porro pavendum et miserabile erat spectaculum, quando aliquis eorum erat moriturus, quia tunc omnes convenerunt ad eum miserabili nimium more ac luctu, sua capita ex compassione moventes, et tristi sermone dicentes : Quid est, frater ? Quomodo et quid dicis ? Quid speras ? Quid suspicaris ? Sentis illuminationem et consolationem in corde ?

Hæc et alia multa vere miranda, et saxea corda mollificare valentia, Climacus scribit de istis, et addit : Ego hæc videns et audiens, paulo minus desperavi me ipsum, comparans vitam et pœnitentiam meam ad vitam pœnitentiamque illorum. Nempe qualis erat statio et habitatio loci ? Tota fœtens, tenebrosa, sordida, merito carcer vocata : ita quod ipse loci adspectus universæ pœnitentiæ et luctus fuit magister. Ego vero per triginta dies fui cum eis. Hæc Climacus.

Ecce ex ista narratione, si eam bene attendimus, possumus utique multum proficere, in primis humiliando et despiciendo nos ipsos in infinitum, omnemque vitam et pœnitentiam nostram pro nihilo reputantes, imo quasi ludum et veræ pœnitentiæ irrisionem existimantes ; deinde A horum vestigia saltem aliqualiter sequi conantes, ut discamus de cetero omnes dissolutiones, cachinnationes, abusiones, incustodias et negligentias pristinas abhorrere ac fugere, professionem nostram incessanter attendere, præsentis vitæ brevitatem, divini judicii districtionem, futurorum suppliciorum acerbitatem, et discrimen atque amaritudinem mortis nobis incessabiliter ac celerrime propinquantis ubertim ac profunde pensare, sicque juxta exigentiam nostræ vocationis ac professionis, vitam Deo placentem, pœnitentiam efficacem, finem salubrem ei offerre. Cui honor et gloria per sæcula sempiterna.

DOMINICA XX POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

VIDETE QUOMODO CAUTE AMBULETIS. Ephes. v, 15-21.

DOCET nos sanctus Apostolus in præsenti epistola, verbis parva, sed sensu plenissima, ut in omnibus prudenter agamus, tempus fructuose expendamus, vinolentiam quoque vitemus, et in charismatibus Spiritus Sancti conemur proficere, Deo cantare, psallere ac gratias agere, sed et mutuo humiliter timorateque conversari. Hæc est summa sententiæ hujus epistolæ.

Itaque ait : *Videte,* id est, per rationem attendite, *quomodo caute ambuletis,* id est, prudenter ac custodite vivatis, occasiones peccati vitando, atque in via virtutum cum omni circumspectione pergendo ac proficiendo, juxta illud Proverbiorum : Omni custodia custodi cor tuum; *Prov.* IV, 23. *non quasi insipientes,* id est sola temporalia atque carnalia attendentes nec divinorum internum saporem habentes, *sed ut sapientes,* id est ea quæ Dei sunt cum gustu mentali scientes. Sapientia namque quasi sapiens scientia dicitur. *Redimentes tempus,* id est tempus vitæ vobis concessum ad bene vivendum, ab infructuosis occupationibus ac malis operibus præservantes; vel, « redimentes tempus », id est tempora infructuose expensa recuperantes, quatenus præterita mala jam recompensetis per conversationem virtuosam ac fervidam, et tanto nunc diligentiores sitis in Dei obsequio, quanto negligentiores fuistis. *Quoniam dies mali sunt,* id est adversitatibus, periculis ac vitiis pleni. Non quod dies in se mali sint, sed quia hæc insunt hominibus in diebus vitæ præsentis. Scriptura enim frequenter adscribit tempori ea quæ fiunt in tempore, quemadmodum primo Machabæorum inducitur : Videns Jonathas quia tempus eum juvat. I *Mach.* XII, 1. Christus quoque : Crastinus (inquit) dies sollicitus erit sibi; *Matth.* VI, 34. et, Sufficit diei malitia sua. *Ibidem.*

Propterea nolite fieri imprudentes, vera discretione carendo : quemadmodum enim prudentia est auriga seu directrix virtutum in earum operibus, ita quod facit moderamen in omnibus observari; sic imprudentia, mater, fotrix et origo plurimorum est vitiorum; *sed intelligentes quæ sit voluntas Dei,* id est, hoc diligentissime inquiratis atque pensetis, quid Deo complaceat, et quid requirat a vobis, ut illud adimpleatis, bona agendo et mala vitando.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria causaliter, quia luxuriæ materiam incentivumque præbet. Propter quod ait Hieronymus : Venter vino æstuans, cito spumat in libidinem. Et Salomon protestatur : Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; *Prov.* XX, 1. quicumque his delectatur, non erit sapiens. *Sed implemini Spiritu Sancto,* id est, in gratia et donis Spiritus Sancti proficere ac repleri conemini : Deus enim unicuique influit secundum quod se disponit et capax efficitur. *Loquentes vobismetipsis,* id est vos ipsos mutuo exhortando, *in psalmis* ad bene operandum hortantibus, *et hymnis* Dei laudem continentibus, *et canticis spiritualibus* quæ de A futuræ beatitudinis gaudiis tractant. Verumtamen horum trium unum frequenter pro alio sumitur. *Cantantes et psallentes in cordibus vestris,* id est silenter in mente; vel, « in cordibus vestris », id est cum cordiali intentione et ex mentali affectu; *Domino* Deo altissimo uni ac trino. *Gratias agentes semper,* id est omni tempore opportuno, *pro omnibus* beneficiis Dei, vel « pro omnibus » hominibus beneficia suscipientibus, omnium congratulando gratiæ ac saluti, *in nomine* nominato *Domini* B *nostri Jesu Christi,* id est in Christo Jesu, puta per eum, et secundum voluntatem ac doctrinam ipsius, seu virtute ac merito Christi, *Deo et Patri,* id est Patri æterno, qui est pater omnium per creationem, naturalisque pater Christi per generationem æternam, et pater noster per gratiam adoptantem.

Subjecti invicem ex debito obedientiæ, vel ex condecentia humilitatis ac caritatis, *in timore Christi* casto ac filiali. Superiores enim per caritatem et humilitatem subdunt se inferioribus, salva justitiæ disciplina; inferiores autem superioribus ex debito obedientiæ subjiciuntur. Ceteri se invicem honorare præferreque debent, juxta illud Pauli : Honore invicem prævenientes. *Rom.* XII, 10. Ideo ait Salvator : Qui major est vestrum, sit vester minister. *Matth.* XX, 26; XXIII, 11. Et in Ecclesiastico scriptum est : Quanto major es, humilia te in omnibus. *Eccli.* III, 20.

SERMO PRIMUS

QUOMODO VIVENDUM HIS QUI SPIRITU SANCTO IMPLERI PEROPTANT.

I*MPLEMINI Spiritu Sancto.* Ephes. C v, 18.

Tam infinita est bonitas, pietas, dilectio et munificentia Spiritus Sancti, ut omni menti eum desideranti seque ad ejus susceptionem paranti, paratissimus sit se infundere ac donare. Sed quid est se ad Spiritus Sancti susceptionem parare, nisi cordis habitaculum a vitiis emundare, vel saltem ad emundationem veram, quæ sine Spiritus Sancti infusione ac gratia non fit, se pro posse disponere, id quod in se est faciendo? Displiceant ergo nobis peccata nostra, D doleamus quod unquam offendimus Deum, proponamus a pristinis abstinere peccatis, et occasiones peccandi vitemus, et ultra hoc, Dei adjutorium invocemus stabiliter : sicque Spiritus Sanctus indubitanter succurret, veram dabit contritionem, gratiam et virtutes infundet, eas quoque quotidie in nobis perficiet. Sed quæro qualiter impleri possimus Spiritu Sancto : Apostolus enim tam absolute ait, «Implemini Spiritu Sancto», quasi nobis ad manum sit Spiritu Sancto impleri. Et respondendum, quod Spiritu Sancto repleri poterimus, imo et indubitanter replebimur, si ea quæ in præsenti epistola docet ac jubet Apostolus, observemus.

Itaque in primis docet ut attendamus *Ephes.* v, 15. qualiter caute ambulemus. Oportet ergo ut circumspecti simus in omnibus, considerando proprios actus an vere sint virtuosi, an aliquid contra rectam rationem agamus, an opera bona cum debitis virtutum circumstantiis faciamus, videlicet apto loco, congruo tempore, recta intentione et rationabili moderamine, ne quid superfluum aut diminutum in eis sit, et ne incidamus laqueos inimici, ne a dæmonibus aut pravis hominibus seducamur, ne vitia quæ speciem quamdam habent virtutum, pro veris acceptemus virtutibus. O quam magnum atque difficile est coram Deo in omnibus caute ambulare, ita ut nec cogitando, nec appetendo, neque loquendo, nec operando, sed nec debita omittendo, peccemus! Verumtamen ad istud pro posse nitamur, et propriam insufficientiam, defectuositatem ac calamitatem jugiter ac humiliter confitentes, Spiritus Sancti auxilium, illustrationem, directionem fiducialiter ac incessabiliter imploremus: et tunc utique ipse superbenignissimus Spiritus Sanctus infirmitatem nostram gratiose copioseque valde juvabit. Itaque caute ambulemus, et quibus modis, viis seu mediis concitius ac abundantius proficere in omni gratia ac virtute valeamus, solerter pensemus, utpote in primis nos ipsos in omnibus humiliando, in cibo, potu, vestitu, somno, locutione modum servando, exteriores interioresque sensus custodiendo, Christi passionem in mente semper habendo, orationibus quoque insistendo viriliter, atque de mortis acerbitate, de divini judicii horrendo rigore, de infernali supplicio, de gaudiis futuræ beatitudinis sempiternis cogitando frequenter, sed et beneficia Dei pensando, ejusque bonitatem, majestatem, justitiam, omnipotentiam ac sapientiam contemplando. Hæc agere, est caute ambulare.

Ephes. v, 16. Secundo docet ut tempus redimamus, illud fructuose expendendo, atque tam virtuose in eo vivendo, ut dierum inutiliter aut etiam criminaliter expensorum negligentias recuperemus, cunctaque vitia emendemus. Itaque quanto quis plura mala commisit, quanto plura bona omisit, tanto post confessionem seu conversionem suam virtuosius atque ferventius vivere debet, ut dignos pœnitentiæ faciat fructus. *Luc.* III, 8. Nonne erubescibile est ut facta confessione aut conversione incepta, segniores frigidioresque simus in cultu Dei quam ante eramus in servitute diaboli? Diabolo etenim servit qui peccatis subjectus est. Sed, heu! quot miserabiles homines ista non pensant, sed post confessionem recidivant tam cito, tempus quoque pro nihilo ducunt, et qualiter illud in vanitatibus

A suis expendant, excogitare nituntur, quum tamen dicat Bernardus: Nil pretiosius tempore, et heu! nil hodie vilius reputatur; transeunt dies salutis, et nemo recogitat, nemo sibi perire diem et nunquam rediturum causatur. En quanta est carnalium excæcatio hominum: si quis mercator obdormiret hora in qua centum florenos posset lucrari, aut certe negligeret nundinas in quibus mille florenos lucrari valeret, vituperaretur ab omnibus tanquam stultus, ignavus ac negligens; sed B quod homines quotidie multas horas consumunt in quibus nec semel meditantur de Deo, nec aliquid meritorium operantur, imo econtrario sine mensura et numero peccant, nemo vituperat, nullus deplangit, imo laudatur peccator in desideriis animæ suæ, *Ps.* x, 3, sec. Hebr. quum tamen non tantum omni hora, sed et in omni momento æternam possimus beatitudinem promereri. Siquidem omnis actio ex caritate procedens, meritoria est vitæ æternæ, quæ incomparabiliter omnibus mundi prævalet bonis.

C Hinc iterum illuminatissimus ait Bernardus: Nemo nostrum parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid amittat. Fabulemur, inquiunt, donec hora pertranseat. O donec pertranseat hora quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam gratiam, ad acquirendam gloriam, misericordia Creatoris indulsit; donec transeat tempus quo divinam repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam so- D cietatem, suspirare ad amissam hereditatem, adspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem! Itaque quid coram divino dicturi sunt tribunali, qui in confabulationibus, comessationibus, potationibus et choreis, ac similibus vitiis, tempus suum non solum tam infructuose, sed demum tam vitiose expendunt? Nonne sicut de omni verbo inutili, ita de omni momento temporis ratio exigetur? *Matth.* XII, 36.

Ephes. v, 17. Tertio docet Apostolus ne imprudentes simus aut insipientes, sed discreti ac sapientes, intelligendo quæ sit Dei voluntas, quid requirat a nobis. Studeat igitur unusquisque cognoscere ad quæ obliget eum vocatio sua. Quemadmodum enim religiosi scire tenentur ad quæ ex sua regula adstringuntur, ut impleant ea; sic sæculares discere debent ac scire ad quæ ratione sui status sint obligati, ut conjugati sciant ad quæ obligantur in quantum sunt conjugati, item ad quæ, in quantum parentes, sicque de aliis : juris namque ignorantia non excusat. A

Ephes. v, 18. Quarto docet ne vino inebriemur, nec aliquo potu, quum et aquam superflue bibere sit peccatum. Ebrietas namque ex suo genere est mortale peccatum, quamvis aliquando a tanto excusetur piaculo, quando videlicet ipse bibens non advertit aut nescit quod potus quem accipit sit inebriativus. Si autem advertat potum esse immoderatum ac inebriativum, et nihilo minus malit inebriari quam a potu cessare, si tunc inebrietur, ebrietas illa est culpa mortalis, quoniam usu se privat rationis, et peccandi periculis se committit. Summe ergo ebrietas est vitanda, quia in se tam vitiosa est, et multa generat vitia, quum etiam ex ea frequenter nascatur luxuria. Consuetudo vero se inebriandi gravissimum vilissimumque peccatum est.

Denique vitia ista carnalia, scilicet gula, luxuria, dicuntur vitia maxime exprobrabilia, quia sunt maxime inhonesta ac turpia, quia parificant hominem brutis, et nihil de lumine rationis invenitur in eis. Hinc ait Hieronymus : Ensis diaboli, luxuria est. Heu, quot illa interfecit rhomphæa ! Non est aliud peccatum quo toties diabolus victor exsistat. Fugite luxuriam : nam sicut virginitas hominem æquat angelis, sic luxuria brutis, imo brutis facit pejorem. Pro nullo alio peccato legitur *Gen.* vi, 7. Deus dixisse, Pœnitet me fecisse hominem; nec pro alio aliquo peccato tam manifestam exercuit ultionem, quoniam propter *Ibid.* vii, 1 et seq.; xix, 24-28. hoc vitium induxit mundo diluvium, Pentapolimque combussit.

Quinto docet ut impleamur Spiritu Sancto. *Ephes.* v, 18. Siquidem Spiritu Sancto impleri, non est aliud quam gratia ejus ac virtutibus perfici; et quanto quis affectuosius cupit Deo placere eumque in omnibus honorare, tanto capacior fit repletionis Spiritus Sancti. Qui ergo vult Spiritu Sancto impleri, satagat ab omni macula culpæ purgari, seque ab omni Dei inhonoratione servare immunem, et fervens sit ad proficiendum in omni virtute. Docet ergo Apostolus ut impleamur Spiritu Sancto, id B est, ejus repletione exhibeamus nos modo nobis possibili dignos, sicque mutuo nos hortemur ad bene agendum, ad Deum laudandum, ad desiderandum futuræ beatitudinis gaudium, et Deum mente laudemus etiam in occupationibus exterioribus, atque eidem pro universis beneficiis ejus, tam nobis quam aliis impertitis, referamus jugiter gratias cordiales. Ait namque Bernardus : Peremptoria res est ingratitudo, gratiæ hostis, inimica salutis, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficio- C rum perditio, fontem pietatis sibi desiccans. Nihil sic displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, sicut ingratitudo : nam vias obstruit gratiæ. Quidquid igitur boni, quidquid virtutis ac devotionis aut spiritualis consolationis in te est, refunde in eum qui contulit; non tuam quæras gloriam, sed ipsius.

Postremo docet Apostolus ut invicem simus subjecti in timore Altissimi, *Ibid.* 21. quatenus nullus per animositatem se præferat alteri, sed ex humilitate inferiorem se arbitre- D tur aliquo modo : quia etsi quis videatur multum iniquus, qualis tamen in divina prædestinatione consistat nos latet, et de nobis ipsis sumus ambigui an simus electi, imo an simus in caritate incerti. Si ergo ad evangelicæ legis pertinet puritatem ut omnes simus subjecti invicem in timore Dei, longe prorsus a Deo et ab evangelicæ legis tenore remoti sunt qui superioribus suis obedire non curant, vel, quod gravius est, aspernantur.

Itaque qui hujus epistolæ cupit documenta implere, sibi ipsi non potest in sanctis laboribus parcere, quemadmodum de S. Pacomio legitur, quod quum esset viginti annorum aut circiter, dives ac delicate nutritus, cuidam viro religioso ac sancto, Palæmon nomine, se ad habitandum conjunxit. Cum quo abstinentissime vixit in pane, sale et aqua, orationibus et vigiliis manuumque laboribus strenue nimis insistens. Quumque nocturnis temporibus S. Palæmon videret B. Pacomium somno gravari, eduxit eum de cella, præcepitque ei arenam portare de loco ad locum, ut sic disceret vincere somnum. Legitur quoque de abbate Arsenio, qui erat primus in palatio imperatoris et senator præcipuus, quod quum factus esset eremita et monachus, quotidie laboravit manibus suis, et de suis vixit laboribus, totisque noctibus vigilavit, orationi et contemplationi insistens. Quumque circa diluculum natura ejus fatigaretur et somnum exigeret, dixit ad somnum : Veni, serve male. Sicque sedendo dormivit una dumtaxat hora. Legitur item de S. Bernardo, quod nullum tempus tantum se perdere conquerebatur, sicut quod dormiendo expendit : et tamen valde parum dormivit.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

LOCUTUS EST JESUS PRINCIPIBUS SACERDOTUM ET PHARISÆIS, ETC. Matth. XXII, 1-14.

SALVATOR noster, unigenitus Filius Dei, sequenti die post festum Palmarum, multas parabolas proposuit principibus sacerdotum, Pharisæis ac Scribis seu doctoribus Judæorum : in quibus parabolis insinuavit ingratitudinem ac derelictionem Judaicæ plebis vocationemque gentium. Et inter parabolas illas una, hæc fuit quæ in evangelio scripta est hodierno. Ait ergo evangelista Matthæus :

Locutus est Jesus principibus sacerdotum, qui tunc fuerunt Annas et Caiphas (non quod simul fuerint principes sacerdotum sive pontifices, sed quia unus alteri in pontificio sæpe successit : erat enim pontificium Judæorum venale, et anno evoluto pontifex mutabatur), *et Pharisæis,* quorum quidam fuerunt Scribæ, *in parabolis, dicens : Simile factum est regnum cœlorum,* id est negotium seu processus
Philipp. III, 20. militantis Ecclesiæ, cujus conversatio est in cœlis, et in qua Deus regnat per fidem et caritatem, *homini regi,* id est facto seu operi hominis regis, *qui fecit nuptias filio suo.* Per hunc hominem regem intelligitur Deus Pater, qui unigenito Filio suo nuptias fecit, dum ei in utero sacratissimæ Virginis naturam conjunxit humanam. Deinde eidem Filio suo desponsavit Ecclesiam, præsertim dum cœpit publice prædicare, et multos convertere, atque ex ipsis fabricare Ecclesiam, id est per fidem et caritatem eos spiritualiter adunare. Hinc a Zacharia de Christo prædictum est : Ecce vir, Oriens nomen ejus ; et ædificabit templum Domino, et erit sacerdos super solio suo. *Zach.* VI, 12, 13.

Et misit Deus Pater *servos suos,* id est priores Prophetas ac patres, videlicet Moysen, Aaron, Samuelem, etc., *vocare invitatos,* id est populum Israel, quem Deus per legem ac varia beneficia invitavit ad credendum in Christum, ad præstolandum gratiam et salutem seu redemptionem per eum. Unde in Actibus princeps Apostolorum ait : Omnes Prophetæ a Samuele et *Act.* III, 24. deinceps, annuntiaverunt dies istos, videlicet tempus incarnationis, passionis ac gratiæ Christi. *Ad nuptias,* id est ad fidelem ac caritativam unionem suæ mentis cum

Christo, ut sic crederent in mittendum, A sicut nos credimus in eum qui venit ac missus est. *Et nolebant venire,* id est per fidem formatam credere, et servorum illorum documenta servando, laudabiliter conversari. Judæi namque communiter pro majori parte fuerunt increduli et rebelles. Act. VII, 51. Propter quod Stephanus dixit : Dura cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, sicut et patres vestri. Moyses quoque in Deuteronomio Deut. IX, 4, 6. loquitur populo Judæorum : Ne dicas in corde tuo, Propter justitiam meam B introduxit me Dominus in terram hanc, quum durissimæ cervicis sis populus. Et Ibid. XXXI, 27. rursus loquitur ei : Ego scio contentionem tuam et cervicem tuam durissimam ; adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum : quanto magis quum mortuus fuero ?

Iterum, id est postea, *misit* Deus Pater *alios servos,* id est posteriores Prophetas, sive Apostolos, aliosque Christi discipulos, *dicens : Dicite invitatis,* puta Judæis, quibus specialiter Prophetæ sunt missi, et C Christi est prænuntiatus adventus : *Ecce prandium meum paravi,* id est, mysterium Incarnationis perfeci, sacramentum Eucharistiæ per Christum institui, diversa sacræ Scripturæ alimenta proposui, gratiarum charismata dedi. *Tauri mei et altilia occisa sunt.* Per tauros atque altilia, designantur spiritualia fercula, utpote solidus cibus perfectorum, potusque lacteus parvulorum : hoc est alta contemplatio Dei et mysteriorum Christi (unde dixit Apostolus, I Cor. II, 6. Sapientiam loquimur inter perfectos); D facilis quoque scientia præceptorum ac operum Salvatoris : unde rursus Paulus Ibid. 2. imperfectis scripsit, Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Per tauros etiam possunt intelligi firma Dei præcepta ; per altilia vero, evangelicæ legis consilia, per quorum observantiam mens spiritualiter impinguatur dulciterque reficitur. *Et omnia parata* sunt, id est, quidquid ad salutem requiritur, per passionem et meritum Christi vobis offertur, videlicet purgatio a peccatis in sacramentis Baptismi ac Pœnitentiæ, infusio gratiæ ac virtutum, ut de Joann. I, 16. plenitudine ejus omnes accipiatis. *Venite ad nuptias* Christi præfatas, adhærendo ei ut capiti, ut influxum gratiæ accipiatis ab eo, atque per caritatem unus cum eo efficiamini spiritus.

Illi autem neglexerunt venire, occupati rebus carnalibus ac terrenis, et beneficia Dei parvi pendentes. Pauci etenim Judæorum, comparative loquendo, crediderunt in Christum. Ad quod insinuandum Deus per Jeremiam prophetam dixit ad eos : Assumam vos, unum de civitate, et duos Jer. III, 14. de cognatione. *Et abierunt, alius in villam suam,* id est, in terrenis divitiis et temporali dominio occupavit se, *alius vero ad negotiationem suam,* hoc est ad lucra sectanda. Sicque, per euntes « in villam », signantur ambitiosi et qui rebus jam habitis inordinate insistunt ; per euntes vero « ad negotiationem », avari, qui pro temporalibus adipiscendis immoderate laborant. *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.* In Actibus enim leguntur Apostoli a Act. IV, 3 ; V, 18, 26, 40. Judæis capti, incarcerati ac flagellati : qui etiam a Judæorum concilio recesserunt Ibid. 41. cum gaudio, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati pro Christo. Stephanum Ibid. VII, 58. autem lapidaverunt, et Jacobum decollavit Ibid. XII, 2. Herodes.

Rex autem, scilicet Deus Pater, *quum audisset* vocem sanguinis occisorum. Auris Sap. I, 10. enim zeli audit omnia, ut dicit Sapiens. Et Psalmista : Qui plantavit (inquit) aurem, Ps. XCIII, 9. non audiet ? Interfectio quoque innocentium est unum de quatuor peccatis quæ clamitant ante Deum. Porro auditio Dei non est aliud quam cognitio seu consideratio ejus. Loquitur tamen Deus more humano, quasi recenter corporaliterque audiret, ut ea quæ Dei sunt melius intelligamus. Unde per Isaiam loquitur regi Assyriorum : Quum fureres in conspectu Is. XXXVII, 29. meo, superbia tua ascendit in aures meas. Vel dicitur audire ab angelis sanctis annuntiantibus sibi quæ fiunt in sæculo isto, A non quasi ignoranti, sed ut dominatori ac judici, a quo petunt effectum pietatis Act. x, 4. aut æquitatis. Hinc enim eleemosynæ Cornelii dicuntur commemoratæ in conspectu Dei. *Iratus est,* non iræ passionem habendo, sed justam infligendo vindictam. *Et missis exercitibus suis,* id est armatis turbis Romanorum qui cum Vespasiano ac Tito contra Judæam venerunt. Et dicuntur gentiles illi exercitus Dei, quia divina ordinatione venerunt adversus Judæos, et quia divinæ justitiæ exsecutores fuerunt B contra eosdem. Juxta quem modum Deus Ezech. xxix, 18; Jer. xxv, 9; xxvii, 6; xliii, 10. in Ezechiele et Jeremia regem Babylonis frequenter nominat servum suum. *Perdidit homicidas illos.* Romani enim innumerabiles Judæos interfecerunt, vendiderunt ac disperserunt, ut Josephus scribit. Sicque Romani nescientes deservierunt divinæ justitiæ in punitione hominum impiorum, sicut subjungitur. *Et civitatem illorum succendit,* puta Jerusalem, quam simul cum templo combusserunt Romani. Et quamvis Romani alia ratione venerunt C contra Judæam, quam ad ulciscendum Christi discipulorumque ejus occisionem, Deus tamen movit Romanos contra Judæos incredulos, in quantum hoc opus fuit justitiæ.

Tunc rex *ait servis suis,* id est Christi discipulis : *Nuptiæ quidem paratæ sunt,* hoc est, Christi mysteria sunt completa, videlicet ejus incarnatio, passio, resurrectio ejus, et conjunctio Christi cum Ecclesia primitiva incepta est, spiritualis quoque refectio sacramentorum ac gratiarum D offertur hominibus virtute ac merito Salvatoris ; *sed qui invitati erant,* id est Judæi primo vocati, *non fuerunt digni* ad nuptias istas gratia adspirante perduci, propter suam rebellionem, ingratitudinem atque perfidiam. Unde Paulus loquitur Ju- Act. xiii, 46. dæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei ; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes.

Ite ergo ad exitus viarum. Ad litteram, misit Deus Apostolos ad exitus viarum, id est ad loca ultra Judæam, dicendo : Euntes Marc. xvi, 15. in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Sed ante passionem præceperat : In viam gentium ne abieritis, Matth. x, 5. id est, fines Judææ non exeatis ad prædicandum. Spiritualiter autem, viæ sunt virtutes et actus earum, per quas itur ad regnum cœleste ; exitus vero viarum sunt recessus a medio virtutis ac veritatis, videlicet vitia et errores. Jussit ergo Deus Apostolos ire « ad exitus viarum », hoc est ad corrigendos errores atque excessus gentilium, qui non fuerunt in via, sed devio, in tenebris umbraque mortis. Luc. i, 79. — At vero de reprobatione ac derelictione Judæorum ait Christus apud Isaiam : Hæc dicit Dominus, Is. xlix, 5. formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur. In qua auctoritate Jacob et Israel accipiuntur pro populo Judæorum nato ex Jacob, qui alio nomine dictus est Gen. xxxii, 28. Israel. De gentilium vero conversione adjecit : Et glorificatus sum in oculis Do- Is. xlix, 5, 6. mini, et dixit : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et fæces Israel convertendas ; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ. Hoc est quod subditur : *et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias,* id est, cunctis gentibus Evangelium Christi prædicate, atque ad ejus gratiosam refectionem eas pro posse adducite, sicut in Psalmo prædictum est : Benedicentur in ipso om- Ps. lxxi, 17. nes tribus terræ ; itemque, Reminiscentur Ps. xxi, 28. et convertentur ad Dominum universi fines terræ.

Et egressi servi ejus in vias, id est ad gentium dispersiones ac lata itinera perditionis, *congregaverunt,* hoc est, ad Christum converterunt, atque in ejus fide, caritate et ecclesiastica unitate spiritualiter collegerunt, *omnes quos invenerunt, bonos et malos :* non simpliciter omnes, quoniam teste Apostolo, non omnes obediunt Evan- Rom. x, 16. gelio, nec omnium est fides ; II Thess. iii, 2. sed omnes, id est quosdam de omni genere hominum, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Sed qualiter inter gentiles inveniri poterant aliqui *Rom.* II, 14. boni? nisi quod (teste Apostolo) gentes quæ legem non habent, et tamen ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex : multi quoque gentilium virtutibus acquisitis et indole bona fulgebant, qui comparatione aliorum boni vocantur. Unde et Paulus *Act.* XXVI, 25. dixit gentili : Non insanio, optime Feste. Vel ideo dicuntur congregasse bonos et malos, quoniam in Ecclesia boni sunt malis admixti.

Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium, id est, multitudo vocatorum, atque in nuptiis Christi spiritualiter recumbentium, numero ac merito est completa : quod tamen non erit perfecte, nisi in fine mundi, *Rom.* XI, 25, 26. quum gentium intraverit plenitudo, omnisque Israel juxta Apostolum fuerit salvus, hoc est universi electi ex paganismo ac Judaismo. Nunc autem aliqualiter sunt *Ps.* XVIII, 5. nuptiæ istæ impletæ, quia in omnem terram exivit sonus prædicationis Apostolorum, ita quod toto terrarum orbe diffunditur ipsa Ecclesia.

Intravit autem rex, scilicet Deus Pater, non motu locali, sed per effectum sui judicii, in nuptias sive Ecclesiam, *ut videret discumbentes,* ut singulorum merita pensaret ac judicaret : quod facit in morte singulorum, judicio particulari; et in fine sæculi aget hoc judicio universali. *Et vidit ibi hominem non vestitum,* id est intus non decoratum, *veste nuptiali,* id est gratia gratum faciente, seu caritate, vel meritorio actu. Et merito caritas dicitur vestis nuptialis, quoniam Christum inclinavit ut humanam naturam assumere et Ecclesiam sibi desponsare dignaretur. *Et ait illi : Amice,* per naturalem bonitatem et fidem informem, non per gratiam, caritatem ac meritorium actum. Omnia enim diligit Deus quantum ad id quod sunt per naturam, quod ab ipso per creationem *Sap.* XI, 25. sortita sunt, juxta illud Sapientiæ : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum A quæ fecisti. *Quomodo huc intrasti,* id est, qua præsumptione in Ecclesia exstitisti, et inter fideles apparuisti, sacramentis quoque communicasti, *non habens vestem nuptialem,* videlicet caritatem, quæ inter electos reprobosque in fine discernit? *At ille obmutuit :* quia injusti Deo reddere nequeunt rationem.

Tunc dixit rex ministris : non illis de quibus prædictum est, puta Apostolis; sed angelis sanctis, qui in die judicii erunt exsecutores sententiæ Judicis, quemadmo- B dum asserit Christus : *Matth.* XIII, 49, 50. In consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores,* id est infernales ac corporales, quas incidere meruit cadendo in tenebras interiores, videlicet mentis iniquitates seu vitia et errores, quæ sunt animarum caligines. Præterea, constat quod reprobi in die judicii retrudentur in tartarum nudi. Idcirco per manuum ac pedum ligationem, nil C aliud designatur, nisi inevitabilitas divini judicii, cui resistere et a quo fugere nemo valebit, secundum quod Dominus per prophetam Amos protestatur : *Amos* II, 13, 14. Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno; et peribit fuga a veloce, et fortis non salvabit animam suam. *Ibi erit fletus,* non quantum ad lacrimarum resolutionem ac emanationem, sed quoad cerebri perturbationem, animique dolorem, *et stridor dentium,* propter frigus vehementissimum. Ibunt enim a calore nimio *Job* XXIV, 19. D ad aquas nivium. *Multi enim sunt vocati* ad nuptias Ecclesiæ militantis, *pauci vero electi* ad nuptias Ecclesiæ triumphantis. Quamvis enim in se multi atque innumerabiles sint, comparatione tamen reproborum sunt pauci. Unde alibi ait Salvator : *Matth.* VII, 13, 14. Arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam; lata vero et spatiosa quæ ducit ad perditionem, et multi vadunt per eam.

SERMO SECUNDUS

DE MULTIPLICIBUS NUPTIIS DE QUIBUS SACRA LOQUITUR SCRIPTURA.

VENERUNT *nuptiæ Agni, et uxor* A *ejus præparavit se*. Apoc. XIX, 7.

Quoniam homo ex corpore et anima exstat compositus, naturale est ei ex cognitione corporalium rerum ad spiritualium rerum perduci notitiam. Unde et Aristoteles docuit, quod intellectualis nostra cognitio, ex sensitiva cognitione sumit originem. Hoc Christus, increata sapientia Dei Patris, certissime sciens, in Evangelio sæpissime per materialium rerum similitudines instruit nos de intellectualibus, spiritualibus ac divinis, sicut et in evangelio hodierno, B in quo Christus per similitudinem nuptiarum carnalium docet nos de spiritualibus nuptiis quæ in militanti fiunt Ecclesia.

Deinceps Scriptura loquitur de nuptiis quinquepartitis, seu de matrimonio quintuplici. Primæ sunt nuptiæ corporales, seu carnale connubium, quod est legitima conjunctio maris et feminæ, individuam vitæ consuetudinem communionemve servans. *Joann.* II, 1. De his nuptiis fertur in Joanne : Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Quid autem taliter conjugati sibi invicem teneantur, C *Cf.* t. XXIX, p. 189 et s. et qualiter vivere debeant, dictum est in sermone tertio evangelii in dominica secunda post octavas Nativitatis Christi.

Secundæ sunt nuptiæ personales, quæ sunt unio Verbi æterni seu unigeniti Filii Dei cum natura humana, quæ unio est hypostatica seu suppositalis conjunctio qua natura humana conjuncta est Verbo æterno in Christo. In hac nuptiali conjunctione, persona Verbi æterni se habet per modum sponsi, et natura humana assumpta per modum sponsæ. Sponsus namque amplectitur D sponsam, et eam fecundat; ita in hac unione, Unigenitus Dei naturam humanam intime sibi conjunxit, apprehendit, amplexus est, omnique lumine gratiæ ac gloriæ, omni virtute et dono Spiritus Sancti ac beatifica fruitione implevit ac fecundavit eamdem. Iterum, sicut in carnali matrimonio consummato, sponsus et sponsa, seu maritus et conjux, una fieri *Gen.* II, 24. caro dicuntur, et unam prolem eis communem producunt; ita in nuptiis personalibus ac spiritualibus jam præfatis, ex conjunctione Verbi æterni seu Filii Dei cum natura humana constat una persona, quæ est Christus. Christus namque est una persona in duplici subsistens natura, divina videlicet et humana. Operatio autem hujus personæ, quæ velut proles quædam ab ea progreditur, toti personæ huic communis est. Præterea de his nuptiis debemus unigenito Filio Dei, imo toti superbeatissimæ Trinitati jugiter et affectuosissime regratiari, quod scilicet nostram naturam naturæ divinæ tam immediate ac hypostatice unire dignatus est, ita quod unigenitus Filius Dei, Deus, creator ac Dominus noster, factus est frater noster, conservus noster, redemptor noster. Harum nuptiarum thalamus fuit castissimus gloriosissimæ Virginis uterus. De quibus prædixit Psalmista : In sole posuit tabernaculum *Ps.* XVIII, 6. suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. De his nuptiis dicit Gregorius : Tunc Deus Pater Filio suo nuptias fecit, dum ei naturam humanam in Virginis utero copulavit.

Tertiæ sunt nuptiæ sacramentales, videlicet conjunctio Christi cum Ecclesia. Et nuptiæ istæ tunc potissime celebrari cœperunt, dum homines credere inceperunt in Christum jam incarnatum, et converti ad eum, quanquam dici possit quod inceperunt ex tunc quo homines desuper illustrati, credere inceperunt Dei Unigenitum esse incarnandum. In his nuptiis sponsus est Christus, et sponsa est ipsa Ecclesia, quæ Christo jam valde gratiose et caritative unitur, atque ab ipso spiritualiter ac valde liberaliter fecundatur.

Quartæ sunt nuptiæ spirituales et quotidianæ, videlicet unio Christi gratiosa cum fideli devotaque anima. Has nuptias, si efficaciter volumus, Christus quotidie cum nostris celebrat animabus, eas caritative, suaviter ac intime sibi conjungens, fecundans, amplectens, quemadmodum per Osee affirmat dicendo: Sponsabo te mihi in judicio, et justitia, et misericordia; et sponsabo te mihi in fide. Ad hanc desponsationem animæ cum Christo, requiritur primo immunitas seu purgatio animæ ab omni peccato mortali. Imo quæcumque anima mortali subjacet culpæ, adultera exstat diaboli, cui per mentis consensum miscetur, et voluntatis affectu communicat, operibusque obedit. Ecce quanta est insania impiorum. Nonne insensatissimus reputaretur qui draconem aut basiliscum amplecteretur et eorum potaret venena, nec sanis acquiesceret exhortationibus persuadentium ut se ab illis averteret? Quanto magis insensati ac stolidi sunt omnes qui peccant mortaliter aut in mortali permanent culpa? Quoniam infernalibus draconibus miscentur ac basiliscis, atque illorum se implent venenis, id est vitiosis affectibus qui mortem inferunt sempiternam, neque obtemperant admonitionibus piis quatenus se emendent, sed animo pertinaci in vitiis perseverant. Talibus clamat B. Joannes Baptista: Progenies viperarum, hoc est generatio ac filii infernalium colubrorum, quis ostendit vobis fugere a futura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. A tanta igitur vilitate, insania, turpitudine avertat se omnis transgressor legis divinæ, ne anima ejus a dæmonibus amplius constupretur, sed Christi sponsa efficiatur. Ad quod per Osee Spiritus Sanctus hortatur quemlibet peccatorem, dicendo: Convertere ad Dominum Deum A tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Et verissime ait, Corruisti in iniquitate tua.

Osee II, 19, 20.

Matth. III, 7, 8.

Osee XIV, 2.

Præterea advertamus quantum et qualiter corruit quicumque mortaliter peccat. Si aliqua nobilis puella, regis filio desponsata, sponsum illum dimitteret, seque alicui garcioni, pultroni * aut lenoni subderet constuprandam, nonne gravissime ruere atque vilissima fieri censeretur? Sed ecce ineffabiliter gravius labitur ac vilius operatur anima christiana, quæ summi regis Filio, B veri et æterni Patris vero ac unico nato, desponsata est in Baptismo seu Pœnitentiæ sacramento, seu quando caritatem sortita est, et tamen ab illo per inobedientiam se avertit, nec fidelitatem servat eidem, sed (sicut prætactum est) cum dæmonibus adulteratur, illis subjicitur, ab eis fœdatur ac pessime fecundatur, ita quod opera efficit tenebrarum, imo potius instar meretricum efficitur sterilis, quoniam mala agere sterilitas potius quam fecunditas perhibetur. Denique si uxor alicujus omni C anno generaret non hominem, sed serpentem, lupum aut ranam, non fecunda sed abominabilis atque miserrima diceretur. Consimiliter peccatores qui opera bestialia ac diabolica operantur, qui gulæ ac luxuriæ turpitudinibus inquinantur, qui superbia, indignatione, crudelitate, pertinacia, instar dæmonum adimplentur, non fecundi aut fructuosi, sed steriles abominabilesque omnino, et prorsus miserrimi sunt censendi. Unde et magis merentur bruta ac dæmones quam homines nuncu- D pari.

* *Cf.* Cangii *Glossarium.*

Quintæ sunt nuptiæ supercœlestes, quæ sunt nuptiæ triumphantis Ecclesiæ, utpote beatifica unio mentis creatæ cum Deo, seu felix et consummata summi ac superdulcissimi boni fruitio, quæ est plena, æterna inæstimabiliterque deliciosa refectio omnium Beatorum in Domino. De quibus nuptiis in Apocalypsi legitur: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Unde, secundum Hieronymum, nihil felicius Christiano, cui regnum cœlorum promitti-

Apoc. XIX, 9.

tur, cui nuptiarum cœlestium beatitudo offertur. Et sicut id verum est, ita veraciter dici potest : Nihil infelicius Christiano qui tanta beatitudine se reddit indignum, qui tantis beneficiis ac promissis se facit ingratum. Et tamen quam multi sunt tales ! Etenim tales sunt omnes superbi, luxuriosi, avari, acediosi ac invidi, et qui potationibus, comessationibus, loquacitatibus ac vanitatibus vacant. O quanta est cæcitas et insipientia nostra, quod propter hujus brevissimæ vitæ delicias, divitias et honores, æterna illa beatitudine nos privamus, et propter fœdissimæ carnis voluptates, illa supercœlesti, æternali, incomparabili atque purissima voluptate spoliamus nos ipsos !

Postremo videmus quod inter sponsum et sponsam specialiter quæritur similitudo, quoniam nobilis nobili, dives diviti, sapiens sapienti, juvenis juveni communiter vult conjungi. Quum ergo Sponsus cœlestis, Dominus noster Jesus Christus, sit vere humillimus, mitissimus, purissimus, omni caritate et sanctitate plenissimus, oportet ut anima quæ illius sponsa esse ac permanere desiderat, in cunctis humiliet semetipsam, mansueta, munda et spirituali amore plena esse conetur, nec sponsi sui offendat adspectum, sed fidelitatem ei inviolabilem servet, sicque adulterinos dæmonum vitet amplexus, id est vitiosos affectus, præsertim superbiæ, iræ, concupiscentiæ, avaritiæ motus.

Simus itaque jugiter coram Altissimo custoditi, sinceri ac fervidi, nec dæmonibus præbeamus assensum. Imo quotidie profectui insistamus virtutum, quemadmodum de B. Euphrasia virgine legitur, quæ fuit de prosapia devotissimi Theodosii A imperatoris. Cujus Euphrasiæ parentes valde virtuosi fuerunt, ita quod ea nata, de cetero continenter omnino vixerunt. Porro Euphrasia quum adhuc esset quasi infantula, claustrum introiit monialium devotarum, inter quas vixit humillime, ita quod quanto illustrior, tanto fuit humilior. Nam et abjectiora cœnobii fecit obsequia, fuitque omnibus obsequiosa ; et vixit tam abstinenter quod interdum in tota hebdomada non nisi semel se refecit. Hinc diabolus contra eam insaniens, semel projecit B eam de alto solario, et præcipitavit eam in terram ; sed ipsa divinitus præservata, non lædebatur. Obiit autem quum adhuc esset juvencula. Abbatissa quoque cœnobii illius fuit mulier eximiæ sanctitatis, cui Deus revelavit instare mortem felicem S. Euphrasiæ. Siquidem abbatissa illa in spiritu rapta, vidit Sanctos coram Dei tribunali stantes, et de humilitate ac virtutibus B. Euphrasiæ admirantes, eamque cœlesti corona dignam pronuntiantes. Verumtamen in cœnobio illo fuit soror una C valde perversa, quæ sanctitati et famæ Euphrasiæ semper invidit atque detraxit, ad quam Euphrasia humillime, amorose ac benevolentissime indesinenter se habuit. Nam in cœnobio eodem fuit soror quædam a pessimo obsessa dæmonio, ad quam nulla audebat appropinquare sororum, præter Euphrasiam, quæ illam accessit intrepida, deditque manducare eidem. Cujus privilegio invidens soror illa perversa, asseruit se quoque posse obsessam illam accedere. Quod quum facere D præsumpsisset, mox eam invasit, percussit et vulneravit illa obsessa, quousque superveniens S. Euphrasia, de manibus illius obsessæ eripuit eam.

SERMO TERTIUS

DE IMPEDIMENTIS PERTINGENDI AD SPIRITUALES NUPTIAS CHRISTI.

L*IGATIS manibus et pedibus ejus, projicite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Matth. XXII, 13.

In hodierno evangelio edocemur quam incomprehensibiliter magna sit caritas, misericordia ac munificentia Dei ad homines, et item quam ineffabiliter magna sit hominum negligentia, perversitas, ingratitudo. Ecce enim Deus omnipotens et *Gen.* I, 26, 27. æternus, non solum ad suam imaginem ac similitudinem nos creavit, sed etiam ad supernaturalem beatitudinem, quæ est sui ipsius clara, immediata ac fruitiva cognitio, condidit. *Ibid.* III, 6, 15. Quam quum primi parentes sibi ipsis et nobis omnibus demeruissent, misertus est Deus hominibus, et Filium suum pro mundi redemptione ac salute incarnandum prædixit ac moriturum. Deinde per homines electos et sanctos, videlicet Prophetas ac Patriarchas, invitavit homines ad salutem, ad nuptias spirituales, ad emendationem et conversionem constantem, ad fidem caritatemque Christi : quod ab initio mundi facere cœpit per Adam post suam emendationem, et Seth, Enoch, Noe et alios multos. Specialiter autem in veteri Testamento, per Moysen, Aaron, Josue, Samuelem, David, Isaiam aliosque Prophetas, et sanctos aliquos reges, ut Josaphat, Ezechiam, Josiam, invitavit populum Judæorum valde frequenter ad fidem, caritatem, spiritualesque nuptias ac salutem. In quo caritas, pietas et munificentia Dei monstrantur; præsertim quod ingratissimos, rebelles, perversos, toties tamque dignantissime invitavit.

Insuper hominum ingratitudo, negligentia atque perversitas ostenduntur in hoc, quod tam dignanter tamque sæpissime in- A vitati divinitus, noluerunt venire, carnalia spiritualibus, temporalia, vana ac vilia spiritualibus et æternis, imo creaturam Creatori insipientissime ac injustissime præferentes. De quibus in Zacharia scriptum est : Noluerunt attendere, et averterunt *Zach.* VII, 11, 12. scapulas recedentes, et aures suas aggravaverunt ne audirent legem.

Præterea in evangelio hodierno tanguntur quædam specialia impedimenta perveniendi ad spirituales nuptias ac salutem. Primo etenim dicitur, quod nolebant veni- B re; secundo, quod neglexerunt venire; tertio, quod abierunt in villam suam; quarto, quod abierunt in negotiationem suam; quinto, quod quidam eorum tenuerunt ministros regis, et contumeliis affectos interfecerunt.

Primum ergo impedimentum gratiæ ac salutis, est nolle converti, nolle acquiescere, nolle subdi ac obedire. Per istos qui venire noluerunt, designantur universi intimorati, qui de sua salute non curant, nec aliud habent impedimentum bene viven- C di, nisi quia non volunt; sed quidquid prædicetur eis de Dei timore, de divini judicii rigore, de pœnis æternis ceterisque ad salutem spectantibus, cordialiter non advertunt, imo magis convertunt illud in risum, et in suis vanitatibus fœditatibusque persistunt. Qui similes sunt induratis Judæis, de quibus ad Ezechielem prophetam locutus est Deus : Fili hominis, ecce *Ezech.* II, 3; XXXIII, 31, 32. mitto te ad gentem exasperatricem, filios Israel qui audiunt sermones meos ex te, et non faciunt eos, sed in canticum oris D sui vertunt eos; et factus es eis quasi carmen musicum quod suavi dulcique sono canitur. Nam et isti intimorati etiam eos a quibus audiunt verbum Dei frequenter derident. Hinc remotissimi sunt a salute: nam bona voluntas seu bonum propositum est bonæ conversationis exordium. Unde quam grave sit nolle hujusmodi, primo Regum *I Reg.* xv, 23. edocetur, quo dicitur : Quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.

Secundum impedimentum gratiæ ac salutis, est negligentia. Et ista est duplex : una, qua opera bona quis omnino omittit, non jejunando, aut non festivando ac confitendo juxta præceptum Ecclesiæ; secunda, qua quis opera bona exercet, sed absque debita reverentia Dei et sine condigna diligentia animi, videlicet cum tepore, fastidio et distractione irrefrenata. *Jer.* xlviii, 10. De qua Jeremias asserit : Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Unde et in *Apoc.* iii, 16. Apocalypsi Dominus loquitur : Quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo. Ubi sapienter pensandum est, quod si maledictionem meretur et condemnationem æternam, qui opus Dei facit negligenter, quanta erit eorum maledictio atque damnatio qui illud omnino omittunt? Oportet ergo cum diligentia et reverentia Deo servire. Propter quod apud Marcum ait Salvator : *Marc.* xiii, 33. Videte, vigilate et orate. Ad Hebræos quoque scribitur : *Hebr.* xii, 28. Serviamus Deo cum metu et reverentia. Hinc in Deuteronomio Moyses exhortatur : *Deut.* iv, 9. Custodi temetipsum et animam tuam sollicite ; ne obliviscaris verborum Domini, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Consideret igitur homo infinitam majestatem Dei, atque incomparabilem excellentiam ejus in omni dignitate, sapientia, justitia et perfectione : sicque omnem negligentiam in ipsius devitet obsequio. Pensemus quam reverenter ac sollicite serviatur regibus, principibus et prælatis sæculi hujus ab eorum ministris, et hoc exemplo discamus Deo reverenter ac fervide ministrare. Præsertim autem in ecclesia, tempore divini obsequii, et maxime hora celebrationis, reverenter et fervide habere se debent Christiani coram rege sæculorum immortali, invisibili, Deo vero, *I Tim.* i, 17. non pigre sedendo, sed decenter, genibus flexis orando, A aut stando, seu inclinando, nisi infirmitas eos excuset. Sed quidam ita sunt duræ, intimoratæ ac tumidæ mentis, ut nec tempore elevationis genua flectant, et Creatori suo tam irreverenter adsistere non vereantur. Quocontra Psalmista loquitur Deo : In toto corde meo exquisivi te. *Ps.* cxviii, 10.

Tertium impedimentum salutis et gratiæ, est superbia, ambitio, seu vana gloria: quod significatur per eum qui transivit in villam suam, hoc est ad locum dominationis ac præsidentiæ suæ. Qui enim mundi B hujus quærunt honores, et aliis appetunt dominari, malentes præesse quam subesse, Christi humilitatem discere ac assequi aspernantur; nec quam periculosa sit præsidentia contemplantur, neque divini districtionem judicii expavescunt, sed neque adspiciunt quid peccando meruerint, quantam confusionem, dejectionem ac pœnam. Consideret ergo unusquisque se ipsum et proprium imperfectum, propriam defectuositatem et culpam, quam insufficiens sit regere semetipsum : sicque cessabit ad C aliorum regimen adspirare. Nec quisquam se ingerat impudenter, sed qui vocatur a Deo, ut Aaron, *Hebr.* v, 4. præsertim quum dicat Gregorius : Numerari culpæ non possunt quæ ex ambitione procedunt. Et rursus : Unusquisque prælatus seu præsidens toties ad apostasiæ crimen delabitur, quoties præesse hominibus delectatur. Ejus enim vestigia sequitur qui similis fieri Altissimo concupivit, *Is.* xiv, 14. et angelis juxta propriæ voluntatis placitum præesse optavit. Advertant ergo superbi et honoris ac gloriæ D cupidi in præsenti, quod apud Matthæum Christus Dominus contestatur : *Matth.* xviii, 3. Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Humilitatem ergo in omnibus amplectamur, sine qua nemo potest Deo placere, nec gratiam ac virtutes in corde suo colligere.

Quartum impedimentum, est avaritia : quæ significatur per eum qui ad suam abiit negotiationem. Per quem omnes exprimuntur avari, qui quanto plus terrena appetunt atque accumulant, tanto plus a profectu virtutum, ab adeptione salutis A æternæ impediunt semetipsos. Avaritia quippe, tanquam gravissimum pondus, deprimit animam ad terrena, ita quod in illis spiritualiter suffocatur, nec ad contemplanda divina levatur. Verum ut ait Gregorius, si consideremus quæ et quanta nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Dilige te, o Christiane, spirituali et vero amore, dona gratiæ ac virtutum optando, servando, augendo, atque ad gloriam æternæ beatitudinis cordialiter adspirando : sicque B carnalem et falsum tui ipsius amorem abjicias, ea nequaquam desiderando quæ impediunt a salute, quæ offensiva sunt Dei, et spirituali dilectioni exstant contraria, ut sunt voluptates carnales, terrenæ et superfluæ possessiones, etc.

Quintum, est manifesta malitia : quæ signatur per eos qui servos regis cœlestis contumelia affectos injustissime occiderunt. Per quos intelliguntur omnes obstinati ac pessimi, qui eos a quibus audiunt verbum Dei et justas increpationes, seu C caritativas ac pias exhortationes, odiunt, persequuntur aut etiam perimunt, juxta *Amos* v, 10. illud Amos : Odio habuerunt corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt. Isti *Prov.* xxix, 1. advertant quod Salomon contestatur : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Isti sunt similes phreneticis et furibundis infirmis, qui violentas injiciunt manus in patres suos ac medicos eis succurrere cupientes : imo similes sunt Scribis ac Pharisæis, ceterisque Judæis, qui persecuti sunt Chri- D stum, eo quod contra eorum vitia prædicavit, et eos condigne corripuit. Itaque increpationes justas et caritativas, informationes salubres, cum omni gaudio et gratiarum actione suscipiamus, nec minus gratanter accipiamus curationem vulnerum animæ nostræ quam corporis nostri, quum *Ibid.* xv, 32. in Proverbiis scriptum sit : Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam ; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

Insuper, quoniam caritas vestis est nuptialis, in vera ac fervida Dei ac proximorum caritate jugiter permanere atque proficere enitamur, omnem prorsus detestantes invidiam. Pensemus quoque districtionem divini judicii in isto qui veste caruit nuptiali, per quem designantur omnes qui in peccato exstant mortali. Qui manibus pedibusque ligatis, jussus est projici in tenebras infernales, ut qui hic membra sua contra Dei præcepta extendit, illic ea habeat vinculis æternæ damnationis constricta. Itaque tenebras illas nimis horribiles intolerabilesque inferni fœtores, dæmonum metuendos adspectus, gehennale frigus et ignem æternum, omnem demum desolationem, desperationem et perturbationem damnatorum sapientialiter modo quotidie inspiciamus, vereamur et effugere semper conemur, atque prædicta salutis ac gratiæ impedimenta vitemus.

Legitur in libro Jeremiæ prophetæ, quemadmodum ipse Jeremias in utero matris *Jer.* i, 5-10. suæ sanctificatus, et a pueritia sua spiritu prophetiæ repletus, a perversissimis incredulisque Judæis multas et graves tribulationes perpessus est. Nam semel miserunt eum in nervum, et sæpe in carcerem, *Ibid.* xx, 2 ; xxxii, 3 ; xxxviii, 6. imo semel in profundissimum lacum, in quo non fuit aqua, sed lutum ; descenditque beatissimus ille Propheta usque ad renes suos in cœnum. Alia quoque vice diutissime sedit in carcere, sustentatus *Ibid.* xxxvii, 14 et seq. ; III *Reg.* xxii, 27. ibidem pane tribulationis et aqua angustiæ, atque omni humano privatus solatio. Et subsannabatur ab omnibus, ac arrepticius *Jer.* xviii, 18 ; xx, 7 ; xxix, 26. seu obsessus a pluribus dicebatur. Tandem quum jam sancta senectute grandævus, acriter increparet populum suum pravissimum, ab eodem ictibus lapidum *Cf.* t. IX, 6 A, 263 A'. est occisus. Et omnia ista pro justitia pertulit, et quoniam plebem illam vitiosissimam reprehendere non cessavit. Ecce præelecti amici ac filii Dei quanta in isto perpessi sunt sæculo. Ipsorum ergo exemplo, patientiam sanctam discamus ac jugiter observemus.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE DISCRETIONE ET VIGILANTIA MENTIS SEMPER HABENDA.

V*IDETE quomodo caute ambuletis.* A Ephes. v, 15.

Cautio ad prudentiam pertinet, et est cautio prospectio ac diligentia mentis ad vitandum pericula. Quum ergo in medio laqueorum versemur, atque innumerabilium invisibilium hostium, omni calliditate, crudelitate, experientia, grandi etiam fortitudine abundantium, multitudine circumvallemur, qui nos circumdant ut apes, *Ps.* cxvii, 12. et contra nos exardescunt sicut ignis in spinis, certum est quod incessabili cautione indigeamus : præsertim quum pericula B nobis imminentia, sint de irremediabilibus, incomparabilibus et interminabilibus malis, utpote de amissione beatitudinis summæ ac sempiternæ, et de incursione damnationis perpetuæ et extremæ. O utinam hæc saperent nobis taliter ut oportet: puto quod nunquam dissoluti, intimorati, otiosi essemus.

Porro hoc loco, per cautionem discretio potest intelligi, quæ omni proficere cupienti potissimum necessaria exstat, non solum ut mala vitentur bonaque fiant, sed C item ut horum utrumque fiat compendiose, et ut celeriter multum proficiamus, et ad perfectionem pertingamus velocius : ut scilicet in omni actu virtutis, modum, tempus, locum, rectam intentionem, jugem custodiam observemus, totaque diligentia id adimplere conemur propter quod religionem sumus ingressi. Hinc ait Bernardus : In cunctis nobis semper præesse debet discretio, et suo moderamine singulas discernere voluntates, ne verisimilis fallat opinio, ne decipiat sermo versutus, ne quod bonum est, malum esse credatur, aut econverso. Discretio quippe omni virtuti ordinem tradit, modum præfigit, firmitatem pulchritudinemque largitur; nec solum est virtus, sed et moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, doctrix morum : qua sublata, virtus vertitur in peccatum. Etenim si adsit timor et desit discretio, vertitur in desperationem ; si dolor, transit in amaritudinem; si amor, in desolationem; si spes, in præsumptionem; si lætitia, in dissolutionem; si ira, in furorem. Frequenter quoque contingit quod dum actui virtuoso immoderate insistitur, fit vitiosus ac perditur ; si autem discrete interrumpatur, salubrius conservatur. Imo, ut ait Isidorus : Quidquid boni sine discretione feceris, vitium est; quidquid cum discretione, virtus.

Verumtamen in his multi religiosi sunt valde defectuosi, qui sæpe alicui operi exteriori tanto insistunt fervore, ut hora divini Officii imminente aut etiam designata vix queant avelli, tamque immoderato affectu prosequuntur opus inceptum, ut a spirituali exercitio ac profectu non mediocriter impediantur : quemadmodum recitat Cassianus de Fratre qui saxum quoddam volebat forsan dividere aut aliter sibi aptare, atque tam acriter laboravit, quod sudor ejus erupit. Et quum paululum respirasset, mox cœpit rursus percutere. Superveniens autem quidam Patrum, vidit diabolum in specie quadam humana ex opposito Fratris stantem, et eum ad opus illud importune concitantem. A Dixitque Pater ille ad Fratrem : Quid agis, frater ? Respondit : Laboramus contra saxum istud durissimum. Et senex : Bene (inquit) dixisti, Laboramus, quia non solus laboras, sed adstat alius quem non vides, et te provocat. Itaque a spiritualibus studiis nunquam longe recedamus, et ante orationem, psalmodiam, celebrationem, confessionem, persolutionem Horarum, mentem recolligamus, devote incipiamus, reverentialiter prosequamur, fervide finiamus. Virtus namque principii in sequentibus B manet, et a fine denominatio sumitur.

Denique de laude discretionis, Cassianus in secunda collatione abbatis Moysis pulchra multa inducit, inter cetera referens quemadmodum beatissimus pater Antonius, congregatis apud se sanctis senioribus qui causa inquirendæ perfectionis convenerunt ad eum, a vespere usque ad lucem matutinam (per totam videlicet noctem) protraxit collationem, maxime quærens quæ virtus possit monachum a laqueis C inimici semper servare illæsum, rectoque tramite ac gressu firmissimo ad perfectionis culmen perducere. Quumque unusquisque quod sibi apparuit responderet, uno dicente jejunia atque vigilias id compendiosius facere, alio solitudinem eremi, tertio opera pietatis, quarto abnegationem temporalium rerum, tandem sanctus respondit Antonius : Omnia quæ dixistis, utilia sunt ad profectum, sed nullum eorum ad perfectionem compendiosius provehit monachum. Sæpe etenim D vigiliis et jejuniis acerrime incumbentes, atque mirifice in solitudine permanentes, omnia quoque relinquentes terrena, et pietatis exsequentes opera, repente dejecti sunt, maximumque fervorem et laudabilem vitam fine detestabili concluserunt. Quorum deceptionis exstitit causa, quod non satis a senioribus fuerant instituti, nec vera discretione ornati. Quæ utrumque vitiosum devitans extremum, via regia facit incedere monachum, ut nec fervoris excessu abstinentiæ modum transcendat, nec sub prætextu gubernandi corporis tepore lentescat. Hæc discretio, oculus et lucerna corporis in Evangelio nuncupatur, Christo dicente : Lucerna corporis tui *Matth.* vi, 22. est oculus tuus; si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Discretio enim cogitationes et facta hominis cuncta discernens, quæ agenda sunt prospicit, judicat et illustrat. Hæc est virtus quæ non solum lucerna corporis, sed et sol ab Apostolo nuncupatur dicente : Sol non occidat super iracundiam vestram. *Ephes.* iv, 26. Ipsa etiam dicitur gubernatio vitæ nostræ, secundum illud : Quibus non est gubernatio, *Prov.* xi, 14, juxta LXX. cadent ut folia. Ipsa quoque consilium nominatur, sine quo (secundum Scripturam) agere nil debemus, quum scriptum sit : Omnia fac cum consilio. *Eccli.* xxxii, 24. Ipsa est et solidus cibus, de quo ait Apostolus : Perfectorum *Hebr.* v, 14. est solidus cibus. Sicque B. Antonii et universorum Patrum sententia definitum est, discretionem esse quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad perfectionem, ceterasque virtutes conservet illæsas : cum qua ad consummationis fastigia minori fatigatione conscenditur, et sine qua multi, quamvis plus laborantes, perfectionis culmen nequiverunt ascendere. Omnium namque virtutum genitrix, moderatrix et custos exsistit discretio. Hæc Cassianus.

Hinc etiam abbas Pastor allegavit verba abbatis Ammonis dicentis : Est homo qui toto tempore vitæ suæ portat securim, et non potest dejicere arborem ; est autem alter habens usum incidendi, et in paucis ictibus dejicit arborem. Securim autem dixit esse discretionem. Sic et nunc, heu ! multi religiosi satis magnos exercent labores, et tamen in veris virtutibus minus proficiunt quam aliqui sæculares aut alii quicumque minus exterius laborantes, quoniam indiscrete se habent.

Deinceps, ut abbas Moyses docuit, ad veram discretionem maxime proficit homo per veram humilitatem, qua quis non solum sua facta, sed et cogitationes atque affectiones senioribus et sapientioribus, præsertim præsidentibus, reserat examinanda, nec suo credit judicio, sed illorum instructioni consentit : per quod etiam dæmonum vincit insidias, et illuminari ac confortari meretur a Spiritu Sancto. Acquiritur quoque discretio per indesinentem orationem a Deo, sed et per studium et lectionem in libris devotis, in quibus de hac re sanctorum et expertissimorum Patrum verba digesta sunt et exempla plurima recitata. Unde et aliqui qui in solitudine vitam duxerunt arctissimam, perisse leguntur, quoniam suo sensui pertinaciter inhærentes, Patrum judicio non acquieverunt.

Ephes. v, 15, 16. Itaque, juxta doctrinam Apostoli, in omni conversatione nostra caute agamus ac procedamus, non quasi insipientes, indiscreti, præsumptuosi, intimorati, sed quasi veraciter sapientes, Dei auxilio jugiter inhærentes, et omne tempus fructuose atque strenue expendentes; atque præterita tempora negligenter exacta sic recuperemus, ac modis prætactis veram ac plenam discretionem adipisci ac possidere infatigabiliter laboremus, simusque custoditi corde, ore et opere, sensu, appetitu, ac ceteris omnibus. Dies enim nunc maxime mali sunt; et tempus nostrum est quasi umbra *I Par.* xxix, 15. in terra, nec ulla est mora. Quæ autem restant, imminent et propinquant, æterna sunt. Idcirco non fatigemur, non negligamus; sed tanto in omnibus devotiores, agiliores ferventioresque simus, quanto termino vitæ amplius propinquamus.

SERMO QUINTUS

QUOMODO RELIGIOSI PRÆCIPUE DEUM ORARE, AD IPSUM SUSPIRARE, SPIRITUIQUE SANCTO HABITACULUM PARARE DEBEANT.

I*MPLEMINI Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus.* Ephes. v, 18, 19.

Deus, cujus natura est bonitas, cujus proprietas pietas, cujus munificentia est immensa, qui abundantia pietatis suæ merita supplicum excedit et vota, nequaquam tam multoties ac districte juberet in se sperare, seque ab omnibus invocari, nisi vere paratissimus esset in se sperantibus seque invocantibus subvenire, præsertim quum et ipse, qui essentialiter verus ac veritas est, exauditionem et opem *Matth.* vii, 7, 8; *Joann.* xvi, 24. tam copiose illis promiserit : Petite (inquiens), et accipietis ; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, etc. Hinc in hodierna epistola hortatur Apostolus, « Implemini Spiritu Sancto », quasi in promptu sit nobis Spiritu Sancto non solum tangi, informari, et in eo proficere, sed etiam ipso repleri. Et vere in promptu, si quod est in nobis fecerimus, nos ipsos præparando ad gratiam plenam. Quod facimus implendo quod scriptum est : Declina a malo, et *Ps.* xxxvi, 27. fac bonum. Duobus etenim modis nos ad gratiam ejusque profectum ac plenitudinem præparamus, videlicet mala vitando, hoc est omnem carnalitatem, negligentiam, dissolutionem, loquacitatem, immoderantiam fugiendo, deinde quæ bona sunt exsequendo, ut ea quæ Ordinis sunt ac legis divinæ, cum omni diligentia observemus. Sic enim habendo nos, ad mirabile gratiæ incrementum nos coaptamus.

Porro, quoniam desiderium aperit mentem desiderantis ad susceptionem desiderati, idcirco ad omnipotentem ac superliberalissimum Deum fervide adspiremus, ejus sacra charismata ardenter optemus, pro ipsorum affluentia ipsius misericordiam totis deprecemur præcordiis. Et certe libenter et exuberanter exaudiet nos benignissimus Deus, si juxta hodiernæ documenta epistolæ, in omnibus caute tendamus, tempusque redimamus, nec vino inebriemur : id est, sollicite et ferventer gradiamur ad patriam claritatis æternæ, faciendo omne quod possumus bonum, et tam fructuose tempus quod restat explendo, ut in eo etiam præteritos dies recuperemus; nec in cibo excedamus ac potu, vel ante tempus debitum seu extra illud aliquid cibi et potus accipiendo, nec diutius ad mensam sedendo, neque superflue nos replendo, nec delicata quærendo.

Nempe quam detestabile sit extra tempus aliquid horum sine spiritualis patris consensu accipere, constat ex eo quod abbas Serapion retulit de se ipso, quemadmodum quum adhuc adolescens esset, et ignorante patre suo S. Theona, quotidie unum paximacem, videlicet parvum panem, comederet; tandem propriam prodidit culpam, moxque fumus fœtidissimus atque teterrimus per cellæ fenestram egressus est. Augustinus quoque in Regula sua prohibet istud.

Insuper, quam vitiosum sit cibo et potu se immoderate replere, innotescit ex eo
Cassianus. quod abbas Moyses in primo Collationum libro refert de quodam fratre Benjamin. Qui in eremo habitans, præter aliorum consuetudinem biduanas jejunavit, videlicet secundo die nil accipiens cibi, quatenus tertio die, duorum dierum præfixam quantitatem, videlicet quatuor paximaces, simul manducans, se saturaret. Qui tandem hujus peccati demerito a Deo relictus, ad sæculum est reversus.

Si ergo tanta exstitit culpa in solo pane sicco excedere, extra horam edendo aut se immoderate replendo, quale peccatum esse censendum est omni die per immoderantiam se replere, aut extra tempus cibum aut potum delicatum absque licentia capere, potissimum quum, teste beatissimo Benedicto, nihil tam fugiendum sit monacho quemadmodum crapula? Infinitam habemus rationem humiliandi et despiciendi nos ipsos, si rite perpendimus quoniam olim sancti Patres multo et quasi incomparabiliter magis temperate et parce ac sobrie sumpserunt siccum panem et frigidam aquam, quam nos pauperrimi, ingentia carnium aut piscium corpora et pocula pretiosa. Humilitas ergo, pietas, patientia, mansuetudo, obedientia, caritas, zelus justitiæ, suppleat in nobis quod de abstinentia nobis deest.

Præterea, quoniam Salvatore testante, Ex abundantia cordis os loquitur, rite adjunxit Apostolus verbis prætactis quibus dixit, «Implemini Spiritu Sancto», verba ista sequentia : « loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus ». Quemadmodum ergo de rebus spiritualibus incessanter conferre, non intermiscendo verba inania, et de sacra Scriptura humiliter loqui, probabile signum est gratiosæ ac copiosæ præsentiæ Spiritus Sancti; sic de vanis et frivolis loqui, cujus rei indicium esse videtur, nisi miserrimæ ac vacuæ mentis, præsertim talibus immorando ac delectando? Porro verba detractoria, susurratoria, contumeliosa, discordiæ seminativa, mendosa, pungitiva proferre, cujus inhabitationis est signum, nisi diaboli? Quæ quum ita se habeant, quid est quod convenientibus nobis in unum, jam non est dominica verba proferre, de pertinentibus ad Dei honorem ac animarum salutem conferre, mutuo ad meliora hortari, et ex sacris collationibus inflammari, compungi, doceri, sed fabulationibus stultis, dissolutionibus puerilibus risibusque vacare, et sic pretiosissimum tempus expendere ac damnabiliter perdere, et lacerata memoria menteque frigida ad divina accedere? Recordemur quod Pater quidam dixit coram magno et sancto Antonio de Fratribus qui in via contulerant nunc de sacra Scriptura, nunc de verbis Patrum, nunc de suarum operibus manuum : Boni (inquiens) sunt, sed habitatio eorum janua caret; quicumque vult, intrat stabu-

Matth. xii, 34.

Ephes. v, 18, 19.

A lum solvitque asinum. Si hoc dixit de Fratribus qui tamen de illicitis non fuerant collocuti, quid de nobis dicendum est, qui non solum venialiter illicita verba, sed et ex suo genere quoque mortalia crebro, Deum obliti et ejus judicium non verentes, proferre audemus, ut sunt verba oblocutoria, susurratoria, discordiæ seminativa, contumeliosa, mendosa? Nunc ergo de cetero Deum habentes præ oculis, non nisi ædificatoria, salubria et divina loquamur.

B Atque, ut consequenter monet Apostolus, *Ephes.* v, 20. gratias Deo Patri in nomine Filii ejus Jesu Christi agamus pro universis beneficiis tam nobis quam aliis desuper distributis; et ex caritate et latria ac zelo justitiæ hoc agamus, cum omni cordis affectu inæstimabili bonitati, caritati, misericordiæ ac munificentiæ Dei nostri sæpissime regratiantes. Sicque de proprio imperfecto et de nostris peccatis, de multiplici quoque ruina Ecclesiæ contristemur, ac Deum pro subventione et affluentia gratiæ deprecemur, C ut nihilo minus de omni pietate et gratia nobis aliisque collatis, Deo humillime ac frequenter grates agamus, ei omne bonum attribuendo, et de omni beneficio suo ipsum toto corde laudando, nec verbis tantum, sed operibus quoque ei pro posse vicem ac honorificentiam tribuendo, ne dicat de nobis : Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. *Is.* xxix, 13; *Matth.* xv, 8. De omni igitur bono quod fieri cernimus aut audimus, omnium fonti bonorum regratiemur ex animo.

Postremo, juxta apostolica documenta, subjecti invicem simus in timore Dei casto ac filiali : *Ephes.* v, 21. et hoc, ex obedientiæ debito, aut certe ex condecentia et supererogatione caritatis ac humilitatis. Superiores equidem per caritatem et humilitatem sponte se subdunt inferioribus, salva justitiæ disciplina; inferiores autem superioribus, ex obedientiæ exigentia. Unde ait Salvator : Qui major est vestrum, sit vester minister. *Matth.* xxiii, 11. Ceteris autem ait Apostolus : Honore invicem prævenientes; *Rom.* xii, 10. et, Per caritatem servite invicem. *Galat.* v, 13. Ecce omnia ista cunctis Christifidelibus scripta sunt et injuncta. Quanto magis religiosos oportet ea sublimiter adimplere, atque evulsa omni superbia, in vera, sancta, profunda ac stabili humilitate pariter conversari, et in Dei timore persistere, ne quis alium scandalizet, gravet, perturbet, et Christum in suis membris trucidet? Sed omnes mutuo ædificatorii, pacifici caritativique simus, ad laudem et gloriam Omnipotentis. Amen.

SERMO SEXTUS

DE VARIIS NUPTIIS, ET IMPEDIMENTIS PERTINGENDI AD NUPTIAS SPIRITUALES PERFECTIONEMQUE MONASTICAM.

D SIMILE *est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo.* Matth. xxii, 2.

Sunt nuptiæ carnales, sunt et spirituales. Et nuptiæ spirituales sunt multæ, videlicet : personales, quæ sunt unio Verbi æterni cum natura humana in Christo; item sacramentales, quæ sunt conjunctio Christi atque Ecclesiæ. Sunt et nuptiæ internales et gratiæ, utpote unio Christi cum anima fideli per fidem, caritatem et gratiam. Sunt etiam nuptiæ supercœlestes et gloriæ, quæ sunt beatifica unio mentis creatæ cum Deo : ad quas præfatæ nuptiæ ordinantur.

Nuptias personales fecit Deus Pater Unigenito suo in utero Virginis, conjungendo ei naturam humanam in unitate personæ. Ad has nuptias sumus vocati, ut eas factas esse vere credamus et confiteamur, atque pro tam incomprehensibili caritate, dignatione ac munificentia totius supergloriosissimæ Trinitatis, et potissimum Verbi æterni circa nostram naturam, superaltissimæ Trinitati totis viribus regratiemur. In iis nuptiis, unigenitus Filius, tanquam amorosissimus sponsus, naturam humanam quam assumpsit, intime ac propinquissime sibi conjunxit, adstrinxit, amplexus est, omnique dono gratiæ ac lumine gloriæ, omni Spiritus Sancti charismate incomparabiliter adornavit, fecundavit, implevit, quia non decuit Unigenitum Dei humanam naturam nisi omni dono supernaturali præfato venustissime decoratam et pulchrificatam assumere, non quod adornatio illa gratiosa ac gloriosa hypostaticam unionem aut assumptionem præcesserit tempore, imo eodem instanti utraque facta est.

Præterea, nuptiæ sacramentales et nuptiæ internales se habent ut totum et pars : ideo ad utrasque sumus vocati, ut simus per fidem et caritatem membra Ecclesiæ, et per eamdem fidem et caritatem sint animæ nostræ Christi sponsæ. Sed sicut in Evangelio tangitur, diversi diversis peccatis impediuntur ab accessu ad nuptias istas, et per consequens ab adeptione supercœlestium nuptiarum, ad quas non nisi per nuptias Ecclesiæ militantis pertingitur. Vitia autem ab his nuptiis impedientia, sunt, ut Evangelium tangit, duritia, obstinatio, indocilitas cordis, immansio proprii sensus, aspernatio obediendi : et his vitiis involuti, designantur per eos qui noluerunt venire. Tales sunt qui correpti et castigati non emendantur, sed murmurando, indignando seque excusando, aut aliis modis, fiunt pejores, similes obstinatissimis filiis Israel, de quibus ad Ezechielem loquitur Deus : Filii indomabili corde sunt, et attrita fronte; et rursus, Fili hominis, mitto te ad gentem A exasperatricem, filios Israel, qui audiunt sermones meos ex te, et non faciunt eos.

Ezech. II, 4; III, 7. *Ibid.* II, 3; XXXIII, 31.

Deinde in evangelio hodierno, de aliquibus dicitur quod neglexerunt venire. Per quos significantur negligentes et pigri religiosi, qui opus Dei faciunt irreverenter, indevote, insipide, adspirantes ad finem, mente vagi, oculis incustoditi, graves et somnolenti. Qui multiplex damnum incurrunt, quia et in præsenti tædiosum est eis spiritualibus exercitiis immorari, sicque plurimum laborantes, parum aut B nihil apud Deum merentur; imo potius damnationem sibi accumulant, quum scriptum sit : Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter; itemque, Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Qui autem custoditi sunt cordis, spirituque ferventes, opus Dei delectabiliter agunt, et omne tempus quod in divinis expendunt, eis breve videtur, imo vix moras percipiunt. Etiamsi matutinale officium per quatuor aut quinque horas protrahatur, apparet eis quasi momentum; psalmodia eis dulcissi- C me sapit; diuturnitate orationum ac meditationum non affliguntur, sed reficiuntur, et mira in sanctis actibus, qui indevotis laboriosi videntur, suavitate pascuntur, cum Psalmista fatentes : Exsultabunt labia mea quum cantavero tibi, et anima mea quam redemisti. Hi itaque aliis multo minus laborantes, multo plus de essentiali præmio consequuntur, quoniam promptiori et ferventiori affectu Deo servire noscuntur. Assuescamus ergo nos ipsos compescere, pravas consuetudines exstir- D pare, dissolutiones vitare, consolatiunculas viles contemnere, exteriores reprimere sensus; in cibo, potu, somno et omni re exteriori nequaquam quærere voluptates, nos ipsos quotidie examinare diligentissime, disciplinare discrete, componere mores, et mentem assidue ad Deum erigere.

Jer. XLVIII, 10. *Apoc.* III, 16. *Ps.* LXX, 23.

Insuper in evangelio fertur quod quidam abierunt in villam suam. Per quos exprimuntur ambitiosi, honoris et gloriæ cupidi, quos delectat præesse, præcipere, judicareque alios, quum non sufficiant regere semetipsos, in quibus sola superbia A destruit omnia. De aliis quoque in evangelio isto asseritur quod abierunt ad negotiationem. Per quos notantur avari, quos sequuntur curiosi et lauti religiosi, necessariis non contenti, neque pensantes ad quantam victus ac vestitus tenuitatem sint obligati. De ceteris in evangelio legitur quod servos domini tenuerunt, et contumelia affectos interfecerunt. Per quos designantur ingrati et persecutores superiorum suorum. De quibus dicit Amos : *Amos* v, 10. Odio habuerunt corripientem, et loquentem B perfecte abominati sunt. Tales sunt qui superioribus suis detrahere non verentur, qui eos a quibus corripiuntur et accusantur, gravius reaccusare nituntur. In quibus nulla est lux sapientiæ salutaris, sed tenebræ et caligo involvens.

Emendemus nos igitur, atque ab universis his vitiis funditus expurgemus, præsertim ab his ad quæ vel ex usu, aut ex ingenita dispositione proniores consistimus, sicut ex collatione abbatis Serapionis recitat Cassianus : Ita nobis adversus C vitia arripienda sunt prælia, ut unusquisque vitium quo maxime infestatur explorans, adversus illud arripiat principale certamen : omnem curam mentis ac sollicitudinem circa illius observationem et impugnationem defigens, adversus illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis suspiria cordis crebraque gemituum tela contorquens; adversus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinentes quoque orationum fletus ad Do- D minum dirigens, et vitii sui exstinctionem ab illo specialissime ac jugiter poscens, sciens se suis viribus prævalere non posse. Superato igitur vitio uno fortiori in se, rursus ad aliud quo post illud gravius impugnatur expugnandum, se simili modo et per eadem arma convertat : sicque fortioribus suis peccatis prius devictis, celeriorem contra alia obtinebit triumphum, quia et mens victoriarum suarum processu fit fortior. Nec putandum quod mens contra unum vitium sic specialiter dimicans, ab aliis vitiis inopinato ictu possit facilius sauciari. Impossibile namque est mentem contra unum vitium sollicite præliantem, et desiderio puritatis internæ intentionem suam contra illud armantem, adversus cetera quoque peccata generalem quemdam horrorem atque custodiam similem non habere, quia nec de una qualibet passione aut culpa potest quis emundari, si aliorum contagio vitiorum faciat se auxilio gratiæ Dei indignum. Hæc Cassianus.

Postremo, quia tam misericordissime, tam amorose atque dulcissime agit Deus majestatis immensæ nobiscum, ut animarum nostrarum sponsus esse dignetur, imo et jubeat nostras sibi animas desponsari, adspiremus ad gratiosum, purum et fervidum ipsius amplexum in vita præsenti, ut per amplexum hunc incompletum ad plenum et æternalem pertingamus ipsius amplexum fruitivum, gloriosum, securum. Hic autem amplexus in vita hac, est sanctæ caritatis affectus ad Deum, ardens desiderium ejus, unio amorosa. Nec nos ita cœlestem amplectimur Sponsum, nisi ipse gratiose præveniat nos, et nostras animas primitus amplexetur, eas ad se afficiendo, sibi alliciendo, in se inflammando, rapiendo aut absorbendo. Idcirco in caritate, quæ vestis est nuptialis, semper conemur proficere, ad laudem et gloriam bonitatis divinæ, infinitæ et adorandæ. Amen.

DOMINICA XXI POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CONFORTAMINI IN DOMINO, ETC. Ephes. VI, 10-17.

AD spiritualem confortationem et armaturam interiorem contra omnes animarum nostrarum hostes hortatur nos gloriosus Apostolus in præsenti epistola, dicens : *Confortamini in Domino,* id est, robur gratiæ ac virtutum a Deo adipisci ac conservare studete, atque ex consideratione divinæ pietatis ac omnipotentiæ roboretur spes vestra in Creatore, ut contra impugnationes dæmonum, carnis ac mundi viriliter compugnetis, et in bonis operibus perseveretis ac proficiatis. *Et in potentia virtutis ejus.* Istud est quasi expositio particulæ præcedentis, quia potentia virtutis Dei non est nisi omnipotens Deus. Itaque, « in potentia virtutis ejus », id est in potenti potestate ipsius, innitendo semper divinæ potentiæ, non propriis viribus, juxta illud Isaiæ : Quis ambulat in tenebris, et non est lumen ei ? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. (*Is.* L, 10.) Potest quoque per potentiam virtutis Dei intelligi virtus infusa nobis a Spiritu Sancto, quæ formaliter nos confortat; Deus vero effective nos roborat.

Induite vos armaturam Dei, id est, virtutibus interiores vires animæ vestræ vestite ac roborate, videlicet : intellectum fide, sapientia ac prudentia; voluntatem spe, caritate, justitia ; appetitum sensitivum temperantia, fortitudine ceterisque virtutibus moralibus. Hæc sunt spiritualia arma a Deo fabricata, data, infusa, quibus contra vitiorum ac dæmonum acies corroboratur atque protegitur anima nostra. Ideo subditur : *ut possitis stare adversus insidias diaboli,* id est occultis machinationibus suggestionibusque diaboli prævalere : nam et Satanas se crebro transfigurat in angelum lucis, sub specie boni mala proponens. (II *Cor.* XI, 14.)

Quoniam non est nobis colluctatio principalis aut sola *adversus carnem et sanguinem,* id est homines carnales ac fragiles, seu vitia carnis. Nempe per carnem et sanguinem Scriptura significat hominem, juxta illud : Caro et sanguis non revelavit tibi. (*Matth.* XVI, 17.) Verumtamen grave bellum habemus contra propriam carnem et concupiscentias ejus, et contra homines carnales, qui vel adversa infligunt, vel ad vitia trahere moliuntur. Bellum vero quod contra invisibiles hostes habemus, periculosissimum acerrimumque consistit. De quo sequitur : *sed adversus principes et potestates,* id est angelos apostatas seu dæmones, qui ante lapsum suum fuerunt de ordinibus Principatuum et Potestatum. De singulis quippe angelorum ordinibus aliqui cecidisse creduntur, qui universi jam per principatus ac potestates signantur : ita quod nomine principatuum exprimuntur dæmones inferiores; et nomine potestatum, superiores, quibus inferiores obediunt, homines impugnando. Est enim in dæmonibus prælatio quædam : nam et omnes concordes sunt in desiderio nocendi hominibus. *Adversus mundi rectores,* id est contra prædictos invisibiles hostes, mundanorum hominum directores ac principes. Homines enim iniqui dæmonum obediunt voluntati, A et ab ipsis captivi tenentur, id est vinculis impietatis adstricti, ac undique circumferuntur sicut servi a dominis suis. Unde Apostolus se ipsum quasi exponens, adjecit : *tenebrarum harum,* id est hominum qui ignorantiæ ac vitiorum tenebris excæcantur. Qui mundi nomine in Scripturis multoties designantur, sicut apud *Joann.* I, 10. Joannem : Mundus eum non cognovit; et *I Joann.* V, 19. alibi, Mundus in maligno positus est. Hinc conversis ad Christum scripsit Apostolus : *Ephes.* V, 8. Fuistis aliquando tenebræ. *Contra spiritualia nequitiæ,* B id est dæmonum agmina nequitiis plena, habitantia *in cœlestibus,* id est in aere caliginoso, in quo usque ad diem judicii multi dæmonum volitant ac morantur. Aer autem frequenter cœlum vocatur. Unde volucres cœli dicuntur, quia in aere seu in cœlo aerio volare cernuntur. Propter quod dæmones designantur per volucres cœli, ut quum ait Salvator : *Luc.* VIII, 5. Semen cecidit secus viam, et volucres cœli comederunt illud.

Propterea, id est, quia tam arduum præ- C lium imminet vobis, *accipite armaturam Dei,* id est virtutes et dona Spiritus Sancti, eorumque opera, quibus vitia expugnantur et dæmones superantur, *ut possitis* *I Petr.* V, 8. *resistere* diabolo et peccatis (diabolus namque tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret), *in die malo,* id est tempore tentationis et adversitatis, *et in omnibus,* tam prosperis quam adversis, *perfecti stare* adversus ruinam peccati, ut nec prospera vos extollant, neque adversa dejiciant, sed regia semper via incedatis, qua- D *Rom.* VIII, 28. tenus omnia cooperentur vobis in bonum.

State ergo per virtutes ad Deum erecti et fixi, *succincti* cingulo castitatis *lumbos vestros,* in quibus viget luxuria, id est, carnis concupiscentias refrenate, continenter vivendo, quemadmodum ait Salvator : *Luc.* XII, 35. Sint lumbi vestri præcincti. Hos lumbos *Job* XXXI, 1. præcinxit beatus Job : Pepigi (inquiens) fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine. Sic ergo accingite lumbos *in veritate,* id est veraciter coram Deo, non simulatorie coram hominibus, sicut hypocritæ. *Et induti loricam justitiæ,* id est, virtute justitiæ corda vestra munite, sicut corpus per loricam contra vulnera tegitur. *Et calceati pedes,* id est, pedes corporales, et etiam spirituales, videlicet animi affectiones, habete expeditos, *in præparatione Evangelii pacis,* id est ad hoc ut sitis parati annuntiare seu prædicare ac adimplere evangelicæ legis doctrinam, in qua pacificatio nostra cum Deo per Christum facta describitur, et per cujus observantiam nunc pacem pectoris ac in futuro pacem æternitatis consequimur, juxta illud Psalmistæ : Pax multa *Ps.* CXVIII, 165. diligentibus legem tuam.

In omnibus sumentes scutum fidei, id est, fidem catholicam pro scuto mentis arripite, virtutem et actum fidei suggestionibus dæmonum opponentes, videlicet considerationem passionis Christi, suppliciorum inferni, gaudiorum cœlestium et terribilium Dei judiciorum, quæ omnia cadunt sub fide : et eorum diligenti consideratione omnia tentamenta vincuntur. Ideo subditur : *in quo* fidei scuto *possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere,* id est universas tentationes diaboli acres ac fervidas superare. Hinc prima Petri dicitur : Adversarius vester diabolus circuit; cui resistite fortes in fide. *I Petr.* V, 8, 9. *Et galeam salutis assumite,* id est, spem futuræ felicitatis seu caritatem mentibus vestris superponite, ut contra præsentia blandimenta, spe futurorum præmiorum atque divino amore armemini; *et gladium spiritus, quod est verbum Dei,* id est, ensem animæ qui a Spiritu Sancto confertur apprehendite, qui est sermo sacræ Scripturæ, penetrans intima animæ, vitia resecans, atque a mundo animam dividens, sicut gladius materialis penetrat corpus ac dividit illud. De quo gladio ait Salvator : Non *Matth.* X, 34. veni pacem mittere in terram, sed gladium. Et subdit ibidem : Veni enim separare *Ibid.* 35. hominem a patre suo. De quo etiam gladio Psalmista loquitur Christo : Accingere gla- *Ps.* XLIV, 4. dio tuo super femur tuum, potentissime.

SERMO PRIMUS

DE FORTITUDINE ET HIS QUÆ HOMINEM IN DEO CONFORTANT, ET QUALITER SIT TENTATIONIBUS RESISTENDUM.

CONFORTARE, et esto robustus valde; noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. Josue I, 7, 9.

Ista ad litteram sunt verba Dei omnipotentis atque piissimi ad Josue ducem ac principem Israeliticæ plebis. Spiritualiter vero loquitur Deus verba ista ad quemlibet Christianum, cui præcipit ut virtutibus confortetur, ita ut Deo obediat, dæmonibus reluctetur, vitiisque prævaleat, et dominetur animo suo, sensualitatem quoque edomet ac gubernet.

Denique confortatione ista vehementissime indigemus. Primo, ex parte nostri, quoniam defectuosi, infirmi et fragiles sumus, in tantum ut Christus dicat : *Joann.* XV, 5. Sine me nihil potestis facere. Atque Apostolus : *II Cor.* III, 5. Non sumus (inquit) sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis. Hinc orat Psalmista : *Ps.* VI, 3. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; et rursus : *Ps.* LXIX, 2. Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. Itaque fatuus est qui de viribus suis præsumit. — Secundo, ex parte adversariorum nostrorum. Nam contra invisibiles hostes continuum bellum habemus, videlicet dæmones, a quibus videmur et quos non videmus. Qui quum incorporales exsistant, non fatigantur nos impugnando, suntque nobis nimium fortiores, callidiores et ineffabiliter magis experti. Hinc Christus in Evangelio per *Luc.* XI, 21. fortem armatum designat diabolum. In Job *Job* XLI, 24. quoque de ipso asseritur : Non est potestas super terram quæ comparetur ei. — Tertio, ex parte periculi. Tanta equidem est multitudo ac magnitudo periculorum nobis certissime imminentium, nisi confortati A prævaleamus contra hostes nostræ salutis, quod ea exprimere non valemus, imo nec comprehendere possumus. Si enim a dæmonibus superamur, animæ nostræ mox letaliter vulnerantur, donis gratiæ ac virtutum privamur, æternam beatitudinem perdimus, infernalem calamitatem incurrimus, dæmonum servi, membra filiique efficimur : sicque a summo et incommutabili, ab infinito et incomparabili bono Domino Deo nostro avertimur, separamur, relinquimur. Ecce quanta pericula. — B Quarto, ex parte propriæ infectionis seu fomitis, quia non solum impotentes sumus ad bona, sed et proni valde ad mala. Imo fortes atque multiplices habemus intra nos inclinationes, motiones ac inflammationes ad vitia. Siquidem concupiscentiæ carnis acriter movent, voluntas quoque ad propria commoda vult reflecti et libertate ingenita uti; et breviter, quatuor vulneribus ex originali peccato secutis taliter læsi sumus, videlicet malitia in voluntate, ignorantia in intellectu, infirmitate in vi irascibili, C concupiscentia in concupiscibili, quod ab intra vehementer movemur ad mala, et grandi robore adjutorioque egemus, alioqui vincimur ac perimus. — Quinto, ex parte finis ad quem ordinatur ac tendit tota vita et pugna nostra prætacta. Hic etenim finis est supernaturalis felicitas, utpote clara per speciem visio Deitatis : ad quam non nisi per supernaturalia media ac adjutoria, ut per virtutes infusas et dona Spiritus Sancti, valemus pertingere. Quum itaque tot, tales ac tantæ sint causæ propter D quas confortari indigemus in Domino, debemus cum omni diligentia et fervore pro ista confortatione orare ac laborare.

Jam quoque tangendæ sunt considerationes quæ hominem in Deo magis confortant. Prima est consideratio infinitæ bonitatis Dei altissimi. Quum enim bonum sit communicativum sui, certum est quod Deus naturaliter ac incircumscriptibiliter bonus, vere paratissimus sit succurrere invocantibus eum. Ideo in Threnis scriptum *Thren.* III, 25. est : Bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum.

Secunda est consideratio infinitæ misericordiæ Dei, quam qui rite perpendit, spem concipit et confortatur in Domino, certus quod Deus invocantibus se non desit, dummodo cordialiter et instanter oretur. Hinc in Ecclesiastico habetur : *Eccli.* II, 11, 12. Respicite, filii, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit illum, et despexit eum? Unde Propheta loquitur *Ps.* IX, 11. Deo : Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

Tertia est consideratio caritatis Dei ad nos, quam nec satis mirari, nec plene concipere, nec digne laudare valemus. Nonne, *Joann.* III, 16. sicut in Joanne legitur, sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam? *Rom.* VIII, 32. Nonne, Paulo testante, proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum? Hinc in prima sua Canonica ait *I Joann.* III, 1. Joannes : Videte qualem caritatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Denique unigenitus Filius Patris æterni, nonne ex caritate sua ad nos nostram assumpsit naturam, et Deus noster *Baruch* III, 38. factus est frater noster, in mundo visus et cum hominibus conversatus, et sanguinem suum fudit pro nobis? Sed et Spiritus Sanctus nonne se ipsum infudit ac dedit hominibus? Ecce quantum tota superbeatissima Trinitas nos dilexit. Quis ergo possit ambigere, ista perpendens, quin pronissima sit subvenire invocantibus ejus auxilium?

A Quarta est consideratio veritatis divinæ, quoniam Deus toties in Scripturis promisit adjutorium suum sperantibus in se et invocantibus eum, imo toties exhortatus est ut speremus in eo invocemusque eum, quod nihil tam fatuum ac perversum quam dubitare aut desperare de adjutorio Dei et gratia ac misericordia ejus, dummodo fiducialiter invocetur. Ipse etenim per Prophetam locutus est : Invoca me in die *Ps.* XLIX, 15. tribulationis, eruam te, et honorificabis me; item per Isaiam, Ego Dominus, super *Is.* XLIX, 23. B quo non confundentur omnes qui exspectant illum.

Quinta est consideratio summæ sapientiæ Dei. Ipse etenim omnia intuetur, et infirmitatem ac indigentiam nostram agnoscit, crudelitatemque, calliditatem atque ferociam hostium nostræ salutis, quibus nil minus sufficit de nobis quam æternalis damnatio nostra. Quum itaque Deus, cujus sapientiæ non est finis aut nume- *Ps.* CXLVI, 5. rus, omnia ista clarissime intueatur, dubitari non potest quin benignissime velit C succurrere, si eum deprecati fuerimus, nec ejus misericordia fecerimus nos indignos per desperationem, diffidentiam, hæsitationem, præsumptionem vitiosamque vitam. Hinc fertur in Psalmo : Quo- *Ps.* CII, 13-15. modo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum; recordatus est quoniam pulvis sumus : homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit. In Ecclesiastico quoque legitur : Oculi Domini multo plus lucidiores *Eccli.* XXIII, 28. D super solem, circumspicientes omnes vias hominum.

Sexta est consideratio omnipotentiæ Dei, qui uno imperio omnes nostræ inimicos salutis potest dejicere. — Aliæ multæ considerationes ex parte Dei ad idem possent induci, videlicet : consideratio suæ fidelitatis ad suos ministros; et item, quoniam ipse est creator ac dominus noster, ergo nos diligit tanquam opera sua et res suas; item, quoniam tanta beneficia nobis etiam non rogantibus, sed indignis aut etiam pessime agentibus est largitus. Et ad hoc possent innumerabilia ex Scripturis commemorari exempla, videlicet quantam misericordiam fecit cum David, II *Reg.* xii, 13. imo et cum Salomone, secundum Hieronymum atque Ambrosium asserentes eum veraciter pœnituisse, et cum rege Manasse, II *Par.* xxxiii, 13. *Luc.* vii, 48; xix, 9; xxiii, 43. deinde cum Maria Magdalene, Zachæo, latrone, ac aliis.

Præterea, interdum debet homo bonus se ipsum confortare in Domino ex consideratione operum bonorum quæ fecit, et tribulationum quas pro Deo aut propter Deum pie sustinuit, non inaniter gloriando de his, aut suis ea viribus adscribendo, sed omnia Deo. Sic enim Ezechias rex virtuosus, quum a rege crudelissimo impugnaretur, confortavit se ipsum in Deo, IV *Reg.* xx, 3. dicendo : Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto. Unde in Vitaspatrum de quodam sancto Fratre narratur, quod quando dæmones eum tentaverunt de præsumptione et gloria vana, reduxit ad mentem suam peccata, et dixit : Ubi sunt omnia tua peccata? Porro quum tentaretur de desperatione, dicentibus ad eum dæmonibus, Quia post omnes istos tuos labores venies in infernum; reduxit ad memoriam opera bona quæ fecit, et ait : Modicum obsequium exhibeo Deo, et spero quod propter hoc faciet misericordiam mecum. Tandem dæmones victi et veritate compulsi, dixerunt : Quid faciemus tibi? quia si nos te extollimus, tu te humilias; si nos te humiliamus, tu te extollis. Sicque confusi, fugerunt ab eo.

Postremo confortari debemus in Domino ex consideratione multiplicis adjutorii nobis ab eo exhibiti : præsertim quod benignissima Genitrix Christi facta est nostra mediatrix, mater et advocata; quod item angeli sunt nostri custodes, adjutores ac protectores, deinde Sancti et Sanctæ, imo tota triumphans Ecclesia.

Deinceps tangendum est qualiter resistere tentationibus debeamus. Primus ergo et convenientissimus modus resistendi tentanti diabolo, est caput ejus conterere. Caput autem diaboli vocatur superbia. Quum itaque simus tam fragiles et infirmi, ac tantis periculis expositi laqueisque circumdati, debemus nos in primis profundissime humiliare, et omnem defectuositatem ac insufficientiam nostram advertere ac fateri, sicque ad Deum adspicere, et ejus auxilium jugiter invocare : sicque insuperabiles erimus. Nam sicut superbis Deus resistit, ita humilibus adsistit. *Jacob.* iv, 6; I *Petr.* v, 5. Secundus modus resistendi, est stare in continuo Dei timore, non in aliqua vana securitate, quia in medio laqueorum versamur, et pericula nostra sunt infinita, atque omnino incerti consistimus quid finaliter fiet de nobis. Hinc in Ecclesiastico dicitur : In tentatione Deus timentem se servabit, et liberabit a malis. *Eccli.* xxxiii, 1. Præterea, qualiter resistendum sit tentationibus, Deum invocando, dominicam passionem inspiciendo, in Deo plene sperando, novissima præmeditando, multisque aliis modis, dictum est in sermonibus circa evangelium in dominica Quadragesimæ prima. Ideo brevitati studens, ad illum mitto locum lectorem.

Studeamus ergo quotidie magis ac magis confortari in Domino, in caritate et gratia omnique virtute proficere, spiritualibus armis undique esse armati, et Deum semper habere præ oculis, atque in omnibus custoditi, timorati, solliciti esse coram Altissimo : sicut in Vitaspatrum de abbate fertur Helladio, quod viginti annis habitavit in cella sua, et nusquam adspexit ad superiora ipsius, tam custoditus fuit in mente, tam introversus, tamque elevatus ad Deum; quemadmodum etiam de beatissimo Bernardo abbate describitur, quod tota die equitavit circa fluvium magnum, et tamen nequaquam advertit : unde de vespere, aliis qui secum juxta flumen equitaverant, de fluvio illo loquentibus, ignoravit de quo flumine loquerentur, et mirabatur quod dixerunt se circa fluvium equitasse. Sic quoque legitur de abbatissa Sara, quod multis annis super flumen quoddam habitans, nunquam inclinavit se ut flumen illud adspiceret. Ecce Sancti A isti quam custoditi fuerunt suis in cordibus coram Deo. Quid ergo fiet de nobis, qui per cogitationes vanas ac frivolas undique mentibus evagamur, et absque resistentia talibus immoramur ?

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ERAT QUIDAM REGULUS, CUJUS FILIUS INFIRMABATUR, ETC. Joann. IV, 46-53.

HODIERNO in evangelio recitatur unum B præclarum Christi miraculum, qualiter juvenem letaliter seu incurabiliter per naturam ægrotantem curavit. Ait ergo evangelista Joannes : *Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Capharnaum fuit metropolis, id est principalis urbs, Galilææ; in qua urbe habitavit regulus iste cum filio suo letaliter febricitante. Denique, secundum Bedam, vocatur regulus diminutive, quasi rex parvus. Chrysostomus vero dicit, quod non fuit rex parvus, sed vocetur regulus, C quoniam regiæ stirpis fuit. Alii dicunt, * officialis quod ita vocatur, quia officiatus * fuit Cæsaris, ad custodiam ac regimen urbis Capharnaum deputatus. Sed quidquid horum dicatur, constat quod regulus iste fuit excellens persona, unus de principalioribus terræ.

Hic quum audisset quia Jesus adveniret a Judæa, per Samariam, *in Galilæam:* quia Joann. II, 1 et seq. ut scriptum est alibi, quum Christus convertisset aquam in vinum in Cana Galilææ, Ibid. 13. paulo post ivit circa Pascha in Jerusalem, D quæ fuit metropolis in Judæa. Quumque a Jerusalem et Judæa reverteretur, contigit quod hic dicitur, scilicet quod regulus iste *abiit* a Capharnaum *ad eum, et rogabat eum ut descenderet,* id est, ad Capharnaum veniret, quæ fuit bassius sita quam locus ubi regulus iste reperit Christum, *et sanaret filium ejus.* Jam enim fama Christi fuerat magna propter præcedentia ejus miracula, Matth. IV, 24. et propter testificationem Joannis Baptistæ de eo. Unde in Matthæo legitur, quod abiit fama ejus in totam Syriam, quæ fuerat regnum magnum. Sicque regulus iste credidit Jesum posse curare filium suum. Verumtamen imperfectam habuit fidem, quia non credidit Jesum corpore absentem, sanitatem posse impendere filio ægrotanti. Nondum enim cognovit Jesum esse verum Deum ubique præsentem, et quod angeli sancti essent ejus ministri, quorum Hebr. I, 7; Ps. CIII, 4. etiam ministerio potuit ægros sanare. Quod cognovit venerabilis ille centurio qui dicebat : Domine, non sum dignus ut intres Matth. VIII, 8. sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. *Incipiebat enim mori.* Hoc interponit Evangelista : primo, ad insinuandum cur regulus festinavit tam maxime, tamque obnixe rogavit; secundo, ad ostendendum magnitudinem hujus miraculi, quia ejusdem potentiæ est mortuum suscitare, et letali infirmitate laborantem curare.

Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa, id est miracula divinæ potentiæ ostensiva, *et prodigia,* id est miracula aliquid in longum et posterum indicantia, secundum Bedam; vel potius miracula signantia divinam omnipotentiam procul a sensu existentem non loco, sed incomprehensibilitate; *videritis, non creditis* me esse omnipotentem Filium Dei, qui corporaliter absens, secundum divinitatem omnia Jer. XXIII, 24. impleo, et cuncta ubique facere queo solo imperio. Gregorius quærit hic, cur verba hæc Christus dixerit regulo, quoniam regulus credidit, alias filio suo sanitatem a Christo non poposcisset. Et respondet, quod regulus aliquid credidit, scilicet Jesum A posse curare ægrum illum; aliquid quoque non credidit, puta quod Jesus corporaliter absens posset hoc facere. Porro, secundum Theophilum, regulus iste interfuit nuptiis in quibus Christus aquam convertit in vinum, ideo credidit filium suum posse a Christo curari. Sed quum nuptiæ illæ fuerint pauperum (nam et *Joann.* II, 3. vinum defuit ibi), regulus vero iste homo tam potens ac nobilis, non videtur quibusdam probabile quod ipse interfuit nuptiis illis. Nihilo minus miraculum ibi B factum potuit percepisse.

Dicit ad eum regulus : Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Imperfectio fidei reguli patet, non solum in hoc quod corporalem Christi præsentiam credidit necessariam, sed etiam quia non cogitavit vel credidit quod posset suscitare defunctum. Nempe sic orat, « Descende priusquam moriatur filius meus », quasi putet quod mortuum, etiam descendendo ad eum, suscitare non possit. *Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit* vita naturali C et convenienti, imo et vita gratiæ, juxta dictum commune, quia quos Christus curavit in corpore, curavit et mente. Itaque eodem momento quo verba hæc protulit Christus, ipse sua divina virtute sanavit reguli filium. *Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et ibat* ad domum suam. Jam merito regulus appellatur homo, id est rationabiliter agens, dum credit Christo, et voci ejus obedit, eundo non solum gressibus corporis, sed et mentis profectu, ab imperfecta fide ad perfectam pro- D ficiens.

Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret, id est, incolumis esset. Tribus de causis ministri isti suo domino occurrerunt : primo, ut bonum nuntium apportando, eum lætificarent quem tristissimum putaverunt, sicque placerent eidem; secundo, ut veritatem rei domino suo insinuantes, eum ab itineris relevarent labore; tertio, secundum Origenem, quoniam filio jam sanato, putabant præsentiam Christi superfluam, quem cum regulo æstimabant venturum. *Interrogavit ergo* regulus *horam ab eis in qua melius habuerat* filius suus. Hoc quæsivit, ut certior fieret de veritate miraculi, atque ut alios roboraret in fide quam jam ipse concepit. *Et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris,* ita quod subito ac perfecte fuit sanatus, nullo signo pristinæ infirmitatis apparente aut remanente in eo : quemadmodum socrus *Matth.* VIII, 14, 15. Petri febricitans, a Christo curata, statim surrexit et ministravit ad mensam, ut apud Matthæum habetur : quod naturaliter fieri nequit, sed natura reformat paulatim.

Cognovit ergo pater, id est regulus iste, cujus proprium nomen non ponitur hic : nam regulus est nomen officii aut dignitatis, non personæ; *quia illa hora,* scilicet septima, *erat in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit. Et credidit ipse et domus ejus tota,* id est, tam ipse quam omnes sui domestici crediderunt Jesum esse Christum filium Dei. Ex consideratione etenim horæ, noverunt quod Jesus, etiam corporaliter absens, posset supernaturaliter operari atque curare, non qualitercumque, sed excellentissimo modo, utpote solo verbo, nutu atque imperio : quod puræ non competit creaturæ.

SERMO SECUNDUS

DE FEBRE SPIRITUALI, DEQUE TIMORE LAUDABILI TRANQUILLITATEQUE ANIMI SERVANDA.

ALLEVAT Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos. Ps. cxliv, 14.

Quidquid Christus corporaliter gessit, spiritualem significationem ac intelligentiam habet. Denique per hunc juvenem reguli filium febricitantem, intelligi potest omnis homo in mortali peccato exsistens. In febricitantibus namque duo considerantur. Primum est frigus, ex quo tremor corporis nascitur : et frigus istud causatur ex hoc quod sanguis recedit de membris. Secundum est calor, quo corpus excessive accenditur dum sanguis ad priora loca revertitur. Omnia ista in omni mortaliter reo spiritualiter inveniuntur. Primo enim in eo est frigus, id est torpor acediæ, quo ad opera virtuosa tam tardus est, quasi per modum glaciei esset constrictus seu animo congelatus. Acedia quippe caritati contrariatur. Unde quemadmodum caritas efficit hominem promptum et agilem ad actus virtutum et ad omnia quæ Deo sunt placita, ita acedia facit miserum hominem ad opera divini honoris ac propriæ salutis tardum et quasi immobilem, secundum quod Salomon loquitur : *Prov.* xx, 4. Propter frigus piger arare noluit.

Spiritualis equidem hominis ager est cor ipsius, in quo semina virtutum, videlicet bonæ cogitationes et salubres affectiones verbaque Dei, sunt seminanda, ex quibus virtutes crescunt ac perficiuntur. Hic ager aratur dum interiora animæ revolvuntur ac discutiuntur, ita quod homo diligenter examinat semetipsum qualiter vivit, an divina observet præcepta, et tempus suum fructuose expendat, proximis quoque exemplaris consistat. Sed homo piger seu acediosus, propter frigus A suæ acediæ quo congelatus est, taliter agrum proprii cordis non vult arare, sed manet in suis pigritiis, negligentiis et peccatis; atque ut rursus Salomon protestatur, *Prov.* xxvi, 14. Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo. Quis est lectulus pigri, nisi sua prava consuetudo et carnalis repausatio, qua labores refugit virtuosos ? In hoc lectulo vertitur, quia de una negligentia, carnalitate ac vanitate ruit in aliam, et addit quotidie peccata peccatis, similis porcis qui versantur in cœno, et B in suis turpitudinibus delectantur. Hinc in libro Proverbiorum Spiritus Sanctus per Salomonem effatur : *Ibid.* xxiv, 30, 31. Per agrum hominis pigri transivi, et ecce totum operuerunt urticæ et spinæ. Siquidem Deus omnipotens, invariabilis et immensus, qui nec locum mutat neque movetur, transire per res creatas et mentes humanas asseritur, eas considerando, judicando ac remunerando, aut influendo eisdem. Dum ergo Deus sic transit per agrum hominis pigri, hoc est, dum cor ejus considerat, invenit C illud urticis ac spinis totaliter coopertum, hoc est variis vitiis passionibusque repletum, ira, impatientia, indignatione, amaritudine, elatione, crudelitate, ac aliis vitiis, tanquam pessimis herbis corruptum.

Præterea, sicut frigus in febricitantibus causatur ex recessu sanguinis a corporis membris, sic præfatum frigus acediæ et omne peccatum mortale generatur in corde dum fervor divinæ dilectionis recedit a voluntate ac ceteris viribus animæ. Ad hanc frigefactionem pestiferam perducitur D homo bonus paulatim, dum opera bona agit quotidie magis ac magis remisse, ex quadam arida consuetudine, absque consideratione et reverentia divinæ præsentiæ, ita quod cordis sui distractionibus A tempore orationum ac cultus divini non satis resistit, nec venialia peccata cum diligentia vitat condigna. Nempe quum venialia peccata disponant ad mortalia, dum homo quotidie levis et pronus est in verbis inutilibus, in risu et jocis, in cogitationibus vanis, in incustodia sensuum, in sumptione ciborum ac potuum, certum est quod cito in mortalia labatur peccata. Propter quod in Ecclesiastico scriptum *Eccli.* XXVII, 4. est: Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Quum B enim invisibilibus atrocissimis hostibus undique simus obsessi, eorumque laqueis circumvallati, quomodo poterimus eorum evadere jacula, insidias atque letalia vulnera, nisi in continua fuerimus cordis custodia contra eos? Videmus quod homines qui letales inimicitias cum hominibus habent, ubique pergunt armati; similiter negotiatores dum per loca latronibus raptoribusque infamia gradiuntur, in magna incedunt formidine, custodia ac præparatione ad resistendum: quanto magis quum C contra invisibiles hostes et infernales latrones atque raptores incessabile ac periculosum prælium habeamus, et locus iste quo degimus, illis latronibus ac raptoribus plenus sit, debemus indesinenter esse virtutibus contra illos armati, et animo custoditi, timorati atque solliciti, ne vincamur, spoliemur et morte æterna trucidemur ab *Prov.* XXVIII, 14. illis? Hinc Salomon loquitur: Beatus homo qui semper est pavidus. Et alibi dici- *Eccli.* XVIII, 27. tur: Sapiens in omnibus metuit. Itaque jugiter caveamus ne fervor divini amoris D tepescat in nobis, sed in eo quotidie amplius inflammemur, infinitam Dei bonitatem, amabilitatem, dulcedinem, ejusque beneficia ac promissa considerando.

Insuper, sicut in febricitantibus ex frigore sequitur corporis tremor, ita in homine vitioso a divini amoris calore frigefacto est tremor, id est timor multiplex inordinatus, sicut de impiis ait Propheta: *Ps.* LII, 6. Deum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor, id est, ubi rationabiliter non fuit timendum. Homines enim injusti, carnales, obtenebrati, pro eo quod Deum et ejus offensam atque æternam damnationem merito super omnia formidarent, timent temporalia damna, corporis afflictiones, privationem temporalis honoris, quum tamen hæc omnia sæpe expediant animarum saluti. Imo per ista Deus suos electos in præsenti vita exercet, purgat, atque purgatos virtute et gratia implet multiplici, ac deinde gloria æternali, ut patet in sanctis Job et Tobia. *Job* I, II; *Tob.* I, II; II, 12. In novo quoque Testamento potissime ac evidentissime patuit hoc in parentibus S. Clementis eorumque filiis, deinde in S. Eustachio ejusque contorali ac filiis eorumdem. Ideo ista non sunt immoderate timenda, nec absolute refugienda, sed divinæ dispositioni ac pietati debemus committere, an ista nobis eveniant. Verum hoc omnino a Deo petendum est, ut si ista nobis evenerint, ipse in eis patientiam nobis præstare, et ad nostram salutem ea ordinare dignetur. Unde quum sanctus David a proprio filio pulsus esset ex regno, non inordinate contristabatur, sed dixit: Si *II Reg.* XV, 26. dixerit Deus, Mihi non places (id est, mihi non placet ut amplius sis rex), præsto sum; quod bonum est in oculis suis, faciat. Sic quoque beatissimus Christi confessor, præsul ac consanguineus, gloriosus sanctissimusque Servatius, quum a perversissimis et ingratissimis Tungrensibus expelleretur tam irreverenter ut canis, mente tranquilla ac placido vultu exivit, nec de sua inhonoratione atque injuria, sed de illorum dolebat transgressione gravissima. Hinc itaque in adversis patientes et imperturbati esse debemus.

Præterea, secundum quod cernitur, in febricitantibus est calor immoderatus; sic quoque in peccatoribus, dum a divinæ dilectionis frigescunt calore, accenditur amor carnalis ac mundialis, quo se ipsos ac alios carnaliter amant, propria commoda et oblectamenta quærendo et amplectendo, divitias et honores ferventissime cupiendo, et breviter, temporalia atque carnalia

magis quam spiritualia ac æterna amando A et exquirendo. Quis religiosorum ac devotorum tam instanter ac fervide pro incremento gratiæ ac virtutum laborat, ut multi sæculares pro temporali opulentia et ho-
Luc. xvi, 8. nore ? Ideo dixit Salvator, quod filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in sua generatione. Sed redeamus ad cor, et cogitemus quam breve et momentaneum sit tempus quo in vita hac erimus, comparatione durationis perpetuæ in qua paulo post consistemus : sicque pro animarum nostrarum saluberrima ac perpetua provi- B sione sollicitiores laboriosioresque simus, quam pro corporum horum mortalium protinus putrefiendorum provisione caduca. Imo quidquid Christianus in exterioribus et pro corpori suo necessariis operatur, ad Dei honorem et spiritualem suum
I *Tim.* vi, 8. profectum debet ordinare, quatenus alimenta et quibus tegatur habendo, vivat ac serviat Domino Deo.

Refert S. Gregorius, quod in cœnobio suo in Roma fuit quidam monachus valde devotus ac Fratribus universis carissimus. C Quem frater suus carnalis, non ex devotione, sed paupertatis necessitate, secutus est ; et vixit in cœnobio in habitu sæculari vane et intimorate, nec recipiebat sed aspernabatur Fratrum exhortationes ; verum amore devotissimi fratris sui, ab omnibus æquanimiter portabatur. Tandem pestilentia percussus, ad extrema devenit, et Fratribus lecto ejus adstantibus atque pro ipso orantibus, subito exclamavit : Recedite, recedite, ecce draconi ad devorandum datus sum, sed propter vestram præsentiam me devorare non potest ; date locum ut faciat quod facturus est, ne me diutius torqueat. Quare propter vos patior moras ? Jam enim me stringit ac opprimit. Cui Fratres responderunt : Quid est hoc quod loqueris, frater ? Signum tibi sanctæ crucis imprime. Respondit : Volo me signare, sed nequeo, quoniam a dracone premor. Tunc Fratres in terram prostrati, cœperunt cum lacrimis pro illo ardentius exorare. Tunc paulo post ille melioratus clamavit : Deo gratias, ecce draco cui ad devorandum traditus fui, virtute orationum vestrarum fugatus est ; jam pro meis peccatis orate, quia converti toto corde paratus sum. Atque ex illo die vir ille se totaliter emendavit, et continuis infirmitatibus purgabatur, quousque feliciter de sæculo isto migravit.

SERMO TERTIUS

DE VERA SAPIENTIA, EJUSQUE COMMUNICATIONE IN ALIOS.

M*ULTITUDO sapientium sanitas est* D *orbis terrarum.* Sap. vi, **26**.

Juxta Aristotelis documenta, nullus est vere prudens nisi virtuosus, ita quod homines vitiosi non habent veram prudentiam, sed quamdam astutiam. Multo magis nullus reputandus est sapiens, nisi justus ac virtuosus. Propter quod iterum Sapiens
Sap. i, 4. ait : In malevolam animam non introibit sapientia. Quod de illa sapientia potissime verum est, quæ est unum de septem donis Spiritus Sancti. Sapientia vero naturalis et acquisita atque scholastica, malis potest inesse hominibus. Itaque qui vere ac proprie sapiens est, utpote Deum et ea quæ Dei sunt cum interno sapore cognoscens, caritate Dei et proximorum aliisque virtutibus decoratur : idcirco sapientiam suam modo sibi possibili ac convenienti communicat aliis, ad divinorum notitiam et amorem eos hortando, a vitiis retrahendo, salubriter instruendo. Hinc in Eccle-

Eccli. XLI, 17. siastico habetur : Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? *Prov.* V, 16. Unde et Salomon exhortatur : Deriventur fontes tui foras. Rursusque scriptum est : *Ibid.* IX, 12. Fili, si sapiens fueris, tibi et proximis *Sap.* VI, 26. tuis eris. Veraciter ergo dictum est, «Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum » : hoc est, ubi sapientes viri abundant, ceteri quoque a vitiis suis curantur, et illustrantur; et si non omnes, aliqui tamen, præsertim quando qui præsunt, sunt sapientes, id est justi, illuminati ac spirituales. Idcirco in Proverbiis legitur : *Prov.* XIII, 20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Nam etsi sapiens nullum verbum loquatur, sua tamen exemplari conversatione ac fervida oratione aliis prodest.

Denique quod hæc ita se habeant, ex *Joann.* IV, 46, 47. evangelio ostenditur hodierno. Nam regulus iste cujus filius usque ad mortem languebat, pro ejus curatione Christum accessit atque ardenter precatus est. Per regulum intelligitur omnis sapiens homo, præsertim qui spiritualiter præsidet populo. Unusquisque ergo qui aliis præest, si viderit aliquem ex sibi commissis aliquo vitio infirmari in anima, puta superbia, impatientia, invidia, incontinentia aut simili culpa, debet pro ejus curatione interna ac salute perpetua valde sollicitus esse, Christumque mente accedere, et pro illius emendatione ferventer ac indesinenter orare. Si autem sentit se non protinus exaudiri, non cesset, sed ardentius clamet ad Christum : Domine, descende per gratiæ infusionem, per misericordissimam visitationem, ad filium meum tam ægrum, priusquam moriatur hic filius, hoc est, antequam in culpa mortali tollatur de vita præsenti, vel antequam moriatur in anima, consentiendo tentationi aut motibus passionum, et antequam perducat eas ad actum, potissimum priusquam pravæ consuetudinis mole prematur.

Præterea, quilibet sapiens, comparatione insipientis ac peccatoris, rite pater vocatur. Quilibet ergo Christianus dono sapientiæ illustratus ac Deum formidans et diligens, quum aliquem proximorum sibi notum viderit aliquo vitio victum, sollicitus esse debet pro eo, et oratione, exhortatione, informatione et correptione pro illius reparatione, prout caritas requirit, satagere, sicque gratiam sibi concessam, in illum pro posse transfundere, quemadmodum princeps Apostolorum hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. *I Petr.* IV, 10. Unde et Paulus : Fratres (inquit), etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos *Galat.* VI, 1. qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Si aliqui viatores per idem iter ad aliquem tendant locum, et viderint quempiam a recto deviare itinere, protinus revocant eum; si vero ierit quisquam eorum per devium deducens ad speluncam latronum, non simpliciter revocant eum, sed etiam seriosissime, ardentissime atque fortissime persuadent ei ac supplicant ut iter illud relinquat, ne occidatur. Quum ergo omnes Christiani sint in mundo hoc peregrini ac viatores, ad eamdem patriam, puta cœlestem paradisum, proficiscentes vel saltem proficisci debentes, si unus viderit alium per vitiorum abrupta, per vanitates et pompas non solum a recto calle abscedere, sed etiam ad infernalem lacum procedere, debet eum omni cum diligentia ac fervore revocare pro posse, atque ad viam reducere justitiæ ac salutis, orando, hortando, instruendo et corripiendo. Hinc ad correptionem fraternam omnes tenentur. Sed, heu, quanta est excæcatio nostra ! Si quis incidat in latrones, et spolietur ac trucidetur, omnes gemimus et dolemus; imo si ovem, bovem, equum aut asinum videmus in foveam lapsum, compatimur et subvenire conamur : sed quod proximos nostros conspicimus per diversa facinora, per superbias, avaritias, acedias, carnalitates, mendacia, fraudes, potationes, choreas indesinenter a dæmonibus spiritualiter strangulari, occidi, ad inferos trahi, dissimulamus, nec digne deflemus, neque pro viribus subvenimus. Ubi est caritas ordoque caritatis? ubi zelus justitiæ? Hæc A circa primum hujus evangelii documentum sint tacta.

Secundo, docet Salvator quanta sit *Joann.* iv, 48. carnalium hominum duritia, dicens : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Sunt enim quamplures ita in suis carnalitatibus, vanitatibus ac dissolutionibus indurati, ut quidquid dicatur eis aut prædicetur de pertinentibus ad salutem, de Dei timore, de vitæ reformatione, sic parvi pendunt quasi non pertineret ad eos, ita quod nulla compunctione, nulla devotio- B ne, nullo timore moventur, sed in suis permanent levitatibus ac peccatis. Et si fide informi aliqualiter credant, tamen ita se habent in opere quasi non credant, sic- *Tit.* i, 16. ut de talibus contestatur Apostolus : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. His ergo loquitur Christus, Nisi signa et prodigia videritis, non creditis : hoc est, nisi plaga ac ultio divinæ vos tangat justitiæ, vel in præsenti vos graviter visitando *Is.* xxviii, 19. et per vexationes intellectum donando, aut certe æternam damnationem infligendo, C non creditis satis attente, vera esse quæ de vestra vobis dicuntur salute, de incertitudine hujus vitæ, de divini rigore judicii, de ineffabili acerbitate infernalis supplicii. Unde de talibus Psalmista loquitur *Ps.* lxxxii, 17. Deo, Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine : hoc, quantum ad eos qui in vita hac per paterna Dei flagella salubriter corriguntur. Porro *Ibid.* 18. quantum ad incorrigibiles subdit : Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur, et pereant; et cogno- D scant (per suorum videlicet experientiam tormentorum) quia nomen tibi Dominus. In talibus quippe oculos interiores sero aperit pœna, quos in vita præsenti damnabiliter clausit culpa. Sed redeamus ad cor, et sufficiant nobis signa et prodigia a Christo et Apostolis ac ceteris Sanctis facta, ultiones quoque et pœnæ quas Deus in veteri novoque Testamento in multis apertissime nimis exercuit. Siquidem felix quem faciunt aliena damna peritum. Itaque de fidei nostræ veritate certissimi, studeamus vitam et mores altitudini fidei conformare, quatenus ex conversationis nostræ humilitate, pietate, devotione, caritate atque justitia, vere pateat esse nos Christianos, et glorificetur Deus in nobis servulis suis, secundum quod Christus hortatur : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et *Matth.* v, 16. glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

Tertio, docet nos Christus in evangelio hodierno humilitatem præcipuam. Nam rogatus Jesus a centurione ut veniret et manum suam super servum ejus paralyticum poneret, mox respondit : Ego veniam, *Ibid.* viii, 7. et curabo eum. Rogatus vero a regulo ut veniret ad filium ejus, non acquievit. Hoc *Joann.* iv, 49, 50. ergo fuit humilitas magna, quod paratior fuit ire ad centurionis ministrum, quam ad reguli filium. Quo exemplo docemur in primis non aspernari personas pauperes et abjectas, sed visitare, consolari adjuvareque eas, imo in cordis occulto tales plus beatificare quam divites et excelsos, quum dicat Salvator : Beati pauperes, quia ve- *Luc.* vi, 20. strum est regnum Dei. Jacobus quoque ait : Nonne Deus elegit pauperes in hoc *Jacob.* ii, 5. mundo, divites in fide? Secundo docemur per hoc pensare in hominibus magis naturam qua ad Dei imaginem facti sunt, et præsertim dona gratiæ ac virtutum quæ in pauperibus communiter plus abundant, quam exteriora et accidentalia bona quibus in hoc mundo præfulgent. Tertio, quod alia sunt judicia Dei, alia hominum, ita quod tanto plus a Deo quis reputatur ac sublimatur in cœlis, quanto ab hominibus magis despicitur nunc in terris. Propter quod loquitur Christus judex : Quod ho- *Luc.* xvi, 15. minibus altum est, abominatio est ante Deum. Verumtamen sæcularis potestas non est aspernanda, sed honoranda, dicente Apostolo : Non est potestas nisi a Deo, et *Rom.* xiii, 1, 2. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; itemque, Omnis anima potestatibus *Ibid.* 1. sublimioribus subdita sit. Honorandi sunt principes et prælati, judices et rectores, in quantum sunt Dei vicarii ac ministri, personæque publicæ et summæ potestatis participes : unde et signa reverentiæ magis monstranda sunt eis forinsecus.

Quarto, in evangelio isto instruimur quantum valeat apud Deum fides et affectuosa continuata oratio, quoniam regulus iste, quamvis imperfectus in fide, tamen fide sua tali quali et precibus repetitis suo obtinuit filio sanitatem.

Refert S. Gregorius habuisse se tres neptes in Roma nobiles valde ac divites : et erant sorores carnales. Quæ omnes uno fidei fervore conversæ sunt, et spiritualem atque communem vitam in propria domo duxerunt. Quarum una quotidie in omni virtute ac sanctitate profecit præcipue, orationibus vacans continue. Alia quoque soror fuit multum devota. Sed tertia paulatim refriguit mente, et sæcularium puellarum gaudebat societate. Propterea aliæ duæ sorores plurimum tristabantur, eamque ad arrepti propositi hortabantur constantiam ; sed illa ad solitas rediit levitates. Idcirco soror illa tam sancta frequenter dixit ad aliam : Video sororem nostram de A sorte nostra non esse. Post aliquantulum temporis, quidam vir sanctus paulo ante defunctus, qui fuit harum sororum avunculus, apparuit in visione sorori illi sanctiori, et dixit : Veni, quia in cœlestis mansionis te luce suscipio. Quibus dictis, illa cœpit protinus infirmari, et circa festum Nativitatis Christi migravit ad Dominum. Post modicum tempus, soror illa apparuit in visione sorori suæ devotæ, vocans eam ad regnum cœleste. Illa vero de sorore illa indevota valde sollicita, dixit : B Et si venio, istam cui dimitto? Cui respondit facie tristi : Veni, soror, etenim illa inter sæculares et laicas reputata est. Mox soror illa devota infirmari incepit, et circa festum Epiphaniæ aut circiter feliciter obiit. Tunc soror illa residua, oblita timoris divini atque arrepti propositi, conductorem agrorum suorum accepit maritum.

Ex quo patet exemplo, quam periculosum sit in caritate et gratia Dei tepescere, et quod nemo securus est de sua salute. Oportet ergo in caritate et gratia crescere, C in bono inchoato persistere, in timore Dei jugiter permanere.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

SINE GRATIA DEI NIL MERITORIE AGI POSSE ; DE CONFORTATIONE SPIRITUALI MENTIS IN DEO, DEQUE JUGI PUGNA VITÆ PRÆSENTIS.

CONFORTAMINI in Domino et in potentia virtutis ejus. Ephes. VI, 10.

Sciens Apostolus infirmitatem mentis humanæ in se, hortatur in præsenti epistola ut confortemur in Domino. Fuerunt autem hæretici Pelagium hæresiarcham sequentes, qui asserebant hominem propriis ac naturalibus viribus posse peccata vitare, præcepta implere, virtutes acqui- D rere, Deo placere et meritorie operari ; et reputabant se virtuosos ac multum devotos, quum essent vitiosi, præsumptuosi atque hæretici. Porro, ut sæpe recitat Cassianus, sanctissimi Patres in eremo, non solum Scripturarum auctoritatibus, sed propriis quoque experientiis eruditi, dixerunt oppositum, affirmantes hominem sine speciali et supernaturali auxilio gratiæ

Dei non posse aliquid meritorie cogitare, A appetere, loqui aut operari, nec tentationibus prævalere, nec diu posse mortalia vitare peccata, neque proficere. Et istud esse verissimum non solum credit populus christianus vere catholicus, sed et omnes spiritualiter conversantes, proficere cupientes, internis ac virtuosis exercitiis vere intenti, et contra vitia præliantes, per experientiam norunt. Merito ergo monet Apostolus ut confortemur in Domino.

Sed quid est confortari in Domino? Hoc est propriam defectuositatem, infirmitatem B atque in omne vitium pronitatem recognoscere ac fateri, et auxilio Dei inniti, non sibi ipsi confidere, non de suis viribus meritisque præsumere, sed se coram Deo dejicere et humiliare se ipsum, ejusque adjutorium implorare, robur gratiæ, lumen sapientiæ, vigorem constantiamque virtutum postulare ab ipso. Hoc clarissime contemplabatur et expertus fuit qui dixit: *Ps.* xvii, 2, 3. Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus; Deus meus adjutor C meus, et sperabo in eum; protector meus, et cornu salutis meæ. Unde et sanctus David, horum prolator verborum, qui tam admirabilis fuit et præclarus in omni sapientia et virtute, in caritatis fervore, in summa devotione, in omni interna et secretissima exercitatione, ex gratia Dei, quando paulisper dispensatione divina relinquebatur a gratia, horribiliter corruit. Cujus exemplo omnes edoceri debemus ut jugiter timorati, custoditi ac humiles simus, nec unquam inaniter gloriemur, neque D nostris laboribus, industriis, viribus adscribamus, si quid gratiæ et virtutum habemus, sed ad fontem charismatum refluant gratiæ dona, ut rursus exuberantius refluant. *Matth.* xxv, 29. Grato enim datur ut abundet.

Deinceps adjutorio Dei gratioso, supernaturali, incessabili indigemus: Primo, quia ad supernaturalem beatitudinem conditi sumus, ad quam non nisi per supernaturalia media, gratiarum charismata, pervenire valemus. Secundo, quia ex naturalibus nostris sumus vehementer defectuosi, et debiles in superioribus animæ viribus, eo quod anima rationalis in ordine intellectualium substantiarum se habeat sicut materia prima in ordine entium: propter quod in umbra intelligentiæ fertur creata, et intellectus humanus in principio sui est tanquam tabula rasa. Tertio, quia contra callidissimos, expertissimos, fortissimos et innumerabiles hostes continua habemus certamina, quibus nequaquam propriis possumus viribus reluctari: et hanc rationem tangit in epistola hodierna Apostolus. Quarto, propter infectionem fomitis, ad mala jugiter ac valide inclinantis, sed et propter incomparabilem magnitudinem periculorum imminentium nobis. Sint igitur oculi nostri semper ad *Ps.* xxiv, 15. Dominum, et indesinenter clamemus in cœlum; innitamur, inhæreamus, infigamur semper et inavertibiliter Deo nostro, tam filialiter et perfecte sperantes in ipso, ut cum sancto Job fateamur: *Job* xiii, 15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Ab hac innitentia atque fiducia nullus avertat nos unquam, ut cum Psalmista ex corde dicamus: *Ps.* lxi, 8. In Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

Insuper, sic confortemur in Domino, ut studeamus quotidie in omni gratia et virtute, in omni dono et fructu Spiritus Sancti, in omni sancta devotione et caritatis ardore proficere, in Deo constabiliri, in recto rationis judicio immobilitari, ut nec prosperis elevemur, nec adversis dejiciamur, nec adulatione aut laude delectemur humana, nec vituperatione frangamur, neque diffamia. Nulla passio suo impetu mentem obscuret, nulla voluptas voluntatem subvertat, nullus eventus mentem a sua in Deo stabilitate præcipitet. Regio semper itinere gradiamur ad Deum, et hæc nobis sit summa atque indesinens sollicitudo, intentio, affectio, ne Deum in aliquo offendamus, nec aliquam gratiæ læsionem aut virtutum minorationem incurrat cor nostrum, sed juxta prætacta crescat ac roboretur in eis. Quod fiet si omni cordis custodia ac animi vigilantia, orationibus, meditationibus et ceteris virtuosis insistamus operibus. Præterea, in Deo poterimus confortari, in spe firmari, in caritate accendi, nec unquam de Deo diffidere, si consideremus quam infinita sit bonitas et misericordia, quanta dilectio ejus ad genus humanum, quanta beneficia ejus in nobis, quæ, quanta et qualia Unigenitus Dei pro nostra salute assumpsit, fecit ac passus est, et quod ipse fidelis et verus Deus, vere omnipotens et omnia intuens, toties nobis opem et gratiam suam promisit, tot bona promisit ac præparavit, dummodo ei humiliter confidamus eumque invocemus, et quod in nobis est faciamus. Porro, si dæmones aliquem sæpe vellent ad desperationem aut nimiam pusillanimitatem inducere, posset se ipsum confortare in Domino, attendendo humiliter bona quæ egit, et dura quæ Dei intuitu pertulit, ac dona gratiæ sibi divinitus piissime et frequenter concessa, sicque se ipsum consolari in Deo, dicendo : Confido quod Deus qui ista et ista mihi benignissime dare dignatus est, horum occasione miserebitur mei, neque relinquet me.

Ephes. VI, 11, 12. Præterea docet Apostolus ut induamus nos armaturam Dei, quatenus stare possimus adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates. Sed quomodo verum est hoc, quum alibi protestetur idem Apostolus, *Galat.* V, 17. Caro concupiscit adversus spiritum? Et *I Petr.* II, 11. princeps Apostolorum : Abstinete (inquit) a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Nonne trium hostium animæ, *Sap.* IX, 15. caro ponitur unus? Nonne corpus corruptibile aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem? Et respondendum, quod utique omnia ista sunt vera. Apostolus vero vult dicere, quod colluctatio quam contra invisibiles hostes habemus, sit adeo gravis, principalis atque assidua, quod ejus comparatione A aliæ parvæ aut nullæ censentur, præsertim quum et hoc ipsum quod caro et mundus impugnant nos, ex diaboli operatione frequenter contingat. Itaque quanto acrior, periculosior et incessabilior pugna est nobis contra spiritus malignos, tanto fortior armatura, vigilantior mentis custodia, virilior resistentia nobis sunt necessariæ.

Quæ ergo sunt arma nostra, nisi virtutes et dona Spiritus Sancti, imo potius strenua exercitia et infatigabiles actus illorum? Quemadmodum enim corporale B bellum gerentibus non sufficit undique fulgidis ac solidissimis armis esse indutos, munitos, contectos, nisi armis suis utantur; sic nec in spirituali prælio constitutis sufficiunt habitus ipsi virtutum atque donorum, sed eorum actus et exercitia requiruntur : alioqui habitus ipsi perduntur. Postremo, sicut corporale bellum acturis necessarium est singula quæque membra competenter ac proportionate armare, ita fidelibus contra dæmones incessanter pugnantibus opportunum est C singulas quasque animæ vires virtutibus communire, ut in quibus anima tentari potest, lædi ac vinci, sit virtutibus congruis roborata, armata, provisa : ut scilicet intellectus armetur fide, sapientia, prudentia, consilio, scientia; voluntas spe, caritate, justitia; appetitus sensitivus virtutibus moralibus ad ipsum spectantibus. Et sicut in bello exteriori, personæ unius exercitus se invicem juvant, confortant et protegunt, ita in bello spirituali una virtus roborat aliam, et omnes se mutuo juvant : D ut si quis de incontinentia impugnetur, non solum castitas seu temperantia, sed et fides, caritas, discretio, spes, oratio reluctantur, prout de isto in sequenti sermone plenius est tangendum. Sic igitur confortemur in Domino, spiritualiterque armemur, ut nulla tentatione, nulla passione, nullo vitio superemur, sed in omnibus Dei virtute prævaleamus, et omnia cooperentur nobis in bonum. *Rom.* VIII, 28.

SERMO QUINTUS

QUEMADMODUM VIRTUTES COMPARENTUR AD ANIMAM, ET QUALITER SIT TENTATIONIBUS RESISTENDUM, DEQUE INSTANTIA INIMICORUM NOSTRORUM.

A *ACCIPITE armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* Ephes. VI, **13**.

Virtutes et dona Spiritus Sancti, atque eorum actus, comparantur ad animam variis modis : Primo, tanquam spiritualia alimenta ipsius. Nisi etenim actus virtuosi essent refectio hominis, non dixisset Salvator : *Joann.* IV, 34. Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei. Secundo, tanquam vestes *Is.* LXI, 10. ipsius, quum scriptum sit : Induit me Dominus vestimento salutis, et indumento *Matth.* XXII, 11. justitiæ circumdedit me. B Hinc caritas vestis nuptialis vocatur. Et in Apocalypsi *Apoc.* III, 4. Dominus protestatur : Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum *Ibid.* 17. in albis. Unde anima virtutibus carens dicitur nuda. Tertio, sicut ornamenta ipsius, quibus coram Deo fulget ac venustatur. Propter quod in Apocalypsi iterum loquitur *Ibid.* 18. Dominus : Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum (hoc est caritatem ardentem, quæ a Deo precibus comparatur), ut non appareat confusio nuditatis tuæ. In Canticis quoque ait sponsus animæ virtuo- C *Cant.* IV, 1. sæ : Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Quarto, sicut divitiæ ejus, sine quibus ipsa est pauper. Unde ad Corin- *I Cor.* I, 5. thios scribit Apostolus : In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in *II Cor.* VIII, 2. omni scientia; itemque, Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. Quinto, sicut arma ipsius, ut in hodierna epistola innotescit. Nam et *Ibid.* X, 4. alibi scribit Apostolus : Arma militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo. Sexto, sicut lux. Septimo, sicut vita ipsius, D quia sine virtutibus tenebrosa ac mortua dicitur anima.

Ex his constat quam multa bona faciant virtutes animæ rationali. Virtutes quippe et actus earum, in quantum sunt spiritualia alimenta, eruunt animam a spirituali inedia, ab infirmitate interna ac defectu multiplici, eamque confortant, exhilarant et sustentant. Porro virtutes et actus earum, in quantum sunt animæ vestes, eam defendunt ab æstu vitiorum, a concupiscentiæ igne, a frigore peccatorum, a passionum vento urente, ne lædatur ab istis. In quantum vero sunt ornamenta animæ, protegunt eam ab omni culparum deformitate. In quantum autem sunt divitiæ animæ, a spirituali inopia sublevant eam, ne illud Apocalypsis ei dicatur : Quomodo *Apoc.* III, 17. dicis quia dives sum, et nescis quia tu es miserabilis, pauper, etc.? Sed in quantum sunt animæ arma ac fortitudo, sic contra tentationes muniunt eam. Quemadmodum enim homo visibiles adversarios suos tanto facilius dejicit, quanto in corporali fortitudine atque prudentia magis abundat, sicut Samson qui cum mandibula asini mille *Judic.* XV, 15. viros occidit (nam ad bene utendum fortitudine corporali maxime confert prudentia : propter quod in Ecclesiaste asseritur, Melior est sapientia fortitudine; et denuo, *Eccle.* IX, 16. Melior est sapientia quam arma bellica; et *Ibid.* 18. in libro Sapientiæ, Melior est sapientia *Sap.* VI, 1. quam vires, et vir prudens quam fortis); sic quanto quis in virtutibus exstat perfectior et donis Spiritus Sancti repletior, tanto in omni tentatione facilius sortitur triumphum, atque in omni adversitate manet constantior, in tribulatione et persecutione securior, et in omni eventu stabilior, si tamen virtutibus adsit vigilantia, discretio et sapientia vera, ne scilicet occasione suæ perfectionis homo ad gloriam moveatur inanem, aut periculosa securitate torpescat, aut incustoditus reddatur. His etenim modis et causis cedri Libani corruisse leguntur. Propterea sancta dixit Syncletica, quod nos religiosi quasi in tranquillo et tuto navigamus, sæculares vero in procelloso : et tamen sæpissime contingit ut in tranquillo navigantes, per negligentiam pereant; in procelloso autem navigantes, per diligentiam suam evadant.

Denique ex his constat, quomodo viri sancti in gravissimis tribulationibus et tentationibus tam insuperabiles et victoriosi immobilesque fuerunt, prout de beatissimis patribus Antonio, Hilarione, Francisco ac aliis legitur. Nos autem tam cito dejicimur, tam facile perturbamur, tam frequenter tentationibus superamur, et protinus ad iram, impatientiam, tristitiam, dissolutionem, ceterasque passiones et culpas movemur, videlicet quia in virtutibus radicati et roborati non sumus, sed pusilli et imbecilles manemus, nec de tanta nostra imperfectione, calamitate et puerilitate verecundamur : imo si illatam injuriam ad votum ulti fuerimus, si per verba dura fratri aut etiam superiori silentium imposuisse videmur, gloriamur, quasi bene egerimus facta nostra. Hinc, heu, heu! quotidie lædimur, quotidie vincimur, quotidie a nostris atrocissimis hostibus irridemur, qui videntes nos esse tam imperfectos ac impotentes, derisioni et aspernationi nos habent. A qua irrisione et aspernatione præservari optavit qui exoravit : Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum; itemque, Deus meus, in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei.

Ps. XII, 4, 5.

Ps. XXIV, 2, 3.

Quum igitur contra crudelissimos, callidissimos, robustissimos adversarios, invisibiles malitiosissimosque spiritus incessabilis pugna sit nobis, qui non temporale damnum, corporalem ac momentaneam mortem, sed æternæ beatitudinis spoliationem atque perpetuæ damnationis miseriam cupiunt nobis infligere; hinc permaxime indigemus spiritualiter nos armare, et arma nostra consolidare, in omni virtute et gratia proficiendo, quatenus quotidie humiliores, patientiores, mitiores, discretiores, magisque sobrii, magis timorati ac fervidi simus, et per hoc omnem elationem, præsumptionem et gloriam vanam, omnem impatientiæ et iracundiæ motum, omnem indiscretionem, immoderantiam cibi et potus, dissolutionem, vanitatem, acediam, omni die facilius superemus, et Deo inavertibilius adhæreamus, ita ut fari possimus : Quis nos separabit a caritate Dei? Etenim hostes nostri nunquam dormiunt aut quiescunt : idcirco et nos quantum fieri potest, vigiliis et sanctis exercitiis insistamus, orationibus et lacrimis contra illos pugnemus. Nos ipsos in omnibus vere et profunde humiliando, accusando, despiciendo, atque in Deo filialiter ac sincerissime confidendo ac eum laudando, prosternimus illos, prout scriptum est : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. Jacobus quoque apostolus : Resistite (inquit) diabolo, et fugiet a vobis. Insuper omnem otiositatem vitando, et semper boni aliquid exercendo, aditum præcludimus hosti antiquo. Sed et Christi passionem, et omnem ipsius in sæculo isto humilitatem, mansuetudinem, patientiam, paupertatem, caritatem sagaciter reminiscendo, non mediocriter dæmones molestamus. Sed et quatuor novissima præmeditando, omnium diabolicarum tentationum sagittas, omnium passionum impulsus rejicimus. Virginem quoque gloriosam, et angelos sanctos animarum nostrarum custodes, ac alios Sanctos, eos præsertim ad quos majorem habemus affectum, devotionem, fiduciam, instanter in nostrum auxilium invocando, contra nostræ salutis æmulos confortamur.

Rom. VIII, 35.

Ps. XVII, 4.

Jacob. IV, 7.

Præterea, de iis spiritualibus armis ac resistentiis scribit in præsenti epistola felix Apostolus, primo exhortans ut succincti sint lumbi nostri cingulo castitatis, atque induti simus loricam justitiæ, quatenus

Ephes. VI, 14.

sicut lorica corpus ambit, tegit ac munit, sic anima nostra undique decoretur justitia, unicuique reddens quod ei debetur, Deo puram conscientiam et honorem, proximis bonam famam, consilium et auxilium, ac fraternam in omnibus caritatem, superiori obedientiam, sibi ipsi cordis sui custodiam. Sicque in cunctis sincerum et discretum habeamus justitiæ zelum, omnem inordinatam affectionem, simulationem, adulationem, fraudem versutiamque vitantes, quatenus coram Deo simus veraciter recti corde, neque in tota conversatione et incolatu nostro in sæculo isto aliud intendamus, quæramus, optemus, nisi Dei adorandi et benedicti gloriam et honorem, animarum nostrarum salutem, commune bonum Ecclesiæ, universorumque hominum conversionem, reformationem ac felicitatem, ut propriam.

Ephes. vi, 16. Postremo, in cunctis sumamus scutum fidei, id est, catholicam fidem et ejus considerationem pro spirituali habeamus scuto, ita ut suggestionibus dæmonum opponamus memoriam metuendi judicii Dei, pœnarum inferni gaudiorumque cœli, dominicæ passionis, divini adspectus omnia intuentis, quæ omnia cadunt sub fide : per quæ Deo auxiliante possumus omnia A tela nequissimi ignea exstinguere, hoc est diabolicorum tentamentorum jacula acuta ac vehementia superare, sive de vitiis gulæ atque carnalitatis, sive de ambitione aut acedia nos impugnent, quæ omnia facile contemnuntur, si illa prætacta rite pensentur. Unde et galeam salutis, *Ephes.* vi, 17. id est spem futuræ felicitatis, specialiter exprimit assumique præcipit sanctus Apostolus, quia si inæstimabilem futuræ beatitudinis magnitudinem intueamur, omnis labor vitæ præsentis videtur permodicus, B et omnis excutitur pigritiæ torpor. Sed et gladium spiritus, quod est verbum Dei, debemus assumere, sacram Scripturam imprimendo memoriæ, ut juxta illius doctrinam in omnibus nos regamus, vitia fugiamus, quæ bona sunt exsequamur, tentationibus reluctemur. Hinc magnus et sanctus Antonius, interrogatus a Fratre, Quid faciens Deo placebo ? respondit : Quocumque vadis, Deum semper habe præ oculis ; et in iis quæ agis, adhibe testificationem Scripturarum sanctarum ; et in C quocumque loco sederis, non cito movearis. Hinc quoque dixit Psalmista : *Ps.* cxviii, 11. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sic ergo agamus et nos, ad laudem et gloriam Creatoris.

SERMO SEXTUS

QUOMODO RECTORES ET PRÆLATI DEBENT LUCERE AC PRODESSE SUBJECTIS, IMBECILLITATESQUE INFIRMORUM PORTARE.

D*OMINE, descende priusquam moriatur filius meus.* Joann. iv, 49.

Quemadmodum regulus iste cujus in evangelio hodierno est mentio, fuit pro corporali filii sui letaliter ægrotantis curatione sollicitus, Christum accessit et exoravit; sic quilibet bonus prælatus, si quem subditorum suorum conspexerit aliquo vitio inquinari, pro illius curatione debet D permaxime sollicitari, eumque corripiendo, hortando, instruendo, comminando, corrigendo, pro posse sanare; quod si viderit non posse se ita proficere, ad Deum se convertat omnino, atque pro periclitante filio affectuose deprecetur. Sed et quilibet pro proximo suo defectuoso tanto ardentius atque frequentius oret, quanto illum defectuosiorem exsistere arbitratur.

Hæc est sapientia vera, caritas sancta, perfectio magna, propriam fragilitatem semper attendere, exemplarem se exhibere, omniumque salutem totis præcordiis affectare. Porro, qui ita proximorum cupit salutem, non dubium quin illa ipsis impendat quæ sapientia dictat, et caritas esse impendenda requirit : quæ sunt fidelis oratio, fraterna correptio, admonitio pia, informatio bona, ædificatio salutaris, subventio omnis possibilis et salubris. Unicuique etenim mandavit Deus de proximo suo, ut scilicet faciat ei prout sibi vult fieri. Hinc innotescit, quam utiles et salubres sint in omni congregatione personæ vere sapientes, caritativæ atque devotæ, quoniam tales instar lucernæ lucentis et ardentis alios illuminare, ædificare et inflammare non cessant, implentes quod princeps ait Apostolorum : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes; et quod Salomon exhortatur, Deriventur fontes tui foras. Quod cum omni humilitate agendum est, omni complacentia vana et gloriatione iniqua exclusis, sicut Apostolus protestatur : Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum portare, et non nobis placere. Siquidem ferventioribus et irreprehensibilioribus, exemplarioribus reputatioribusque personis solent quandoque complacentia stulta et gloria vana insidiari; sed vir vere virtuosus ac sapiens, hujusmodi stolidissimorum motuum ventos faciliter celeriterque exsufflat.

Eccli. xvii, 12.

I *Petr.* iv, 10.

Prov. v, 16.

Rom. xv, 1.

Sit ergo in omni religioso vera justitia compassionem habens adjunctam, et zelus rectitudinis discretione ornatus, non amaritudine qualificatus. Et qui se sapientem esse confidit, per verba salubria et exemplaria opera, sapientiam suam ad Dei gloriam et proximorum ædificationem ostendat, ut verificetur in eo quod scriptum est : Fili, si sapiens fueris, tibi et proximis tuis eris. Nam, ut asserit B. Leo Papa, nullius sapientia sibi soli est proficua. Et hæc verarum est virtutum natura, ut prosint ac luceant multis. Propter quod sacratissimus ait apostolus Jacobus : Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quum enim omnis culpa sit quædam stultitia (Salomone testante, Stultorum, id est peccatorum, infinitus est numerus), certum est unumquemque tanto esse sapientiorem, quanto virtuosiorem et exemplariorem, tantoque insipientiorem, quanto negligentiorem et inexemplariorem; etiam si ingenio sit acutus et scientia acquisita abundans, nihilo minus tanto reprehensibilior stolidiorque probatur, quanto plus Dei donis abutitur, et irregulariter conversatur. Hinc sanctus Job dixit : Ecce timor Domini (vel, ut alia habet translatio, Ecce cultus Dei), ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia. O quam longe sunt a sapientia salutari hi inter quos vigent zelus et contentio, aspernatio, detractio et ambitio, quorum unus alio sapientior cupit videri, discretior reputari, amplius honorari! Non est sapientia ista a Deo, sed terrena, animalis et diabolica.

Prov. ix, 12; cf. tom. VII, p. 63D.

Jacob. iii, 13.

Eccle. i, 15.

Job xxviii, 28.

I *Cor.* iii, 3.

Jacob. iii, 15.

Præterea, per febrientem istum a Christo curatum, intelligitur omnis iniquus, præsertim omnis negligens, piger et acediosus. Sicut enim in febricitante sunt frigus intensum ex recessu sanguinis a membris proveniens, et corporis tremor ex frigore oriens, difficultas quoque ad calefactionem, deinde calefactio immoderata sanguine ad loca pristina redeunte, atque infectio gustus ex amaris et salsis humoribus, et ultra hæc, totius corporis lassitudo, torpor et quædam afflictio; sic universa hæc in quolibet vitioso, præsertim in acedioso, reperiuntur. Est quippe in eis frigus intensum, quia in eis refriguit caritas, et tardi ad opera bona consistunt, atque ut glacies restringuntur in membris suis ac viribus, ne ea ad opera meritoria laxent. Quemadmodum autem caritas, quæ est vivacitas mentis, efficit hominem ad opera religiosa alacrem et jucundum; ita acedia, negligentia et omnis iniquitas, horrorem, tarditatem et omissionem sanctarum acti-

Prov. xxvi, 14. onum inducit. Unde, teste Scriptura, sicut A ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo, hoc est in sua consuetudine prava et repausatione carnali. Quum enim in spiritualibus non delectetur, in carnalibus consolationem exquirit, et agrum proprii cordis non colit virtutibus, non ornat sanctis meditationibus, non fecundat actibus virtuosis, sed urticis negligentiarum, spinis passionum, vepribus vitiorum permittit impleri, relinquit corrumpi, non dolet neque advertit undique demoliri. Propterea de ipso conqueritur Spiritus B *Ibid.* xxiv, 30, 31. Sanctus : Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti ; et ecce totum repleverunt urticæ.

Insuper in talibus tremor est, utpote timor multiplex inordinatus, carnalis, sæcularis, et puerilis atque humanus, quemadmodum *Ps.* xiii, 5. scriptum est : Illic trepidaverunt *Prov.* xxviii, 1. timore, ubi non erat timor ; et iterum, Fugit impius, nemine persequente. Ita sunt multi religiosi, magis hominum quam Dei omnipotentis verentes adspectum, verecundantes coram hominibus negligentius C agere ac fatue loqui, nec tamen in divinæ majestatis præsentia, iniqua ac turpia cogitare seque negligenter habere erubescentes. Quibus contingit quod scriptum *Ibid.* xxix, 25. est : Qui timet hominem, cito corruet. Sunt etiam quidam tam frigefacti et duri, quod instar febricitantium non calefiunt igne divini amoris, nec sanctæ devotionis fervent alacritate, quidquid eis salubriter prædicetur. Quibus illud Josue est dicen*Josue* xviii, 3. dum : Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram quam Do- D minus vobis promisit (de qua ait Propheta : Credo videre bona Domini in terra *Ps.* xxvi, 13. viventium) ? et quod ait Ambrosius, Nemo cum desidia quærit Christum. Qui enim sic quærit, non veraciter quærit nec invenit eum, quum et Moyses fateatur : Quum *Deut.* iv, 29. quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum et tota tribulatione animæ tuæ. Sed quoniam homo diu esse non potest sine amore, in quibus divinus exstinctus est amor, carnalis affectus accenditur, avaritiæ æstus flammescit, ira, impatientia, superbia inflammatur, et amor invalescit privatus, ita quod corporis commoda, temporalem honorem et propriæ voluntatis desideria avidissime quærunt, fervide amplectuntur, infatigabiliter exsequuntur : sicque in eis interioris gustus palatum inficitur, et pessime judicant, quia carnalia plus quam spiritualia sapiunt eis, et suos defendunt errores, culpas suas excusant. Quibus in Isaia asseritur : Væ qui dicitis bonum ma- *Is.* v, 20. lum, et malum bonum.

Sed resipiscamus et caveamus ab universis his vitiis, ab omni sensuum et linguæ ac cordis incustodia detestanda. Et sicut in febrientibus, sanguine ad membra revertente, fit calor intensus ; sic, Deo miserante, divino quotidie invalescamus amore, Dei et proximorum succendamur dilectione, atque in omni proficiamus virtute ; agiles et jucundi in divino simus obsequio, et ea quæ Ordinis sunt assidue prosequamur etiam cum majori devotione ac puritate. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

DOMINICA XXII POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CONFIDIMUS IN DOMINO JESU, QUIA QUI CŒPIT IN VOBIS OPUS BONUM, ETC. Philipp. I, 6-11.

HORTATUR Apostolus in præsenti epistola, ut perseveremus et proficiamus in bonis, ostendendo affectum suum quem habuit pro spiritualium filiorum profectu. Ait ergo : *Confidimus in Domino Jesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum,* id est, in bonitate et misericordia Dei confido, quod ipse qui ex sua pietate, per gratiam gratum facientem et actualem Spiritus Sancti motionem, inchoavit in vobis opus meritorium, *perficiet* illud in vobis *usque in diem Jesu Christi* inclusive, id est usque ad diem mortis vestræ, quando particulari judicio judicabit et visitabit vos Christus, dando quod meruistis. A Deo quippe est inchoatio, continuatio et consummatio operis boni.

Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis, id est : tam ex parte divinæ bonitatis et misericordiæ, quam ex parte vestræ devotionis et gratiæ, justum est me ita de vobis et pro vobis confidere ac sentire; *eo quod habeam vos in corde,* id est, cordiali affectu id optem et sperem quod subditur : *et in vinculis meis, et in defensione et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse,* id est, ut tam in præsenti sæculo quam futuro, sitis participes consolationis meæ internæ : quam habeo « in vinculis meis », id est in captivitate et incarceratione mea, in qua propter Evangelii prædicationem vinculis sum ligatus; « et in defensione Evangelii », id est evangelicæ legis, quam contra fidei inimicos defendo; « in confirmatione » quoque « Evangelii », qua ejus veritatem per miracula et Scripturas corroboro. *Testis enim mihi est Deus, quomodo,* id est quam affectuose, spiritualiter et sincere, *cupiam omnes vos,* id est, omnium vestrum salutem et consolationem desiderem, *in visceribus Jesu Christi,* id est in intima caritate ac pietate mihi a Christo collatis ac ei placentibus. Vel, « cupiam omnes vos » esse « in visceribus Jesu Christi », id est intime Christo uniri, atque ab eo viscerose seu cordialiter diligi.

Et hoc oro, id est, Deum rogo, *ut caritas vestra* vobis a Deo infusa, qua Deum proximumque diligitis, *magis ac magis abundet,* id est, incessanter proficiat, *in scientia,* id est discretione, ut cum discretione cuncta agatis, sitque rationabile obsequium vestrum; *Rom.* xii, 1. vel, « in scientia », id est Dei cognitione, quatenus Deum amando mereamini illuminari ab eo in cognitione divinorum aliarumque rerum ad salutem spectantium, præsertim ut in illa crescatis scientia quæ est unum de septem donis Spiritus Sancti. *Is.* xi, 2. *Et in omni sensu,* id est intellectuali notitia, vel potius experimentali sapore interno, cœlestium ac spiritualium rerum. *Ut probetis,* id est, per approbationem sequamini, *potiora,* id est opera perfectiora, proficiendo quotidie, *ut sitis sinceri,* id est mundi corde, *et sine offensa,* id est peccato mortali ac scandalo, ut nec Deum offendatis nec proximum, mala committendo aut bona omittendo, *in diem Christi,* id est perseveranter usque ad mortem : cujus dies dicitur dies Christi, quia in illo particulare facit judicium morienti, quemadmodum dies novissimus dicitur dies Christi, quia in illo aget generale judicium. *Repleti fructu,* id est actu et delectatione, *justitiæ :* quæ est præclarissima virtus, ita ut, teste Philosopho, nec Lucifer, nec Hesperus sit ita ad- A mirabilis. Repleti, inquam, non propriis viribus, sed *per Jesum Christum,* id est virtute ac merito ejus, *in gloriam et laudem Dei,* id est finaliter propter hoc ut Deus unus ac trinus glorificetur per opera bona, atque laudetur per verba devota a vobis aliisque electis temporaliter in præsenti et æternaliter in futuro : quia ad Dei honorem, laudem et gloriam omnia bona fieri debent.

SERMO PRIMUS

QUOMODO UNIVERSA NOSTRA BONA A DEO SINT ; DE VITANDO PRAVO USU JURATIONIS ; ET QUOMODO PERFICI DEBEAMUS IN SCIENTIA SCRIPTURARUM CETERISQUE VIRTUTIBUS.

CARITAS *vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu.* Philipp. I, 9.

Primo, in præsenti epistola docet nos sanctus Apostolus, quam totaliter omnia opera nostra bona a Deo sint : nam ipse inchoat bona in nobis, et continuat ea ac perficit. Nunquam ergo in nobismetipsis inaniter gloriemur, sed omne bonum Deo plenarie adscribamus, ejusque adjutorio incessabiliter innitamur. Hinc in Jeremia *Jer.* x, 23. scriptum est : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus ; nec viri est ut ambulet C et dirigat gressus suos. Hoc est quod ad *Rom.* ix, 16. Romanos asseritur : Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Hinc vir justus grata mente loquitur Deo : *Ps.* lxxii, 24. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. Unde constat quod homines ad bene ac meritorie operandum ita se habent sicut infantes ad ambulandum : non enim per se queunt incedere, sed indigent curriculo seu ducente. Ita et nos per nos ipsos seu proprias vires virtuose vivere seu meritorie D agere non valemus, sed divina directione ac deductione indesinenter egemus, ut B Deus corda nostra illuminet, roboret ac deducat per actuales motiones et inspirationes Spiritus Sancti. Propter quod ait Scriptura : Justum deduxit Dominus per vias rectas. *Sap.* x, 10. Et Propheta loquitur Deo : Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Ps.* cxlii, 10. Hinc jugiter ac præcordialissime Dominum deprecemur ut ipse opera virtuosa in nobis incipiat, prosequatur, consummet.

Secundo, ex præsenti docemur epistola quod quandoque ex rationabili causa licet nobis jurare, quia in hac epistola jurat Apostolus : Testis (inquiens) mihi est Deus. *Philipp.* i, 8. Quod non est aliud dicere, nisi, Deum testem veritatis eorum quæ dico assumo. Quod rursus quid aliud est, nisi, Per Deum juro? In veteri quoque Testamento, viri sancti David, Elias et Eliseus jurasse leguntur, dicendo : Vivit Dominus, etc. I *Reg.* xx, 3 ; xxvi, 10, etc. ; III *Reg.* xvii, 1 ; IV *Reg.* iii, 14. Sed objici potest quod loquitur Christus : Ego dico vobis non jurare omnino ; sit autem sermo vester, Est, est ; Non, non : quod his abundantius est, a malo est. *Matth.* v, 34, 37. Unde et Jacobus scribit : Ante omnia nolite jurare. *Jacob.* v, 12. Et respondendum, quod hæc ita intelligi nequeunt quasi nequaquam licitum sit ju-

Deut. VI, 13. rare, quum in Deuteronomio dicatur : Dominum Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis. Idcirco verba Christi Jacobique apostoli intelligenda sunt, non per modum absolutæ prohibitionis, aut quasi jurare in se sit illicitum : imo potest esse actus virtutis quæ latria appellatur, quando cum debitis circumstantiis fit et ex causa idonea. Salvator ergo et ejus Apostolus idcirco verba illa locuti sunt, ut nequaquam jurationi assuescamus, imo nec vera sine rationabili causa juremus : quia et hoc ad irreverentiam pertinet Dei, absque causa condigna testem eum adhibere veritatis prolatæ. Unde in Exodo jussum *Exod.* XX, 7. est : Non assumes nomen Dei tui in vanum ; non enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Dei sui frustra. Quum ergo illicitum sit vera sine rationabili causa jurare, penset unusquisque pro posse quam enorme peccatum sit falsa jurare seu perjurare : quod est Deum falsitatis testem adhibere, præsertim si scienter id fiat, quia tunc est peccatum mortale ineffabiliter grave. Denique, quum usus venialium irrefrenatus a mortali culpa non excusetur, qualiter a mortali excusabuntur peccato, qui quotidie ex pessimo usu tam frequenter ac facile jurant, ita ut vix verbum enuntient quin juramentum apponant ? Maledictus est usus iste, atque divino præcepto contrarius, ac multis periculis plenus. Idcirco in Ecclesiastico fer- *Eccli.* XXIII, 9, 12. tur : Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in ea ; vir multum jurans implebitur iniquitate, et non deficiet de domo illius plaga. Abjiciat ergo unusquisque hunc usum pravissimum, ne pereat in æternum. Qui autem per membra Christi jurant, tanquam blasphemi sceleratissime peccant.

Philipp. I, 9. Tertio docet Apostolus ut caritas nostra (id est nos ipsi caritatem habentes) quotidie « magis ac magis abundet in scientia », non qualicumque, sed in scientia salutari, in cognitione sacræ Scripturæ, « et in omni sensu » ipsius, videlicet litterali, allegorico, tropologico ac anagogico : quod tamen ad aliorum prælatos, prædicatores et clerum præcipue pertinet. Potissimum salubre est valde abundare in scientia illa quæ est donum seu unum de septem donis Spiritus Sancti, quæ est habitus supernaturalis infusus, per quem de rebus creatis bene judicamus per gustum et connaturalitatem seu conformitatem affectus ad ipsum judicium veritatemque agnitam, ita quod cordialiter sic sentimus et sapimus quod rebus creatis non sit finaliter inhærendum, quia ex se vanæ et nihil sunt, sed Deo dumtaxat, cujus comparatione debemus omnia ista carnalia, caduca, creata parvi pendere atque pro nihilo reputare, nec ea appetere seu amare nisi in Deo et propter Deum, videlicet juxta Dei præceptum, ut omnia referantur ad ejus honorem. Hac salutari scientia carent quicumque in mortali sunt culpa ; eamque habent omnes qui sunt in caritate et gratia. Imo valde probabile signum quod homo sit in caritate, est quando sentit se omnia ista carnalia et caduca fastidire, parvi pendere, transilire, ut summo Deo inhæreat, et in eo solo finaliter conquiescat. In hac salutari scientia tanto plus abundamus et crescimus, quanto plus in cordis puritate, Dei amore ceterisque virtutibus, præsertim in latriæ ac pœnitentiæ virtute, proficimus. Siquidem quanto plus homo sua detestatur, dolet ac plangit peccata, tanto abundantius illustratur a Spiritu Sancto ad cognoscendum salubriter quod in rebus creatis non sit finis ultimus statuendus, nec eis immoderate sit inhærendum.

Deinceps hortatur Apostolus ut simus *Philipp.* I, 10. sinceri et absque offensa, id est pure et irreprehensibiliter conversantes, atque bonis operibus bona opera omni hora adjicientes, sicut et Salomon cohortatur, Quodcum- *Eccle.* IX, 10. que potest manus tua, instanter operare : ut sic thesaurizemus nobis in cœlo, *Matth.* VI, 20. opusque Dei cum ingenti attentione ac reverentia peragamus, non vago, intimorato dissolutoque corde. Ecce talis in primitiva Ecclesia fuit communiter conversatio omnium Christianorum, quoniam longo tempore consueverunt omnes Christiani A quotidie confiteri et communicare, ac nocturnis temporibus surgere, psalmodiis, orationibus meditationibusque sanctis insistere, atque in omni sanctitate et justitia deservire Altissimo. Sed, proh dolor! ad quantam ruinam, ad quam vitiosam ac miserrimam vitam delapsus est nunc populus christianus? Ubi jam antiqua illa est devotio? Propterea dici nunc potest de populo christiano quod de populo Judæorum *Osee* IV, 1, 2. fertur in Osee : Judicium (inquit) Domino cum habitatoribus terræ; non est veritas, B non est misericordia, et non est scientia Dei in terra; maledictum, et homicidium, et adulterium, et mendacium, et furtum, et fraus inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Sed emendemus nos ipsos, et quam sanctissima fuerit vita patrum nostrorum pensemus, ut comparatione eorum humiliemus animas nostras, eosque saltem aliqualiter imitemur.

Denique inter Patres eremitas sanctissimos fuit et abbas Sisois, qui fuit vir tantæ puritatis ac elevationis ad Deum, quod ex- C teriora non attendebat. Unde discipulus suus frequenter dixit ad eum : Surge, Pater, manducemus. Dixitque senex : Non manducavimus adhuc, fili? Respondit : Non, Pater. Et ille : Si nondum manducavimus, surge, et manducemus. Quum autem hora obitus sui sederent circa eum Patres, resplenduit facies ejus ut sol. Et dixit ad eos : Ecce abbas Antonius venit. Et post pusillum iterum dixit ad illos : Ecce chorus Prophetarum venit. Et refulsit facies ejus magis quam ante. Deinde dixit : Ecce chorus Apostolorum venit. Et resplenduit facies ejus dupliciter plus quam ante. Et ecce ipse quasi cum aliquibus loquebatur. Rogaveruntque eum senes, dicentes : Cum quo loqueris, Pater? Respondit : Ecce angeli venerunt accipere me, et rogo ut permittant me modicum pœnitere. Et seniores dixerunt : Non indiges pœnitentia, Pater. Ait illis : Vere nescio me vel initium pœnitentiæ peregisse. Et cognoverunt omnes quia perfectus est. Et rursus repente facta est facies ejus sicut sol, timueruntque omnes. Qui dixit eis : Ecce Dominus noster venit, dicens, Afferte mihi vas electionis eremi. Et continuo reddidit spiritum, et factum est fulgur, et repletus est locus ille odore suavitatis.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ASSIMILATUM EST REGNUM COELORUM HOMINI REGI QUI VOLUIT RATIONEM PONERE CUM SERVIS SUIS. Matth. XVIII, 23-35.

CHRISTUS in evangelio hodierno per D similitudinem valde terribilem docet, hortatur ac præcipit ut unusquisque ignoscat proximis suis qui sibi forefecerunt, ita ut cordialiter diligat eos, et culpam eis remittat. Itaque, sicut in Matthæo habetur, *Dixit Jesus discipulis suis parabolam,* id est similitudinem, *hanc : Assimilatum est regnum cœlorum homini regi,* id est, negotium seu regimen Ecclesiæ militantis simile est facto regis alicujus terreni, *qui voluit rationem ponere,* id est computationem seu justam exactionem seu inquisitionem facere, *cum servis suis. Et quum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.* Juxta litteræ superficiem non est difficultas in ista parabola.

Porro juxta principalem spiritualemque intellectum, rex iste, est Dominus noster Jesus Christus Rex regum et Dominus universorum : qui licet in die generalis judi- *Apoc.* XVII, 14; XIX, 16.

cii aut judicii particularis, quod fit unicuique dum moritur, nullum peccatum ejus quem judicat relinquat inultum, nec pœnitendi tribuat tempus secundum legem communem, tamen quotidie ponit rationem cum servis suis, id est fidelibus, per vicarios suos prælatos, et per Scripturarum admonitiones, per inspirationes quoque internas, instigando hominem ad sui ipsius discussionem : atque in hac rationis positione veniam ac pœnitendi tempus largitur. Sicque parabola ista de Christo exponitur. Per illum vero qui debuit decem millia talenta, intelligitur quicumque homo magnis ac multis peccatis obnoxius.

Quum autem talis transgressor *non haberet unde redderet,* id est, opera virtuosa ac meritoria non haberet quibus Deum placaret, et suæ justitiæ condignam honoris recompensationem pro illata injuria exhiberet. Hæc enim non habet qui in mortali est culpa, quia et si aliquando habuit ea, per sequens mortale peccatum sunt mortificata : per pœnitentiam tamen possunt denuo vivificari. *Jussit eum dominus ejus venundari,* id est pœnis addici ac dæmonibus tradi, ut pro culpa reciperet pœnam, quemadmodum in venditione unum datur pro alio. Dæmones quoque pro peccatore eis tradito, solvunt Deo nummum vindictæ, subserviendo divinæ justitiæ in punitione damnati. Ista facit Christus quotidie per comminationem et prænuntiationem Scripturæ ac prælatorum Ecclesiæ. *Et uxorem ejus,* id est sensualitatem, *et filios,* id est opera mala, *et omnia quæ habebat* in se, quoniam omnia ista obligata sunt ad pœnam propter peccata, *et reddi,* id est divinæ justitiæ satisfieri pro peccatis illius.

Procidens autem, id est super genua sua ruens, vel se in terram prosternens, *servus ille,* id est peccator per pœnitentiam se Deo humilians, *rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me,* id est, emendationem meam et satisfactionem clementer exspecta, nec statim me damnes, sed æterna supplicia quæ merui, in A temporalem mihi pœnam commuta, *et omnia reddam tibi,* id est, pro universis peccatis meis satisfaciam tibi, et sicut te inhonoravi male agendo ac bona debita omittendo, ita te honorabo bene vivendo et bona neglecta recuperando. *Misertus autem dominus* Jesus *servi illius, dimisit eum, et* omne *debitum dimisit ei :* sicque plus dedit quam servus petivit. Servus enim petivit non vendi et dilationem adipisci, sed dominus non solum non vendidit eum, nec solum concessit dilationem, B sed omne quoque debitum servo dimisit : quia quacumque hora peccator pro suis *Ezech.* ingemiscit peccatis, omnia ei donantur, xviii, 21, 22. nec larga Dei pietas dimidiat veniam, sed cuncta mortalia simul dimittit ad minus quantum ad culpæ offensam. Potestque tanta esse contritio pœnitentis, et tantus fervor suæ dilectionis, tantusque pudor de propriis vitiis, quod omnia peccata sua ei etiam quantum ad pœnam mox dimittantur.

Egressus autem, id est mente a Deo C aversus, *servus ille,* liber a debito, sed rursus victus a vitio, utpote Deum relinquens per recidivum peccati, *invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios,* id est modicum comparatione debiti sui quo ipse Deo suo fuit obligatus. Omnis etenim homo est debitor Dei propter beneficia ab eo suscepta, et propter peccata in eum commissa : nam propter beneficia tenetur Deo gratias agere ac servire ; propter peccata vero tenetur satisfacere ei pro injuria et offensa. D Habet etiam homo debitorem proximum suum qui peccavit in eum, vel alio modo aliquid ei tenetur ; sed debitum quo proximus obligatus est nobis, minimum est comparatione debiti quo Deo adstricti sumus, quia in Deum peccare tanto est gravius, quanto major est sanctitas et dignitas ejus præ omnibus. Ad quod insinuandum scriptum est primo Regum : Si peccaverit I *Reg.* ii, 25. vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo ? *Et tenens* collum ejus, *suffo-*

cabat eum, vitalem spiritum includendo, A ne respiraret, *dicens : Redde* mihi *quod debes.* Hoc agunt crudeles, qui persolutionem debiti aut pro injuria satisfactionem ultra vires aut violenter a proximis suis exquirunt. *Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi,* id est, plene satisfaciam tibi. *Ille autem noluit* acquiescere deprecanti, *sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum :* in quo patet magna ejus crudelitas.

Videntes autem conservi ejus quæ fiebant ab isto crudeli in suum conservum, B *contristati sunt valde :* quoniam sicut ad caritatem pertinet proximis in bono congratulari, sic pertinet ad eamdem proximis compati in adversis; *et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant* inter hos duos. Per servos istos *Hebr.* I, 14. intelligi possunt angeli sancti, qui omnes sunt administratorii spiritus : quorum *Apoc.* XXII, 9. unus in Apocalypsi ait Joanni, Conservus tuus sum, et fratrum tuorum. Hi tanquam diligentissimi fidelissimique custodes no- C stra considerant facta; et sicut de nostro gratulantur profectu, ita de nostro defectu seu vitio metaphorice contristari dicuntur, quia per modum dolentis se habent, dum nostræ eis displicent culpæ. Hi narrant Christo, non ut ignoranti, sed ut judicanti, verba et opera nostra, sicut Tobiæ *Tob.* XII, 12. loquitur angelus : Ego obtuli orationem tuam Domino. Secundo, per servos intelligi possunt homines justi, judices ac prælati zelo caritatis et æquitatis succensi : qui videntes quomodo unus opprimat alium, D Deo id conqueruntur, non zelo vindictæ, sed amore justitiæ, atque ut in præsenti castigetur ferox, ne pereat in æternum.

Tunc, istis scilicet perceptis, *vocavit illum* servum crudelem *dominus suus,* videlicet Dominus Jesus Christus, qui quotidie quosdam per mortem vocat ad particulare judicium; *et ait illi : Serve nequam,* id est nocive in proximum, et mihi tuo domino infidelis, *omne debitum* tuum *dimisi tibi, quoniam rogasti me* pro dilatione, et feci tibi plusquam postulasti; *nonne ergo oportuit et te,* qui teneris facere al- *Matth.* VII, 12. teri sicut tibi vis fieri, *misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?* Istud utique oportuit te facere debito condecentiæ ac præcepti, necessitateque finis, quia aliter non potes salvari.

Et iratus dominus ejus, videlicet Christus, qui irascitur, non per passionis commotionem, sed per justitiæ exsecutionem seu pœnæ inflictionem, *tradidit eum tortoribus,* puta dæmonibus, qui sunt infatigabiles impiorum punitores, saltem usque ad diem judicii, post quem omnes reprobi simul cruciabuntur pœnis inferni, non a se invicem, ut plurimi dicunt; *quoadusque redderet universum debitum,* id est in æternum, quia damnati nunquam salubriter pœnitent, unde nec debitum solvunt satisfaciendo pro culpis. *Sic et Pater meus cœlestis,* qui est Pater meus per generationem æternam ac naturalem, *faciet vobis,* mancipando vos pœnis æternis, *si non remiseritis unusquisque fratri suo,* id est proximo, *de cordibus vestris,* cordialiter diligendo injuriantem, et culpæ offensam dimittendo eidem.

Postremo videtur hic innui, quod peccata dimissa redeant in recidivante, quia de servo hoc nequam dictum est, quod dominus tradidit eum tortoribus, quousque solveret debitum universum, et subditur : Sic Pater faciet vobis. Sed ut communiter nunc tenetur, peccata dimissa non redeunt eadem, nec quoad culpam nec quoad pœnam, directe et integre, sed indirecte et aliquo modo, in quantum peccata sequentia graviora et damnabiliora sunt propter ingratitudinem indultæ pietatis et gratiæ, et propter recidivum in eadem mala, sicut et vulnera corporis reiterata sunt periculosiora.

SERMO SECUNDUS

QUAM NECESSARIUM SIT INJURIAM IROGANTIBUS IGNOSCERE, ET MULTA QUÆ AD HOC INDUCERE NOS DEBENT.

NON quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Lev. XIX, 18.

Videmus in sæculo isto, quod prælati ac principes, atque communiter domini universi, valde libenter habent quod servi eorum conformant se voluntati eorum, sequendo eos sive in bono sive in malo. Idcirco in libro Proverbiorum Salomon loquitur : Rex impius omnes ministros habet impios. *Prov.* XXIX, 12. Siquidem simile applaudit suo simili. Ideo in Proverbiis asseritur : Qui derelinquunt legem, laudant impium. *Ibid.* XXVIII, 4. In Ecclesiastico quoque dicitur : Omnis caro ad sibi similem conjungetur, et omnis homo sibi simili sociabitur. *Eccli.* XIII, 20. Quum ergo Dominus Deus noster omnipotens, sit essentialiter caritas (quemadmodum ait Scriptura : Deus caritas est), *I Joann.* IV, 8, 16. per nullam virtutem homo ita suo fit similis Creatori sicut per caritatem. Caritas enim jungit amantem amato, et transformat unum in alium, facitque eos idem velle et idem nolle. Hinc Deus in suis ministris summe præcipit et requirit caritatem ad ipsum, deinde caritatem eorum ad invicem. Unde Christus Dominus noster : In hoc (inquit) cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Joann.* XIII, 35.

Porro caritas virtus est per quam unus alteri mente unitur, et bonum vult ei, volendo seu appetendo ei dona gratiæ ac virtutum in vita præsenti, bonaque gloriæ in futuro. Hinc mundi Salvator, unigenitus Filius Dei, in evangelio docet ac præcipit hodierno ut omni homini, quantumcumque forefecerit sibi ac suis, ignoscat homo, ita quod sincera caritate diligat eum, optando ejus salutem et emendationem in omnibus. Tenetur itaque quilibet Christianus A omnem hominem in mundo hoc conversantem, quantumcumque sibi ac suis adversarium, caritative et sincere diligere : alias Christus non computat eum inter suos ministros. Præterea Christus Dominus noster est caput totius Ecclesiæ seu omnium electorum : oportet ergo ut omnes ejus ministri, per comparationem ad ipsum, sint unum mysticum corpus, ac membra ad invicem. Sed nec unum mysticum corpus Christi, nec membra ad invicem esse possunt, nisi spiritualiter B conjungantur, ita ut tam in Christo capite adunentur, quam inter se connectantur. Hanc autem adunationem et connexionem absolute et proprie nil facere potest, nisi caritas quæ est spiritualis dilectio. Dilectio demum dicitur quasi duo ligans seu duorum ligatio. Hinc itaque exigit Deus ut omnes ei veraciter servientes, se mutuo spiritualiter diligant, ut per hoc cum Deo et inter se uniantur. Si autem se mutuo diligant, certum est quod unus salutem optet alterius et oret pro eo, C coopereturque ejus saluti pro posse, loco et tempore opportuno. Sed hoc adimplere non potest, nisi qui forefactoribus suis ignoscit. Nullus ergo in corde suo teneat iram, rancorem, amaritudinem, indignationem contra quemcumque, sed ad omnes ac singulos pie et caritative afficiatur, omniumque desideret ac pro posse procuret salutem.

Insuper ad hanc mutuam dilectionem, pacem, patientiam, mansuetudinem atque pacificam ad invicem conversationem multa D nos debent inducere. Primo, quia (sicut jam tactum est) Deus hoc ipsum nobis præcepit, et specialissime id a nobis re-

Joann. xv, 12. quirit. Hinc namque Salvator : Hoc est A præceptum meum, ut diligatis invicem *Ibid.* xiii, 34. sicut dilexi vos. Et alibi : Mandatum (inquit) novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Ecce quam summe ac seriosissime requirit Christus a nobis mutuam caritatem. Certumque est quod ubi exstiterit mutua caritas, erit et mutua pax seu conversatio pacifica, mansuetudo, patientia, pietas, quum ad Corinthios dicat I *Cor.* xiii, 4-8. Apostolus : Caritas patiens est, benigna est; caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, B non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert; caritas nunquam excidit. Ecce quanta bona facit in homine caritas, quam plane non habet qui proximis non ignoscit. Saluberrime ergo ac sapientissime præcipit nobis unigenitus Filius Dei, ut omni in nos peccanti cordialiter indulgeamus.

Secundo, ad idem movere nos debet consideratio bonitatis et misericordiæ Dei, C videlicet quod ipse etiam impiissimis transgressoribus tam pius et liberalis, dulcis misericordissimusque consistit : nam per tot annos sustinet eos in peccatis eorum, et emendationem ipsorum exspectat, atque indesinenter interim conservat eos in esse, et necessaria vitæ ipsis largitur, donaque gratiæ præbet eisdem, sed et multos eorum convertit, et tantam eis tribuit gra- *Rom.* v, 20. tiam, quod ubi abundavit delictum, abundat et gratia; item, quod Deus nobis ipsis tantam misericordiam fecit, tam diu ac sæ- D pe nobis in maximis pepercit peccatis, atque pro tantis malis, injuriis ac offensis tot et tanta nobis retribuit bona. Nonne Dominus Jesus Christus interfectores suos, Annam, Caipham, Pilatum ac alios, post suam crucifixionem multis permisit vivere annis, præstolans emendationem illorum, quos uno valuit nutu occidere et damnare ? Imo et quosdam illorum incomprehensibili pietate convertit, quibus et paulo ante passionem suam prædixit : Quum exaltaveritis Filium hominis, id est, *Joann.* viii, 28. quum me in cruce suspenderitis, tunc cognoscetis quia ego sum. Ecce quam vere et damnabiliter durus est, quem consideratio horum ad ignoscendum proximis non inducit.

Tertio, ad idem inclinare nos debet multiplex fructus quem ex ignoscentia ista consequimur, quia per eam meremur propriorum indulgentiam peccatorum, gratiæ ac virtutum infusionem et incrementum, Christi conformitatem, pacem et amicitiam : imo per hoc filii et amici Dei efficimur, angelis complacemus, dæmonibus prævalemus. Hinc Christus in Evangelio loquitur : Dimittite, et dimittetur vobis; et *Luc.* vi, 37. rursus, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et eritis filii *Matth.* v, 44, 45; *Luc.* vi, 35. Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. Unde in Ecclesiastico habetur : Relinque proximo tuo nocenti *Eccli.* xxviii, 2. te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.

Quarto, ad idem inducere debet multiplex, imo et ineffabile damnum quod incurrimus non ignoscendo. Per hoc equidem peccata nostra nobis imputantur, nec ignoscuntur, omnique virtute et gratia spoliamur, dæmonibus subdimur, a Deo manemus aversi; et nisi pœnituerimus, efficimur in æternum damnati. Hinc loquitur Filius Dei : Quum stabitis ad orandum, dimittite *Marc.* xi, 25, 26. si quid habetis adversus aliquem; quod si non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. Insuper, quia incomparabiliter gravius atque frequentius in Deum peccavimus, quam aliquis in nos, valde utique duri ac fatui sumus, si proximis indulgere renuimus, quatenus Deus indulgeat nobis. Dimittamus ergo modicum, ut multa et gravia nobis indulgeantur; alioqui timeamus quod in Ecclesiastico asseritur : Qui vindicari *Eccli.* xxviii, 1, 3, 4. vult, a Deo inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam ? In hominem sibi similem non habet misericordiam, et pro peccatis suis deprecatur

Altissimum? Sed et quam irrationabile et A enorme sit istud, constat ex eo quod subditur ibi : Quis exorabit pro delictis illius? *Eccli.* XXVIII, 5.

Denique qualiter, quam prompte ac incessabiliter indulgendum sit proximis, constat ex eo quod dum beatissimus Petrus dixisset ad Christum, Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? *Matth.* XVIII, 21. hoc est, an proximo in me peccanti non nisi septies indulgebo? illi Christus respondit : *Ibid.* 22. Non dico tibi, Usque septies, sed, Usque septuagies septies. Et ponitur ibi numerus determinatus pro nu- B mero indeterminato, ac si dicat : Quotiescumque peccaverit in te, ignosce ei, sicut et tu vis tibi a Deo ignosci quotiescumque in eum peccaveris. Verumtamen contra hæc objici potest. Si enim non licet vindicare injuriam, et si omni injurianti est ignoscendum, peribit pax communitatis, peribit rigor justitiæ, boni undique opprimentur ac spoliabuntur, et filii iniquitatis audaciores fient ad opera pravitatis, nec stabunt judicia. Et respondendum ad omnia ista, quod semper dimittenda est culpa C et caritas conservanda. Sed debitam pœnam dimittere in casibus multis non expedit, sicut jam tactum est : ut si ex pœnæ dimissione turbetur bonum commune, vel ordo pereat disciplinæ ac tenor justitiæ, seu alii scandalizentur, aut impius fiat ad peccandum procacior. Nempe in casibus istis infligitur ultio, non ex mala radice, sed zelo æquitatis atque affectu caritatis, ut reus in vita hac castigetur, ne in æternum damnetur. Aut si prorsus incorrigibilis est, ideo puniatur, ne D diutius vivens gravius peccet et damnationem incurrat majorem, et ne commune bonum patiatur jacturam.

Postremo, pensemus quanta sit nostra perversitas. Nam quamvis omnia præinducta ita se habeant, nihilo minus multi pronissimi sunt ad indignandum, ad irascendum, ad vindicandum : imo pro modico verbo, signo seu ictu gravem cupiunt inferre vindictam, suisque conqueruntur amicis, propinquis ac notis, et ipsos ad similia inflammant peccata, ac sine mensura multiplicant mala. Alii multis precibus vix queunt induci ut ad aliquot dies ultionem suspendant, seu pacem concedant. O quale judicium, quam districtum et perhorrendum imminet istis, qui etsi nullum aliud haberent peccatum, istud solum faceret eos Deo penitus displicentes atque æterna damnatione condignos! Econtrario viri virtuosi et sancti injuriatoribus suis non solum non irascuntur, imo potius regratiantur, et in contumeliis suis ac adversitatibus gaudent : quemadmodum sanctus refert Gregorius de quodam religioso monacho, qui fuit in cœnobio sacrista, et fuit vir magnæ sanctitatis, fecitque miracula. Idcirco ad eum videndum multi quotidie confluebant. Erat autem parvæ staturæ. Quumque uno dierum inter alios venisset quidam vir rusticanus et rudis, et virum illum sanctum eminus conspexisset, despexit eum, et ait : Iste nihil habet de viro, cur ad istum videndum conveniunt homines? Hæc verba dixit tam alte quod omnes qui aderant eadem audierunt, similiter vir sanctus de quo loquebatur. Auditis igitur verbis istis, sanctus ille cucurrit ad eum qui dixit hæc verba, apprehenditque eum ac osculabatur, et dixit : Gratias ago tibi quia tu solus veritatem locutus es de me, et tu solus oculos habes apertos in me.

SERMO TERTIUS

DE CORREPTIONE FRATERNA ET RIGORE DIVINI JUDICII.

CORRIPIET *me justus in misericordia* A *et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Ps. cxl, 5.

Quemadmodum in Matthæo docetur, occasio seu origo ex qua Salvator protulit parabolam evangelii hodierni, in qua jussit ut aliis ignoscamus, fuit præceptum quod de correptione fraterna proposuit, *Matth.* xviii, 15. dicens : Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Quo audito, accedens Petrus ad Jesum, *Ibid.* 21. dixit : Domine, quoties peccabit in B me frater meus, et dimittam ei ? usque septies ? *Ibid.* 22. Cui respondit Salvator : Non dico tibi, Usque septies, sed, Usque septuagies septies. Cujus verbi intellectus in præcedenti sermone est habitus. Huic demum responsioni Christus immediate subjunxit, *Ibid.* 23. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis : quod est evangelium hodiernum. Expedit itaque aliquid dici de correptione fraterna, quia materia quotidiana ac practica est. Estque observatio C hujus præcepti valde necessaria ad salutem et tam observanti quam aliis fructuosa, ob cujus transgressionem seu omissionem præcepti innumerabiles homines condemnantur.

Præcepit ergo Salvator unicuique nostrum, viro et feminæ, juveni ac seniori, *Ibid.* 15. subdito et prælato : Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te et ipsum solum. In quibus verbis, per fratrem intelligitur quilibet proximus seu omnis Christifidelis, cujuscumque sit sexus D aut gradus. Porro quod ait, In te, intelligi potest tripliciter. Primo, secundum Augustinum, In te, hoc est te sciente : quia qui alio sciente peccat, quantum in se est illum scandalizat. Secundo, juxta Hieronymum, In te, hoc est directe contra te, non contra Deum directe, secundum quod quædam peccata fieri dicuntur in Deum, quædam in proximum, quum tamen omne peccatum sit aliquo modo in Deum, quoniam displicet ei et ejus præcepto contrariatur. Verumtamen peccata quæ sunt contra præcepta secundæ tabulæ, seu directe contra caritatem fraternam, dicuntur peccata in proximum; quæ vero sunt contra præcepta tabulæ primæ, seu contra fidem, spem vel caritatem, quibus immediate colitur Deus, dicuntur peccata in Deum, sicut infidelitas, desperatio, blasphemia, in quibus non oportet servare ordinem illum quem docuit ac præcepit Christus servandum in correptione fraterna. Tertio exponitur, In te, hoc est, te solum læserit. Si enim et alios læderet, vel coram illis peccaret, non servaretur ordo correptionis qui subditur.

Primo ergo corripiendus est proximus reus secrete, ne confundatur, exasperetur aut diffametur. Vitanda est equidem proximi diffamia quantum fieri potest : quoniam ex timore diffamiæ multi retrahuntur a vitiis; idcirco quum se viderint diffamatos, peccant sine rubore, fitque eis frons meretricis, quæ inverecundiam quasi characterem seu signum suæ prostitutionis portat in fronte. Hinc peccatori indurato inverecundoque dicitur apud Jeremiam : Frons mulieris meretricis facta est tibi, *Jer.* iii, 3. noluisti erubescere. In tantum enim peccatum rationem excæcat, quod homo de turpitudine vitiorum suorum non verecundatur, imo interdum inde se jactat et gloriatur, quemadmodum de gravissimis

Is. III, 9. peccatoribus dicit Isaias : Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. De quibus in Proverbiis asseritur : *Prov.* II, 14. Lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. Hæc, secundum B. Bernardum, est iniquitas maxima; et nihil ita offendit Altissimum, sicut de præteritis vitiis non solum non pœnitere, sed etiam gloriari.

Matth. XVIII, 15. Deinde subdit Salvator : Si te audierit, hoc est, si proximus tuæ increpationi caritativæ acquieverit, lucratus es fratrem tuum, hoc est, de peccati perditione et *Ibid.* 16, 17. dominatione diaboli eum eripuisti. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum testem vel duos, id est, in præsentia unius vel duorum testium corripe eum, ne cito *Deut.* XIX, 15. coram omnibus diffametur, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, id est, per tot testes probetur quod delinquenti objicitur. Quod si eos non audierit, qui tecum corripiunt illum, dic Ecclesiæ, hoc est prælato seu judici aut toti congregationi, quid ille commisit inique, aut quid vitiose omisit, et quomodo correptionem secretam testiumque inductionem abjecit, in sua manens duritia. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, id est gentilis, et publicanus, hoc est, tunc omnino retrahe te ab eo.

Item advertendum, quod peccatum dupliciter consideratur. Primo, in quantum nocivum est peccanti. Sicque peccantem arguere, actus est caritatis, ad quem omnes tenentur, sicut ad caritatem : nam ista correptio non est nisi remedium contra peccatum. Secundo, consideratur peccatum ut est aliorum scandalizativum ac turbativum, inhonorativumque Dei. Et ita peccantem corripere, est actus justitiæ, spectans præsertim ad præsidentes, quorum est respicere ad bonum commune et conservare legem atque tenorem ac rigorem justitiæ.

Præterea, quia præceptum de correptione fraterna est affirmativum, obligat semper, sed non ad semper. Hinc facienda est correptio ista cum debitis virtutum circumstantiis, A puta loco, causa, tempore, modo intentioneque opportunis, secundum quod expedit ad emendationem peccantis. Unde correptio ista tribus modis omittitur. Primo, meritorie et ex caritate, quando videlicet tempus corripiendi congruum exspectatur, aut de graviori peccantis induratione probabiliter formidatur. Nempe, ut Salomon loquitur, Qui erudit derisorem, *Prov.* IX, 7. ipse sibi injuriam facit; et, Non amat *Ibid.* XV, 12. pestilens eum qui se corripit. Secundo, omittitur vitiose, et cum mortali B peccato, ut dum ex cupiditate, aut timore corporalis pœnæ temporalisve damni, aut simili causa quæ non est caritati præferenda, omittitur. Tertio, cum veniali peccato, ut dum prædictæ causæ correptionem istam non impediunt, sed retardant.

Insuper subditi superiores suos caritative corrigere possunt ac debent in vitiis manifestis correptioneque dignis, congruo loco et tempore, cum humilitate et reverentia, non procaciter aut proterve. Nam et Moyses sanctus qui quotidie ad libitum C loquebatur cum angelo, reprehensionem ac informationem Jethro viri gentilis gratanter ac patientissime assumpsit. Siquidem in Exodo Jethro ait ad Moysen : Non *Exod.* XVIII, 17, 18 et seq. bonam rem agis; stulto labore consumeris tu, et omnis populus tecum. Prælati ergo non sint nimis magni et sapientes in oculis suis, *Is.* V, 21. sed subditorum suorum ac aliorum humilem correptionem, piam informationem, caritativam exhortationem gratanter humiliterque suscipiant, quum in Proverbiis dicatur : Argue sapientem, *Prov.* IX, 8, 9. D et diliget te; doce justum, et festinabit accipere.

Præterea, fraterna correptio, ut est actus justitiæ pertinens ad superiores, non est omittenda ob id ne correptus fiat deterior, quoniam talis correptio habet potestatem coercendi per disciplinam. Idcirco per pœnas compellendus est peccans, ut cesset a vitiis, si aliter nolit desistere. Ex tali quoque correptione utilitas oritur communitati, dum rigor justitiæ observatur, aliique exemplo puniti terrentur, ne agant similia.

Deinceps agnoscendum, quod quædam peccata sunt publica : et in talibus providere oportet, non solum peccanti, sed etiam aliis, ne scandalizentur. Idcirco mox publice sunt redarguenda, juxta illud Apostoli ad Timotheum : *1 Tim.* v, 20. Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Quædam etiam peccata contrariantur veritati fidei, aut bono communi : et in talibus, quamvis occulta sint, statim ad publicationem est procedendum, ut si quis machinetur civitatem incendere, aut fidem aliorum corrumpere. Si tamen quis probabiliter putet, quod hujusmodi peccatorem possit per secretam correptionem emendare, potest sic facere.

Ex his itaque constat, quod peccantem corripere, actus sit caritatis. Si enim caritativum et pium est corporum mederi vulneribus, quanto magis pium et caritativum est animarum languoribus, id est peccatis, adhibere medelam per correptionem fraternam ? Hinc loquitur Augustinus : Nescientes quis ad numerum prædestinatorum, et quis ad numerum pertineat reproborum, sic affici debemus caritatis affectu, ut omnes velimus salvari ; ideoque fraternæ correptionis effectum omnibus debemus impendere sub spe divini auxilii. Et iterum : Si neglexeris (inquit) corripere, pejor efficeris eo qui peccat.

Sed incipiat quilibet a se ipso, propria vitia primitus emendando : qui enim in eisdem aut gravioribus est peccatis, indignus est alios increpare. Corripiens quoque, ex caritate, pietate seu æquitate, non ex vitiosa radice moveri debet ad increpandum. Ait namque Isidorus : Qui delinquentem superbo aut odioso animo corripit, non emendat, sed percutit; quidquid A protervus vel indignans protulerit animus, objurgantis est furor, non dilectio corrigentis. Verumtamen, eodem protestante doctore, qui pio verbo correptus non emendatur, est acrius increpandus.

Itaque potius eligat unusquisque a justo misericorditer increpari, *Ps.* cxl, 5. quam oleo peccatoris impinguari, id est adulantium blandimentis liniri, eorumque verbis fraudulenter laudari : quia ut in Proverbiis dicitur, Meliora sunt vulnera diligentis, *Prov.* xxvii, 6. quam fraudulenta odientis oscula. Et iterum B Salomon ait : Melior est manifesta *Ibid.* 5. correptio, quam amor absconditus. Ideo loquitur Augustinus : Magis amat objurgator sanans, quam adulator dissimulans. Itaque paterfamilias quidquid in domo sua, præsertim in sobole sua, viderit inordinatum, corripiat et emendet, et ut hoc efficacius operetur, exemplariter conversari conetur.

Refert S. Gregorius, quod tempore suo fuit quidam Stephanus abbas, vir valde sanctus et virtute patientiæ singulariter C decoratus, hominum vitans tumultus, et orationibus jugiter vacans. Cui si quis injurias fecit, injurianti maximas egit grates. Quumque moriturus esset, multi venerunt ad eum, ut tam sancto viro de hoc sæculo emigranti suas animas commendarent. Qui dum lecto ejus adstarent, quidam eorum angelos ingredientes oculis viderunt corporeis, alii nihil viderunt; sed omnes tanto timore percussi sunt, quod nullus eorum, egrediente anima illa sanctissima, illic potuit stare.

D Postremo possent hic plurima dici de rigore divini judicii; sed illa require in sermonibus circa evangelium in prima Adventus dominica.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE LAUDE FRUCTIBUSQUE CARITATIS.

Hoc oro ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu. Philipp. I, 9.

Virtutes et dona Spiritus Sancti sibi invicem concatenantur, nec in vita hac ab invicem separantur. Unde quicumque caritatem sortitus est, ceteras quoque habet virtutes et septem dona Spiritus Sancti secundum aliquem gradum. Sed et quanto quis in caritate plus crescit, et in ea perfectior redditur, tanto et aliæ virtutes ac dona Spiritus Sancti in eo fortiores efficiuntur. Nihilo minus unus electorum plus abundat in ista virtute, alter in illa, prout de unoquoque Sancto cantatur : Non est inventus similis illi. *Eccli.* XLIV, 20. Porro, quum virtutes connexæ sint, mutuo se fulciunt, juvant atque perficiunt, quemadmodum in exercitu unus alteri est præsidio. Nam et ipsarum multitudo virtutum, in homine est tanquam acies ordinata, contra aciem vitiorum rite disposita ; et in acie illa virtutum, caritas summum sortitur locum. Ideo sicut in exercitu maxime providetur ut ipse princeps aut rex suis militibus undique circumvalletur, juvetur ac protegatur, ita in acie virtutum specialissime est prospiciendum ut caritas omnifarie muniatur, custodiatur ac adjuvetur : quia si ipsa tepescat, reliquæ virtutes languescunt; si ferveat, ceteræ virtutes copiosius excitantur ac tendunt in suos actus.

Denique, quum caritas inhæreat voluntati, quæ de se cæca perhibetur, et ab intellectu illuminari ac dirigi indiget; ideo caritas quo exstat ferventior, eo amplius in ejus operatione necessaria est rationis directio, ne caritatis fervor præcipitet fervidum operatorem, magnitudinem affectionis suæ sequentem. Hinc orat et cohortatur Apostolus ut caritas nostra magis ac magis abundet in scientia, id est in discretione, eam dirigente, illustrante ac moderante, quatenus sicut alibi ait, rationabile sit obsequium nostrum. *Rom.* XII, 1. Consuevit quippe Apostolus nomen scientiæ pro discretione accipere, juxta quod asserit de Judæis : Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. *Ibid.* X, 2. Potest nihilo minus loco hoc, per scientiam, contemplatio intelligi divinorum quæ est doni sapientiæ actus. De qua scientia legitur in Osee : Scientiam Dei volui plus quam holocausta. *Osee* VI, 6. Itaque hortatur Apostolus ut caritas nostra actu ac lumine contemplationis quotidie magis ac magis abundet, ut quemadmodum Deum super cuncta diligimus, ita ad ejus fidelem intuitum, amorosam contemplationem, sinceram considerationem frequenter et omni die frequentius extendamur ac elevemur, et figi ac stabiliri in ea conemur, Deum quoque quotidie ardentius diligendo, mereamur abundantius illuminari ab eo, atque ad profundiorem ipsius contemplationem sustolli, juxta illud Ecclesiastici : Qui timetis Deum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. *Eccli.* II, 10. Deinceps, pulcherrime se invicem ornant et complent dilectio Dei et contemplatio ejus. Amor equidem movet et impellit ad contemplandum, quoniam ubi amor, ibi oculus, et ubi thesaurus, ibi et cor; con- *Matth.* VI, 21.

templatio quoque dilecti, ejus dilectionem A nutrit et auget. Idcirco in Dei cognitione et contemplatione universa salus nostra consistit, secundum illud : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. *Joann.* XVII, 3. Ideo in his divinissimis actibus, scilicet actuali contemplatione dilectioneque Dei, exerceamus nos ipsos assidue cum profectu, atque ad hoc reliqua exercitia nostra omnia ordinemus.

Insuper agnoscendum, quod nulla forma, nulla virtus tam prompte agit ut caritas, cujus est ceteras virtutes impe- B rando movere et excitare in actum. Et satagendum est nobis ut caritas nostra quotidie amplius abundet in se ipsa, ut scilicet habitus caritatis per actus proprios et aliarum actus virtutum magis radicetur firmiusque stabiliatur in nobis. Quemadmodum enim caritas et virtutes aliæ debilitantur et tandem perduntur, si tempore opportuno non procedant in actum; sic quanto frequentius in suos exeunt actus, tanto in se ipsis fiunt intensiores et amplius abundantes, perfectæ ac divites, ad C perfectiores quoque ac frequentiores actus producendos magis idoneæ : sicque virtutes et actus earum se mutuo nutriunt, augent, perficiunt. Hinc nunquam otio aut negligentiæ locum demus, nullum horæ momentum infructuose pertranseamus, sed assuescamus corda nostra semper bonis actibus esse intenta, præsertim actibus caritatis et latriæ ac sapientiæ, Deum contemplando, laudando, orando ac diligendo, et gaudendo ac quiescendo in ipso.

Amplius, laboremus ut caritas nostra as- D sidue magis abundet in actibus suis elicitis, qui scilicet directe et elicitive progrediuntur ex ea, ut sunt Deum diligere, ipsum desiderare, ei inhærere, ipso frui, in eo quiescere et gaudere, ejus beatitudini congratulari. Idcirco in omnibus actibus istis satagamus quotidie plenius abundare, ad Deum ferventius adspirare, ipsum amorosius in corde constringere, in eo stabilius tranquillari, ejus immensæ felicitati et gloriæ cordialius congaudere, in actibus quoque fraternæ caritatis quotidie gratiosius abundare conemur.

Præterea studeamus ut caritas nostra in aliarum etiam virtutum actibus atque habitibus plus abundet, non solum « in scientia et in omni sensu », hoc est Scripturarum intellectu ac experimentali divinorum sapore, et spiritualibus sensibus animæ, ut oculis et auribus cordis Deum intueamur ac audiamus, sed item in mansuetudine, patientia, fortitudine, temperantia, justitia, pietate. Caritas namque patiens et benigna, mansueta, fortis, sobria, justa, pia vocatur. I *Cor.* XIII, 4. Et enitendum est nobis ut caritas nostra quotidie patientior, benignior, mitior, fortior, temperantior, justior misericordiorque exsistat, sic ut caritate imperante ac movente, harum actus virtutum copiosius exsequamur, passiones plenius refrenando, et actus morales perfectius exercendo. Tunc autem fit caritas nostra patientior, mitior, fortior, justior atque benignior, quando caritate nos excitante, in ipsa patientia, mititate, fortitudine, temperantia, justitia, pietate nos ipsos copiosius exercemus, et harum virtutum actus perfectius quotidie exhibere conamur desiderio caritatis perfectioris, hoc est propter hoc ut in caritate et ejus elicitis actibus perfectiores reddamur : quia ad caritatis culmen, puritatem et perfectionem pertingere non valemus, nisi in vera patientia, mansuetudine, temperantia, justitia, pietate, fortitudine eminenter crescamus, atque per eas passionum inordinationes ac impetus refrenemus, ne per eas, hoc est per iram, impatientiam, tristitiam, gulam, cupiditatem, injustitiam, crudelitatem, timorem, voluptatem, caritas exstinguatur aut minuatur in nobis. Quidquid enim caritatis minorativum aut exstinctivum est, tanquam maxima nocumenta infernaliaque venena nos abhorrere et vitare oportet, videlicet omne peccatum non solum mortale, quo exstinguitur caritas, sed etiam veniale, quo minoratur et fervor amoris deifici impeditur. Idcirco et exteriores sensus custodire oportet, ne per eos vanitates passionumque motus, A cordis distractiones varias hauriamus. Conformiter turpes imaginationes, inutiles phantasias et mentis evagationes semper et maxime in divinis oportet abjicere, et mentem in Domino ancorare, neque ad aliquam rem citra Deum affici inordinate, sed solum in Deo, neque superflua affectare aut curiosa sectari.

Deinceps, ita nos agere monet Apostolus, *Philipp.* I, 10. ut simus sinceri, id est coram Domino puri. *Matth.* V. 8. Siquidem beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et sanctus Deus animam sine peccato requirit ac diligit: *Sap.* XIV, 9. odio enim sunt ei impius et impietas ejus. *Ps.* V, 7, 6. Cui ait Propheta: Odisti omnes qui operantur iniquitatem; neque habitabit juxta te malignus, nec permanebunt injusti ante oculos tuos. Ideo si a Domino Deo nostro cupimus diligi, ei uniri, eo æternaliter frui, odiamus et fugiamus omne peccatum propter ipsius fœditatem, et quia offensivum et inhonorativum est Dei ac elongativum ab eo. Verum quia non sufficit coram Deo sinceriter ambulare, nisi et circa proximos bene se habeat homo (secundum quod alibi dicitur: *Rom.* XII, 17. Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus), ideo docet in epistola præsenti Apostolus ut B etiam simus sine offensa, nulli videlicet offendiculum scandalumve ponentes. Imo exemplo et verbo et fama omnes, quantum in nobis est, semper ædificemus, sicut præcipit Christus: *Matth.* V, 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus.

SERMO QUINTUS

QUAM NECESSARIA SIT AD SALUTEM REMISSIO INJURIARUM.

S*ERVE nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Matth. XVIII, 32, 33.

Deus naturaliter bonus et pius, cujus bonitas ac sapientia finem non habet, sciens fragilitatem conditionis humanæ ad omne malum proclivem, regulam prorsus benignam et vere piissimam posuit homini in proximo suo, ut scilicet ita se habeat circa illum quomodo vult circa se habere Deum. Unde et Christus in Evangelio loquitur: *Matth.* VII, 2. Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Quum itaque tam frequenter tamque enormiter peccet homo in proprium Creatorem, ut pro unius hominis peccatis satisfacere non sufficiat, secundum rigorem justitiæ, totus mundus, volens misericordissimus Conditor salutis remedium, salubre consilium, reconciliati- C onis compendiosissimum modum conferre hominibus, jussit et docuit ut invicem sibi ignoscant, se mutuo diligant, alterutrum pro viribus benefaciant, quatenus Deus eis ignoscat, ipsos amet, eis succurrat.

Et istud est superpiissimum Dei præceptum atque facillimum documentum. Quum enim offensa in aliquem tanto sit gravior quanto qui offenditur fuerit dignior, et Deus omni creatura in infinitum exstet præstantior, constat quod peccatum D in ipsum commissum, in quantum hujusmodi, hoc est secundum quod tale, infinite sit gravius omni in proximum commisso peccato, secundum quod tale est. Quod ideo addo, quia peccatum in proximum factum, in quantum est contra Dei præceptum, etiam est contra Deum; nec ut tale, in infinitum est minus peccatis perpetratis in Deum. Elucescit ergo quod in hoc superpiissime se habeat Deus, quia hominibus propter ipsum ignoscentibus debitoribus seu forefactoribus suis, ipse quoque se præbet indulgere paratum. Quanta est igitur ingratitudo, perversitas, duritia hominum miserorum, impatientium, iracundorum, superborum, vindicantium aut vindicare cupientium semetipsos, qui quum in multis ac gravibus offenderint Dominum Deum, volunt et petunt sibi divinitus indulgeri, quum tamen renuant forefactoribus suis etiam in parvis et paucis ignoscere ?

Unde, ad insinuandum quam graviora sint nostra peccata in Deum, quam proximorum nostrorum peccata in nos, in hodierno evangelio dicitur, quod servus regi judicanti, scilicet Christo, oblatus, debebat ei decem millia talentorum ; servus vero huic servo obligatus et ei occurrens, debebat ei centum denarios. Quid ergo cum impatientia, ira, superbia, ultione, amaritudine, indignatione, aversione nostra meremur, nisi ut durissimum nobis a Deo fiat judicium, et ipse usque ad minimum nostra districtissime ulciscatur peccata, secundum quod in evangelio isto ait Salvator, quod iratus dominus tradidit servum crudelem, non ignoscentem, sed ferociter se habentem, tortoribus, quousque redderet debitum universum ?

Insuper, in ista parabola valde diligenter ac formidolose est advertendum, quod secundum evangelicam recitationem, dominus servo huic veniam et dilationem postulanti, universum debitum suum dimisit ; sed quum servus iste suo conservo immisericors et rigorosus fuisset, dominus omne debitum quod ei ante dimiserat, repetivit et exegit, atque pro illo tortoribus tradidit illum. Ex quo doctores eliciunt, quod peccata dimissa, recidivantibus et ingratis denuo imputentur ac redeant. Et quamvis diversus sit modus assignandi qualiter redeant ac reimputentur, tamen sufficiat pro præsenti ad incutiendum nobis salubrem timorem, atque ut proni simus ad ignoscendum, quod aliquo utique redeant modo. Siquidem ad minus peccata sequentia et futura recidivantium crudelium et non ignoscentium, quamdam sortiuntur enormitatem ex ipsa ingratitudine et recidivatione, quia et vulnera repetita plus nocent ; et quanto alicui major a Deo fit gratia, tanto si fiat ingratus ac recidivans, vitiosior est ingratitudo ac recidivatio sua.

Præterea, redeat unusquisque ad se, discutiatque se ipsum. Ecce in Baptismo, deinde in sacramentali confessione frequenter, et præsertim in Ordinis nostri professione, dimisit nobis clementissimus Deus peccata nostra. Si ergo non dimiserimus proximis nostris, replicabit et reimputabit Deus nobis, secundum quemdam modum, cuncta peccata præterita quamvis dudum indulta, et ipsam iram et impatientiam ac vindictam nostram in proximum. Sic enim in fine hujus parabolæ infert Salvator : Sic ergo et Pater vester *Matth.* cœlestis faciet vobis, si non remiseritis xviii, 35. unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Attendamus ergo diligentissime atque sæpissime multitudinem et magnitudinem præteritarum nostrarum culparum, et quam modica vel potius nulla sit injuria nobis a proximis nostris illata comparatione offensionum nostrarum in Deum : sicque promptissime ac purissime ignoscamus semper injuriatoribus nostris, quatenus Deus nobis ignoscat. Imo quia tam sæpe ac dire in Deum peccavimus, non reputemus nobis injuriam fieri quidquid adversitatis sive injuriæ acciderit nobis, sed dispensatione pietatis divinæ æstimemus nos in vita hac pro injuriis Creatori illatis puniri, nec digna tormenta recipere, imo excessibus nostris omnia hæc incomparabiliter esse minora : sicque in adversis lætemur, et Deo regratiemur, ac tribulatores nostros arbitremur purgatores nostros et utilissimos nobis. Hoc est quod Judith docet : Non ulci- *Judith* viii, scamur nos pro his quæ patimur, sed 26, 27. reputantes hæc ipsa supplicia peccatis nostris esse minora, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem, A et non ad perditionem nostram evenisse credamus.

Deinceps istud in Evangelio docet Salvator in pluribus locis, quamvis sub aliis et aliis verbis. Nam ait apud Matthæum : *Matth.* v, 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Hujus quoque suæ jussionis ac instructionis dignissimam causam, et multo præclariorem *Ibid.* 45. quam hic, subdit ibidem : Ut sitis (inquiens) filii Patris vestri qui in cœlis est, B hoc est, Deo patri et creatori vestro similes efficiamini, et adoptivi filii ejus, conformando vos ei, qui adversariis suis, ingratis impiissimisque hominibus beneficia multa largitur, eosque ad salutem hortatur, et misericorditer præstolatur.

Quum ergo ista ad omnem pertineant Christianum, quanto magis ad religiosum ? Quales ergo sunt religiosi nonnulli, qui heu ! tam faciliter offenduntur, indignantur, prattant * et irascuntur, imo et vindicant se per se si possunt et audent ? C Alioqui conqueruntur præsidenti, et petunt justitiam fieri, et frequenter injuriam sibi illatam recitando, plus quam veritas habet, exaggerant, mentientes et obloquentes, et periculosissime se habentes, nec tamen, suis passionibus obtenebrati, advertunt sua pericula, sed diuturna in eis perseverat illati mali memoria, nec æquanimiter queunt eum a quo sibi irrogatam affirmant injuriam, intueri, affari, audire, imo verbis aut signis aversionem et indignationem suam ei demonstrant, et quales D sint intus pandunt foris, atque per hoc alios scandalizant, et contemptibiles reddunt se ipsos. Hi ergo discant se ipsos cognoscere et deflere, ac protinus emendare.

* *Cf.* t. VIII, p. 129 D', 130 A.

Præterea, omnia jam prætacta, videlicet mala illata dimittere, oblivisci, ac bona pro malis rependere, nos oportet, libentissimeque debemus : primo, quoniam Dominus Deus noster sic facit; secundo, quia et Christus sic egit in natura assumpta, in tantum quod pro crucifixoribus suis oravit; *Luc.* XXIII, 34. tertio, quia Deus præcepit et exigit istud a nobis; quarto, quoniam copiosissimum ex hoc consequimur fructum, quia et filii Dei efficimur, et indulgentiam gratiamque consequimur magnam, ac Christo assimilamur ; quinto, quia nisi ita egerimus, multiplex et maximum incurrimus damnum, quia peccata nostra nobis replicantur præterita, et præsentia ac futura non dimittuntur, et horrendum Dei incidemus judicium, gravissime quoque in æternum damnabimur. Hinc in Ecclesiastico legitur : *Eccli.* XXVIII, 1, 3, 4. Qui vindicari vult, a Deo inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam ? In hominem sibi similem non habet misericordiam, et pro peccatis suis deprecatur Altissimum ? Quod quam enorme, irrationabile fatuumque consistat, subditur ibidem : *Ibid.* 5. Quis exorabit pro delictis illius ? quasi dicat : Tam graviter peccat ut pro eo vix possit orari.

Postremo, quam cito et indesinenter debeamus injuriantibus indulgere, constat ex hoc quod Christus a Petro interrogatus, *Matth.* XVIII, 21, 22. Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ? usque septies ? respondit : Non dico tibi, Usque septies, sed, Usque septuagies septies. In qua responsione ponitur numerus determinatus pro indeterminato, tanquam dicat : Quotiescumque peccaverit in te, ignosce ei, quemadmodum vis tibi a Deo ignosci quotiescumque in eum peccaveris. Quæ quum ita se habeant, quid fiet de his qui nec semel volunt ignoscere ? Si cum Christo cupimus coronari, non negligamus neque cessemus ejus vestigia imitari.

SERMO SEXTUS

DE REMISSIONE INJURIARUM EX SACRIS LITTERIS ET VERBIS SANCTORUM ET CATHOLICORUM PATRUM.

T*RADIDIT eum dominus tortoribus,* A *quousque redderet universum debitum : sic et Pater cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Matth. xviii, **34**, **35**.

Injurianti ignoscere, opus est patientiæ, sine qua salvari non possumus, Christo *Luc.* xxi, 19. testante : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quocirca ait Bernardus : Qui patientiam non observat, perdet justitiam, perdet vitam, perdet et animam suam. Vide opera Christi; flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, affixus B patibulo, saturatus opprobriis, omnium dolorum immemor propriorum, orat pro in- *Ibid.* xxiii, 34. terfectoribus suis sacrilegis : Pater, inquiens, ignosce illis. Vide ergo ne per impatientiam pereas, sed pro Christo sustine universa, qui pro te sustinuit duriora, et apud quem patientia tua erit fructuosissima. Siquidem ipsemet Dominus Jesus Christus est nobis patiendi exemplum et patientiæ præmium, dicente Bernardo : Utrumque es mihi, Domine Jesu, videlicet speculum patiendi et præmium patientis. C *Ps.* cxliii, 1. Tu doces manus meas ad prælium, exemplo tuæ virtutis; tu post victoriam caput meum coronas tuæ præsentia majestatis. Utrumque fortiter provocat, vehementer *Cant.* i, 3. accendit. Trahe me post te, ut libenter te sequar, ut et gloriose te fruar. Sed pauci post te volunt ire, quum tamen omnes *Ps.* xv, 11. velint ad te pervenire, scientes quia delectationes in dextera tua usque in finem. Propterea volunt te frui, sed non ita imitari; cupiunt conregnare, non compati. Sed si cupis præmium consequi, non ces- D ses exemplum sequi. In omni tribulatione hæc duo nos consolentur, memoria dominicæ passionis et spes futuræ beatitudinis.

Denique quid est quod in adversis sumus impatientes, injuriæ memores, ultionem optantes, atque de omnipotentis Dei injuriis innumerabiliter multis, incomparabiliter magnis, tam a nobis ipsis quam ab aliis ei illatis, parum aut nihil dolentes, neque nos ipsos condigne castigantes? nisi quia privato et improbo ad nos ipsos reflexo amore exsistimus pleni, et a Dei amore pervacui. Ideo non est in nobis affectio boni honesti, sed proprii commodi, et inter eos annumeramur de quibus ait Apostolus : Omnes quæ sua sunt quæ- *Philipp.* ii, 21. runt, non quæ Jesu Christi; itemque, Erunt II *Tim.* iii, 2. homines se ipsos amantes, cupidi, elati, inobedientes. Sed redeamus ad cor, et di- *Is.* xlvi, 8. ligamus super omnia pure integro corde Deum, et nos ipsos sincere in ipso, de Creatoris inhonorationibus ingemiscentes, et eas in nobis rationabiliter ulciscentes; atque nos ipsos omni confusione et pœna judicemus condignos. Sicque non solum a superioribus nostris cupiamus corripi omni die ac corrigi, sed a confratribus quoque exerceri et increpari, et in omni tribulatione patientes semper veraciter inveniri. Hoc quippe est se vere in Deo diligere, quoniam istud saluberrimum nobis est.

Insuper sunt quidam prælati negligentes, remissi, non fervidi, ad se reflexi, non corde recti, in quorum persona ait Hieronymus : Nos in Dei injuria sumus benigni, et in nostris injuriis odia exercemus. Quocontra ait Ambrosius : Meam injuriam patienter sustinui, impietatem contra Deum ferre non potui. Hinc ait Chrysostomus : In propriis injuriis patientem esse laudabile est, Dei autem injurias dissimulare impium est. Et denuo : Discamus (inquit) exemplo Christi, proprias injurias magnanimiter tolerare, Dei autem injurias nec usque ad auditum sufferre. Idcirco sacratissimus dixit Elias : Zelo zelatus sum pro Domino exercituum. III *Reg.* XIX, 10, 14. Verumtamen istud ad præsidentes potissimum pertinet, quorum est ex auctoritate delinquentes corrigere. Nihilo minus in unoquoque nostrum sit rectitudinis amor, justitiæ zelus, fervor discretus; quoad Ordinis observantiam accendamur, contra transgressores caritative, compassive, juste et sapientialiter provocemur, et moderate ac fraterne corripiamus eosdem, propriamque in primis negligentiam vindicemus in nobis, et aliis exhibeamus nos exemplares. Impleamus quod per Moysen Deus præcepit, *Lev.* XIX, 18. Non quæras ultionem, nec memor sis injuriæ civium tuorum : præsertim quum et Seneca naturali ratione inductus, loquatur, Turpe est, maxime homini virtuoso, refricare injurias, et odiorum sopitos cineres denuo suscitare. Nempe qui alicui injuriatur, sibi ipsi potius nocet, secundum quod iterum asserit Seneca : Injuria injuste irrogata, ejus infamia est qui fecit. Verum sunt aliqui qui beneficii sibi impensi cito obliviscuntur, injuriæ jugiter recordantur, in quibus Senecæ illud impletur : Memoria beneficiorum fragilis, injuriarum tenax. Nos autem humanam fragilitatem pensantes, injurias nobis illatas quantum possumus excusemus, beneficiorum semper memores simus, nec propter sequentes injurias priora beneficia alicujus oblivioni tradamus.

Insuper, quam detestanda ac vitiosa, quam damnabilis et nociva sit illatæ offensionis seu injuriarum memoria, pandit Climacus, dicens : Memoria malitiæ, id est mali irrogati sive injuriæ, est furoris consummatio, vitiorum custodia, justitiæ odium, virtutum perditio, sagitta et rubigo venenumque animæ, vermis mentis, orationis confusio, obsecrationis decisio, alienatio caritatis, clavus cordi infixus, non delectabilis sensus in amaritudinis delectatione amatus, id est non jucunda interior sensatio, quæ tamen quasi bona amatur in delectatione (id est complacentia) amaritudinis tali memoriæ injuriarum annexa; indesinens peccatum, non dormiens iniquitas, transgressio quotidiana continuaque malitia, tenebrosum ac triste peccatum. Qui iram a corde suo repellit, memoriam mali illati occidit. Possidens caritatem, expellit ultionem; qui vero inimicatur, importunos labores sibi ipsi accumulat. Tu qui memor es malitiæ, dæmonum malitiæ memorare; et qui homini inimicitias servas, inimicare corpori tuo semper. Siquidem imprudens, irrationabilis et dolosus amicus est caro, et fota seu delicate nutrita maxime lædit. Memoriam malitiæ confundat oratio Jesu Christi, videlicet Oratio dominica, in qua dicitur : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Matth.* VI, 12. De quo dixit in cruce : Pater, ignosce illis. *Luc.* XXIII, 34. Quam orationem, malorum memores, cum ipso dicere non valemus. Quando contra passionem et impatientiam propriam certans, non potes eam perfecte dissolvere et abjicere, saltem ore pœnitentiam age, adversario tuo veniam postulando, aut te ei aliter reconciliando, ut super hypocrisi tua coram illo ostensa multum erubescens, ipsum tandem perfecte diligas atque suscipias, quasi ab igne ita a conscientia tua punctus et victus. Cognosces tunc te ab hac putredine in melius commutatum, non quando pro contristante et persequente te oras, nec quando ipsum donis remuneras, neque dum ipsum ad mensam suscipis ; sed quando ipsum corporali aut spirituali tribulatione percipis corruisse, et super ipso sicut super te ipso dolueris atque ploraveris, tunc vere immemor malitiæ eris. Solitarius malitiæ memor, est quasi aspis nidificans, circumferens in se ipsa venenum mortiferum. Abjiciens malitiæ memoriam, inveniet indulgentiam; adhærens autem huic memoriæ, privatur propitiationibus. Doloribus et sudoribus quidam propter indulgentiam impetrandam afflixerunt se ipsos; sed vir malitiæ immemor, præanticipavit et prævenit eos. Argumentum nobilis ac probatæ pœnitentiæ, est oblivio malitiæ; qui inimicitiam detinet et pœnitere apparet, similis est ei qui se in somnis currere putat. Ecce quanta mala scribit vir iste totus profundus et spiritualis, de memoria illatæ injuriæ, et quanta bona de oblivione et remissione ipsius.

A Vitemus ergo pessimum vitium, quod sæpius usque ad spirituales viros extenditur, et nec verbo, nec signo, nec facto, nec taciturnitate, nec beneficii subtractione aliquem perturbemus, gravemus, aut propriam ulciscamur injuriam : imo in bono malum vincamus, et pro maledicto ac persecutione benedictionem ac beneficentiam rependamus, primo et maxime intuitu et amore Domini Dei nostri, cui honor et gloria per infinita sæcula. Amen.

Rom. XII, 21; I *Petr.* III, 9.

DOMINICA XXIII POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

IMITATORES MEI ESTOTE, ET OBSERVATE EOS, ETC. Philipp. III, 17-21 ; IV, 1-3.

APOSTOLUS in præsenti nos hortatur epistola ut ipsius sequamur vestigia : *Imitatores,* inquiens, *mei estote,* id est, virtuosa opera mea sequamini in omni humilitate, mansuetudine, caritate, etc., *et observate,* id est, diligenter considerate ac sequi curate, *eos qui ita ambulant,* id est, taliter vivunt, *sicut habetis formam nostram,* id est modum ac regulam vitæ nostræ, quia ex verbis et scriptis atque operibus meis scitis qualis sit conversatio nostra. Unde ad Corinthios ait Apostolus : II Cor. x, 11. Quales sumus in verbis absentes, tales et in facto præsentes.

Matth. VII, 13. *Multi enim ambulant* per latam viam quæ ducit ad mortem, *quos sæpe dicebam vobis,* dum eram vobiscum (*nunc autem et flens dico,* quia tam eis quam his qui falluntur ab ipsis, lacrimose condoleo). Itaque dico eos esse *inimicos crucis Christi,* id est adversarios crucifixi, quia tam verbis quam factis sunt Christo contrarii, falluntque plurimos. Isti præsertim fuerunt hæretici qui legalia cum Evangelio observanda docebant. *Quorum finis interitus,* id est, finis seu finalis eorum merces, erit æterna damnatio. *Quorum deus venter est,* id est, vitiis carnalibus ita deserviunt quasi in eis sit hominum salus, et proprium ventrem plus amant et colunt quam Deum. *Et gloria in confusione ipsorum,* id est, vitiosa gloriatio qua ad tempus exsultant, erit confusibilis eis in divino judicio, eritque eis causa æternæ confusionis; *qui terrena sapiunt,* id est, in sensibilibus magis quam in spiritualibus delectantur.

Nostra autem conversatio in cœlis est ratione objecti, id est, per contemplationem et sanctam dilectionem Deo ac cœlestibus inhæremus. Ibi enim est noster thesaurus, ergo et cor nostrum. Matth. VI, 21. *Unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum* venturum ad universale judicium, et item particulare ejus præstolamur judicium. Denique quorum conversatio est cœlestis, secure exspectant Christi adventum. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ,* id est, humile et corruptibile istud corpus nostrum in die judicii suscitabit, atque ad pristinam formam sive effigiem reparabit, *configuratum corpori claritatis suæ,* id est, ita quod tunc simile erit glorificato ac splendidissimo corpori Christi, quia in corpore glorioso Sancti resurgent. Vel ideo ait, « configuratum corpori claritatis suæ », quoniam sancti viri in vita hac per labores, abstinentias, vigilias, disciplinas corpora sua affligunt, sicque assimilantur corpori Christi propter nos multipliciter passo. Sic igitur faciet Christus *secundum operationem* virtutis suæ, *qua possit etiam subjicere sibi omnia,* id est secundum suæ omnipotentiæ efficientiam, quia potest facere Sap. XII, 18. quidquid sibi placuerit.

Itaque, fratres mei carissimi propter bona gratiæ in præsenti, *et desideratissi-*

mi propter bona gloriæ in futuro; *gaudium meum,* id est materia seu objectum spiritualis gaudii mei, quia de vestro profectu et gratia lætor in Domino; *et corona mea,* id est causa coronationis meæ in cœlo, quoniam bona vestra redundant in me, et particeps ero meritorum vestrorum ac præmiorum tanquam doctor et prælatus vester; *sic state in Domino, carissimi,* id est, stabiliter perseverate in bonis. *Evodiam rogo et Syntychen deprecor id ipsum sapere in Domino,* id est idem sentire cum aliis sanctis. Has duas devotas matronas Apostolus exprimit nominatim, quia fuerunt notabiles, et fidelibus ministraverunt necessaria vitæ.

Etiam rogo et te, Germane compar, id est, collega in Christo. Vir iste nomine Germanus, fuit talis ac tantus in gratia, quod Apostolus vocat eum comparem suum seu socium, sicut et Philemonem ac Titum. Philem. 17; II Cor. VIII, 23. *Adjuva illas,* id est, præfatas feminas in Christo conforta, *quæ mecum laboraverunt in Evangelio,* id est in prædicatione evangelicæ legis : non quod feminæ istæ prædicaverint publice, quia A mulierem, inquit Apostolus, docere non I Tim. II, 12. permitto, sed evangelizanti Apostolo necessaria præbuerunt; *cum Clemente,* id est etiam Clementi, *et ceteris adjutoribus meis* collaboraverunt feminæ illæ, necessaria vitæ eis ministrando, sicut et mihi; *quorum nomina sunt in libro vitæ,* id est in æterna prædestinatione conscripta. Hoc enim Apostolus ex revelatione certitudinaliter scivit, quod prædestinati fuerunt; vel si sibi revelatum non fuit, tamen aliunde multum probabiliter id cognovit. B Porro liber vitæ, secundum doctores, in Deo metaphorice dicitur. Quemadmodum enim homo eos conscribit qui ad ipsum specialiter pertinent, sic Deus dicitur conscripsisse electos. Quæ conscriptio non est nisi divina prædestinatio, seu firma electorum notitia in mente divina. Et quum dicitur liber vitæ, intelligendum est de vita gloriæ. Item dum dicitur, « nomina » scripta « sunt in libro vitæ », intelligendum est de nominibus nominatis, videlicet ipsis personis per nomina nominantia designatis. C Unde loquitur Christus : Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. Cf. Luc. X, 20.

SERMO PRIMUS

QUOMODO CONVERSATIO NOSTRA DEBEAT ESSE IN COELIS, UT CARITAS NOSTRA IN DIES MAGIS MAGISQUE ABUNDET, ET DECLINANTES A MALIS FACIAMUS BONA.

N*OSTRA conversatio in cœlis est.* Philipp. III, 20.

Augustino testante, verius est anima ubi amat, quam ubi animat, hoc est, verius est in re dilecta quam in proprio corpore. Amor etenim fervens amantem in amatum transponit, et efficit eos quodammodo unum. Hinc amicus dicitur, alter ego. Quum igitur Deus in cœlo potissimum esse dicatur, merito conversatio perfectorum Christifidelium dicitur esse in cœlis : ibi enim sunt animæ eorum juxta modum D prætactum. Et ad hoc hortatur nos Christus : Nolite (inquiens) thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate autem thesauros vobis in cœlo. Matth. VI, 19, 20. Et rationem subjungit : Ubi enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Ibid. 21. Ac si dicat : Ex quo debetis cor vestrum semper habere fixum in cœlo et non in terra, propterea colligite atque reponite vobis thesauros in cœlo, non in hoc mundo, hoc est, virtuosis operibus inhærete, et cumulum meritorum acquirite, et ista in divinæ pietatis conspectu relinquite, non in vita præsenti nec ab hominibus mercedem quærendo, sed a Deo dumtaxat in cœlo. Itaque, sicut in terra thesaurizare, est pecuniam adunare, ita thesaurizare in cœlo, est æternæ beatitudinis merita congregare, indeque præmium præstolari de manu Omnipotentis. Hæc una est ratio cur conversatio Christifidelium perfectorum dicitur esse in cœlis.

Alia ratio est, propter conformitatem actuum eorum cum actibus civium supernorum, quorum actus sunt, supergloriosissimum Deum clare et incessabiliter contemplari, ferventer inavertibiliterque diligere, incessanter laudare, admirari ac honorare, et ei in cunctis promptissime obedire. His sacratissimis actibus se totis viribus viri perfecti conformant, et perfectioni patriæ quotidie propinquare nituntur, in caritate ac ceteris gratiæ donis proficiendo. Homines ergo perfecti Deum pro modulo suo, prout in isto fieri potest exsilio, clare, etsi non indesinenter, tamen frequenter, contemplantur, ferventer ac fortiter diligunt, sæpissime laudant, maxime admirantur, et ei in cunctis prompte obediunt. Hinc in talium persona ad II *Cor.* III, 18. Corinthios ait Apostolus : Nos omnes revelata facie, id est illuminata mente, gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. Hoc, quantum ad contemplationem. Quantum vero ad dilectionem, docet ac monet Apostolus ut *Philipp.* I, 9. caritas nostra semper magis ac magis abundet. Et denuo loquitur : Quis nos se- *Rom.* VIII, 35. parabit a caritate Dei ? Quantum autem ad continuam Dei laudationem, ait ad He- *Hebr.* XIII, 15. bræos : Per Christum offeramus hostiam *Ps.* XXXIII, 2. laudis Deo semper; et Propheta : Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

Quoniam itaque talis fuit conversatio beatissimi Pauli apostoli, rite hortatur nos ut ipsum imitemur in omni caritatis fervore, humilitatis profunditate, patientiæ mansuetudinisque vigore, in Dei laudatione ac veneratione in omnibus. Nec A solum istud hortatur, sed etiam ut consideremus eos qui juxta suam doctrinam suæque vitæ maneriem conversantur, ut sequamur et illos : quoniam tales aliqui sunt semper in mundo et frequenter nobiscum, quorum exemplis accendi quotidie debemus ad meliora. Consideremus ergo virtutes et bona exercitia proximorum nostrorum Deum timentium, quorum unus magis abundat in virtute et gratia ista, alter in illa. Idcirco ab uno discamus caritatis fervorem ac puritatem, ab alio hu- B militatem, ab alio patientiam, ab alio castitatem, ab alio misericordiam, ab alio justitiam, ab alio devotionem, orationum instantiam, meditationum sinceritatem. Sic fecit sanctissimus pater noster Antonius, qui tanquam prudentissima apis, ab unoquoque Fratre devoto didicit, collegit et hausit virtutem et gratiam in qua Frater ille aut ille amplius abundavit. Sed, heu ! multi sunt nimis perversi, qui bona aliorum interpretantur in pejus, et melioribus obloquuntur, aliorumque defectuosi- C tates et culpas observant, memoriæ imprimunt, aliis recitant, atque stercoreum nidum in proprio construunt corde, similes brutis quæ pascuntur stercoribus. Verum homines boni, virtutes et dona ac opera virtuosa quæ in se ipsis non habent, in aliis amant, laudant ac venerantur, atque per hoc ad similem gratiam disponuntur.

Insuper docet Apostolus cur necessarium nobis sit ipsum sequi ac alios virtuosos : quia jam multi sunt per vitiorum D itinera gradientes, qui inimici sunt Chri- *Philipp.* III, 18, 19. sti, quorum deus est venter eorum, quorum vana gloria in æternam ignominiam tristitiamque vertetur. Ecce istud, proh dolor ! jam nimis impletum est. Jam enim tam vitiosa est Christianorum vita, ut juxta verba Bernardi, contra Christum conjurasse videatur universitas populi christiani. Heu, qualis est nunc vita clericorum, vita sacerdotum, vita quoque eorum qui religiosi vocantur ! Sed et majorum conversatio prælatorum qualis sit, quis ignorat ? Quid itaque mirum si laicorum ac vulgarium hominum vitiosa sit vita? Istud deplorandum est magis quam describendum, et incessanter ac ardentissime invocandus est Deus, ut Ecclesiam suam misericordissime et superpiissime adspicere, visitare, reformare dignetur in omni gradu, statu, conditione et ordine. Verumtamen quanto jam magis abundat iniquitas, quanto plures et sublimiores sunt qui alios scandalizant, quanto innumerabiliores sunt qui peccandi præbent audaciam, imo quanto in præsidentibus aliosque docentibus vitiosior atque carnalior vita apparet, tanto plus necessarium est homini animam suam salvare volenti, Deum habere præ oculis, ejus auxilium jugiter implorare, bonos adspicere, et eorum sequi exempla. Itaque qui Deo placere desiderat, a pravorum hominum comessationibus, potationibus, luxuriis, ludis, loquacitatibus, superbiis, negligentiis, acediis ceterisque peccatis se abstrahat.

Denique, nonne homines impii et carnales, qui sua vitiosa scandalosaque vita non proprias tantum animas, sed et aliorum occidunt, tamque ingrati et rebelles sunt, merito inimici crucis Christi vocantur? Cujus passionem, crucem et sanguinem pro nihilo ducunt, et fructum dominicæ passionis in se ipsis cassant atque in aliis : imo, secundum Apostolum ad *Hebr.* x, 29. Hebræos, isti Filium Dei conculcant, et sanguinem testamenti pollutum ducunt, et spiritui gratiæ contumeliam faciunt. O quam multi sunt modo etiam ex his qui religiosi et spirituales videntur, quorum tamen deus venter est, qui gulæ atque luxuriæ inquinamentis fœdantur, qui terrena et carnalia magis quam cœlestia ac spiritualia sapiunt, amant, cogitant, amplectuntur, quorum finis erit infernalis interitus æternalisque cruciatus ! De quibus *Judæ* 12, 13. Judas ait : Hi sunt in epulis suis convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, quibus procella tenebrarum conservata est in æternum. Præterea horum corpora Christus in die judicii corpori suo clarissimo non configurabit, sed erunt eorum corpora tenebrosa, passibilia, grossissima atque gravissima, magisque fœda ac turpia quam dum pro media parte fuerunt a vermibus in sepulcris corrosa. Sed abstineamus ab universis vitiis istis, et sobrietati ac castitati, ceteris quoque virtutibus viriliter studeamus. Consideremus quam nihil sit vitæ hujus duratio comparatione durationis æternæ quæ imminet nobis, et quam indubitantissime cito habebimus sive in summa felicitate et gloria æternali, sive in summa miseria et pœna, heu ! infernali. Si non volumus condemnari cum multis, sed salvari cum paucis, non vitia plurimorum, sed virtutes sectemur paucorum. Non permittamus nos seduci a pravis et intimoratis hominibus, ne cum perversis pervertamur, *Ps.* XVII, 27. sed Deo fortiter adhæreamus.

Gen. XXXVII. Legitur in Genesi, quemadmodum Joseph filius Jacob patriarchæ, a fratribus suis venditus fuit principi militiæ Pharaonis. Et erat in domo ac regno gentilium, ubi nec vestigium fuit cultus divini, sed serviebant idolis universi : et tamen Joseph soli vero Deo servivit, nec potuit unquam seduci ab illis, quamvis adhuc adolescentulus esset. Denique, quum præ- *Ibid.* XXXIX. positus factus esset totius substantiæ domini sui, et divitiis abundaret, essetque pulcherrimus juvenis, uxor domini sui quotidie invitabat et alliciebat eum ad committendum adulterium secum, dicens ad eum : Dormi mecum. Et tamen sanctus Joseph tam justus, castus timoratusque fuit, quod nunquam acquievit dominæ suæ, sed castissimus virgo permansit quousque accepit uxorem. Insuper a domina sua falsissime accusatus quod voluerit eam opprimere, atque ob hoc injustissime incarceratus et valde diu in carcere tentus, ad minus per tres annos vel circiter, inviolabilem fidem Deo servavit, nec ab ejus cultu recessit, sed patiens fuit in omnibus, quousque placuit Deo ejus fidelitatem, patientiam, castitatem, caritatem et justitiam remunerare. Hujus ergo sancti viri exemplo, discamus Deo firmiter adhærere, neque iniquis ad vitia consentire.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ABEUNTES PHARISÆI, CONSILIUM INIERUNT, ETC. Matth. XXII, 15-22.

HISTORIA evangelii hodierni contigit in hebdomada passionis Christi, videlicet die sequente post dominicam Ramis palmarum. Quum enim die illo sequente Christus multipliciter vicisset ac confudisset principes sacerdotum, Pharisæi conati sunt Christum sua calliditate circumvenire ac fallere. Unde nunc dicitur : *Abeuntes Pharisæi,* id est, a corporali Christi præsentia se subtrahentes et seorsum euntes. Stabant equidem coram Christo cum principibus sacerdotum, sed illis convictis, callide abierunt, et inter se contulerunt quomodo possent decipere Christum. Ideo subditur : *consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone,* id est, in sua responsione reprehenderent eum.

Et mittunt ei, id est ad eum, *discipulos suos cum Herodianis,* id est militibus Herodis ac stipendiariis ejus. Quidam per Herodianos intelligunt Judæos qui solvebant tributa prout Herodes ex commissione imperatoris exegit, quos Pharisæi Herodianos despective vocabant. Iste Herodes fuit filius Herodis qui occidit infantulos. Denique Pharisæi in propria persona non iverunt ad Christum, ne eis visis se observaret; sed mittebant discipulos suos, quos Christo putabant ignotos, ut Christus mali nil suspicans loqueretur liberius.

Dicentes. Verba sequentia dixerunt discipuli Pharisæorum, prout Pharisæi formam eis præfixerant. *Magister, scimus quia verax es* veritate vitæ, recte vivendo, *et viam Dei,* id est divina præcepta ac cetera quibus homo complacet Deo atque conjungitur, *in veritate doces,* absque admixtione erroris. *Et non est tibi cura de aliquo,* id est, de nullo habes timorem inordinatum aut sollicitudinem superfluam ; *non enim respicis personam hominum,* nec personæ intuitu, nec propter ejus humanam affectionem, laudem seu commoditatem humanam, recedis a veritate. His præconiis simulatis nitebantur animum Christi mollificare et sibi allicere, ut responderet ad voluntatem eorum.

Dic ergo nobis quid tibi videtur. Licet censum, id est tributum, *dare Cæsari, an non ?* Pompeius consul Romanus, Judæam subjugavit Romanis. Quo facto, promiserunt Judæi tributum solvere Romanis, tanquam defensoribus rei publicæ et conservatoribus pacis communis. Postea vero a quodam Juda Galilæo inducti sunt aliqui Judæorum ad asserendum quod liberi essent a legibus Romanorum, nec legibus subjacerent humanis, eo quod legem haberent divinam, Deoque solverent decimas atque primitias. Alii vero Judæi senserunt oppositum. Et ista dissensio inter eos diu duravit. Ideo Pharisæi quæstionem hanc Christo proposuerunt, ut quidquid responderet, reprehenderetur. Nam si dixisset censum non esse solvendum imperatori, mox tanquam Romano rebellis imperio, ab Herodianis his caperetur. Unde apud Lucam legitur : Miserunt insidiatores, *Luc. xx, 20.* qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, et traderent illum principatui et potestati præsidis. Si vero diceret esse solvendum, videretur divino derogare honori et libertati populi Dei. A Verumtamen Pharisæi magis optabant a Christo audire non esse solvendum, ut traderent eum Romanis ad occidendum.

Cognita autem Jesus nequitia, id est simulatione et fraudulenta machinatione, *eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ ?* Recte vocavit eos hypocritas, qui aliud erant, et aliud simulabant : nam, ut Lucas *Luc.* xx, 20. ait, justos se simulabant, quum pessimi fuerint. Porro tentare, est experimentum de aliquo sumere : et quando id fit intentione fallendi sive nocendi, vocatur B tentatio vitiosa, qua dæmon et mundus justos nunc tentant. Sicque isti tentabant Christum. Non enim sciscitabantur ut discerent veritatem, sed ut respondentem ex propria responsione gravarent. *Ostendite mihi numisma census,* id est nummum qui solvitur annuatim pro censu. *At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc, et superscriptio,* id est, quem repræsentat imago nummo impressa, et superscriptio exarata in eo ? Non ex ignorantia hoc quæsivit, sed C ut juxta eorum responsionem eis prudenter ac irreprehensibiliter responderet, sicque confunderet eos ac superaret. *Dicunt ei : Cæsaris,* puta Tiberii, sub quo contigit istud, et sub quo passus est Christus. *Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* utpote censum, tributum et subjectionem in exterioribus; *et quæ sunt Dei, Deo,* id est, quæ Deo debentur solvite ei, videlicet oblationes, et cetera quæ in lege divina jubentur, præsertim cordialem subjectionem. Hæc autem subjectio Judæorum in temporalibus et corporalibus sub Romanis, non derogavit spirituali libertati et subjectioni eorum sub Deo.

Et audientes responsionem Christi irreprehensibilem, *mirati sunt.* Secundum Hieronymum, mirabantur quod eorum calliditas non invenit insidiandi locum, id est, quod non prævaluit obtinendo intentum. Potius tamen mirabantur quod Salvator tam sapienter irreprehensibiliterque respondit. Unde alibi legitur : Mirati in *Luc.* xx, 26. responsis ejus, tacuerunt. *Et relicto eo, abierunt* a Christo ad eos a quibus missi fuerant, ut Christi responsionem illis insinuarent.

SERMO SECUNDUS

DE TRIPLICI VERITATE QUÆ FUIT IN CHRISTO, ET QUALITER IN EA CHRISTUM IMITARI DEBEAMUS.

M*AGISTER, scimus quia verax es, et* D *viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo.* Matth. XXII, 16.

Christus salvator ac dominus noster testatur : *Joann.* XIV, 6. Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me. In quibus verbis unigenitus Filius Dei tria perhibet de se ipso : primo, quod ipse sit veritas; secundo, quod via; tertio, quod vita. Christus ergo in quantum est verus Deus, est substantialiter verus et veritas : imo Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt veritas una, sicut et una essentia. Unde ad Romanos ait Apostolus : Est autem Deus verax, om- *Rom.* III, 4. nis vero homo mendax. Christus quoque loquitur Patri : Sermo tuus veritas est. *Joann.* XVII, 17. Ubi per sermonem Patris intelligi potest unicus Filius ejus, de quo in Joanne habetur : In principio erat Verbum. *Ibid.* I, 1. Et ad Hebræos : Vivus est sermo Dei et efficax. *Hebr.* IV, 12. Porro, quod hoc de increato Patris sermone, utpote unigenito ejus Filio Verbo æterno, dicatur, constat ex his quæ ibi subduntur, videlicet : Et non est ulla creatura invisibi- *Ibid.* 13.

lis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. Christus ergo in quantum Deus, est essentialiter verus et veritas. Similiter ipse secundum quod Deus, est essentialiter vivus et vita. Propter quod ait : *Joann.* v, 26. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. *Ibid.* xiv, 6. Sed quod ipsemet ait, Ego sum via, magis competit ei ratione naturæ assumptæ, puta in quantum homo, Dei ac hominum mediator. Via namque est medium inter terminos duos seu duo extrema. Unde Christus secundum quod inter Deum et homines mediat tanquam reconciliator, salvator, satisfactor et advocatus, recte via vocatur.

Præterea Christo etiam secundum quod Deus est, convenit viam Dei in veritate docere. Deus namque sui ipsius viam homines docet, quemadmodum scriptum est: *Ps.* xciii, 12. Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Unde Propheta Dominum deprecatur : *Ps.* cxviii, 27. Viam justificationum tuarum instrue me. Et Isaias : *Is.* ii, 3. Docebit nos (inquit) vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. — Rursus, non curare de aliquo in derogationem justitiæ, maxime competit Christo secundum naturam divinam. Propter quod princeps Apostolorum fatetur : *Act.* x, 34. In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus. Hinc secundo Paralipomenon, virtuosus rex Josaphat ait judicibus suis ac sacerdotibus quos misit per regnum suum ad instruendum populum universum : II *Par.* xix, 7. Sit timor Domini Dei vobiscum, et cum diligentia cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, neque acceptio munerum.

Præterea tria quæ in themate præassumpto tanguntur, conveniunt Christo etiam quoad naturam humanam. Nam quoad eam verax fuit, quoniam ab incarnationis suæ exordio, anima ejus fuit impleta omni sapientia, veritate ac Dei beatifica visione. Sed et viam Dei in veritate docuit, absque erroris et culpæ admixtione. Propter quod suis adversariis ait : *Joann.* viii, 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Unde in Isaia fertur de Christo : *Is.* liii, 9. Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Nec etiam fuit Christo cura de aliquo, ita quod ob alicujus timorem, favorem, aut aliam causam, a veritate et æquitate recessit : imo maluit crucifigi, quam veritatem tacere. Propter quod dixit Pilato : *Joann.* xviii, 37. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Itaque verba hæc præinducta Domino salvatori secundum utramque suam naturam verissime adscribuntur, quamvis Pharisæorum discipuli qui ea ad ipsum locuti sunt, æstimabant ea non convenire eidem, sed ea simulatorie protulerunt.

Insuper in his verbis tangitur triplex veritas quæ fuit in Christo, videlicet : veritas vitæ, quum dicitur, « Magister, scimus quia verax es »; et item veritas doctrinæ, dum subditur, « et viam Dei in veritate doces »; veritas quoque justitiæ, quum subinfertur, « non est tibi cura de aliquo ». De hac triplici veritate dici possent multa subtilia, difficilia et profunda, quæ hic locum non habent, quum pro idiotis simplicibusque ista scribantur. Superficialiter autem tangendo, fuit in Christo veritas vitæ, ita quod vere fuit virtuosus, nec suæ conversationi admixta fuit simulatio aliqua sive duplicitas, aut quidquam virtuti contrarium, sed prorsus per omnia consona fuit legi divinæ et increatæ regulæ veritatis istius consistenti in mente divina. Hinc ipse disseruit : *Ibid.* viii, 29. Non reliquit me Pater solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Amplius autem fuit in Christo veritas doctrinæ, quoniam quidquid dixit et docuit, fuit verissimum. Ideoque asseruit: *Marc.* xiii, 31. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Fuit quoque in Domino Jesu Christo veritas justitiæ, id est justitia vera et inviolata in omnibus, a qua nulla affectio, nulla adulatio, nulla causa, nulla occasio potuit eum avertere.

Præterea, quoniam scriptum est, I *Joann.* ii, 6. Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare; ideo quilibet A nostrum juxta modulum suum et juxta suæ vocationis exigentiam, sequi debet Dominum Jesum in præfata triplici veritate. Itaque primo in nobis esse debet veritas vitæ, ut simus veraciter virtuosi, et tota conversatio nostra concordet divinæ legi. Sit ergo in quolibet nostrum humilitas sine fictione, quia ut ait Scriptura, *Eccli.* XIX, 23. Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Imo quidam sunt ita ambitiosi, ut fingant se honores, officia dignitatesque fugere, quatenus per hoc ea B facilius adipiscantur: nam honor sequitur fugientem. Quidam quoque se ipsos abundanter accusant, et tamen si corripiantur ab alio, indignantur, imo nec superiorum suorum justas reprehensiones æquanimiter ferunt. Hi ergo non sunt sinceriter humiles, nec vitæ veritas inest eis.

Insuper, sit in quolibet nostrum patientia vera, ut nec foris impatientiæ signa monstremus, nec intus turbemur aut murmuremus, sed mente maneamus tranquilli. Quum enim etiam coram hominibus C honestum sit patientiam conservare, ac inhonestum impatientiam demonstrare (quum Salomon protestetur: *Prov.* XIV, 17. Qui impatiens est, operatur stultitiam; et rursus, *Ibid.* 29. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia); hinc aliqui versipelles se simulant patientes, ne ob impatientiam suam vilescant hominibus: et tamen intus impatientia, indignatione, amaritudine pleni sunt, et si opportunitas eis occurrerit, se graviter ulciscuntur. Hinc ait Sapiens: *Ibid.* XII, 16. Qui dissimulat injuriam, callidus est. Isti plus verentur D hominibus displicere quam Deo. Iterum aliqui, eo tempore quo eis adversitas seu injuria accidit, patientiam servant; postea vero dum injuriam eis illatam reducunt ad mentem, impatientia magna implentur, seque talia æquanimiter tolerasse verecundantur, atque ad retribuendum mala pro malis se acuunt. Sit ergo in nobis patientia firma ac stabilis, et de hoc quod adversa æquanimiter tulimus, gloriemur in Domino, regratiantes eidem quod patientiæ gratiam contulit, atque ab impatientia nos præservavit.

Amplius, sit in unoquoque nostrum vera et spiritualis dilectio, ut proximorum emendationem, profectum, salutem tanquam propriam beatitudinem appetamus, eosque ædificare verbis et factis conemur, et indigentibus tam in spiritualibus quam in corporalibus pro viribus jugiter succurramus, pensantes illud Joannis: Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. I *Joann.* III, 18.

Itaque omnem simulationem, calliditatem ac duplicitatem vitemus. Simulatores enim et callidi provocant iram Dei. *Job* XXXVI, 13. Et Jacobus asserit: Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. *Jacob.* I, 8. Unde in Ecclesiastico habetur: Væ duplici corde. *Eccli.* II, 14. Sit ergo in omni opere nostro intentio nostra simplex et recta, ut soli Deo summe ac finaliter complacere optemus, atque ad ejus honorem et gloriam omnia referamus.

Præterea sequamur Dominum salvatorem in veritate doctrinæ, ita ut nec falsis doctrinis consentiamus, nec aliquem doceamus nisi quod verum est, unde nec incerta pronuntiemus ut certa. Hinc ad Hebræos dicitur: Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci; *Hebr.* XIII, 9. et alibi, Non circumferamur omni vento doctrinæ. *Ephes.* IV, 14. Quidquid ergo veritati sacræ Scripturæ et determinationi ac doctrinæ Ecclesiæ contrariatur, tanquam falsissimum abjiciatur.

Postremo sequamur et Christum in veritate justitiæ, ut tam vere ac inviolabiliter justi simus, quod pro nulla re a rectitudine æquitatis flectamur, ut nec propter adversa, neque ob prospera recedamus a veritate, nec eam dum pandenda est occultemus: quia ut ait Chrysostomus, Non solum est proditor veritatis qui mendacium loquitur, sed etiam qui non libere pronuntiat veritatem quam pronuntiare oportet, aut non libere eam defendit quam oportet defendere. Rursus, testante Chrysostomo, Si propter timorem mortis tacere veritatem impietas est, quomodo non est major impietas propter miserum ventrem et vani honoris spem veritatem tacere, melioremque facere gratiam panis et honoris, quam gloriam veritatis? Itaque mentiri et jurare lingua tua ignoret, tantusque in te amor sit veritatis, tantus justitiæ zelus, ut quidquid dixeris, juramentum putetur.

At vero quum similitudo sit causa amoris, et ipse Dominus Deus noster sit essentialiter veritas, constat quod per præfatam triplicem veritatem efficiamur Deo valde amabiles et conformes. Sed multi sunt nimis injusti, molles et vitiosi, qui pro rebus vilissimis, pro modicis lucris, pro humanis favoribus, mentiri, blandiri, perjurare, decipere non verentur, nec coram Altissimo erubescunt : in quibus nihil est divini amoris, nil veræ justitiæ, sed amor carnalis, privatus, reflexus. Tales sunt vacua vasa, dæmonum organa, adversarii Creatoris, filii perditionis.

Fuit judex quidam in civitate, vir valde justus et timoratus, nulli contra justitiam parcens. Quumque filius suæ sororis grave crimen egisset, jussit eum occidi : ipse enim graviter infirmabatur. Sed servi ipsius non impleverunt ejus præceptum. Post aliquot dies, præfatus nepos intravit hujus avunculi sui domum, et introspexit per cameræ januam. Avunculus autem eo viso, vocavit eum blande ad se, fecitque eum prope lectum suum sedere, et pie alloquebatur eumdem ; tandem, cultello occulte extracto, guttur nepotis abscidit. Quo facto, concurrentes domestici doluerunt, et crudele judicaverunt hoc factum. Post modicum tempus, invalescente ægritudine judicis, fecit episcopum civitatis venire ad se, confitebaturque ei. Episcopus vero mirabatur quod non confitebatur de hoc quod proprium nepotem tam horribiliter interfecit, et admonuit judicem ut inde confiteretur. Qui dixit se de hoc nullum conscientiæ habere remorsum. Episcopus vero noluit eum absolvere et communicare, nisi de hoc confiteretur. Judex vero nequaquam de hoc voluit confiteri, dicens se hoc juste egisse et ex debito sui officii, petiitque ferventer sibi dari corpus Christi ; episcopus vero hoc renuit facere, et recessit. Tunc judex Christum rogavit, et ecce Christus corpus suum miraculose misit ac præstitit judici. Qui gratias agens Deo, rursus vocavit episcopum ad se, dixitque ei : Quamvis tu corpus Christi mihi negasti, Christus tamen illud mihi non negavit ; et ut scias me verum dicere, vade et vide pyxidem quot in ea sint hostiæ consecratæ, inveniesque in ea unam minus quam in ea ultimo reliquisti. Episcopus ergo inspiciens pyxidem, reperit sicut audivit a judice, ac plurimum mirabatur.

Ex hoc patet exemplo, quantum justitia placeat Deo. Siquidem præfata triplex veritas, in prælatis ac principibus atque judicibus potissimum debet fulgere ac abundare.

SERMO TERTIUS

DE HIS QUÆ CHRISTIANI TENENTUR DEO, SUISQUE PRINCIPIBUS AC PRÆLATIS.

R*EDDITE quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo.* Matth. XXII, 21.

Rom. XIII, 7. Ad Romanos quoque ait Apostolus : Reddite omnibus debita ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem ; cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal. Rursus ibidem ait Apostolus : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Rom.* XIII, 1. Christiani itaque reddere debent tam domino temporali seu principi, quam domino spirituali, puta prælato, quod ei tenentur, puta subjectionem, honorem, obedientiam, dilectionem, fidelitatem, sed et temporalia A emolumenta, juxta juris tenorem, Ecclesiæ ordinationem seu consuetudinem approbatam. I *Tim.* VI, 1. Hinc rursus ait Apostolus : Quicumque sub jugo sunt servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur ; et denuo *Ephes.* VI, 5, 6. ad Ephesios, Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Princeps quoque Apostolorum I *Petr.* II, 18. in prima sua Canonica : Servi, inquit, sub- B diti estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Et intelligenda sunt ista quamdiu domini isti nihil præcipiunt servis suis contrarium divinis præceptis, nec transgrediuntur terminos suæ auctoritatis ac præsidentiæ : siquidem unicuique superiori obediendum est in his quæ ad suum spectant dominium sive officium. Præterea diligentissime advertendum, quod si juxta apostolica documenta, tam formidolose, reverenter et cordialiter obedien- C dum est sæcularibus dominis etiam impiis, quanto magis Christiani cum omni reverentia, formidine et caritate obedire debent spiritualibus dominis suis, puta prælatis et eorum vicariis, eorum præcepta implendo, documenta et monita gratanter suscipiendo, eosque filialiter diligendo et exterius honorando (quamvis vita eorum videatur indigna), in quantum sunt Christi vicarii et publica auctoritate fungentes?

Insuper pastoribus istis ministris Eccle- D siæ persolvendæ sunt animo caritativo ac prompto oblationes et decimæ, quum hoc sit de jure divino, ut temporalia dentur his qui spiritualia exhibent. Unde qui oblationes ac decimas fideliter solvunt, multipliciter remunerantur a Deo, quia tam in corporalibus quam spiritualibus bonis benedicuntur ab eo, et tam in præsenti quam in futuro sæculo præmiantur. Hinc loquitur Augustinus : Si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem animæ et corporis consequeris, quoniam decimas dando, et terrena et cœlestia præmia promereris. Unde qui decimas dare nolunt, res alienas invadunt, et Deo injuriantur : nam ipse qui totum dare dignatus est, decimas ab hominibus dignatur recipere. Iterum asserit Augustinus : Hæc est Dei justissima consuetudo, ut si tu illi (hoc est ministris ejus) decimam non dederis, tu ipse ad decimam revocaberis, id est, dæmonibus qui sunt decima pars angelorum, associaberis : dabis, inquam, impio militi quod dare non vis sacerdoti. Hieronymus quoque fatetur : Quia non reddidistis decimas et primitias, idcirco in penuria et fame maledicti estis, quia dum parva subtraxistis, ubertatem possessionum vestrarum, id est totam abundantiam fructuum, perdidistis : sciatis vos ideo perdidisse, quoniam Deum parte sua fraudastis. Itaque qui decimas non persolvunt, in temporalibus et spiritualibus, et in præsenti atque futuro puniuntur, et maledicuntur a Deo.

Deinde tangendum est, quid Deo reddere teneamur. Et certum est, quod nos ipsos et omnia nostra ei tenemur. Quod si et nos ipsos et omnia nostra ei quotidie offerremus, et millies impenderemus ac rependeremus, imo si omni hora moreremur pro eo, nil ei exhiberemus condignum. Nonne tenemur ei nos totos et omnia nostra, qui creavit nos, et quidquid habemus ac sumus, contulit nobis? Rursus, tanta sunt beneficia ejus in nobis, tot dona gratiæ contulit nobis, tot gloriæ bona nobis promisit, quod ei nil dignum valemus rependere. Iterum, unigenitus Dei Filius tanta pro nobis assumpsit, fecit ac passus est, et tanta dilectione prævenit et præamavit nos, quod nos ipsos ejus dilectioni ac servituti omnino debemus ; et quum fecerimus hoc, nil condignum peregerimus. Idcirco loquitur Christus : Quum *Luc.* XVII, 10. feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Hinc Deus in primis requirit a nobis ut eum toto corde, toto affectu totisque viribus diligamus; requirit quoque a nobis ut ejus impleamus præcepta, et mandata vicariorum suorum.

Porro primum et summum præceptum est, ut ipsum toto corde amemus ac veneremur. De quo præcepto hinc inde dicta sunt multa. Sed contra præceptum hoc agunt, qui contra Dei judicia murmurant, et contra ordinationes ac regimen ejus, et contra plagas quas juste infligit hominibus in se ipsis aut in rebus eorum. Iterum, contra præceptum hoc agunt, qui urgente necessitudine aliqua, sortilegos consulunt aut divinatores, et qui utuntur pomis inscriptis, aut brevibus chartulis seu schedulis collo suspensis, aut characteribus, vel aliis quibuslibet vanis credulitatibus, quasi Deus non sit satis bonus, potens ac sapiens ad subveniendum eis secundum quod novit eorum saluti ac necessitati esse expediens. Infirmitas namque, paupertas et alia tribulatio quævis, hominibus sæpe perutilis est : idcirco pro liberatione ab eis non sunt præinducta aut alia quæcumque illicita peragenda. Agunt demum contra præceptum istud, qui loca sacra et Sanctorum reliquias non honorant, et qui circa propinquos suos aut sobolem nimis carnaliter afficiuntur, et qui principibus aut aliis viliter adulantur.

Secundum præceptum est, non vane jurare per Deum : ubi omnis illicita prohibetur juratio per Deum, per Evangelium, per Christi humanitatem et membra, per Sanctos, seu per alias creaturas. Deinceps contra perjurantes, et per Christi membra irreverenter jurantes ac blasphemantes, statutæ sunt leges punitivæ tam a sæcularibus principibus quam a prælatis; estque valde dolendum quod non servantur. Contra præceptum istud multi mercatores et lusores, potissimum taxillatores et ebriosi, sæpe enormiter peccant, vane jurantes, ac perjurantes et blasphemantes. Sed et reductive contra præceptum hoc peccant, qui votum frangunt et secretum revelant, hi quoque qui promittunt aut jurant illicita, quæ et si impleant, gravius prævaricantur.

A Tertium præceptum est, observare dies festos, ut scilicet unusquisque, legitimo impedimento cessante, tunc audiat Missam et prædicationem, examinetque conscientiam suam, et vitam suam discutiat, atque de præteritis malis postulet veniam, et aliorum dierum negligentias ac peccata recuperet. Cessandum est ergo diebus dominicis et festivis ab operibus laboriosis, mechanicis, et multo plus ab actibus in se vanis atque illicitis, ut sunt loquacitates, cachinnationes, comessationes, potationes B immoderatæ, choreæ et ludi qui fiunt intentione lucrandi, atque contractus qui possent differri; sed et barbam aut pilos tunc radere, contra divinum exstat præceptum.

Quartum præceptum est, honorare parentes : quo verbo jubentur fideles honorare non solum carnales parentes, sed et prælatos, magistros, et quoslibet superiores ac seniores. Unde contra præceptum hoc graviter peccant, qui parentibus aut superioribus suis irrationabiliter irascun- C tur, indignantur, maledicunt aut detrahunt. Imo et pro mortuis parentibus filii orare et alia bona agere obligantur.

Quintum præceptum est, Non occides : quo omnis injusta læsio ac violentia prohibetur, imo et omnis voluntas nocendi aut occidendi, seu aliquo modo injuste gravandi proximum. Gravissime autem transgrediuntur homicidæ, præsertim qui ex proposito quemquam occidunt, quia non solum corpus interimunt, sed animam quoque ejus quem perimunt, æternæ mor- D tis exponunt periculo : sæpe etenim imparati sunt ad mortem, qui occiduntur. Quidam vero ita in dæmones transformati sunt, ut pro pecunia, eos a quibus læsi non sunt occidere audeant : isti dæmonibus pejores censentur. Contra hoc demum peccant præceptum, qui quoquomodo ex commixtione viri et feminæ impediunt prolificationem, aut abortivum procurant, et qui discordiam inter alios seminant, aliorumve famam denigrant. Postremo transgrediuntur præceptum hoc enormiter nimis, homines qui vitiosissimam consuetudinem illam observant, qua pro unius occisione aut læsione, tota læsi aut occisi parentela, aut magna pars ejus, armat se, et persequitur non solum illum qui læsit aut interfecit, sed et propinquos ipsius, qui frequenter prorsus in re illa sunt innocentes, imo et de perpetrato facinore vehementer dolentes. Sed forsitan respondebunt persecutores : Non possumus salvo honore nostro istud omittere; imo si istud omittimus, passim interficiemur ut pecora. Sed respondendum, quod per viam justitiæ possunt multum honeste et absque Dei offensa illatam vindicare injuriam, observando juris ordinem ac processum. Nonne jus injustitia fortius est? Salus quoque animæ præponenda est mundano honori. Frequenter etiam accidit ut hi occidantur qui alios quærunt ad occidendum : et tunc periculosissime ac vitiosissime moriuntur, imo æternaliter pereunt, nisi forsan ante spiritus exhalationem vere pœniteant.

Sextum præceptum est, non furari : ubi prohibetur omnis injusta ablatio rei alienæ sive per latrocinium seu per rapinam, omnis quoque injusta mercatio, et infidelis cultura terræ laborque fallax, et fictus labor dietæ, atque inutilium rerum pro utilibus rebus venditio, sive venditor earum eas emendo deceptus fuit, sive non : non enim quia deceptus est, potest licite decipere alium. Prohibetur etiam hoc præcepto omnis usura, et advocatio falsa ac patrocinatio, placitatio* et lis non rite assumpta, injustum judicium, et generaliter omnis deceptio manifesta aut falso colore velata. Gravissime etiam peccant contra præceptum hoc mulieres adulteræ quæ illegitimam prolem ad legitimorum filiorum hereditatem succedere faciunt; et qui a subditis suis temporalia bona eripiunt, aut ultra juris tenorem quid exigunt.

*Cf. t. XII, p. 170 B, et Cangii *Glossarium*.

Septimum præceptum est, Non mœchaberis : ubi omnis carnalis commixtio præter matrimonialem vetatur, imo amplexus et tactus ac oscula libidinosa, abusiones quoque quæ in conjugatis contingere solent circa venerea. Quomodo etiam omnis amator et amatrix ardentior, sit adulter aut adultera, sæpe expositum est. Si autem ex contactu, osculo vel amplexu contingat stimulatio corporis, resolutio seminis, aut aliquid tale, periculosum est valde.

Octavum præceptum est, Non falsum testimonium dices : quo prohibetur omne mendacium in alterius perniciem dictum. Interdum etiam tenetur homo veritati testimonium perhibere, quamvis non interrogatus nec requisitus, ut si viderit se posse innocentem eripere.

Nonum præceptum est, Non concupisces uxorem proximi tui. Similiter femina maritum non debet alterius cupere. Omnis quoque concupiscentia carnalis commixtionis non legitimæ cum rationis consensu, est mortale peccatum : imo et omnis consensus deliberatus seu plenus quo quis in turpibus aut carnalibus cogitationibus delectatur, quamvis desit voluntas operis exterioris, secundum doctores communiter, est peccatum mortale.

Decimum præceptum est, Non concupisces rem proximi tui : quod de concupiscentia deliberationi seu consensui juncta est intelligendum.

Sic ergo reddamus pro posse Deo quæ Dei sunt, omnibus viribus animæ membrisque corporis ei plenarie serviendo. Et qui taliter servit Deo, nec propter quæcumque adversa ab ejus recedit præceptis, gloriosissime coronatur et supercopiosissime remuneratur ab eo : imo et frequenter in vita præsenti præservatur ab eo a læsionibus corporis sui, quemadmodum in Daniele legitur de beatissimis viris Anania, Azaria et Misaele. Qui quum regi Chaldæorum carissimi essent et sublimati ab ipso, nequaquam tamen potuerunt induci ab eo ut statuam auream adorarent : maluerunt in fornacem ardentissimam projici, quam Dei præceptum prævaricari. Quumque projecti fuissent in fornacem vehementissime æstuantem, Deus omnipotens conservavit eos ibi illæsos; et flamma fornacis erumpens diffusa est su-

Dan. I, 6 et seq.; III, 12 et seq.

per fornacem cubitis quadraginta novem, combussitque servos regis qui fornacem succenderant. Angelus quoque Dei in fornacem descendens, fecit eam tam moderatam ac refrigerativam ut ventus est roris. Deinde rege jubente, egressi sunt viri A illi de fornace, et tam rex quam principes ejus vehementissime mirabantur quod ignis nil virtutis habuisset in eos. Unde et tunc rex ille idololatra ac gentilis agnovit ac fatebatur Deum Israeliticæ plebis esse solum verum omnipotentemque Deum.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE INVITATIONE APOSTOLI AD SUI IMITATIONEM.

IMITATORES mei estote. Philipp. III, 17. Sanctus Apostolus ex revelatione divina sciens se esse non solum in caritate et gratia, sed etiam in caritate perfecta et gratia eminente, puta in statu, gradu ac numero perfectorum (secundum quod alibi loquitur : *Rom.* VIII, 23. Nos ipsi primitias Spiritus habentes), in hodierna epistola nos hortatur secure ut ipsius sectemur vestigia. Sciebat quippe se ducere vitam auctoritati apostolicæ congruentem. Unde, quemadmodum alio ait loco, *Ephes.* V, 1. Imitatores Dei estote, ita nunc admonet, « Imitatores mei estote », non ignorans se esse imitatorem Dei perfectum et imitatione condignum. Nec solum admonuit istud, sed etiam ut eos observemus, id est, ad imitandum consideremus, qui juxta apostolica documenta ac jussa sinceriter conversantur.

Imitemur ergo beatum Apostolum, qui *II Cor.* XI, 5. quum sciret se nihil minus egisse ab his *Ibid.* XII, 2. qui erant supra modum Apostoli, et raptum fuisse ad tertium cœlum, atque plus *I Cor.* XV, 10. omnibus laborasse, nec instar aliorum victui necessaria accepisse ab his quibus *Ibid.* IX, 2 et seq. ; IV, 12 ; *Act.* XX, 34, etc. evangelizavit, sed de propriis vixisse laboribus, manusque suas die ac nocte tam sibi quam exsistentibus secum pro vitæ necessariis laborasse, nihilo minus tam profundissimæ fuit humilitatis, ut ex corde B protulerit, et ad perpetuæ rei memoriam toti mundo in suis epistolis id insinuaverit : Venit (inquiens) Jesus Christus in *I Tim.* I, 15. hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus, id est maximus, ego sum ; itemque, Ego (ait) sum minimus Aposto- *I Cor.* XV, 9. lorum, qui non sum dignus vocari apostolus. Hanc divini Apostoli humilitatem profundissimam et completam semper et efficaciter imitemur. Et quanto quis ma- *Eccli.* III, 20. jor est, tanto plus humiliet se in omnibus, considerando mala omnia quæ commisit, C bona quæ omisit, et quod ex se ipso non habeat nisi deficere et peccare, imo ad omne vitium esse proclivem ; quod item ex nihilo sit productus et Dei conservatione incessanter indigens, a quo nisi conservaretur et adjuvaretur, in omne protinus malum delaberetur. Ecce talis ac tantus Apostolus, bona quæ egit, dona Dei quæ suscepit, omnem excellentiam qua præditus fuit, quasi dissimulans ac Deo grata et humillima mente attribuens, culpas suas, quamvis sibi prorsus dimissas, revocavit D ad mentis suæ intuitum, eas in tantum ponderans, exaggerans et exhorrens, quod ex consideratione earum dixit et scripsit se esse primum et maximum peccatorum. Sic ergo faciamus et nos, quidquid boni in nobis est, Deo cum omni humilitate et

A gratiarum actione committentes et adscribentes, et vitia nostra ad memoriam revocantes, subtiliter ponderantes, cordialissime abhorrentes, atque ex hoc nos ipsos in infinitum humiliantes, despicientes, dejicientes, omnem quoque correptionem, castigationem, exercitationem, persecutionem æquanimiter et cum gaudio perferentes.

Insuper imitemur invictam sancti Apostoli patientiam, qui quum innumerabiles (ut in suis refert epistolis) pateretur tribulationes, in omnibus gratias egit Deo, et B has ipsas tribulationes tanquam dona ac beneficia Dei reputavit et acceptavit. Unde et aliis scripsit : *Philipp.* i, 29. Vobis datum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro illo; et denuo : *Rom.* viii, 18. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Imo futuræ beatitudinis intuitu et amore reputavit eas permodicas, dicens : *II Cor.* iv, 17. Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. C Sic igitur et nos in omni tribulatione et angustia, in omni persecutione, reprehensione, contemptu et pœna studeamus imperturbatum cor possidere, tranquillitatem mentis servare, patientiam inconcussam habere : quemadmodum S. Martinus dixit, se nunquam fuisse ita securum sicut dum latro in caput suum vibravit securim ; beatus quoque Hilarion irruentibus in cellam suam latronibus non expavit. Itaque adversa et aspera tanquam vulnerum animæ nostræ remedia, tanquam vitiorum nostrorum purgationes, tanquam beneficia Dei, tanquam dispositiones gratiæ amplioris in via ac gloriæ exuberantioris in patria accipiamus ac læti sustineamus, prout ait Salvator : *Matth.* v, 12; *Luc.* vi, 23. Gaudete in illa hora, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic et mansuetudinem, constantiam, agilitatem, sobrietatem, ceterasque beatissimi hujus Apostoli sectemur virtutes, qui tam infatigabiliter laboravit, et pro communi bono Ecclesiæ, pro aliorum conversione, pro honorificentia Dei tam indefesse ac fervidissime desudavit, orando, prædicando, scribendo, docendo, flagellationes, lapidationes, incarcerationes et alia millia, tandemque mortem libentissime tolerando.

Potissimum vero in ipso emicuit caritatis Dei ac proximorum calidissimus et inexstinguibilis ardor : in quo sequamur et ipsum qui dixit, *Rom.* viii, 35. Quis nos separabit a caritate Dei? Qui tanquam benignissimus pater, quanto plura ac duriora a perfidis Judæis gentilibusque patiebatur, tanto cordialius eis condoluit, et eorum miserabatur insaniam, atque tam ineffabiliter persequentium se Judæorum optavit salutem, ut diceret : *Ibid.* ix, 2, 3. Tristitia mihi magna est, et dolor continuus cordi meo; optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis Judæis. Propterea et in hac Dei et proximorum firma et fervida caritate sequamur Apostolum, Deum in se et propter se pure, ardenter et incomparabiliter diligentes, appretiantes et affectantes, et quidquid ejus in nobis minuere potest amorem jugiter detestantes. Proximorumque omnium salvationem ardentissime peroptemus ; pro communi bono Ecclesiæ, pro generali reformatione, pro vivis ac mortuis, pro parentibus, propinquis, commissis et benefactoribus, pro infidelium conversione, pro fidelium emendatione, pro universorum salute omni modo nobis possibili laborare, insudare, satagere non cessemus, orando, celebrando, hortando, corripiendo, aliorum peccata sicut et nostra deflendo, pro eis nos disciplinando, D vigiliis, abstinentiis et aliis virtuosis exercitiis insistendo. Et quanto ab aliquo nobis major persecutio irrogatur, tanto clementius ad ipsum afficiamur, ejus malis compatientes, pro ipso orantes, ut in nullo caritas nostra circa ipsum lædatur, sed magis perficiatur.

Insuper, sicut Apostolus se ipsum in omnibus verbo et opere præbuit exemplarem, apparatu ac moribus condecentem, sic et nos pro viribus faciamus. *Matth.* v, 16. Luceat lux nostra coram hominibus, quatenus ad

Dei gloriam ædificentur in nobis. Coram fratribus et cunctis præsentibus unusquisque exemplariter semper se habeat, quia ut loquitur Augustinus : Qui in aliorum præsentia male agit, quantum in se est eos occidit aut lædit. Idcirco non tantum curemus habere conscientiam bonam, sed quantum valet fragilitas nostra, studeamus nil agere quod malam possit parere suspicionem pusillis. Et quoniam Climaco teste, solitarios specialiter vexat acedia, dum in cella aut alibi sumus soli, omnem abjiciamus pigritiam, nec minus ferventer ac reverenter, devote et efficaciter habeamus nos coram Deo, quam si inspiceremur a toto mundo.

Philipp. III, 17. Præterea fratres nostros devotos, religiose et exemplariter conversantes observemus, non instar malevolorum, ut eos in aliquo reprehendere, accusare, denigrare possimus, sed instar piorum atque prudentium, ut eorum alacritatem, constantiam, agilitatem, humilitatem, patientiam, sobrietatem, mansuetudinem, exemplaritatem, caritatem, perseverantiam imitemur viriliter, et unumquemque sequamur in ea virtute qua magis abundare videtur, et bonum quod in nobis ipsis non habemus, in aliis diligamus ac veneremur.

Non simus gulosi ut hi quorum deus venter est; *Philipp.* III, 19. sed conversatio nostra in cœlis sit, *Ibid.* 20. quoniam ibi patrem patriamque habemus. Ibi sit noster thesaurus, et illic cogitatio nostra figatur, *Matth.* VI, 21. affectio radicetur, mens elevetur, ut vere sursum sint corda nostra. Postremo, tunc vere conversatio nostra in cœlis est, si quæ agunt indesinenter cives cœlestes, nos quoque pro viribus nostris jugiter agere enitamur, Deum sinceriter contemplando, ardenter amando, assidue cogitando, sine intermissione orando, devote laudando, ipsum colendo cum omni reverentia atque instantia, et corporalia universa ad spiritualia referendo intentione rectissima. Sicque fiducialiter exspectare poterimus Salvatorem nostrum Dominum Jesum Christum, *Philipp.* III, 20, 21. qui in die novissimo reformabit et suo corpori glorificatissimo conformabit corpus nostrum mortale ac fragile, si tamen nunc conformetur corpori Christi per sanctos labores, castigationes, abstinentias atque vigilias.

SERMO QUINTUS

DE MALITIA CORDIS HUMANI, ET DE TRIPLICI VERITATE IN CHRISTO.

COGNITA *Jesus nequitia eorum, dixit: Quid me tentatis, hypocritæ?* Matth. XXII, 18.

Ex historia evangelii discimus quam admiranda et deploranda sit defectuositas, imo et malitiositas cordis humani. Ecce enim quum Christus præ cunctis Prophetis sapientia, eloquentia, sanctitate atque miraculis inter Judæos respenduisset, infelices Pharisæi, Scribæ ac sacerdotes ad pœnitentiam non sunt moti, nec vere compuncti, sed invidentia vehementissime inflammati; et quanto verba, facta et miracula Salvatoris erant præclariora, tanto intensiori torquebantur illi invidia. Sic malitia mentem excæcat humanam; sic invidia cor corrumpit; sic passiones et vitia obtenebrant hominem. Hinc in die Palmarum, dum paulo ante Salvator inauditum a sæculo fecisset prodigium, illuminando *Joann.* IX. a nativitatis exordio cæcum, utpote cæcum natum, suscitando quoque quatriduanum *Ibid.* XI. defunctum, dixerunt præfati miserrimi illi Judæi : Videtis quia nihil proficimus? *Ibid* XII 19. ecce totus mundus abiit post eum. Unde et die sequente, *Matth.* XXII, 15 et seq. inierunt consilium ut caperent Jesum in sermone, mittentes ad eum A insidiatores, qui se justos simulaverunt, ut blanda interrogatione et laude prægrandi, quamvis non cordiali, allicerent Christum ad respondendum pro voluntate eorum. Videamus ergo et nos ne aliquid simile his inveniatur in nobis, ne passionum impetu, ne aversione, indignatione aut aliquo motu invidiæ obtenebretur cor nostrum, ne facta aut verba aliorum interpretemur in pejus, ne justioribus et sapientioribus insidiemur, cupientes eorum famam in aliquo maculare. B

Deinceps, ideo principes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi ac seniores erant tam implacabiliter contra Christum accensi, quia eorum vitia juste et acriter reprehendit publice et seorsum. Caveamus ergo ne contra præsidentem aut aliquem Fratrem ad iram, indignationem, aversionem, impatientiam concitemur propter correptionem, castigationem, accusationem, proclamationem seu exercitationem nobis ab *Sap.* III, 11. illis exhibitam. Qui enim abjicit discipli- *Prov.* XXIX, 1. nam, infelix est; et, Viro qui corripientem C dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Patrocinetur ergo religiosus, sicut tenetur, in propria causa, et custodiat semetipsum ; quotidie semetipsum observet, inquirat, examinet, dijudicet et castiget : et tantum habebit agere cum se ipso, tantas in se ærumnas, defectuositates, excessus, fragilitates, periculositates inveniet, quod ab occupationibus curiosis, ab observationibus insidiosis faciliter abstinebit. Simus ergo in omnibus timorati, intus et foris jugiter custoditi; D et cur religionem intravimus, semper pensemus; an divino præsentari tribunali simus parati, atque ad reddendam de omnibus rationem dispositi, consideremus.

Præterea, sicut Evangelista testatur, insidiatores Judæi, insidiatorum magistrorum *Matth.* XXII, 16. discipuli, dixerunt ad Christum : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo. Quamvis autem ipsi de Christo hæc simulatorie sint locuti, longe aliter sentientes de ipso, nihilo minus verissime fuit in Christo triplex veritas, de qua in verbis his laudaverunt eumdem. Fuit quippe in eo veritas vitæ, quæ tangitur quum dicitur : Scimus quia verax es. Fuit quoque in eo veritas doctrinæ, quæ tangitur in his verbis : Viam Dei in veritate doces. Fuit item in eo veritas justitiæ, de qua subdunt : Et non est tibi cura de aliquo. Sit ergo et in nobis triplex hæc veritas : et primo veritas vitæ, ut quemadmodum Jesus cœpit facere et docere, ita et nos *Act.* I, 1. opere in primis adimpleamus quod alios edocemus aut exhortamur, et culpas de quibus alios corripimus, accusamus aut castigamus, in nobis ipsis in primis reprehendamus, puniamus ac devitemus, ne cuiquam nostrum dicatur, Qui alium do- *Rom.* II, 21. ces, te ipsum non doces; et, Medice, cura *Luc.* IV, 23. te ipsum. Nam et ejus prædicatio, exhortatio, correptio spernitur, cujus vita juste despicitur. Sit itaque primo in nobis veritas vitæ, quatenus tota conversatio nostra intus coram Altissimo cordium inspectore, et foris coram hominibus quæ extra apparent intuentibus, sincere concordet legi divinæ, præceptis Ecclesiæ, evangelicisque consiliis, ac Ordinis nostri statutis, seclusa a nobis procul omni simulatione vilissima et calliditate vulpina (simulato- *Job* XXXVI, 13. res namque et callidi provocant iram Dei), omni quoque locutione sophistica et omni apparenti non exsistente justitia. Qui enim *Eccli.* XXXVII, 23, 24. sophistice loquitur, odibilis est; in omni re defraudabitur; non est illi sapientia data a Deo. Maledictus quoque dolosus; *Malach.* I, 14. et, Fraudulenti vasa sunt pessima. Propter *Is.* XXXII, 7. quod virum sanguinum et dolosum ab- *Ps.* V, 7. ominabitur Dominus.

Denique, sicut a spiritualibus et sapientibus dictum est viris, imo ut quotidiana docet experientia, religiosi qui vitam suam in vera sinceritate, in privati amoris exstirpatione, in sincera humilitate et Dei timore non fundant, neque in istis fundamentis proficiunt, periculosioribus sæpe passionibus afficiuntur, fœdantur ac superantur, quam homines sæculares; suntque eorum peccata tanto periculosiora, quanto A secretiora et palliatione quadam virtutum magis obtecta. Unde et melioribus invident, sapientioribus detrahunt, justiores se persequuntur, quemadmodum Pharisæi et Scribæ persecuti sunt Christum. Tales etenim religiosi etsi foris se ipsos humilient nequiter, intus pleni sunt dolo, famæ honorisque cupidi, nec sunt coram Deo sinceri et recti. Tales sunt qui accusant et dejiciunt semetipsos, et tamen si accusentur ac vilipendantur ab aliis, indignantur. Tales demum sunt aliqui versipelles, B qui scientes quam laudabile et honestum sit apud religiosos patientiam conservare, quam item vituperabile impatientem se exhibere, dum corripiuntur, corriguntur aut qualibet adversitate tanguntur, signa impatientiæ erubescunt coram hominibus demonstrare, et tamen intus coram Deo non verentur indignatione, impatientia, murmuratione, amaritudine agitari. Caveamus itaque universa hæc vitia, tam vera seu aperta quam palliata, et coram Deo assidue discutiamus ac purificemus cor C nostrum.]

Præterea, sicut Salvator non fuit adulatoriis verbis et humanis laudibus motus, ita et nos adulatoria verba despiciamus, neque vanis laudibus alliciamur, sed potius corripi et increpari optemus, cum *Ps.* CXL, 5. Propheta dicentes : Corripiet me justus in misericordia et increpabit me ; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Religiosorum namque est abjectione et subjectione gaudere, subdi et obedire, probari, humiliari, et mille modis exer- D ceri ac conculcari, quousque ad plenam pertingant mortificationem sui ipsius, ad puram evulsionem privati amoris, ad reformationem perfectam hominis interioris : quatenus omnia ea quæ mundi amatores appretiantur, cupiunt, quærunt et amplectuntur, divitias, delicias et honores, vanitates, dissolutiones ac proprias libertates, fastidiant et refutent ; ea quoque quæ refugit mundus ac metuit, puta aspernationes, persecutiones, increpationes, labores, vigilias, abstinentias, disciplinas, ament et amplexentur, atque in his quasi in omnibus divitiis glorientur. Hoc est saluberrime vincere semetipsum, et violentiam optimam propriæ inferre naturæ, seque mundo crucifixum præbere et mundum sibi crucifixum habere, quatenus cum Apostolo dicere valeat, cui tanta donata fuerit gratia Spiritus Sancti : Mihi *Galat.* VI, 14. absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Postremo, ad hanc perfectionem non cito neque faciliter quis pertingit, nisi qui a Spiritu Sancto totaliter prævenitur, misericordissime præoccupatur, incessanter dirigitur, gratiosissime possidetur, indesinenter afficitur, ita ut dicere queat cum sancto taliter præoccupato : Tenuisti, Do- *Ps.* LXXII, 24. mine, manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. Verumtamen quia non est abbreviata manus Dei omni- *Is.* LIX, 1. potens atque largissima, ut salvare non possit, nec aggravata est auris ejus misericordissima, ut exaudire non velit, neque *Rom.* II, 11. acceptio personarum fit apud eum, conemur indefesse ac jugiter ad perfectionem prætactam, divinæ pietatis viscera affectuosissime deprecando, Christi in sæculo isto conversationem, passionem, virtutes sapienter pensando, Sanctorum intuendo exempla, sequendo vestigia, in Dei timore et humilitate profunda nostram fundando conversationem, et divinam semper attendendo ac venerando præsentiam. Sicque in omni patientia, mansuetudine, obedientia, sobrietate, diligentia, stabilitate, discretione exercitando nos ipsos quotidie, diligamus nos pure in Deo, quidquid ad complacendum ei, ad proficiendum in caritate et gratia ejus, ad unionem et fruitionem ipsius exstat nobis accommodum amplectentes, et quidquid inde nos impedit detestantes.

SERMO SEXTUS

DE HIS QUÆ SUPERIORIBUS DEBENTUR, PUTA OBEDIENTIA, REVERENTIA, AMOR, ETC.

R*EDDITE quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.* Matth. XXII, 21.

Ps. x, 8. Justus Dominus et justitias diligens, jubet ut unicuique quæ ei debemus solvamus. Idcirco et nos religiosi, a sæculari potestate exempti, superioribus nostris spiritualibus patribus nostris reddamus quæ eorum sunt, quæ eis tenemur, obedientiam, reverentiam, dilectionem, fidelitatem, obsequium. Obedientiam namque eis *Eccle.* v, 3. promisimus, et scimus quia displicet Deo stulta et infidelis promissio. Imo quum votum, secundum Thomam, plus obliget quam juramentum, constat quod inobedientia sive rebellio gravius crimen sit in religioso quam ipsum perjurium. Vitemus ergo cum infinito horrore tam diabolicum *I Reg.* xv, 23. scelus. Siquidem quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Ideo Salomone testante, *Prov.* xv, 28. Mens justi meditatur obedientiam. Qui au*Ibid.* XXVIII, 14. tem mentis est duræ atque in proprio pertinax sensu, in diversa atque enormia corruet mala. Denique tanta est virtus obedientiæ, tanta est eminentia et potestas ipsius, ut plenarie obedientes, Deum faciant sibi obedientem, quemadmodum *Josue* x, 12, 13. Deus obedivit obedientissimo Josue, soli ac lunæ ne moverentur jubenti. Propter quod sancti Patres locuti sunt, quod quantum nos obedierimus Deo, tantumdem et ipse obediet precibus nostris. Et sicut religiosorum est quotidie ad perfectionem procedere, proficiendo in omni virtute; ita eorum est quotidie ex promptiori cordis desiderio obedire, humilius celeriusque parere, et quanto diutius fuerint in Ordine, tanto in omni obedientia, humilitate ceterisque virtutibus exemplariores se exhibere.

Præterea, quam sincere, reverenter et amorose obedire debeat religiosus, quamvis ex Sanctorum pateat documentis et regulis, et frequenter sit allegatum, clarissime tamen id ipsum poterimus discere, si beatissimorum apostolorum Petri et Pauli verba ac jussa intueamur. Ait equidem gloriosissimus apostolici agminis princeps: Servi, subditi estote in omni timore domi- *I Petr.* II, 18. nis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Paulus quoque: Quicum- *I Tim.* VI, 1. que (inquit) sub jugo sunt servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur; et denuo, Servi, obedite dominis carnalibus *Ephes.* VI, 5, 6. cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Si ergo tam reverenter, tam timorate, tam cordialiter servire et obedire oportet carnalibus dominis, terrenis principibus etiam pravis, in his quæ ad eorum spectant dominium, quam reverenter, timorate et affectuose necesse est obedire spiritualibus patribus ecclesiasticisque prælatis, potissimum religiosos, qui non solum ex jure divino et communi præcepto, sed ex solenni quoque voto ad obedientiam obligantur? præsertim quum, teste Bernardo, quanto major est dignitas, quanto sublimior exstat auctoritas, tanto ei obedire magis est necessarium magisque debitum, atque eidem inobedire tanto vitiosius damnabiliusque consistit. Rursus, secundum eumdem, quanto præceptum exstat salubrius, rationabilius ac divinius, tanto non obedire magis iniquum est. Si ergo temporalibus dominis corporalia obsequia exigentibus non parere, censetur damnabile, quam inæstimabiliter damnabilius est non obedire religiosis ac spiritualibus patribus, ea quæ ad regularem observantiam spectant jubentibus? Quocirca id quoque pensandum, quod superioris præceptiva voluntas, qualitercumque innotescat, vim habet præcepti et obligat sub mortali. Rursus, ut Climacus protestatur, quicumque quacumque machinatur cautela aut practica ut id quod ipse habet in animo et affectu, sibi a patre præcipiatur, beatitudinis præmio spoliat semetipsum, etiamsi foris simulet id sibi esse molestum.

Præterea, non tantum obedientiam, sed reverentiam quoque præcipuam præsidenti tenemur tanquam spirituali patri atque vicario Christi; et quo majori sapientia, abundantiori virtute, paternaliori diligentia decoratur, et amorosius ac sollicitius habet se circa subjectos, eo ampliori reverentia est condignus, detestabiliusque consistit circa eum cervicose, dure et irreverenter se exhibere. Innotescit ergo ex præinductis, quam periculose vivant quidam audaces sibi placentes, de suis superioribus parum aut nihil curantes, eisdem intimorate loquentes, aspere respondentes, ita ut superiorem sollicitari oporteat qualiter eorum satisfaciat voluntati et quid eis injungat, ne forte magis exasperentur ac pejorentur. O quam parum pensant hi excæcati quid eorum requirat professio, in quali sint statu, et quid sit ipsa II *Tim.* II, 26. monachalis religio! Resipiscant ergo a laqueis diaboli, a quo detinentur captivi.

Insuper, quam specialiter debeamus spirituales patres nostros diligere, facile est pensare, et partim evidens est ex prædictis. Ipsi namque sunt patres, doctores et pastores nostri, a quibus quotidiana beneficia magna suscipimus, utpote instructionem, directionem, correptionem, provisionem et spiritualem medelam; ipsi nostræ saluti multipliciter cooperantur, et anxiantur pro nobis ne pereamus; in exterioribus quoque laborant pro nobis, ita quod propter nos frequenter spiritualia exercitia interrumpunt, omittunt, ac variis sollicitudinibus prægravantur. Non ergo simus eis ingrati, sed præcordialem dilectionem, præcipuam fidelitatem, obsequium omne nobis possibile rependamus eisdem, jugiterque deprecemur pro ipsis, et compatiamur occupationibus oneribusque ipsorum, quia et ipsi quo in altiori, eo et in periculosiori gradu versantur. Unde et quantumcumque corripuerint atque correxerint nos, nihilo minus semper plenam ac filialem geramus ad eos fiduciam, confidentes quod ex caritate et debito sui officii ac instinctu Spiritus Sancti omnia illa faciant nobis.

Præterea, reddamus Deo quæ Dei sunt, quæ ei promisimus, quæ ei tenemur, cui in ipsa nostra professione nos ipsos in holocaustum obtulimus, ut simus ejus obsequio totaliter mancipati, ejus caritate accensi, ab omni alieno, carnali, sæculari, immundo, injusto affectu penitus alieni. Corpus ergo et animam, membra et vires, et quidquid valemus, sumus, habemus, ejus honorificentiæ offeramus, de his omnibus ipsum assidue venerantes, atque hæc omnia inviolate custodire conantes, ne per ea ipsum in aliquo offendamus, ne dæmoni placita faciamus, ne alteri quam Omnipotenti de his omnibus sacrificemus. Custodire ergo et refrenare tenemur omnem sensum exteriorem et interiorem, linguam, ventrem, manus, pedes, et cetera cuncta, ne per ea quidquam operemur culpabile, sed ea quæ Dei sunt, quæ ei sunt placita, fideliter exsequamur: et hoc, quotidie magis perfecte, ut nihil debiti subtrahamus, quia maledictus qui opus Dei efficit *Jer.* XLVIII, 10. fraudulenter.

Postremo, ad istud complendum exigitur ut nunquam nos apprehendisse putemus, *Philipp.* III, 13. sed quæ retro sunt obliviscentes, semper in anteriora extendamur, I *Cor.* XII, 31. meliora æmulantes charismata, *Hebr.* VI, 9. et viciniora saluti quærentes. Quod quamvis ad omnes aliquo modo pertineat, eo quod non progredi sit regredi, potissimum tamen ad religiosos, qui ex sua professione ad perfectionem tendere obligantur. Hinc ait Bernardus: Vera virtus finem nescit, non tempore clauditur. Nunquam justus arbitratur se apprehendisse, nunquam asserit satis esse, sed semper esurit ac sitit justitiam, ita ut si semper hic viveret, semper justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus, sed in æternum divino se mancipat famulatui : ideo sempiternam meretur refectionem ; et licet brevi tempore consummetur, tamen judicatur explesse tempora multa. *Sap.* IV, 13. Itaque indefessum proficiendi studium et jugis conatus ad perfectionem reputatur perfectio. Quod si studere perfectioni est esse perfectum, profecto nolle proficere, deficere est. Non est stare omnino ; nec in incerto hujus mortalis vitæ, quidquam in eodem permanet statu. Aut ascendas necesse A est, aut descendas. Si attentas stare, ruas necesse est. Minime bonus est qui melior esse non cupit ; et ubi incipis nolle fieri melior, ibi desinis esse bonus. Vidit scalam Jacob et in ea angelos, *Gen.* XXVIII, 12. ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere vel descendere videbantur universi : quatenus palam daretur intelligi, inter profectum et defectum in hoc statu vitæ mortalis nihil medium inveniri. Hæc Bernardus. Itaque hujus vitæ brevitatem et beatitudinis æternitatem pensantes, præ- B sertim infinitam Dei honorabilitatem et amabilitatem considerantes, accendamur atque quotidie validius inflammemur, et viam salutis non solum ambulare, sed et currere ac volare nitamur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

DOMINICA XXIV POST TRINITATEM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

NON CESSAMUS PRO VOBIS ORANTES ET POSTULANTES UT IMPLEAMINI AGNITIONE VOLUNTATIS DEI. Coloss. I, 9-14.

DOCET Apostolus in præsenti epistola A quid prælati pro subditis suis debeant desiderare ac exorare. Nam ad Colossenses ait : *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes,* id est, omni tempore opportuno mente et ore precamur, *ut impleamini agnitione voluntatis Dei,* id est, divinitus illustremini ad cognoscendum quid velit Deus, quid requirat a vobis, quid magis complaceat ei, ut sciatis et advertatis ejus mandata et Christi consilia; *in omni sapientia,* id est sacra doctrina divinæ Scripturæ, *et intellectu spirituali,* id est B interna ac mystica intelligentia Scripturarum : *ut ambuletis* in semitis præceptorum *digne Deo,* id est tam reverenter ac sancte ut decet tanto Domino deservire, atque ut eum pro præmio mereamini possidere. Jer. XLVIII, 10. Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter. *Per omnia,* id est in omni actu, *placentes* Domino Deo : quia ut Jacobus ait, Jacob. II, 10. si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *In omni opere bono fructificantes,* id est, omnium virtutum opera exercentes C : virtutes namque connexæ dicuntur. *Et crescentes in scientia Dei,* id est notitia divinorum : de qua per Osee Dominus Osee VI, 6. protestatur, Scientiam Dei volui plus quam holocausta.

In omni virtute theologica, et intellectuali atque morali, *confortati secundum potentiam claritatis ejus,* id est secundum quod Deus potest per omnipotentiam suam clarissimam, vel secundum quod Deus idoneus est vos confortare per claritatem gratiæ suæ; *in omni patientia,* per quam adversa æquanimiter tolerantur, *et longanimitate,* qua divina promissa exspectantur constanter, *cum gaudio* spirituali, quod ex actu virtutum procedit, ut in exspectatione futuræ beatitudinis gaudeatis.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit per merita Christi gratiamque Baptismi, atque per opera meritoria quæ per gratiam suam fecit in nobis (juxta illud Isaiæ : Omnia opera nostra, Domine, Is. XXVI, 12. operatus es in nobis), *in partem,* id est ad habendum participationem, *sortis Sanctorum,* id est hereditatis electorum, puta felicitatis æternæ, quæ habetur *in lumine,* id est per lumen gloriæ, vel in claritate visionis divinæ. De qua sorte ait Psalmista : Dominus pars hereditatis meæ. Ps. XV, 5. Qui item de lumine isto testatur : Ps. XXXV, 10. In lumine tuo videbimus lumen. Hæc autem hereditas dicta est sors, quia divinæ voluntatis electione, non humana provisione distribuitur, quemadmodum sortes dicuntur Prov. XVI, 33. temperari ac disponi a Deo.

Qui eripuit nos per incarnationem, conversationem sanctissimam in hoc mundo ac passionem Unigeniti sui, *de potestate tenebrarum,* id est dominio dæmonum, a jugo peccati et tenebris ignorantiæ, *et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ,* id est in regnum Filii sui dilecti, hoc est A in societatem Ecclesiæ militantis, seu in numerum electorum. Quæ Ecclesia dicitur regnum Christi, quia in corde fidelium regnat per fidem et gratiam. De quo regno *Luc.* I, 32. scriptum est : Regnabit in domo Jacob in *Is.* IX, 7. æternum; in Isaia quoque, Super solium David, et super regnum ejus sedebit. Nunc quoque translati sumus in regnum Ecclesiæ triumphantis in merito et in spe, transferendi illuc tandem in re. De hac ereptione et translatione generis humani, *Ibid.* XLII, 6, 7. Pater ait ad Filium apud Isaiam : Dedi te B in fœdus populi, in lucem gentium, ut educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Præterea, per id quod ait Apostolus, «transtulit» nos « in regnum Filii dilectionis suæ », Augustinus in libro de Trinitate ostendit, quod dilectio in divinis, non solum relative et notionaliter, sed etiam absolute dicatur : alias Filius Dei a Spiritu Sancto diceretur procedere.

In quo Christo, id est per cujus passionem et merita, *habemus redemptionem* a dominatione diaboli, utpote *remissionem peccatorum* nostrorum, quæ nobis per Christi passionem ac merita dimittuntur in fonte Baptismatis. Unde in Apocalypsi de Christo asseritur : Qui dilexit nos, et *Apoc.* I, 5. lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

SERMO PRIMUS

QUAM SOLLICITUDINEM PRÆLATI ERGA SUBDITOS GERERE DEBEANT.

D*EUS Pater eripuit nos de potestate* C *tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ*. Coloss. I, 13.

Ex principio hujus epistolæ docentur omnes animarum curam habentes, qualiter et quid pro sibi commissis debeant exorare, et item quid subditis præcipue necessarium sit ad salutem. Ait namque *Coloss.* I, 9. Apostolus : Non cessamus orantes ut impleamini agnitione voluntatis Dei. Apostolus autem prælatorum speciem tenet.

Quilibet ergo prælatus et curam animarum sortitus, incessabiliter debet viscera D pietatis divinæ pro grege sibi commisso affectuosissime invocare. Et primo hoc facere debet ex caritate sua ad illos præcipua et paterna. Quemadmodum enim illos paterno et speciali amore tenetur diligere, sic debet pro illorum salute sollicitus ac operatorius esse, orando, docendo, prædicando, corripiendo et corrigendo, sicut ad Timo- *II Tim.* IV, 2. theum scribit Apostolus : Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia. — Secundo hoc facere debet ex justitia, hoc est ex debito sui officii. Est enim mediator inter Deum et plebem sibi commissam : idcirco potissimum sibi incumbit plebem suam Deo reconciliare, et dona gratiæ eidem divinitus impetrare. Quorum utrumque præsertim orando peragitur, quia ut ait Gregorius, Deus vult precibus placari, qui scit quod iratus non possit portari. Et S. Jacobus apostolus in sua scribit Canonica : Non *Jacob.* IV, 2. habetis, quia non postulastis. — Tertio id facere debet ex sui ipsius spirituali amore dupliciter. Primo, ne et ipse dispereat et damnetur. Quum etenim quilibet homo insufficiens sit regere semetipsum et custodire, ac divina præcepta implere absque gratioso atque continuo Spiritus Sancti auxilio, sine quo nec aliquid salubriter cogitare, nec meritorie loqui, nec tentationibus reluctari victoriose valemus, multo minus quis potest et alios gubernare, custodire, perducere absque magno, incessanti et gratioso juvamine Spiritus Sancti. A Idcirco qui præest, indesinenter ac ardentissime divinam debet misericordiam invocare, ut sibi conferre dignetur sapientiam, gratiam ac virtutem salubriter præsidendi, efficaciter prædicandi exemplariterque vivendi, subditis quoque det gratiam sic audiendi ut proficiant, obediant et salventur. Itaque quum damnatio omnisque transgressio subditorum in superiores redundent, nisi debitum egerint sui officii, debet qui præest sic pro subditorum directione, illuminatione et salute B orare, ne illorum peccatis ac condemnationibus ipsemet involvatur : quia ut Sapiens asserit, *Sap.* VI, 6. Judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Christus quoque loquitur : *Luc.* XII, 48. Cui multum commendatum est, plus requiretur ab eo. Secundo, sic facere debet ex sui ipsius spirituali amore, quatenus omnium bonorum quæ subditi sui agunt, et futuræ felicitatis eorum sit particeps. Quemadmodum enim transgressio et damnatio pereuntium subditorum, in negligentes et carnales redundant præla- C tos, sic utique bonorum et obedientium subditorum merita et præmia, in diligentes redundare prælatos noscuntur. Unde *Philipp.* IV, 1. ad Philippenses scribens Apostolus : Fratres (inquit) mei carissimi, gaudium meum et corona mea.

Insuper ex eisdem verbis docentur qui præsunt, quid pro subditis suis debeant exorare, videlicet ut impleantur agnitione voluntatis Dei, id est intelligentia ac advertentia præceptorum cœlestium et eorum quæ Deo amplius placent, ut inter D virtutes et vitia vere distinguant, nec malis et falsis pro bonis et veris præstent assensum. Multi etenim peccant ex ignorantia ; et frequenter incertus est homo quid sit melius, quid verius, quid salubrius exercendum, quia et vitia quædam speciem habent virtutum. Hinc necessaria valde est homini illuminatio Spiritus Sancti, ut impleatur agnitione voluntatis divinæ. Unde orat vir sapiens : *Sap.* IX, 10, 11. Mitte, Domine, sapientiam de cœlis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore ; scit enim illa omnia et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie. In primis etenim oportet veritatem cognoscere, deinde quod bonum est operari. Propter quod, secundum Ambrosium, ignorantia est maximum omnium vitiorum, non utique magnitudine culpæ seu enormitate offensionis, sed magnitudine periculositatis, quoniam qui ignorat quid agere debeat, quid Deus ab ipso requirat, quid vere sit virtuosum, multa et magna incidit tam omissionis quam commissionis peccata.

Denique in his non sufficit humana instructio, sed divina quoque illuminatio necessaria exstat hominibus, tot et tanta occurrunt eis, tot tentationes, perplexitates, dubietates et obscurationes. Nos quippe *Job* XXXVII, 19. involvimur tenebris. Idcirco in libro Sapientiæ habetur : *Sap.* IX, 13, 17, 14, 15. Quis poterit cogitare quid velit Deus, nisi tu, Deus, dederis sapientiam, et miseris spiritum tuum de cœlis ? Cogitationes enim mortalium sunt timidæ, et incertæ sunt providentiæ nostræ ; corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam. Hinc orat Psalmista : *Ps.* CXVIII, 135. Faciem tuam, Domine, illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas. Propterea demum assignavit providentia pietatis divinæ unicuique homini angelum bonum, qui illustret et dirigat eum.

Præterea, ex eisdem verbis docentur subjecti, quid eis potissimum opportunum sit ad salutem, puta ut impleantur agnitione voluntatis Dei. Id ergo in primis summe eis incumbit, ut divina præcepta agnoscant et vere intelligant, præcepta quoque Ecclesiæ et doctrinas sacræ Scripturæ. Unde ad prædicationes ire tenentur, atque de his instructionem exquirere publice et privatim, quum dicat Apostolus : *I Cor.* XIV, 38. Qui ignorat, ignorabitur. In Deuteronomio quoque jubetur : *Deut.* XXXII, 7. Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi ; majores tuos, et dicent tibi. Specialiter vero unusquisque fideliter Deum jugiter debet precari, ut se illuminare, custodire atque dirigere in cunctis A dignetur, sicut orat Propheta : *Ps.* LXXXV, 11. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua ; et rursus, *Ps.* CXVIII, 35. Deduc me in semita mandatorum tuorum. Unde denuo protestatur ac loquitur Deo : *Ps.* XCIII, 12. Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Est ergo unicuique nostrum in primis necesse ut sciat quid Deo sit placitum, et quid ei acceptum agere queat, ut ambulet digne Deo *Coloss.* I, 10. cum omni diligentia, reverentia, munditia et fervore, deserviendo regi majestatis immensæ; quia ut taliter B Deo ministremus, Christus venit in mundum, Zacharia testante : *Luc.* I, 68, 74, 75. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, ut sine timore serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Præterea quæri potest, qualiter fragilis homo possit Deo digne servire seu ambulare, quum Deus omnipotens et excelsus sit in infinitum majori reverentia dignus, quam omnes simul intellectuales creaturæ ei possint impendere. Et respondendum, C quod habendo respectum ad infinitam dignitatem et excellentiam Dei, nullus potest ei digne servire; sed considerando possibilitatem fragilitatis humanæ, dignitatem quoque gratiæ gratum facientis, et caritatis infusæ, actualisque motionis Spiritus Sancti, et item dignationis et acceptationis divinæ, qua Deus tale aut tale obsequium sibi impensum dignatur quasi dignum suscipere, sic potest homo Deo digne servire, præsertim dum agit omne quod valet, et tamen nil dignum se agere D arbitratur.

Hortatur ergo Apostolus ut in omni opere bono crescamus, atque ad Dei gloriam in omni roboremur virtute, quoniam « Deus Pater » per Unigenitum suum « eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii » sui. Christus enim ut homo, passus est atque promeruit hominibus gratiam beatitudinemque æternam ; sed efficacia seu idoneitas id agendi fuit a divinitate, et Deus Pater, imo superbeatissima Trinitas tota, per Christum hominem nos efficienter ac principaliter liberavit. Unde in Osee scriptum est : *Osee* XIII, 4. Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me. De hac ereptione scriptum est prima Petri : *I Petr.* I, 18, 19. Non corruptibilibus auro et argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati. Simus igitur tanto liberatori subjecti et grati, ejus præceptis diligentissime jugiter obediendo, exemplo beatissimi Danielis prophetæ. *Dan.* I-VI. Qui quum esset per aliquot annos cum Dario rege Medorum, deinde pluribus annis cum Cyro rege Persarum, et esset in medio gentilium pessime idololatrantium, essetque regibus illis carissimus et plurimum familiaris, et in maxima dignitate constitutus ab eis, nunquam tamen potuit ab eis aut eorum principibus ac ministris induci adulatione aut minis ut divinum transgrederetur præceptum, vel veri Dei relinqueret cultum, idola adorando; sed maluit mitti in lacum leonum, quam particeps fieri transgressionum. Unde pro hac causa in lacum leonum bis missus est. *Ibid.* VI, 16; XIV, 30. Et quamvis illi fuerint plurimi atque ingenti fame confecti, et Daniel multis horis inter eos sedisset, nil tamen fecerunt eidem, sed illæsus exivit. Sic Deus inter leones protexit fidelissimum servum suum.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

LOQUENTE JESU AD TURBAS, ETC. Matth. IX, 18-22.

MATTHÆUS evangelista in præsenti describit evangelio, qualiter Domino nostro Jesu transeunte ad suscitandum puellam defunctam, in via sanaverit feminam a sanguinis profluvio, solo sui vestitus contactu. Itaque Matthæus sic ait : *Loquente Jesu ad turbas,* id est prædicante eo Judæis, *ecce princeps unus accessit.* Secundum *Luc.* VIII, 41; *Marc.* V, 22. Lucam et Marcum, princeps iste nomine Jairus, fuerat archisynagogus, id est princeps synagogæ unius : ideo a Matthæo princeps vocatur. Habuerunt enim Judæi certas domos in quibus convenerunt ad vacandum orationi, lectioni, ac laudibus Dei : quæ domus dictæ sunt synagogæ; et qui præerant eis, vocati sunt archisynagogi, id est principes synagogarum. *Et adoravit eum, dicens.* Nondum Jairus iste explicite credidit Jesum esse verum Deum, nec adhuc tenebatur ad fidem ita explicitam; credidit tamen quod posset filiam suam suscitare a morte virtute et auxilio Dei, eo quod esset sanctus vir et magnus propheta. Non ergo adoratione latriæ, sed duliæ, Christum adoravit : nam magnam ei reverentiam fecit, quia ut *Luc.* VIII, 41. Lucas refert, cecidit ad pedes ejus. Juxta III *Reg.* I, 23, 16. quem modum, tertio Regum, Nathan propheta et Bethsabee David regem adorasse scribuntur.

Domine, filia mea modo defuncta est. Huic videtur contrarium, quod in Marco *Marc.* V, 23. legitur Christo dixisse : Filia mea in extremis est. Respondetur dupliciter : Primo, quod Jairus loquitur juxta communem modum loquendi, quo de homine agonizante cujus vita desperatur, communiter dicimus, quod sit mortuus homo. Unde *Luc.* VIII, 42. Lucas narrat, quod moriebatur. Secundo, quod Matthæus narrat verba a Jairo dicta ad Christum, postquam a servis suis audivit filiam suam jam esse defunctam. *Sed veni* corporaliter, *impone manum tuam super eam, et vivet,* id est, super corpus defunctæ manum tuam impone, et resuscitabitur. Itaque corporalem Christi putavit præsentiam necessariam, nec tam perfectæ fuit fidei sicut centurio, qui Christum *Matth.* VIII, 8 et seq. corporaliter absentem credidit virtute divina angelorumque ministerio posse curare. Verumtamen Jairus iste tam perfectæ fidei fuit, quod credidit Christum tantæ exsistere sanctitatis, quod per manus suæ contactum posset mortuam suscitare, virtute, precibus ac meritis animæ suæ, quasi per causam instrumentalem ac meritoriam, divina omnipotentia effective ac principaliter operante, juxta illud in Psalmo : Benedictus Dominus Deus Israel, qui *Ps.* LXXI, 18. facit mirabilia solus. Noverat quippe hic Jairus, qualiter quarto Regum legatur ex IV *Reg.* XIII, 21. contactu ossium Elisei quidam mortuus suscitatus.

Et surgens Jesus, sequebatur eum, quia condoluit ei. Nam filia ista erat unica pro- *Luc.* VIII, 42. les ejus, habuitque duodecim annos, ut legitur apud Lucam, sicque cœpit nubilis esse. *Et discipuli ejus,* id est Apostoli, imo et turba magna sequebatur in via hac *Marc.* V, 24. Christum, ut dicit Marcus.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Et secundum Lucam, erogavit omnem substantiam suam *Luc.* VIII, 43. in medicos, nec aliquid profuit ei : sicque videtur incurabiliter ægra fuisse. *Accessit retro :* quia præ verecundia voluit occulte facere quod fecit, præsertim quia secundum legem, fuit immunda; *Lev.* XV, 25. *et tetigit fimbriam vestimenti ejus,* videlicet inferiorem vestis partem. Cur Christus fimbriam in vestimento habuit, in sermone A dicetur. Denique Eusebius, Cæsariensis episcopus, in Historia ecclesiastica asserit, feminam hanc fuisse civem Cæsareæ Philippi, atque in testimonium hujus miraculi fuisse ante domum ejus erectam ipsius imaginem æream genibus provolutam ante imaginem Salvatoris, quæ stabat ante eam, extendebatque dexteram ad imaginem mulieris. Aliqui tamen dixerunt, quod mulier ista fuerat Martha. Sed primum verius creditur, præsertim quia et Martha post hæc dives permansit; sed mulier ista B consumpsit omnia sua pro medicina, ut tactum est.

Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero a sanguinis hujus profluvio. In quo magnitudo fidei ac devotionis hujus feminæ declaratur, quæ non solum per tactum manus, sed etiam vestis Christi credidit omnem infirmitatem, quamvis naturaliter incurabilem, posse curari. Tantam etenim credidit Christo sanctitatem atque virtutem inesse, ut diffunderetur per ejus vestem : C quæ licet in se virtutem non haberet sanandi, tamen in quantum fuit operimentum corporis Christi, efficax fuit instrumentum miraculosæ curationis.

At Jesus conversus, id est, retro adspiciens, *et videns eam* oculo corporali et intellectuali, atque per approbationis notitiam, *dixit : Confide, filia,* id est, firmiter spera te adepturam quod cupis, imo et plus, quia et mente ab omni peccato purgaberis; *fides tua te salvam fecit,* id est, merito fidei tuæ a me curari jam promereris, ita quod actio fidei fuit causa meritoria hujus curationis. *Et salva facta est mulier* a sanguinis sui fluxu et culpis, *ex illa hora,* id est, mox ut tetigit fimbriam vestis Christi. Christus equidem, cujus perfecta sunt opera, *Deut.* xxxii, 4. curavit in mente quos sanavit in corpore.

Postremo Lucas et Marcus plenius re- *Luc.* viii, 45-47; *Marc.* v, 30-33. citant signum istud, quia secundum eos, Christus post fimbriæ suæ contactum a femina ista interrogavit : Quis me tetigit? Et Petro respondente : Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et tu dicis, Quis me tetigit ? Christus vero repetivit et ait : Tetigit me aliquis; nam et ego novi virtutem de me exisse. Quo dicto, videns mulier quod factum suum non latuit Salvatorem, venit et procidit coram eo cum magno timore; atque coram cunctis qui aderant, dixit quod fecit, et qualiter esset curata. Tuncque dixit Dominus ei : « Confide, filia; fides tua te salvam fecit. » — Hic finitur evangelium hodiernum, secundum plerasque Ecclesias. De suscitatione autem filiæ archisynagogi in sermone dicetur tertio mox subsequente.

SERMO SECUNDUS

DE MYSTICA SIGNIFICATIONE FEMINÆ A SANGUINIS FLUXU CURATÆ.

C*ONFIDE, filia; fides tua te salvam* D *fecit.* Matth. IX, 22.

Christus per totum Evangelium tres virtutes videtur specialiter commendasse ac docuisse, videlicet fidem, humilitatem et *Marc.* IX, 22. caritatem. De fide etenim ait : Omnia possibilia sunt credenti; et rursus, *Ibid.* XI, 22. Habete fidem Dei; itemque Apostolis submergi timentibus, Ubi est fides vestra ? atque *Luc.* VIII, 25. ad Thomam apostolum, Beati qui non vi- *Joann.* XX, 29. derunt et crediderunt. Sæpius quoque dixit : Fides tua te salvum fecit. Itaque fidem *Matth.* IX, 22; *Marc.* X, 52; *Luc.* VII, 50; etc. Christus tam multipliciter ac specialiter commendavit : Primo, quoniam ipsa est omnium fundamentum virtutum, et sine ea nihil est meritorium, nil Deo placitum

Hebr. xi, 6. et acceptum, dicente Apostolo : Sine fide A impossibile est Deo placere. Imo alibi plus *Rom.* xiv, 23. affirmare videtur, dicendo : Quidquid non est ex fide, peccatum est. Secundo, quoniam ipsa est lux et oculus mentis, ostendens homini ultimum finem, propter quem omnia debet peragere. Per fidem enim cognoscimus ea quæ pertinent ad salutem, et quod ad æternam felicitatem conditi sumus, quod item ob eam obtinendam universa pati et operari debemus, et præsertim ob Dei gloriam et honorem. *Is.* xxi, 2. Hinc in Isaia habetur : Qui incredulus est, B *Habac.* ii, 4. infideliter agit. Habacuc quoque ait : Ecce qui incredulus est, non erit anima ejus recta in semetipso; justus autem in sua fide vivet. Tertio, quia per fidei actum Deum maxime honoramus, dum scilicet propter ipsius auctoritatem ac reverentiam subjicimus intellectum nostrum articulis fidei christianæ, præbendo firmum assensum his quæ per intellectum capi non valent, imo omnem rationem prorsus transcendunt. Unde secunda ad Corinthios II *Cor.* x, 5. ait Apostolus : In captivitatem redigimus C omnem intellectum in obsequium Christi. Quarto, quia per fidem alia dona impetra- *Marc.* xi, 23. mus a Deo, quum dicat Salvator : Quicumque dixerit huic monti, Jacta te in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, *Jacob.* i, 6, 7. fiet. Hinc et Jacobus ait : Postulet homo in fide, nihil hæsitans; qui autem hæsitaverit, similis est fluctui maris : non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino. Debemus ergo firmissimi atque certissimi esse in fide, sicut certissime D scimus quod Deus qui fidei testis est, falsitatis confirmator et testis nequit exsistere.

Præterea de humilitate ait Salvator : *Matth.* xviii, 3. Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlo- *Ibid.* xi, 29. rum; itemque, Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Nam et ipsa humilitas secundum quasdam considerationes vocatur fundamentum virtutum, quia ad omnium gratiarum profectum disponit, et præsertim quia directe exstirpat superbiam, omnium vitiorum originem. Hinc omnem superbiam nos oportet vitare, ut nec in cogitationibus propriis extollamur ut *Eccli.* vi, 2. tauri, nec in affectionibus nostris ut Lucifer, neque in verbis ut hi qui laudant et jactant se ipsos, neque in factis ut ona- *Job* xi, 12. gri in deserto, neque in vestimentis sicut pavones in suis pennis. Qui tamen dum pedum suorum deformitatem inspiciunt, exterrentur, abhorrent et clamant. Ita si quis ex consideratione excellentiæ suæ in donis naturæ aut gratiæ vel in bonis Ecclesiæ seu fortunæ, velit extollere semetipsum atque inaniter gloriari, quasi a Deo non sit cuncta sortitus, adspiciat suos pedes. Per pedes quippe, quæ extrema et infima corporis sunt, intelligendæ sunt defectuositates, vitiositates, sordes et turpitudines hominis in corpore et in anima : quas si quis acute intueatur, se ipsum satis aspernari et humiliare non poterit. Humilitatem ergo jugiter amplectamur, simusque viles, fœdi ac miseri in propriis oculis, ita ut omni adversitate arbitremur nos dignos, et ita propter adversa, injurias, irrisiones non indignemur, sed patientes perseveremus, et gratias Deo reddamus.

Insuper de caritate ait Salvator, ut Deum *Matth.* xxii, 37-40. toto corde amemus, et proximos nostros tanquam nos ipsos : In his (inquiens) duobus mandatis tota lex pendet et Prophetæ. Caritas etenim Dei, est omnium virtutum regina, imperatrix, motrix, vita et forma, sine qua homo spiritualiter nihil est. Idcirco caritatem in omnibus et præ omnibus semper habere, conservare atque augere in nobis conemur, faciamusque *Ibid.* vii, 12. proximis nostris prout nobis fieri rationabiliter volumus.

Denique hæ tres virtutes in femina ista sanguinis fluxum ferente possunt attendi. Nam fides ejus patet in hoc, quod ex contactu vestium Christi credidit se ab incurabili morbo curandam; humilitas, quod retro silenter et verecunde accessit, quod item ad Christi cecidit pedes, omnem ei confitens veritatem; caritas, quod affe-

Cf. t. IX, p. 549 B', 611 C'. ctuosissime Christum imitabatur *, atque post suam ab eo curationem valde grata fuit ei, quia ut tactum est, ad perpetuam beneficii sibi collati memoriam, fieri fecit in horto suo imaginem Salvatoris stantem erecte cum fimbriis vestimenti, atque in ea Christum devotissime adoravit. Fecit quoque sui ipsius imaginem coram imagine Christi genibus flexis et manibus cancellatis. Et sicut in Ecclesiastica historia scribit Eusebius, juxta imaginem Salvatoris quædam herbæ crescebant, quæ quum prius nullius essent virtutis, postquam Christi fimbriam tetigerunt, tantæ virtutis effectæ sunt, quod omnes infirmitates curabant. Cassiodorus demum asserit in Historia tripartita, quod Julianus apostata inde removit imaginem Christi, ponens ibidem imaginem suam, quæ postea ictu fulminis est destructa.

Præterea, circa intellectum hujus quod Christus fimbrias tulit in veste, sciendum quia (ut communiter expositores testantur) Christus juxta consuetudinem Judæorum portavit vestimentum cum quatuor fim-
Num. xv, 38, 39. briis. Nam et Deus præcepit per Moysen ut filii Israel facerent sibi fimbrias quatuor, per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas quum viderent, recordarentur omnium præceptorum Domini. Istud ad cærimonialia pertinebat præcepta : ideo Christus factus sub lege, id observavit, sicut et alia quædam legalia, usque ad tempus passionis, in quo cærimonialium legis præceptorum obligatio prorsus cessavit.

At vero, quamvis in hac muliere considerentur virtutes præfatæ, nihilo minus per eamdem ut sanguine fluentem, intelligi potest omnis peccatrix anima, vitiis concupiscentiisque subjecta. Talis etenim anima nunquam in rectæ rationis judicio permanet stabilis, nec virtutum robore
Ps. i, 4. solidatur, sed juxta Psalmistam, est tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Sic anima talis de uno vitio ruit in aliud, de concupiscentia una in aliam. Nunc ridet, nunc mœret, nunc perterre-
A tur, jam quasi securam se arbitratur; atque innumerabilibus passionum motibus agitatur, et in desideriorum suorum profluviis perit, in cogitationum suarum tumultibus peccat. Sed homo virtuosus ac sapiens passiones suas refrenat, affectiones in ultimum ordinat finem, mentem suam in Deum recolligit, virtutibus solidatur : idcirco constans ac stabilis est. Unde in Proverbiis scribitur : Justus quasi *Prov. x, 25.*
fundamentum æternum; quasi tempestas transiens, impius non erit. In Ecclesiastico
B quoque legitur : Homo sanctus in sapien- *Eccli. xxvii, 12.*
tia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur. Quemadmodum enim caro sustentatur per ossa, et ædificium domus per saxa et ligna, sic homo per sapientiam et virtutes spiritualiter consolidatur, fortificatur ac stabilitur. Siquidem per humilitatem consolidatur contra superbiæ ventum, per mansuetudinem contra iracundiæ impetum, per patientiam contra tristitiæ dejectionem, per liberalitatem contra avaritiæ inquietationem, per castitatem contra
C concupiscentiarum impulsum, per sapientiam contra cogitationum tumultum, per confidentiam Dei contra timorem, per caritatem Dei et proximi contra omnem invidiam et rancorem. His ergo virtutum machinis et columnis, ac veræ sapientiæ radiis, studeamus quotidie animas nostras confortare, ædificare et custodire, ne a dæmonum tentamentis, a carnis illecebris, a vanitatibus mundi vincamur.

Porro qui adhuc vitiis subjacet et concupiscentiis fluit ac defluit, exemplo feminæ
D hujus Christum verecunde humiliterque accedat, propria ponderando flagitia, et de eorum turpitudine coram Altissimo valde verecundando; et dicat in corde suo : Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, curabor a vitiis, hoc est, si Christi humilitatem fuero saltem aliqualiter imitatus, gratiose ab eo adspiciar et mundabor. Per fimbrias quoque vestis Christi, sacramenta ejus intelliguntur, sub quibus Christus ejusque gratia tegitur ac consistit. Oportet ergo sacramenta hæc tangere, et ex eis tan-

quam ex vasis medicinalibus purgationem, A gratiam et virtutes haurire. Atque in primis oportet humiliter, vere et integre confiteri, sicque Eucharistiæ sumere sacramentum, spiritualiter quidem quotidie, conjungendo se ei per fidem et caritatem (Augustino dicente, Crede, et manducasti), sacramentaliter vero simul et spiritualiter tempore opportuno, alia etiam sacramenta congruo loco et tempore apto, ut sic in omni virtute et gratia roboremur, et forti mulieri assimilemur. De qua Salomon fatur : *Prov.* xxxi, 10, 17, 19, 26, 27, 30. Mulierem fortem quis inveniet? B Accinxit fortitudine lumbos suos; manum suam misit ad fortia; os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus; panem otiosa non comedit; mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Istæ sunt proprietates et operationes bonæ mulieris, quas etiam viri habere, sequi et conservare tenentur.

Dan. xiii. Talis fuit virtuosa ac venerabilis illa Susanna, uxor Joakim. Quæ quum esset pulcherrima et fidelissima viro suo, imo quod majus est, devota ac timorata, atque in C lege Moysis erudita, a duobus presbyteris judicibus Israelitici populi concupiscebatur. Quumque eam in pomario viri sui solam deprehendissent, dixerunt : Ecce nullus nos videt, et in concupiscentia tui sumus; quamobrem nostræ nunc acquiesce voluntati, alioqui dicemus contra te testimonium, quod juvenis unus concubuerit tecum. His auditis, ingemuit Susanna : Angustiæ, inquiens, mihi sunt undique : si enim vobis consensero, mortem promereor; si non consensero vobis, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere pravo incidere in manus vestras atque occidi, quam peccare in conspectu Dei. Exclamavit ergo Susanna ; exclamaverunt quoque contra eam presbyteri et judices illi. Accurreruntque famuli Susannæ. Quibus dixerunt presbyteri, quod vidissent eam cum adolescente peccare; et erubuerunt vehementer, quia Susanna semper honestæ fuerat famæ. Altero die, convocantes presbyteri populum Israel et Susannam, accusaverunt eam coram omnibus de adulterio. Et stabant cum ea vir ejus, et parentes sui ac filii, ceterique consanguinei ac amici, et flebant cuncti, imo et omnes qui eam noverunt. Nihilo minus populus credidit illis duobus presbyteris tanquam judicibus. Susanna vero in cœlum adspiciens, dixit : Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, tu scis quia falsum contra me testimonium protulerunt. Quumque duceretur ad mortem, Deus justus et sanctus revelavit veritatem Danieli prophetæ ibi præsenti. Qui statim coram omnibus exclamavit : Falsum testimonium contra eam dixerunt. Stetitque populus. Daniel vero seorsum examinans illos duos presbyteros, ex verbis eorum convicit eos, et coram omnibus probavit eos esse mentitos. Sicque liberata fuit Susanna, et judices illi mox interfecti fuerunt.

SERMO TERTIUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE EORUM QUÆ DE SUSCITATIONE FILIÆ JAIRI SCRIPTA SUNT.

E*GO occidam, et ego vivere faciam*, D *percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere.* Deut. xxxii, 39. Hæc sunt verba Dei omnipotentis.

Quamvis itaque creaturis rationabilibus et irrationabilibus conveniat occidere, tamen soli Deo proprium est occidere et quod occisum seu mortuum est idem numero rursus vivificare. Unde et Christus A Deum se esse demonstrans, filiam Jairi archisynagogi defunctam, non orando, sed imperando, repente ad libitum reduxit ad vitam, vere resuscitans eam. Quod qualiter factum sit, in evangelio hodierno non legitur; sed inchoatur in eo historia resuscitationis istius, atque in verbis post evangelium istud immediate sequentibus enarratur, et nunc breviter tangam.

Itaque, quum Christus mulieri quam a *Matth.* IX, 22. sanguinis fluxu curavit, dixisset, Confide, filia, fides tua te salvam fecit, et esset B *Marc.* V, 35; *Luc.* VIII, 49. in via ad domum Jairi archisynagogi, venerunt nuntii ad Jairum, dicentes : Mortua est filia tua; quid ultra vexas Magistrum? Putaverunt nuntii isti quod Christus mortuam suscitare non posset. Jesus autem *Marc.* V, 36; *Luc.* VIII, 50. audito hoc verbo, dixit patri puellæ, videlicet Jairo, qui in Hebræo vocatur Jair : Noli timere; crede tantum, et salva erit, id est, a morte redibit ad vitam ac sanitatem. *Matth.* IX, 23. « Et quum venisset in domum » Jairi, « et vidisset tibicines », id est quosdam in domo sedentes et lugubre carmen ca- C nentes, ad provocandum compassionem et fletum in audientibus. Tales cantores seu cantatrices adducebantur olim, imo adhuc in quibusdam terris adducuntur in magnarum funere personarum, ut suo cantu provocent audientes ad lacrimas. Nam juxta diversitatem symphoniæ seu notæ, cantus sive sonorum, diversæ generantur affectiones in audientium cordibus : hinc aliquæ melodiæ provocant ad audaciam, sicut in bellis; aliquæ ad lætitiam, sicut in nuptiis; quædam ad devotionem, quem- D admodum in divinis; quædam ad compassionem et planctum, ut in funeribus. « Et turbam tumultuantem », quia turba quæ fuit in domo Jairi, fecit sonum confusum et strepitum magnum, lamentando, loquendo, et funeri necessaria præparando; *Ibid.* 24. « dicebat » ad eos : « Recedite » et nolite flere; « non est puella mortua, sed dormit. Et deridebant eum », scientes quod mortua esset. Ideo deriserunt Christum, quoniam verba ejus non intellexerunt : non enim voluit Christus asserere, quod puella non esset mortua morte naturæ, sed quod quoad se non esset more aliorum defuncta, sed potius dormiens seu similis dormienti, utpote protinus resuscitanda ab ipso.

« Et quum ejecta esset turba » illa tu- *Matth.* IX, 25. multuans, id est de domo expulsa, quoniam ob suam incredulitatem et Christi derisionem, indigna fuit interesse tanto miraculo, « intravit » cubiculum, et non permisit *Marc.* V, 37. illuc intrare secum quemquam, nisi Petrum et Joannem et Jacobum fratrem ejus, atque parentes puellæ. Hi tres Apostoli fuerunt præ ceteris Christo familiariores : unde et passione instante eos seorsum du- *Matth.* XXVI, 37. xit, et coram ipsis cœpit contristari, pavere ac tædere. Et tenens manum pu- *Luc.* VIII, 54, 55. ellæ, clamabat dicens : Puella, surge. Et reversus est spiritus ejus, id est, anima ejus a loco quo eam divina justitia constituerat rediit, et corpori reunita est. « Et surrexit puella » continuo, et ambu- *Matth.* IX, 25. *Marc.* V, 42. *Luc.* VIII, 55. lavit; et jussit illi dare manducare. Sicque per ambulationem et manducationem patuit eam esse veraciter resuscitatam. Et obstupuerunt parentes puellæ, stupo- *Ibid.* 56. re maximo, præ admiratione tanti miraculi tam repente imperialiterque peracti; quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat, id est, ne istud miraculum alicui notificarent. Hoc præcepit Salvator, non quia putavit tantum miraculum debere celari, sed ut nos humilitatem amare, vanitatem vero et ostentationem vitare doceret. Idcirco, Christi exemplo laudem humanam jactantiamque spernamus. « Et *Matth.* IX, 26. exiit fama hæc », id est rumor hujus miraculi, « in universam terram illam », id est per totam Galilæam, in qua contigit istud. Quamvis equidem Christus præcepit parentibus puellæ atque Apostolis istud non revelare, protinus tamen vulgatum est a turba illa quæ Christum derisit, et puellam fuisse defunctam cognovit.

Ista est historia suscitationis hujus puellæ, ex tribus Evangelistis, puta Matthæo, Luca et Marco, accepta. Superius quoque, *Cf.* p. 467 D et s. in sermone circa evangelium in dominica A sextadecima, dictum est quid per tres mortuos a Christo resuscitatos spiritualiter designetur. Illo ergo omisso, de aliorum quæ in hujus miraculi historia dicta sunt, tropologico intellectu aliquid est dicendum.

Itaque per Jairum archisynagogum designatur quilibet prælatus Ecclesiæ : qui si filiam suam, hoc est congregationem seu plebem sibi commissam, agnoverit spiritualiter mortuam per peccata mortalia, aut morti tali jam proximam per dispositionem ad peccata letalia, statim cum B omni sollicitudine et caritatis fervore accedat ad thronum gratiæ Christi, *Hebr.* iv, 16. et prostratus in terram, imploret auxilium gratiæ ejus. *Marc.* v, 35. Si interea denuntietur prælato, Quia mortua est filia tua, id est, plebs tua seu persona aliqua tibi commissa, indurata est incorrigibilisque effecta, non desperet, nec Deum pro illius reformatione invocare desistat. Et tunc Christus pie exaudiet eum, atque subveniet.

Itaque per puellam hanc mortuam, intelligi potest quilibet homo mortali subje- C ctus ac victus peccato. Primo, nam sicut puella est tenera ac fragilis creatura, non fortis in ratione neque in discretione prudentiæ, sed bono regimine refrenationeque indigens, quia ex se faciliter decipi potest ac vinci ; sic omnis peccator qui in mortali est culpa, miserabiliter mollis ac debilis est, utpote cedens et acquiescens hostibus suæ salutis, et omni spirituali ac salutari sapientia carens, imo et indiscretissime agens, quia a suo Creatore, a fonte beatitudinis suæ, a summo, infinito et in- D comparabili bono cor suum avertit, nec divino neque angelico instinctui consentiens sive obtemperans, sed diabolicis suggestionibus et carnalibus vitiosisque motibus præbens assensum : quod utique summa exstat stultitia. Unde et omnis peccator recte stultus vocatur, quemadmodum *Matth.* vii, 26. ait Salvator : Omnis qui audit verba mea et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam supra arenam. Quemadmodum enim stultus est ædificator qui supra arenam ædificium suum fundat, sic fatui sunt omnes qui non obediunt Christi doctrinis, quoniam mentem suam non figunt in Deo, sed in rebus caducis, vanis ac deceptoriis, de quibus Salomon loquitur : Vanitas vanitatum, et *Eccle.* i, 2. omnia vanitas. Idcirco in his decipiuntur, quia ad tempus prosperantur in talibus, et post in infernum labuntur, eo quod creaturis inanibus magis quam Creatori beatissimo inhæserunt. De quibus in Job habetur : Impii sublevati sunt confortatique *Job* xxi, 7, 13. divitiis ; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt. Hinc Christus per fatuas virgines omnes ini- *Matth.* xxv, 2 et seq. quos designat.

Insuper, sicut puella ob cordis sui mollitiem, inexperientiam, imprudentiam ac fallibilitatem, bono eget regimine et refrenatione præcipua (quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : Filiæ tibi sunt? *Eccli.* vii, 26. serva corpus earum, et ne ostendas hilarem faciem tuam ad eas ; itemque, In filia *Ibid.* xxvi, 13. non avertente se firma custodiam, ne inventa occasione abutatur se) ; sic impii et injusti maxime egent regimine sapientiali et refrenatione indesinenti, quatenus ad viam veritatis, ad tramites justitiæ reducantur, nec libertati propriæ relinquantur, sed per rigorem disciplinæ compescantur a malis, si aliter resipiscere nolint. Quemadmodum enim equus velox absque freno et rectore discurrens, se ipsum in aquas aut lacum præcipitat ; sic vitiosi ac intimorati, dum sibimetipsis relinquuntur, in profundum se ipsos præcipitant vitiorum, quousque in pœnas projiciantur perpetuas inferorum. Hinc in Proverbiis scriptum est : Ubi non est gubernator, populus cor- *Prov.* xi, 14. ruet. In talibus plane impletur quod Salomon protestatur : Est via quæ videtur *Ibid.* xiv, 12. homini bona, et novissima ejus ducunt ad mortem. Multi etenim diversis vitiis seducuntur et opera saluti contraria operantur, nec tamen credunt se deviare, nec increpantibus et informantibus acquiescunt. Quum enim vitiosis affectionibus sint repleti et animo excæcati, perverse judicant et injuste : ideo contra suam salutem, ad A honores, ad divitias, ad voluptates, ad vana et frivola tendunt. De quibus Isaias *Is.* v, 20. ait : Væ qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. Pro istis igitur incorrigibilibus est orandum, ut Christus eos suscitare dignetur, eos misericordissime præveniendo, intus tangendo, illuminando ac inflammando.

Denique, sicut puella in lectulo jacuit mortua, vestibus cooperta ; ita peccator in propriis vanitatibus et cogitationum atque B affectionum suarum mollitie, quasi in lectulo miseræ mentis, spiritualiter mortuus jacet, pravis operibus quasi vestibus coopertus. Quemadmodum ergo Christus puellam defunctam accessit, et clamando locutus est, Puella, surge, deditque ei manum et eam erexit ; ita prælatus seu prædicator, aut quicumque spiritualis amator, peccatorem sic mortuum debet accedere, et cum clamore, id est mentis fervore, eum hortari, informare et increpare, manum quoque ei porrigere, id est bonis exemplis C et orationum suffragio eum ad emendationem juvare.

Legitur tertio Regum, quod quum sanctus Elias hospitaretur apud viduam pauperem unicum filium habentem, obiit filius ille ; Elias vero Deum rogando et super *III Reg.* xvii, 17 et seq. puerum mortuum incumbendo, tandem obtinuit quod rogavit, et puerum suscitavit. Similiter Eliseus filium susceptricis suæ *IV Reg.* iv, 33-35. suscitavit a mortuis, septies super puerum mortuum incumbendo, et ejus corpusculum calefaciendo. Christus vero solo imperio puellam hanc suscitavit. Multi quoque viri sanctissimi in novo Testamento mortuos facillime suscitaverunt. Legitur enim in Vitaspatrum, quod dum quidam vir cum filio suo juvenculo iret ad visitandum abbatem Sisoim, puer ille in itinere obiit. Pater vero ipsius timens quod abbas Sisois ex humilitate abnueret puerum suscitare, apprehendit puerum defunctum in ulnis suis, ingrediensque cellam senis, posuit puerum ante pedes illius, quasi veniam postulantem. Tandem abbas Sisois putans puerum ex humilitate in prostratione tam diu jacere, dixit : Surge. Statimque puer surrexit a mortuis. Quo viso, pater pueri obstupuit vehementer. Fuit quoque alius magnus eremita, cujus discipulus in re quadam excessit. Et commotus eremita, dixit discipulo : Vade et morere. Moxque discipulus ruit et exspiravit. Quo viso, dolens de hoc eremita dixit : Domine Jesu Christe, precor, suscita illum, et amplius ita non loquar. Protinus ergo discipulus ille surrexit. Ecce quanta facit Altissimus pro suis amicis viris sanctissimis.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

PRÆLATI QUOMODO PRO SIBI SUBJECTIS ORARE CURAMQUE GERERE DEBEANT.

I*MPLEAMINI agnitione voluntatis Dei,* D *in omni sapientia et intellectu spirituali.* Coloss. I, 9.

Matth. xii, 34. Sicut ait Salvator, Ex abundantia cordis os loquitur. Idcirco ex mente sapientia et caritate repleta ac redundante, profluunt verba vere sententiosa atque ignita : quod in præsenti epistola facile est pensare. Siquidem in ejus exordio, Vas electionis, divinissimus Paulus, ad tertium cœlum ra- *II Cor.* xii, 2.

ptus, indeque rediens, compendiosissime A docuit quid ad prælatos, quid item spectet
Coloss. i, 9. ad subditos: Non cessamus (inquiens) orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis Dei. Quibus verbis docemur, quod ad prælatos pertineat pro sibi commissis incessabiliter deprecari. Ad quod primo tenentur ex debito sui officii, deinde ex paterna et præcipua caritate qua illos tenentur diligere, tertio ex consideratione insufficientiæ propriæ. Quum enim ex propriis viribus nequaquam sufficiant gubernare se ipsos, nec quidpiam meritorie B cogitare, loqui aut operari, multo minus ex se ipsis sufficiunt alios regere et salvare. Nec prælatorum instructio valet audientes convertere, nisi intus operetur unctio Spiritus Sancti, qui audientium mentes dignetur illuminare atque afficere. Ideo dicit Gregorius: Incassum foris laborat vox prædicantis, nisi intus adsit unctio Spiritus Sancti docentis. Indigent ergo prælati instantissime ac affectuosissime pro sibi creditis exorare, quatenus misericordissimus Spiritus Sanctus eos dignetur C intus gratiose prævenire, purgare, et ad intelligendum salubriter quæ eis dicuntur, movere ac illustrare. Orent ergo prælati pro lapsis ut resurgant, pro stantibus ut proficiant, pro omnibus ut salventur; et quos viderint magis pusillos, magis defectuosos ac gravius periclitantes, pro illis instantius ac lacrimosius deprecentur; et ubi plus deficit humanum auxilium, ferventius requiratur divinum.

Deinceps ex prætactis verbis docetur quid præsidentes pro subditis debeant exorare, D hoc scilicet ut subditi impleantur agnitione voluntatis Dei, hoc est divinorum præceptorum et evangelicorum consiliorum, et eorum quæ amplius placent Deo: ut divina præcepta non informi et nuda notitia, sed formata ac practica noscant scientia, eadem fortiter exsequendo. In multis autem agnoscimus, saltem nuda cogitatione, quid velit Dominus Deus noster, quid consuluit, quid præcepit, quid requirat a nobis: et in talibus scimus quid orandum sit nobis, videlicet ut Deus præstet nobis caritatem, humilitatem, patientiam, ceterasque virtutes, ac divina implere præcepta, et digne conversari vocatione qua sumus vocati. Ephes. iv, 1. In aliis vero ignoramus quid magis nostræ saluti expediat, et quid amplius placeat Deo ac magis pro ejus consistat honore, ut sunt ea quæ in se indifferentia sunt, et in utramque partem vergere possunt: ut sunt corporis infirmitates, damna rerum, mutationes locorum, et alia exercitia quædam, in quibus homo frequenter decipitur, ea optando quæ suæ adversantur saluti, quum tamen potius opinetur ea sibi esse proficua. In talibus ergo maxime indigemus illustratione divina, ut impleamur agnitione voluntatis Dei in illis, nec decipiamur. Unde quamdiu in talibus sumus ambigui, non debemus determinate et absolute ea appetere, sed cum quadam conditione, utpote dummodo sint pro Dei honore et nostra salute. Hinc Sapiens ait: Quis hominum poterit scire consilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Sap. ix, 13, 17. Et sensum tuum, Domine, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum tuum de cœlis?

Insuper, ex eisdem verbis docemur quid ad subditos pertineat, scire videlicet ea quæ eorum vocationem et statum concernunt, qualiter debeant obsequi Deo, reluctari dæmonibus, vitia superare. Discamus ergo et nos, atque assidue advertamus, ad quæ ex nostra vocatione et professione adstringamur, nec in supervacuis et impertinentibus occupemur, sed juxta doctrinam Apostoli, in omni opere bono fructificemus, Coloss. i, 10. quemadmodum jubet Salvator: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Matth. vi, 20.

Insuper Deo Patri totis regratiemur præcordiis, Coloss. i, 12, 13. quia de potestate nos eripuit tenebrarum, hoc est, de tenebris sæculi et vitiis quibus ibi involuti eramus eduxit nos, ita ut dicere cum Psalmista valeat omnis religiosus vere devotus et Deo gratus: Protexisti me a conventu malignantium, a Ps. lxiii, 3.

multitudine operantium iniquitatem. Et A transtulit nos in regnum Filii sui dilecti, id est, ad sacram religionem monasticam nos perduxit, in qua Christus per gratiam habitat specialem. In quo regno soli Christo militare debemus, et prorsus spiritualiter conversari ; et carnem nostram non carnaliter, sed spiritualiter adamare, ea exhibendo eidem quæ ad æternam suam glorificationem proficiunt ei ; nec quidquam admittere quo nostræ salutis adversarii delectantur. Consideremus acute quam infatigabiliter milites stipendiarii B suo regi fideles, insidientur ac reluctentur hostibus regni regis ac domini sui : sic et 1 *Tim.* i, 17. nos, si Deo omnipotenti, regi sæculorum immortali, invisibili, vere fideles exsistimus, si ipsum sincere diligimus, universis æmulis sui honoris ac nostræ salvationis, dæmonibus, concupiscentiis carnis, vanitatibus mundi et omni iniquitati, omni industria ac virtute cum incessabili Dei invocatione repugnemus et insidiemur. Et sicut pugnantissimi atque fortissimi principes adversarios suos terram suam ingredi non C permittunt, sed extra fines suos eis occurrunt; *Ephes.* iv, 27. ita et nos nequaquam demus locum diabolo, imo ejus suggestionibus statim in principio renitamur, negemus consensum, divini districtionem judicii, amarissimam mortem Christi, inferorum supplicia, cœlestis palatii gaudia, mortis appropinquationem, amaritudinem et discrimen assidue recordemur : imo, quod maxime spectat ad nos, ex sincerissimo Dei amore odiamus ac evitemus omne quod displicet ei, et diligamus ac prosequamur omne quod D complacet ipsi.

Refert Climacus dicens : Fuit in monte hoc Sinai Stephanus quidam solitariam et tranquillam diligens vitam, ac multis temporibus in conversatione monastica exercitatus, jejuniis maxime et lacrimis adornatus, ac aliis plurimis exuberantibus bonis repletus. Qui majoris perfectionis desiderio abiens, anachoreticam alibi duxit vitam, arduissimam et nimis angustam, quia et locus in quo degebat, omni humano carebat solatio, et quasi inaccessibilis fuit. Qui circa finem vitæ suæ ad propriam rediit cellam. In qua tandem ægrotans, ante unum sui obitus diem in ecstasi mentis factus, apertis oculis adspexit ad dexteram sui lectuli et sinistram, et quasi ad reddendam rationem a quibusdam exactus, cunctis qui aderant audientibus, dixit interdum sic : Utique verum est, sed confessus sum, et tanto tempore jejunavi pro isto ; interdum sic, Nequaquam, sed mentimini. Quandoque sic dixit : Istud feci, sed deploravi, et Domino ministravi ; quandoque sic, False me accusatis. Aliquando autem dixit : Ita est, nec valeo respondere, sed in Deo est misericordia. Et erat terribile et horrendum exactæ rationis exsecutorium. Ecce anachoreta qui circa quadraginta annos monachus fuit, et donum lacrimarum habebat, ad quasdam offensiones sibi objectas dixit, Ad hoc nihil dicere possum nec habeo : qui tamen in deserto adhuc habitans, leopardum ad se venientem pascebat. Et tamen hic talis et tantus sub hac exactione discedens a corpore, manifestum indicium non reliquit quæ fuerit finalis ejus sententia. Quid ergo fiet de nobis tam defectuosis atque fragilissimis, tam remisse viventibus, toties omni die peccantibus ? Non aliud restat, nisi ut vehementer formidemus, nosque quotidie fortiter emendemus, in omni custodia, pœnitentia et profectu perseverantes.

SERMO QUINTUS

QUOMODO RELIGIOSI FIMBRIAM JESU TANGERE DEBEANT, SANCTISSIMÆ VITÆ EJUS VIRTUTES ÆMULANDO.

D*ICEBAT intra se : Si tetigero tantum* A *fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Matth. IX, 21.

Per vestimentum, spiritualiter intelligitur virtus seu gratia Dei, qua anima decoratur, et contra tentationum ac vitiorum fervorem, contra pigritiæ frigus, contra intemperiem passionum munitur atque de- *Is.* LXI, 10. fenditur. Unde et legitur : Induit me Do- *Matth.* XXII, 11. minus vestimento salutis. Et caritas vestis nuptialis vocatur. Porro per fimbriam, quæ est quædam vestimenti extremitas, infimus gradus virtutis seu caritatis, seu minima B ejus operatio, designatur.

Joann. III, 34. Christo autem qui gratiam non ad mensuram accepit, nullus in caritate, virtute et gratia potest æquari. Nihilo minus tenemur ejus vestigia sequi, hoc est ejus virtutibus assimilari seu eas sectari, et conversationi ipsius nos saltem aliqualiter conformare, quemadmodum scriptum est : I *Joann.* II, 6. Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Propter *Joann.* XIII, 15. quod dixit : Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos facia- C *Ibid.* XIV, 6. tis ; itemque : Ego sum (inquit) via, veritas et vita ; nemo venit ad Patrem, nisi per me. Dicat ergo et quilibet nostrum : Si tetigero tantum fimbriam vestimenti Christi, salvus ero, hoc est, si Salvatoris caritatem ceterasque virtutes et operationes sanctas saltem pro aliquantula ac modica fuero parte secutus, salvabor. Ipse equidem perfectam et summam habuit ca- *Ibid.* XV, 13. ritatem, secundum quod protestatur : Majorem hac caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Et D tamen ipse majorem habuisse videtur, quia pro inimicis suis, imo pro interfectoribus suis crudelissimis sustinuit mortem, quorum multi pretio sanguinis sui ac suæ merito passionis exstant salvati. De quibus et passione sua imminente disseruit : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc *Joann.* VIII, 28. cognoscetis quia ego sum. Hinc ait Apostolus : Commendat caritatem suam in *Rom.* V, 8, 9. nobis Deus, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Verum hi secundum prædestinationem æternam fuerunt amici. Nihilo minus pro inimicis et reprobis passus est Filius Dei, qui universum salvavit genus humanum, et pro omnibus mori dignatus est et satisfecit quantum ad sufficientiam, quamvis in solis electis fructum sortiatur finalem meritum suæ passionis, ceteris obicem fructificationis hujus ponentibus.

Deinceps hanc Christi perfectissimam caritatem, secundum aliquem gradum sequi tenemur (secundum quod protestatur : Hoc est præceptum meum, ut dili- *Joann.* XV, 12. gatis invicem sicut dilexi vos) : quia non solum amicos, sed inimicos quoque tene- *Matth.* V, 44. mur diligere, et unumquemque proximum seu viatorem magis quam proprium corpus seu corporalem vitam amare. Ideo casu se offerente, pro talium unoquoque animam seu vitam nostram corporalem ponere obligamur, prout in prima sua Canonica ait Joannes apostolus : In hoc co- I *Joann.* III, 16 ; V, 20. gnovimus caritatem Dei, quoniam ille, videlicet Christus, qui est verus Deus et vita æterna, pro nobis animam suam posuit ; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Attamen si quis pro proximo suo etiam inimico animam suam ponat, id est, mortem sponte sustineat, ut illum a peccato aut quovis periculo eruat, needum adæquatus est Christo, nec caritas ejus caritati Christi par exstat, quia et propter proprium facit hoc præmium, nec in remissionem peccatorum alienorum sanguinem fundit suum. Talis tamen multum propinquaret perfectissimæ caritati Dei Domini Jesu Christi.

Præterea, quamvis non ad semper teneamur caritatem Christi tam perfecte sectari, nihilo minus necessarium nobis est ad salutem ut fimbriam ejus tangamus, eam saltem aliqualiter imitando, ita ut propter Deum æquanimiter patiamur adversa, et injuriantibus ignoscamus, pro persecutoribus nostris oremus, bona pro malis reddamus, sicque proximorum cooperemur saluti. Quæ cuncta quum ita se habeant, qualis illorum est caritas qui proximis et fratribus suis negant rem parvam, modicam opem, parvum obsequium, concessionem et usum rerum exteriorum ? qui facile offenduntur, irascuntur, et magnam aversionem displicentiamque concipiunt, ita ut proximum suum vix queant tranquille adspicere, sinceriter cogitare, et cupiant malum pro malo rependere ? Sed quoniam omnes blandimur persuademusque nobis quod utique fratres nostros spiritualiter diligamus, ut valeamus agnoscere an vere sit ita, attendamus quod Climacus ait : Si caritatem tuam circa fratrem vis experiri, vide an dum illum forte adspexeris contristatum, turbatum aut lapsum, toto condoleas corde, et quasi super te ipsum lacrimas fundas, et illum pro posse relevare coneris. Nunc ergo attendant qualiter suos diligant fratres, qui dum eos contra superiorem aut alium viderint conturbari, tristari, aut altercari, seu discordare, non dolent, non plorant, sed potius rident et complacentiam habent iniquam, aut unam adjuvant partem, et augent turbationem. Isti non cooperantur, sed adversantur proximorum saluti.

Si itaque volunt salvari, fimbriam caritatis Christi tangere studeant, discordantes pacificent, de adversariorum tristentur ruina, omnium deplorent peccata, orando,
hortando, exemplariter conversando, bo-
num nomen habendo; et omni modo si-
bi possibili proximis cooperentur ad gra-
tiam et salutem, juxta apostolicam illam
doctrinam : Dum tempus habemus, ope- *Galat.* vi,
remur bonum ad omnes, maxime au- 10.
tem ad domesticos fidei ; itemque, Quæ *Rom.* xiv,
pacis sunt, sectemur, et quæ ædificatio- 19.
nis sunt, in invicem custodiamus. Siqui-
dem væ homini per quem scandalum ve- *Matth.*
nit. Et qui inter plurimos conversatur, xviii, 7.
aut cum ingenti fructu ac merito habet
se exemplariter et devote, aut cum gra-
vi periculo et peccato scandalose atque
remisse. Væ illi qui sua dissolutione, lo-
quacitate, levitate, carnalitate, ira, impa-
tientia, inquietudine alios trahit ad cul-
pam, ad inquietationem, ad devotionis ac
profectus obstacula, qui sua perversitate
alterius alacritatem, tranquillitatem, pu-
ritatem conturbat, et Spiritum Sanctum
habitantem in eis quasi contristat. Nempe
si unum scandalizare pusillum tam im-
pium est, ut dicat infallibilis Judex, Qui *Ibid.* 6.
scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris : quam enorme et damnabile est plurimos scandalizare, et totum inquietare conventum, aut etiam præsidentem offendere et gravare ? Væ eis qui sua animositate et cervicosa responsione, aut certe acedia, aut alia qualibet passione irrefrenata, ad consimilia mala quempiam trahunt, qui ad remissius vivendum alliciunt, quorum exemplo alii fiunt audaces, sibi placentes, inobedientes, carnales et dissoluti, non timorati, sobrii, humiles et subjecti. Hinc seniores in religione maxime obligantur juniores ædificare, atque totius obedientiæ, humilitatis, maturitatis et dilectionis eis præbere exempla : quod si contrarium egerint, væ eis in æternum.

Insuper nobis religiosis præcipue est necesse ut fimbriam humilitatis Christi tangamus. Nam suæ humilitatis verticem seu perfectionem nullus tangere potest mortalium, nec pura aliqua creatura. Ipse

Philipp. II, 6, 7. etenim quum in forma Dei esset, exinanivit A se ipsum usque ad servilis formæ susceptionem. Apoc. XIX, 16. Quumque Rex regum et Dominus esset universorum, in tam profundissima humilitate conversari elegit in sæculo isto, quod rudes, pauperes atque ignobiles congregans sibi discipulos, Luc. XXII, 27. in medio eorum fuit tanquam ministrans, et frequenter servivit eisdem, tandem Joann. XIII, 4 et seq. curvatis genibus lavans ac tergens pedes eorum. Ibid. 16. Quum igitur non sit servus major domino suo, imo quum Domino isto sit omnis servus omnisque homo, omnis B demum creatura, quamvis angelica, in infinitum inferior: quæ est ista excæcatio, perversitas, obduratio nostra, quod per caritatem servire invicem renuimus, quod mutuo quasi superiores venerari negligimus, Rom. XII, 10. quod honore invicem non prævenimus, quod unus contra alium inflatur, quod unus alterum aspernatur, quod homo homini dominari appetit et præesse, quod in hoc sæculo volumus reputari aut aliquid apparere? Abjiciamus insanias istas, et unusquisque ceteris cunctis se ipsum C ex corde humiliet, subdat et multo reputet viliorem.

Postremo, fimbriam obedientiæ Christi tangere valde necessarium nobis est religiosis, voto obedientiæ circumseptis. Intueamur igitur incessanter Sanctum Sanctorum, unigenitum Dei Filium, cui a Patre data est omnis potestas in cœlo et Matth. XXVIII, 18. in terra, factum obedientem Patri æterno Philipp. II, 8. usque ad crucis ignominiosissimam ac acerbissimam mortem, atque in termino vitæ, in mortis articulo prolocutum: Pater, Luc. XXIII, 46; Ps. XXX, 6. in manus tuas commendo spiritum meum. Quid ergo nos servulos, nos viles vermiculos, nos defectuositate et omni fragilitate repletos, operari oportet, nisi Deo et ejus vicariis, sicut promisimus, in omnibus caritative atque humiliter obedire, in eorum manus nostras animas commendare, in observantiis Ordinis esse ferventes, in omni Dei obsequio diligentes, aliarum quoque virtutum Christi fimbrias tangere, opera imitari? Simus in omnibus patientes, sobrii, mansueti, constantes, timorati, devoti et custoditi.

SERMO SEXTUS

DE INSTABILITATE MENTIS HUMANÆ, ET CONTRA FLUXIBILITATEM COGITATIONUM.

SALVA *facta est mulier ex illa hora.* Matth. IX, 22.

Per eamdem rem, secundum diversas D proprietates in ipsa exsistentes, diversa significantur. Itaque per mulierem evangelicam istam, in quantum fidei magnitudine viguit, humilitate, caritate, devotione, constantia, gratitudine, patientia, ceterisque virtutibus gratiose resplenduit, potest intelligi omnis religiosa persona vere devota et virtuosa, quæ nihilo minus fluxum sanguinis patitur, id est cogitationum profluvia, affectionum instabilimenta, motus et alternationes varias passionum, aut etiam stimulos concupiscentiarum. Et istud est omni homini vere devoto, vere spirituali atque proficere cupienti, assidua quædam afflictio, mœror ac tædium, quod tanta est instabilitas suæ mentis, tam frequens et diuturna a Deo distractio etiam in divinis, ubi cum præcipua puritate, reverentia ac stabilitate vacare oportet Deo. Hic quoque est ei labor jugis ac singularis, ut quotidie ab hac calamitate et evagatione mentis magis ac magis eruatur ac præservetur, atque in Deo plus stabiliatur, præsertim tempore orationis, meditationis, psalmodiæ et celebrationis. Propter quod ait Aposto-

Hebr. xiii, 9. lus : Optimum est gratia stabiliri cor; et A
I Cor. xv, 58. rursus, Stabiles (inquit) et immobiles estote, abundantes in opere Domini semper.

Porro, ut gratiam hanc stabilitionis in Deo obtineamus, oportet nos ire post Christum et ejus vestigia sequi, ac fimbriam vestimenti sui contingere, ut scilicet ejus documenta et opera, virtutes et dona consideremus et nostris imprimamus memoriis, ac jugiter exerceamur et occupemur in illis, speculando quæ, quanta et qualia pro nostra fecit ac toleravit salute, quæ documenta, quæ consilia, quæ præcepta B contulit nobis, qualiter in omni nos virtute præcessit, et nos ipsum imitari præcepit. Si ista solerter et assidue intueamur et reminiscamur, excluduntur de cordibus nostris stultæ et frivolæ cogitationes, phantasticæ imaginationes, inordinatæ affectiones, otiositates et dissolutiones, nec delectat cum hominibus fabulari, et tempus infructuose expendere, iræ et contentionibus deservire.

Denique Christus secundum naturam assumptam, quantum ad supremas animæ C suæ vires, fuit incessabiliter Divinitati per actualem contemplationem et ardentissimam dilectionem intentus; nec unquam ad momentum ex quacumque occupatione exteriori aut somno impediebatur mens ejus ab actuali Divinitatis intuitu ac amore. Et quamvis ad hanc Christi perfectionem nemo in vita hac queat pertingere,
Sap. ix, 15. quoniam deprimit terrena inhabitatio mentem; nihilo minus fimbriam vestimenti ejus oportet nos tangere, hoc est ad mentis in Deo stabilitionem conari, ad actua- D lem Dei intuitum adspirare, ad contemplationem quotidie magis sinceram, amorosam ac stabilem intendere. Et hic jugiter esse debet noster affectus, noster labor, nostra intentio, ut quantum in vita hac fieri potest, simus semper actualiter Deo intenti, sine evagatione et labe ac inquietudine animi, quatenus quum a Deo aversos et evagantes nos ipsos senserimus, doleamus, atque ad ipsum reducere mentis nostræ oculum non tardemus. De hoc abbas Moyses dixit : Deo et contemplationi ejus jugiter et sine interruptione inhærere, et ei inseparabiliter copulari impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato; sed oportet nos scire ubi mentis nostræ intentionem debeamus habere defixam, atque ad quam destinationem sive ad quod propositum semper animæ nostræ revocemus intuitum. Quam quum obtinuerit mens, gaudeat, et a qua distractam se doleat ac suspiret; totiesque a summo bono se sentiat recedisse, quoties se ab ejus intuitu deprehenderit separatam, fornicationem judicans vel momentaneum a Christi speculatione discessum, a quo dum deviaverit paululum noster intuitus, rursus ad eum cordis oculos retorquentes velut rectissima linea ad ipsum mentis aciem revocemus.

Porro, sicut mentem cogitationibus non interpolari impossibile est, ita quod cogitationum ortus non est omnimode in nostra potestate; ita in nostra potestate est cogitationes recipere, approbare, reprobare, abjicere : quemadmodum molendinum incidentibus aquis non potest a suo motu quiescere, sed in molendinarii est potestate quid molat, videlicet triticum aut hordeum, sive zizania. Quum itaque totus noster profectus quotidianus sit, a cogitationum inutilium et evagationum atque illicitorum desideriorum profluvio omni die magis ac magis purgari, in sapientia et caritate constabiliri, in actuali Dei contemplatione ac fervida dilectione firmari, conemur indesinenter ad ista; atque ad ea adipiscenda a Domino referamus cetera exercitia nostra, utpote vigilias, abstinentias, disciplinas, labores, studium Scripturarum. Et quia nequaquam viribus nostris ad ea obtinenda sufficimus, Deum instanter et affectuose rogemus, ut nostram in hac parte juvet infirmitatem, et corda nostra in se confirmare dignetur, augendo semper in nobis gratiam, sapientiam et virtutes. Id quoque quod in nobis est, faciamus fideliter, custodiendo ac refrenando sensus nostros exteriores et interiores, loquacitates, levitates et ceteras peccandi A occasiones, immoderantiam cibi et potus ac somni, et omnem cordis torporem ac otiositatem ; nec longe a spiritualibus studiis recedamus. In ipsis demum exterioribus occupationibus assuescamus mentem sæpe ad Deum erigere per meditationes et orationes ferventes, saltem breves, ac plurimas. Ex multis etenim actibus consuetudo generatur seu habitus, qui est tanquam altera natura, facitque hominem prompte ac delectabiliter operantem.

Amplius, sicut homines prorsus munda- B ni, diversarum rerum quas vitiose amant, speciebus, phantasiis, memoriis ita repleti et occupati sunt, ut rarissime cogitent quæ sunt Dei, sed de una cogitatione et affectione immunda ac prava labuntur ad aliam ; ita vere religiosus implere non cesset cor suum cognitionibus divinorum, memoriis rerum salubrium, intelligentia Scripturarum, sollicitudine spirituali, affectione cœlesti, occupationibus exercitiorum sanctorum, præsertim dominicæ passionis memoria, ut nunc meditetur de morte, C nunc de pœnis inferni, nunc de districtione divini judicii, jam de beneficiis Dei, modo de beatitudine regni, de vita quoque Sanctorum, de passionibus martyrum, modo de his quæ Deus ab ipso requirit, et ad quæ tenetur, et qualiter coram Deo se habeat, quantum proficiat sive deficiat : quatenus si semper Deo directe intenti esse non possumus, saltem illicitas cogitationes quantum fieri valet vitemus, atque de una bona cogitatione et salubri occupatione ad aliam bonam et salubrem cadamus, sicque in cordis latitudine coram Altissimo ambulemus. Istud sit indesinenter exercitium nostrum, labor et studium, quamdiu in vita ista subsistimus. Et certe si ad modicum tempus ita egerimus, magnum plane sentiemus profectum, atque quotidie ampliorem mentis alacritatem, dulcedinem, firmitatem, et experiemur verum esse quod ait Scriptura : Justus quasi fundamentum æternum; *Prov.* x, 25. itemque, Homo sanctus in sapientia manet ut sol. *Eccli.* xxvii, 12. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

DOMINICA XXV POST TRINITATEM

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

ECCE DIES VENIUNT. Jer. XXIII, 5-8.

QUONIAM dominica ista proxima est A dominicæ Adventus Christi, idcirco nunc legitur loco epistolæ, lectio ista prophetica apud Jeremiam scripta, quia in verbis lectionis istius, Christi adventus prophetatus legitur, divinitusque promissus est. *Jer.* I, 5. Ait itaque sanctificatus in utero Jeremias propheta : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo,* id est, in terra concipi generarique faciam, *David germen justum,* id est Christum, qui secundum naturam humanam, de semine David regis natus est ex Virgine gloriosa, secun- B dum illud ad Romanos : *Rom.* I, 3. Factus est ex semine David secundum carnem. Idcirco vocatur justum germen, id est sanctus filius, regis David. Unde ad Virginem sanctam *Luc.* I, 32. angelus dixit : Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Et recte Christus vocatus est justum germen, de quo Gabriel *Ibid.* 35. dixit Mariæ : Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. De quo etiam apud *Is.* LIII, 9. Isaiam legitur : Iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Unde Stephanus primicerius martyrum ait obsti- C *Act.* VII, 51, 52. natis Judæis : Dura cervice, patres vestri occiderunt eos qui annuntiaverunt de adventu Justi, cujus vos proditores et homicidæ fuistis. De his diebus scribit ad *Galat.* IV, 4. Galatas Apostolus : Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Et de *Is.* IV, 2. germine isto scriptum est in Isaia : In die illa, videlicet tempore evangelicæ legis, erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.

Et regnabit Rex, hoc est, Christus per fidem, caritatem et gratiam spiritualiter regnabit in corde credentium qui ei deserviunt. Per prælatos quoque et vicarios suos præest fidelibus. Sicque ab exordio primitivæ Ecclesiæ, regnavit in Ecclesia militanti, et nunc regnat in Ecclesia triumphanti. Imo Christus secundum suam naturam assumptam, prælatus est omnibus creaturis, quemadmodum contestatur : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. *Matth.* XXVIII, 18. Alibi quoque dicitur : Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. *Joann.* III, 35. Hinc Gabriel dixit Mariæ : Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. *Luc.* I, 32, 33. Quod et ab Isaia apertissime est prædictum. *Is.* IX, 6, 7. De quo etiam apud eumdem legitur prophetatum : Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos. *Ibid.* XXXIII, 22. Denique Christo secundum utramque suam naturam competit esse regem : quia ut Deus, est rex per increatam auctoritatem; et ut homo, per concessam in tempore potestatem. *Et sapiens erit :* quia in quantum Deus, sapiens est sapientia increata et infinita, imo essentialiter est ipsa Sapientia. Unde Apostolus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam nominat. *I Cor.* I, 24. Sapientia namque appropriatur Filio, quemadmodum ars, veritas et exemplar, quia procedit a Patre per intellectum. Porro secundum naturam humanam, sapiens est sapientia creata infusa, quæ in Christo multiplex assignatur, sicut in A Cf. t. XXIX, p. 159 A et s. expositione evangelii in dominica secunda post Nativitatem ostensum est.

Et faciet judicium et justitiam in terra. Joann. VIII, 15. In Evangelio asserit Christus, Ego non Ibid. III, 17. judico quemquam; et iterum, Non misit Deus Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum : quomodo ergo Christus in primo suo adventu fecit judicium? Et respondendum, quod duplex est judicium, videlicet discretionis, quod ad prudentiam atque justitiam pertinet, quo inter bonum et malum, inter verum et falsum discernitur : et hoc Christus in primo suo adventu perfectissime fecit, bonos laudando, impios increpando ac detestando, virtutes docendo, vitia prohibendo, sicut in Evangelio scribitur; quosdam etiam occulto judicio ad fidem et gratiam misericorditer deducendo, alios juste derelinquendo. Sicque inter prædestinatos et præscitos discrevit : propterea Ibid. XII, 31. ait, Nunc judicium est mundi. Aliud est judicium discussionis et remunerationis, quod particulariter fit in mortibus singulorum, et universaliter fiet in fine sæculorum : cujus judicii exsecutio spectat ad Christum secundum naturam assumptam. Judiciariam namque potestatem et ejus exsecutionem seu sententiæ prolationem meruit Christus sua humiliatione ac passione : quanquam et aliunde sibi competeret, utpote ratione hypostaticæ unionis suæ humanitatis cum Verbo æterno. Nam eo ipso quo Christi humanitas suppositali unione Verbo unita est, prælata est omni enti creato, et habet super omnia auctoritatem, præsidentiam atque judiciariam Ibid. V, 22. potestatem. Hinc ait ipse : Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium Ibid. 27. omne dedit Filio; et denuo, Dedit ei potestatem, et judicium facere, quia Filius hominis est. Hinc de ipso in Isaia est præ- Is. XI, 3, 4. dictum : Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Præterea Christus in terra fecit justitiam, hoc est opera virtuosa, justa et sancta, quemadmodum fatetur : Ego Joann. VIII, 29. (inquiens) quæ placita sunt Patri, facio semper.

In diebus illis, puta in primo Christi adventu, *salvabitur Juda,* hoc est omnis populus Judæorum, imo totum genus humanum, quantum ad sufficientiam, non quantum ad efficientiam. Christus quippe, quantum in se est, pro totius humani generis satisfecit peccatis, sanctissime conversando, innocenterque moriendo. Verum B non omnes passionis suæ fructum et efficaciam sortiuntur : quod est ex defectu eorum, non Christi. In Christi quoque passione omnes Judæorum Patriarchæ, Prophetæ, ac ceteri prædestinati olim defuncti, ab originalis peccati reatu redempti sunt, sicut et ipse prædixit : Ego si exalta- Ibid. XII, 32. tus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Præterea, in primo Christi adventu salvati sunt omnes veri Judæi, hoc est Deo fideliter confitentes (Juda namque confessio interpretatur), non autem carnales re- C probique Judæi, qui synagoga sunt Sata- Apoc. II, 9. næ. Propter quod Simeon justus dixit de infantulo Jesu : Positus est hic in ruinam Luc. II, 34. et resurrectionem multorum in Israel. Unde de electis Judæorum reliquiis apud Isaiam prædictum est : Sanctus vocabitur Is. IV, 3. omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem. Præterea, de salvatione non Judæorum tantum, sed et totius mundi per Christum, omnes pene Prophetæ locuti sunt. Ad Abraham etenim dictum est : In semine tuo Gen. XXII, 18. benedicentur omnes gentes; et in Psalmo : D Reminiscentur, et convertentur ad Domi- Ps. XXI, 28. num universi fines terræ. Et in Isaia Deus Pater loquitur Christo : Dedi te in lucem Is. XLIX, 6. gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ; itemque apud Danielem : Om- Dan. VII, 14. nes populi, tribus et linguæ servient ei; potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur. At vero salvatio ista hominum facta per Christum, intelligenda est a reatu originalis peccati, a potestate diaboli, ab omni iniquitate, ab infernali punitione, atque de veræ et æternæ felicitatis adeptione, non de liberatione corporali ac temporali a captivitate humana ad regnandum in sæculo isto, sicut excæcati putant Judæi. Unde hanc spiritualem salvationem optavit beatissimus patriarcha *Gen.* XLIX, 18. Jacob, dicens : Salutare tuum exspectabo, Domine.

Et Israel habitabit confidenter. Hoc uno modo intelligi potest de habitatione illa pacifica quam in primo Christi adventu habebant Judæi sub Romano imperio, quia tunc multis annis inaudita pax fuit in sæculo, ita quod ad unius Octaviani imperatoris *Luc.* II, 1. præceptum totus orbis conscribebatur. Unde ab Isaia et Michæa prædictum *Is.* II, 2; *Mich.* IV, 1. fuit, Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium (quod omnes de primo Christi exponunt *Is.* II, 4; *Mich.* IV, 3. adventu); et subditur ibi, Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Secundo potest istud exponi de habitatione illa confidentiali et secura quam veri Israelitæ in Christum credentes, habuerunt post ejus resurrectionem suscepto Spiritu Sancto, quando etiam pro fide Christi non metuebant, sed cupiebant occidi, utpote pleni fiducia Dei. De quibus *Act.* II, 44, 46, 47. in Actibus habetur : Omnes qui credebant, erant pariter, et sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis; et collaudabant Deum, habentes gratiam ad omnem *Ibid.* IV, 31. plebem. Et rursum : Quum orassent, motus est locus in quo erant; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. Hinc per Isaiam *Is.* XXXII, 18. Deus prædixit : Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. Tertio potest istud intelligi de electis Israelitis pro statu eorum in Ecclesia triumphanti.

Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Ex hoc vaticinio probatur divinitas Christi. Nempe pro eo quod dicitur hic, Dominus justus, in Hebræo ponitur nomen Domini tetragrammaton, quod secundum Rabbi Moysen et ceteros Hebræorum doctores, incommuni- A cabile est creaturis, quia impositum est Deo altissimo ad designandum nudam ejus essentiam absque omni ad creaturas respectu. Divinitas autem Christi etiam aliis locis quamplurimis veteris Testamenti ostenditur, quemadmodum in illo Isaiæ : Parvulus natus est nobis, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis; *Is.* IX, 6. item in Michæa, Egressio ejus a principio, a diebus æternitatis; *Mich.* V, 2. atque in Psalmo, Sit nomen ejus benedictum in *Ps.* LXXI, 17. B sæcula, ante solem permanet nomen ejus. Quod aliis pene innumerabilibus probari testimoniis potest. Itaque credentes in Christum « vocabunt eum, Dominus justus noster ». Etenim in se ipso essentialiter justus est secundum quod Deus, et omni justitia quantum creatura capax est, plenus ut homo. Ipse quoque justificat eos qui credunt in ipsum, juxta illud : In hoc *Act.* XIII, 39. omnis qui credit, justificatur.

Propter hoc, ecce dies veniunt, dicit Dominus; et non dicent ultra, Vivit Do- C *minus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti; sed, Vivit Dominus qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, et de cunctis terris ad quas ejeceram eos illuc, et habitabunt in terra sua.* Totum hunc textus passum pariter posui, eo quod expositio id requirat, ut veritas plenius innotescat. Itaque doctores catholici, sequentes Hieronymum, ista exponunt de Judæorum conversione ad fidem, per quam spiritualiter adunati sunt in Christo, atque ad Deum reducti; habi- D taveruntque in terra sua, videlicet in Ecclesia militanti, deinde in Ecclesia triumphanti et regno cœlorum, quod est terra viventium, regioque vivorum, quam Deus patribus antiquis sub nomine terræ promissionis principaliter promisit in præmium. Sed huic expositioni obviare videtur, quod alio quodam loco Jeremiæ, hæc *Jer.* XVI, 14, 15. eadem verba, quasi sub eadem habentur forma, et tamen ibidem de reditu a captivitate Babylonica exponuntur. Et respondendum, quod Jeremias ibi præmisit de

Babylonica captivitate, quod scilicet Judæi A ob sua facinora in Babylonem ducerentur captivi, et statim adjecit verba nunc introducta : idcirco ibi sic exponuntur. Hic vero prophetavit Jeremias de Christi adventu, incarnatione, regno, et mundi salvatione per ipsum, protinusque adjecit verba nunc introducta : idcirco hic exponuntur de spirituali eductione Judæorum a locis terrarum in quibus dispersi fuerunt. Nam quidam eorum in omnibus locis illis conversi sunt. In Actibus quoque habetur, *Act.* ii, 5. quemadmodum in Jerusalem fuerunt habi- B tantes Judæi viri religiosi, ex omni natione *Ibid.* 41. quæ sub cœlo est, quorum plurimi per Apostolos crediderunt : erantque præordinatione divina ex diversis regnis ac sedibus ad Judæam reducti, et in Jerusalem adunati, habitantes ibidem in terra patrum suorum.

Itaque verbis iis declaratur magnitudo et grata recognitio beneficiorum Christi, ita quod Judæi in Jesum credentes, beneficia suæ incarnationis, instructionis, passionis, missionisque Spiritus Sancti, et donorum gratiæ ac salutis, in tantum magni penderent, quod beneficium eductionis de Ægypto traderent quodammodo oblivioni, eo quod beneficia per Christum collata, incomparabiliter sint majora. Liberatio demum Judæorum de Ægypto et Babylone, fuit figura liberationis spiritualis et perfectæ factæ per Christum. Figura autem et umbra, veritate patefacta et figurato jam apparente, cessant. Sed et motus majores expellunt minores, et majus lumen offuscat minus.

SERMO PRIMUS

DE IMMENSA LIBERALITATE CARITATIS DEI AD HOMINES, ET DE SANCTITATE CHRISTI.

O*MNES Prophetæ a Samuel et deinceps, annuntiaverunt dies istos.* Act. C iii, 24. Hæc sunt verba principis Apostolorum.

Quoniam in fide unigeniti Filii salus totius consistit mundi (quemadmodum bea- *Act.* iv, 12. tissimus Petrus docet : Non est, inquiens, aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri), hinc de Christo et ejus mysteriis Deus per universos Prophetas locutus est et prædixit. Et quamvis in themate præassumpto Petrus affirmet, quod omnes Prophetæ a tempore D Samuelis et deinceps, annuntiaverunt dies adventus Christi, et tempus gratiæ ac evangelicæ legis, per hoc tamen nequaquam excludit tempora quæ Samuelem præcesserunt prophetam. Imo a principio mundi, Deus per verba et facta, per mysteria et figuras, de Christo prænuntiavit per sanctos Patriarchas ac vates, per Adam, Seth, Enoch, Abraham, Melchisedech, Job, multosque alios, quamvis non omnia sint descripta. Propter quod evangelicus Zacharias effatur : Erexit cornu salutis no- *Luc.* i, 69, 70. bis, in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Et in isto relucet certitudo ac firmitas fidei christianæ. Istud quoque tangitur in exordio hodiernæ lectionis propheticæ, Deo per Jeremiam loquente : Ecce dies veniunt, et suscitabo *Jer.* xxiii, 5. David germen justum.

Secundo in verbis his tangitur immensa liberalitas beneficiorum Domini Dei, atque inæstimabilis caritas ac pietas ejus ad homines. Hoc quippe inter omnia beneficia omnipotentis Creatoris est maximum, quod Deus Pater unigenitum Filium suum misit I *Joann.* iv, 9. in mundum per incarnationis mysterium, deditque eum hominibus salvatorem et advocatum, imo et fratrem : atque Filium suum sic dando, etiam minora dedit nobis A per eum, vel in re, aut certe in spe. Pro- *Rom.* VIII, 32. pter quod ad Romanos ait Apostolus : Proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum : quomodo etiam non omnia nobis cum illo donavit? De hoc incomparabili beneficio Dei gratu- *Is.* IX, 6. labunda mente cecinit Isaias : Puer, inquiens, natus est nobis, filius datus est nobis; et vocabitur, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, etc. Hinc in sermone S. Thomas. de sacramento Eucharistiæ dicitur : Im- B mensitas liberalitatis beneficiorum Dei exhibita populo christiano, inæstimabilem ei *Deut.* IV, 7. tribuit dignitatem. Neque enim est aut fuit aliquando natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis : nam et in Sacramento altaris tam veraciter quam incomprehensibiliter adest nobis.

Denique in isto relucet caritas Dei ac totius supergloriosissimæ Trinitatis ad homines, quod scilicet Deus Pater tantum bonum hominibus voluit ac donavit, et C quod Unigenitum suum hominibus sic conjunxit; item, quod Unigenitus Patris nostram naturam sibi tam immediate et hypostatice copulavit, atque se ipsum nobis ita impendit; itemque, quod Spiritus Sanctus huic unioni cooperari dignatus est, et eam per Prophetas prædixit. Hinc *Ephes.* II, 4; *Rom.* VIII, 3. ait Apostolus : Propter nimiam caritatem qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Insuper in eodem ostenditur infinita pietas Dei ad homines, quod scilicet genus humanum D ita liberare dignatus est. Simus ergo pro posse grati divinæ liberalitati et beneficiis ejus, imo totius supersanctissimæ Trinita- I *Joann.* IV, 10, 19. tis caritati qua prævenit nos et prior dilexit nos, atque universæ pietati et misericordiæ ejus in nobis. His, inquam, grati jugiter simus, hæc omnia memoriter retinendo, sæpissime attendendo, Deum ferventer amando, ei quoque obediendo in omnibus reverenter, et laudando eum devote ac semper. Nonne perversus et excæcatus est nimis, qui ex horum consideratione non accenditur ad amandum, nec incitatur ad honorandum, nec movetur ad regratiandum, nec emollitur ad pœnitentiam ac devotionem?

Præterea in verbis his insinuatur virtus ac sanctitas Christi, quum dicitur, Germen justum. Ipse etenim justus fuit et vere justissimus, non solum injustitia omni carendo, sed etiam omnem virtutem et perfectionem atque justitiam exsequendo. Unde quum ipse Dominus universitatis, inter peccatores ad Joannem venisset Baptistam ut baptizaretur ab eo, et Baptista ex tam incomparabili Christi humilitate esset attonitus, atque ex consideratione suæ majestatis ac sanctitatis reverberatus, admirandoque diceret, Ego a te debeo baptizari, *Matth.* III, 14. et tu venis ad me? ipse respondit : Sine *Ibid.* 15. modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Denique teste Apostolo, Chri- *Philipp.* II, 8. stus humiliavit se, factus obediens usque ad mortem; nec metu mortis omisit veritatis prædicationem, impiorum reprehensionem, omniumque exsecutionem virtutum, sed coram Pilato, Ego, inquit, in hoc *Joann* XVIII, 37. natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. In hac ergo veritate Christum Dominum incessabiliter imitemur, ipsamque justitiam cordialiter diligamus, zelemus et pro viribus defendamus, in ea jugiter crescere cupiamus ac enitamur, quia ut ait Salvator, Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. *Matth.* V, 6. Justitiam sitit et esurit, qui tam indesinenter ac fervide de ea cogitat, eamque amplectitur, et in ea proficere nititur, quam incessanter atque ferventer esuriens ac sitiens cogitat et affectat cibum et potum. Injustitiam odiamus, et de operibus impietatis cordialiter doleamus; totisque viribus impediamus ne quæ injusta sunt fiant, aut quod justum est omittatur, secundum quod caritas Dei ac proximorum requirit.

Porro, ut sanctus ait Bernardus, justitia est reddere unicuique quod suum est. Tribue ergo tribus quod eorum est : redde superiori reverentiam et obedientiam, æquali consilium et auxilium, inferiori disciplinam atque custodiam. Sanctus quoque Ambrosius loquitur : Justitia est quæ alienum nil vindicat, quæ cuilibet præstat quod suum est, quæ negligit propriam utilitatem ut servet communem æquitatem. Justitia, secundum Anselmum, est animæ rectitudo. Unde quemadmodum corpus est rectum dum ad superiora erigitur, et curvum dum inferius inclinatur : sic anima hominis justa et recta est, dum per cogitationes ac desideria, erecta est ad divina ; injusta vero et curva, quando immoderate cogitat et affectat carnalia ac terrena.

Præterea, sicut de Domino Jesu Christo *Jer* xxiii, 5. prædictum est, Regnabit Rex, et sapiens erit ; ita et quilibet nostrum sit rex et sapiens, bene regendo se ipsum, carnem domando, concupiscentias ejus frangendo, in cibo, potu, somno, verbis ac vestibus moderamen servando, passionibus, animositati ac vitiis dominando, rationem quoque et voluntatem subjiciendo legi divinæ, et juxta documenta sacræ Scripturæ conversando ubique. Hæc est vera sapientia, intuitu et amore summi et incommutabilis boni beatitudinisque æternæ, præsentia ac *Mich.* vi, 8. terrena despicere, coram Altissimo semper sollicite ambulare, Deo jugiter obedire, omneque tempus ordinate ac fructuose expendere. Qui autem aliis appetunt dominari atque in mundo hoc exaltari, vani sunt, ambitiosi et fatui, non attendentes divini judicii rigorem.

Postremo, sicut de Christo legitur pro- *Jer* xxiii, 5. phetatum, quod faciet judicium justitiamque in terra ; sic quilibet nostrum exerceat in se ipso judicium, quia ut ait Apo- I *Cor.* xi, 31. stolus, Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Judicet ergo unusquisque se ipsum, proprios defectus et vitia considerando, reprehendendo et castigando ; discutiat propriam vitam, examinet et expurget conscientiam suam ; proximis quoque impendat caritatis effectum, eos pro posse pie instruendo, caritative corripiendo, ad salutem juvando. Hinc A etenim ait Michæas propheta : Indicabo *Mich.* vi, 8. tibi, o homo, quid sit bonum, aut quid Dominus requirat a te : utique facere judicium et justitiam. Verumtamen judicia aliorum temeraria sunt prorsus vitanda, quum dicat Salvator : Nolite judicare, ut *Matth.* vii, 1; non judicemini. Et rursus : Nolite (inquit) *Joann.* vii, 24. secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate.

Itaque usque ad mortem inhæreamus justitiæ, nec unquam a Dei avertamur amore, neque ab ejus filiali timore. Unde B in Vitaspatrum conscribitur, quod fuit quidam eremita famosus et sanctus, de cujus virtutibus populus undique loquebatur. Dixitque mulier quædam impudica et meretrix ad juvenes quosdam : Quid vultis mihi dare ? et ego deponam et vincam solitarium istum. Illi vero promiserunt ei pecuniam : quod tamen fecerunt, non tam ut eremita ille peccaret, quam ut probaretur. Itaque mulier illa, advesperascente die quodam, cœpit coram cella eremitæ illius deambulare et fingere C se errare ; cœpitque flere et eremitæ auxilium invocare. Rogavit itaque eum ut se intrare cellam permitteret, ne devoraretur a bestiis. Tandem eremita ex caritate et compassione intromisit eam. Intromissa vero, cœpit paulatim solitarium illum tentare et attrectare, et ad peccandum allicere ; diabolus quoque virum illum sanctum cœpit impugnare ac inflammare fortissime. Quod sentiens ipse, dixit : Deus lux est, opera autem inimici sunt tenebræ. Quo dicto, accendit candelam, et posuit D digitos suos in flamma candelæ et eos combussit, ut sic exstingueret ignem concupiscentiæ quo tentabatur. Mulier autem hæc videns, expavit atque obduruit quasi lapis. Facto mane, juvenes venerunt ad eremitam, dicentes : Venit hic vespere mulier aliqua ? Qui respondit : Etiam. Et illi : Ubi est ? inquiunt. Ait : Ite, videte maledictam et miseram illam, ecce destruxit omnes digitos meos. At illi circumspicientes, viderunt eam jam mortuam. Dixeruntque seni : Abba, ecce mortua est. Qui ait : Diabolus accepit potestatem in eam, et ipsam occidit. Deinde subjunxit : *Rom.* XII, 17, 21. Scriptum est ut reddamus bona pro malis. Et facta oratione, suscitavit eam a mortuis. Illa vero pœnitens et veniam poscens, emendavit vitam suam veraciter.

NOTA. — Evangelium dominicæ hujus est, quod in quarta dominica Quadragesimæ legitur : quod ibidem expositum est. Suntque ibidem tres sermones annexi eidem : idcirco nunc brevitati studens, illud prætermitto.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE DULCEDINE ET FRUCTU INCARNATIONIS FILII DEI.

E*CCE dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex,* etc. Jer. XXIII, 5.

Inter omnia opera omnipotentis et supergloriosissimi Dei præclarissimum, mirabilissimum et incomprehensibilissimum, est incarnatio Verbi æterni, Unigeniti Patris altissimi. *Ps.* CXLVI, 5. Ideo Deus, cujus sapientiæ non est finis, opus hoc incomparabile a mundi prædixit exordio, et per Prophetarum oracula, per Patriarcharum mysteria, per ænigmata et figuras id futurum prænuntiavit. Quod etiam ideo tam diu, tam multipliciter ac frequenter prædixit, quia in ipso consistit omnium salus. Per Filii etenim sui incarnationem et passionem Deus Pater genus humanum decrevit sibi reconciliare atque salvare : ideo semper necessarium fuit illud aliquo modo credi. *Act.* III, 24. Hinc princeps Apostolorum ait : Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps annuntiaverunt dies istos. Et rursus testatur : *Ibid.* 18. Deus qui prædixit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic. Evangelicus quoque Zacharias apertius loquitur : *Luc.* I, 68-70. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ; et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Denique sacratissima Virgo Christifera idem fatetur : Suscepit (inquiens) *Luc.* I, 54, 55. Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula. Et in isto clarissime lucent robur ac veritas fidei christianæ, quoniam ea quæ in novo Testamento credimus adimpleta, probamus a mundi principio, præsertim in veteri Testamento, esse multipliciter divinitus revelata, præsignata ac prophetata. — Et insuper omnia divina prodigia ac summa miracula per quæ Deus excelsus et adorandus, olim in veteri Testamento probavit Prophetarum oracula esse vere divina, a tempore Christi et Apostolorum a Synagoga ablata sunt, et per Christi Apostolos aliosque ipsius discipulos ad Ecclesiam copiosissime sunt translata, etiam quasi incomparabiliter abundantius atque præclarius quam unquam fuerunt tempore veteris Testamenti. Propter quod Christus in sermone post Cœnam disseruit : *Joann.* XV, 24. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Sunt autem et alia multa christianæ fidei certissima argumenta. A

Præterea, quoniam Unigenitus Dei, verus Deus, Patri consubstantialis, æqualis et coæternus, tot et tanta pro nostra assumpsit ac fecit pertulitque salute, consideremus frequenter et contemplemur subtiliter quam supernaturalis, altus et præclarissimus sit finis propter quem pius Creator condidit genus humanum, ita quod propter finem illum (per originale peccatum sublatum hominibus) recuperandum, necessarium et convenientissimum erat Dei Filium incarnari. Quis ergo est finis B iste ? Utique salus æterna, beatitudo angelica ac cœlestis, beatifica et per essentiam clara visio Deitatis immediata, plena ac contentativa fruitio increatæ et incircumscriptibilis bonitatis. Ecce quam magna felicitas, quam altissimus finis, quam plenissimum gaudium, illum in se ipso clare per speciem intueri, qui est essentialiter verus et veritas, cujus essentia est veritas prima, increata, idealis, supersplendidissima, superserenissima, superconvenientissima et superpulcherrima, imo quæ est ipsa C lux supermundissima et immensa, pulchritudo penitus infinita, serenitas illimitata.

Si naturaliter delectabile est videre quod pulchrum est, et tanto delectabilius quanto quid pulchrius (propter quod ait Scri-
Eccle. xi, 7. ptura : Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem ; unde et venerabilis ille To-
Tob. v, 12. bias : Quale, inquit, mihi gaudium esse potest, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video?) : quale et quam incomparabile gaudium est, divinam in se ipsa clare contemplari essentiam, quæ omnis pul- D chritudinis et decoris est fons, essentialiter pulchra, incircumscriptibiliter splendida, infinite serena, conveniens, deliciosa, universis et singulis vere in infinitum splendidior, pulchrior, convenientior atque serenior? Si delectabile est videre non solum aliquem speciosum adolescentem, elegantemque virum, aut magnum prælatum, præpotentemve regem, sed etiam bestias quasdam raras, fortes, pulchras ac nobiles, puta leonem, elephantem, rhinocerotem : quam superjucundissimum est, clare conspicere summæ et interminabilis majestatis regem ac principem, universorum Deum deorum, in suo decore, supergloriosissimum, omnipotentem, supernobilissimum, incomprehensibiliter sapientem, pium, justum, perfectum, divitem et beatum, in sua illimitabili venustate, in omni sua opulentia, excellentia et splendore ? Insuper, si tantum delectant exteriores sensus, corporalium ac vilium rerum odores, sapores, contactus, uniones, soni, harmoniæ ac melodiæ varii cantus : quam inæstimabiliter delectat omnem spiritualem interioremque sensum Creator omnipotens, omnium odorum, suavitatum, convenientiarum, delectabilitatum, harmoniarum, sonorum, melodiarum et cantuum sapientissimus institutor, excellentissimus ordinator, supergloriosissimus dator, in quo omnia illa superessentialiter, superexcellentissime et superplenissime continentur ? Propter quod omnibus illis incomparabiliter plus delectat, et superdelectabilissimus, superdeliciosissimus superconvenientissimusque consistit.

Præterea, quum naturaliter sit jucundum frui re dulci, convenienti et bona, sapere et gustare suavia, amplecti amata, possidere desiderata : nonne ineffabiliter incomparabiliterque jucundum est, et vere beatificum et beatum, frui ad libitum summo, incommutabili, increato infinitoque bono, cujus natura est bonitas pura, quomodolibet omniformiterque perfecta atque perfectionaliter infinita, cujus essentia est dulcedo immensa, a quo omnis bonitas, universa suavitas, cuncta amœnitas emanavit, dependet, infiniteque deficit ? O quam incomparabiliter dulce et jucundum est omni menti beatæ, in hoc bonum immensum, in hanc veritatem æternam, in hanc dulcedinem increatam ac infinitam, ore intellectus sui mordere, oculo interiori inspicere, palatum voluntatis immergere, gustu interno hunc supersubstantialem ac supersuavissimum cibum gustare, eo refici, satiari et in perpetuum æque delectabiliter frui ! Quam delectabilissimum A est universis Beatis, hoc supercarissimum bonum, ardentissime prædilectum, cum perpetua fruitione intra se amplexari ; hunc superditissimum Deum, omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium opulentissimum fontem, cum æterna securitate feliciter possidere ! Ecce qualis et quanta est felicitas electorum, quam vera et rationabilis est doctrina ac fides Christianorum, asserentium nullam puram creaturam fuisse idoneam et condignam recuperare ac promereri humano B generi beatitudinem istam, quæ est dignitatis quodammodo infinitæ, quum sit infiniti boni immediata atque beata fruitio. Propterea Unigenitus Dei humanam assumpsit naturam, et in ea ac per eam recuperavit ac meruit nobis felicitatem et gloriam istam immensam, perpetuam, consummatam.

Et nunc, o fratres, quare negligimus, *Josue* xviii, 3. cur torpemus ? Usquequo marcemus ignavia, et non intramus ad possidendam terram viventium, regionem cœlestem, here- C ditatem nobis paratam ? Cur non cum omni diligentia ac sollicitudine continua vitamus universa peccata quantumcumque minuta ? Cur non cum omni reverentia opus Dei peragimus ? Quare non inflammatur cor nostrum tam summi et incomparabilis boni amore, tantæ felicitatis affectione ? Cur non oculum mentis in eam modo pro posse defigimus, contemplando pro viribus bona gloriæ, quæ Dominus Deus noster omnipotens præparavit nobis in cœlis ? Nunc ergo corda nostra quotidie cum omni conatu purgemus, custodiamus ac decoremus, et accendamur in Domino. Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desideret anima nostra ad Deum ; *Ps.* xli, 2. ad ejus beatificam visionem, superdulcissimam fruitionem, securissimam possessionem avidissime suspiremus ; quæ sursum sunt sapiamus ; terrena, carnalia et caduca despiciamus. *Coloss.* iii, 2. Nullus labor appareat nobis gravis, nullum tempus longum, quo beatitudinem tantam promereri valemus, et quoniam omni momento eam et ejus augmentum possumus promereri. Omnis quippe caritativa ad Deum affectio, omnis quoque ex caritate profluens actio, æternæ felicitatis est meritoria. Propterea nullam temporis horulam infructuose pertranseamus, imo assidue ac ferventer elevemus cor nostrum ad Dominum Deum nostrum, ipsum contemplando, diligendo, desiderando, orando, laudando, atque in sanctitate et justitia ei *Luc.* i, 74, 75. infatigabiliter serviendo. Et quoniam lumen illud æternum essentialiter sanctum infiniteque purum, nequaquam beatifice inspici potest nisi a mentibus omnifarie purificatis, vitemus cum summo conatu omne peccatum, et a quotidianis præteritisque peccatis omni modo nobis possibili nos ipsos quotidie expurgemus, atque in caritate et gratia Omnipotentis incessabiliter crescere enitamur, ad laudem et gloriam ejus.

SERMO TERTIUS

QUOMODO RELIGIOSI VENTURO JUDICI CHRISTO REGNUM IN SE PARARE DEBEANT.

HIC *est vere Propheta qui venturus est* D *in mundum.* Joann. vi, 14.

Recte in ista dominica leguntur lectio ista prophetica atque evangelium hodiernum, quoniam pulchre per omnia consonant sibi. Et quod in lectione ista Jeremias legitur prophetasse de Christo, in evangelio isto declaratur impletum in eo.

A Ipse etenim tam præclarissimum faciendo *Joann.* VI, 5-14. miraculum, utpote satiando tot millia hominum ex quinque panibus ac paucis pisciculis, comprobavit se esse regem Messiam in lege et Prophetis promissum. Unde *Ibid.* 14. et turba viso tanto prodigio, dixit : Quia «hic est vere Propheta qui venturus est in mundum ». Per quam circumlocutionem intellexerat Christum. Itaque, quum suscitasset Deus Pater David germen justum, id est Christum, regis David justissimum filium secundum humanitatem assumptam, B ex tunc cœpit Christus rex regnare per gratiam in cordibus suorum fidelium, quos non corporaliter tantum, sed spiritualiter quoque refecit : quod exinde usque in præsens fecit in tota militanti Ecclesia in innumerabilibus millibus hominum.

Rogemus igitur Dominum Jesum Christum ut ipse solus indesinenter ac pure regnet in nobis, et mentes nostras spiritualibus panibus suis reficere semper dignetur. Nempe in quantum peccamus, in tantum non Christus, sed peccatum atque C diabolus regnant in nobis, quum ratio nostra illis in tantum succumbat, consentiat ac ministret. Nam ut beatissimus ait prin- II *Petr.* II, 19. ceps Apostolorum, A quo quis superatus est, hujus et servus est. Et quamvis absolute loquendo, non regnet diabolus in homine nisi per peccatum mortale, nihilo minus propter venialia aliqualiter in homine fertur regnare, quia et venialia ad mortale disponunt.

Hinc Cassianus ex ore abbatis Moysis loquitur : Expulso dæmone et vitiis in ani- D mabus nostris nequaquam regnantibus, regnum Dei fundatur in nobis, dicente *Luc.* XVII, 21. Evangelista : Regnum Dei intra vos est. Porro intra nos esse non potest nisi scientia aut ignorantia veritatis, et amicitia virtutum aut vitiorum : per quæ vel Christo vel diabolo regnum in nobis paramus. Cujus regni qualitatem describens Apostolus, *Rom.* XIV, 17. ait : Non enim regnum Dei est esca aut potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. Qui ergo justus est, et pacem habet internam ac gaudium spirituale, in eo regnat Dominus Deus. Et in quo sunt injustitia, discordia atque tristitia inordinata operans mortem, regnat diabolus.

Nunquam igitur regnet in nobis super- *Tob.* IV, 14. bia, ne ejus servi efficiamur ac filii, qui *Job* XLI, 25. est rex super universos filios superbiæ. Non regnet in nobis impatientia quæ stul- *Prov.* XIV, 17. titiam operatur; non ira quæ in sinu stulti *Eccle.* VII, 10. quiescit; non gula aut concupiscentia carnis, ne bestiis conformemur, et efficiamur *Ps.* XXXI, 9. ut equus et mulus quibus non est intellectus; non tepiditas aut pigritia, ne ex ore *Apoc.* III, 16. Domini evomamur. Sed rationi nostræ in omnibus imperet Deus, et ratio passionibus, quatenus anima nostra sit quasi cœlum in terris, et mens nostra sit thronus Dei : sicque in omni eventu, in omni adversitate et tribulatione perseveret mens nostra in luce sapientiæ constans, in discretionis judicio stabilis, in contemplatione jucundans, voluntas quoque in Deitatis amore flammigera, in zelo justitiæ libera, in totius boni affectu fidelis. Quo facto, venti passionum, tumultus tentationum facile exsufflabuntur.

Denique de hoc cœlo terreno loquitur Climacus : Firmamentum pro pulchritudine habet stellas; anima vero impassibilis facta (id est passionibus dominans), pro ornatu habet virtutes. Anima talis dæmonum impugnationes atque astutias reputat ludos. Impassibilis autem (id est vir perfectus, heroicus et divinus) proprie dicitur, qui carnem suam fecit incorruptibilem, hoc est inviolabilem a peccatis, ita quod concupiscentiis non assentit, passionibus non succumbit, vitiorum non servit corruptioni, nec exhibet membra sua ar- *Rom.* VI, 13. ma iniquitatis peccato, a vitiis gulæ et immunditiæ penitus abstinet, ab exteriorum interiorumque sensuum irrefrenatione et abusu se prorsus custodit, mentem quoque suam a rebus creatis abstraxit et exaltavit, omnes sensus ei subjiciens, Deique vultui eam jugiter repræsentans.

Denique talis coram Deo et hominibus irreprehensibilem exhibet semetipsum. Tribus etenim modis, vel magis in tribus debemus nos coram Deo irreprehensibiles A exhibere, videlicet in cogitatu, affectu et intentione, ut sit cogitatio sancta et utilis, affectio pura et spiritualis, intentio recta ac stabilis. Sic et coram hominibus in tribus bona provideamus, puta : in habitu seu vestibus, ne sint curiosæ; in operationibus, ne sint illicitæ; in locutionibus, ne sint infructuosæ. Quumque nihil sit cogitatu facilius, ac copiosissimam habeamus materiam cogitandi de pertinentibus ad salutem, utpote de Deo omnipotente et omni excellentia, perfectione ac beatitudine B ejus, de universis beneficiis et promissis ipsius, de præceptis, consiliis et prohibitionibus ejus, de mysteriis Christi, et verbis, doctrinis, miraculis, sanctitate, gestis et passione ipsius, de propria vocatione et causa coram Altissimo, de his quæ Deus requirit a nobis, de examinatione conscientiæ et discussione propriæ vitæ, de omnibus quæ in Scripturis sanctis contenta sunt, et de virtutibus, operibus atque miraculis patrum nostrorum : quid est quod omnibus his relictis, vana et frivola, C stulta et inutilia cogitamus, et ex cogitatione prava ad desideria labimur vitiosa ? Ne ergo inutiliter occupemur, omnipotentis, sancti et supersapientissimi Dei præsentiam jugiter meditemur, ut sint *Ps.* xxiv, 15. oculi nostri semper ad Dominum, in cujus intuitu erubescamus committere quidquam illicitum sive omittere debitum. Quanto Creator cunctis hominibus major est in sapientia, sanctitate et dignitate, tanto plus verecundemur coram ipso habere nos viliter, acediose, turpiter, inordinate. D

Jer. xxiii, 5. Postremo David germen justum, videlicet Christum prorsus justissimum, in vera sectemur justitia, omnem odientes impietatem et culpam ob propriam ejus enormitatem, turpitudinem, inordinationem ac vilitatem, et maxime in quantum inhonorativa est majestatis divinæ, ac offensiva sanctitatis supremæ. Propria quoque peccata in nobis ipsis reprehendamus ac ulciscamur quotidie. Et ita agamus judicium *Jer.* xxiii, 5. justitiamque in terra, dijudicantes, corripientes ac castigantes nos ipsos assidue in vera discretione; sed et proximum suum corripiat unusquisque caritative et ordinate. Et quoniam domini sapientes, servos sapientes libenter habent ac diligunt, exhibeamus nos servos sapientes sapientissimi Christi, ut in primis dono sapientiæ decoremur, atque per illud Deum et bona æterna cum mentis dulcedine amorose et uberrime contemplemur, deinde notitia sacræ Scripturæ, juxta cujus documenta, præcepta, consilia nos ipsos in omnibus dirigamus, ex qua etiam contemplandi materiam et diligendi formam accipiamus. Sicque juxta apostolica hortamenta, in sapientia *Coloss.* iv, 5. ambulemus ad eos qui foris sunt, ut Deus per servos suos glorificetur et in eis laudetur, simusque bonus odor Christi *II Cor.* ii, 14, 15. in omni loco. Sed et sermo noster semper in gratia sale sapientiæ sit conditus, *Coloss.* iv, 6. nec proferamus quod quempiam scandalizet, sed solum quod audientes ædificet. Rogemus quoque Dominum ut linguam nobis *Is.* l, 4. tribuat eruditam, scientiam salutarem, copiam exhortandi salubriter efficacem : quatenus quicumque quempiam nostrum accesserit, ædificatus discedat; qui venerit desolatus, abeat consolatus ; qui mente vulneratus aggreditur, curatus regrediatur. Et ita verbis et factis ac moribus simus proximis exemplares, atque nos ipsos coram Judice summo nobiliter, hoc est sapienter et virtuose, in cunctis habentes, et ipsum semper in omnibus totis præcordiis et totis viribus honorantes.

SERMO QUARTUS

DE INSTITUTIONE VITÆ MONASTICÆ, ET ORIGINE RELIGIOSORUM AC MONACHORUM.

MULTITUDINIS credentium erat cor A *unum et anima una.* Act. IV, 32.

Beatissimus monachorum pater, re et nomine Benedictus, in principio Regulæ suæ ponit quatuor genera monachorum. Primum vocavit monasteriale seu cœnobitale, videlicet congregationem religiosorum sub uno rectore ac regula servientium Deo. Secundum anachoretale vocavit, hoc est eremitarum, qui bene exercitati ac reformati in cœnobio, procedunt ad singulare certamen contra diabolum, congregationem Fratrum relinquendo ac solitariam B prorsus vitam ducendo, ut tanto quietius, perfectius, ardentius atque propinquius vacent ac placeant Deo, quanto ab omni societate, occupatione et inquietatione humana fuerint plus abstracti. Tertium vocavit genus Sarabaitarum, id est pigrorum atque carnalium monachorum, qui bini aut trini, aut certe seorsum singuli habitantes, absque spiritualis patris regimine et sine approbatæ regulæ observatione vivunt ad libitum : quibus pro lege est desideriorum voluptas ; et quidquid C rectum putaverint sive elegerint, sanctum affirmant ; quod autem noluerint, putant illicitum. Quartum genus vocavit gyrovagum, puta eorum qui per totum tempus suum per diversas provincias hinc inde discurrentes, ternis aut quaternis diebus in diversis Fratrum cellulis hospitantur, vagi, instabiles, suisque desideriis ac gulæ illecebris servientes, ac Sarabaitis deteriores.

Denique huic S. Benedicti recitationi magna ex parte concordat quod secundo D Collationum Patrum libro, præclarissimus pater et doctor noster Joannes Cassianus ex verbis sancti patris abbatis Piammonis descripsit : Tria (inquiens) sunt genera monachorum, quorum duo sunt valde bona, tertium tepidum est et omnino vitandum. Primum est cœnobitarum, qui scilicet in congregatione pariter consistentes, unius superioris directione reguntur. Secundum est genus anachoretarum, qui primo in cœnobiis instituti, atque in actuali conversatione perfecti, secreta solitudinis elegerunt. Tertium est Sarabaitarum, qui cœnobiorum disciplinam et patrum gubernationem vitantes, proprias discunt facere voluntates, bini aut trini in cellulis commorantes. Est sane et aliud quartum genus eorum, qui anachoretarum speciem sibi assumunt. Quum enim in principio suæ conversionis ad modicum tempus in cœnobio cum fervore quodam fuerint conversati, statim tepescunt ; et passiones suas ac vitia moresque pristinos evellere negligentes, ac spiritualis patris subjacere judiciis dedignantes, separatas expetunt cellas et solitarie manent, quatenus a nemine molestati, videantur ac reputentur patientes, mites ac humiles. Quæ institutio, imo tepiditas, eos quos semel infecerit, nunquam ad perfectionem permittit accedere : quia per talem recessum, eorum passiones et vitia non solum non eradicantur, sed in deterius convalescunt, dum a nemine provocati, quoddam letale vulnus intra se portant absconditum.

Præterea de origine cœnobitarum, id est monachorum in congregatione sub rectore viventium, sic abbas Piammon dixit : Cœnobitarum conversatio a tempore prædicationis Apostolorum sumpsit exordium. Nam talis fuit vita primitivæ Ecclesiæ in Jerosolymis sub sanctis Apostolis, quia ut Lucas testatur, multitudinis credentium *Act.* IV, 32, 35.

erat cor unum, et omnia erant eis communia, dividebaturque singulis prout unicuique opus erat. Quumque tempore procedente, post Apostolorum discessum ac divisionem, multiplicatis credentibus, cœpisset fervor ille primitivus tepescere, non solum in subditis sed etiam in prælatis, quidam in quorum mentibus mansit apostolicus fervor, memores pristinæ perfectionis, ab aliorum recesserunt consortio, atque in suburbanis et secretioribus locis morari cœperunt, talemque vitam ducere, qualem sub Apostolis omnes credentes habuerunt communiter. Qui eo quod a conjugiis abstinuerunt, et a parentum consortio aliorumque conversatione se abalienaverunt, inter se communem vitam ducentes, ex communione consortii cœnobitæ vocati sunt; eorumque habitacula cœnobia sunt vocata. Istud itaque est antiquissimum monachorum genus, quod per annos plurimos solum usque ad abbatis Pauli vel Antonii duravit ætatem.

Insuper his concordat quod S. Hieronymus libro de Illustribus viris ait : Philo Judæus, natione Alexandrinus, idcirco a nobis inter scriptores ecclesiasticos ponitur, quia in libro quem de prima Marci evangelistæ apud Alexandriam scripsit Ecclesia, in nostrorum laude versatus est, id est, Christianos laudavit, non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse commemorans, et habitacula eorum monasteria vocans. Ex quo apparet, talem vitam fuisse Ecclesiæ primo in Christum credentis, qualem nunc monachi imitantur, ut nihil cujusquam sit proprium, nullus inter eos sit dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacent et psalmis, doctrinæ quoque et continentiæ, quales Act. IV, 32, 35. Lucas refert primum Jerosolymæ fuisse credentes.

Insuper, juxta abbatis Piammonis relationem, ex optimis cœnobitis prodiit genus anachoretarum, qui ex cœnobiis, non ex impatientia, tædio, pusillanimitate aut vanitate, sed majoris profectus altiorisque contemplationis desiderio recedentes, solitudinis secreta ingressi sunt, solitariam omnino vitam agentes : non contenti victoria qua inter homines occultas diaboli calcaverunt insidias, sed manifesto cum dæmonibus conflictu congredi cupientes. Quorum principes Paulus Antoniusque fuerunt. Sarabaitæ autem per Ananiam et Saphiram de quibus in Actibus habetur, sunt Act. v, 1 et seq. figurati, quoniam instar illorum evangelicam perfectionem non in veritate et sinceritate, sed simulatorie arripuerunt, ut carnalia commoda et laudes assequerentur humanas. — Ex his innotescit institutio vitæ monasticæ, et monachorum origo atque distinctio.

Sed advertendum, quod omnis religiosa ac monachalis vita ac Ordo in evangelicis Christi fundatur consiliis, præsertim in tribus : in quorum uno consulit paupertatem, in alio castitatem, in tertio plenam obedientiam. Practica vero et exsecutio consiliorum illorum, exordium habuit tempore, loco ac modo præfatis. Nunc ergo, o religiosi, o solitarii, o monachi universi, admirabilem vestræ vocationis dignitatem pensate, quæ in evangelicis æternæ et increatæ sapientiæ unigeniti Filii Dei fundatur consiliis, quæ a sanctis Apostolis ac beatissima illa primitiva Ecclesia sumpsit exordium, quæ a tot præelectis, gloriosis ac sanctis patribus est servata, quæ angelicam puritatem sectatur, atque in terris vitam orditur cœlestem. Idcirco satagite digne ambulare vocatione qua vocati estis Ephes. IV, 1. a Spiritu Sancto. Non fatigemini animis Hebr. XII, 3. vestris, nec ex diuturnitate et frequentia exercitiorum actuumque bonorum quæ quotidie agitis, tepescat, lassescat aut præsumat cor vestrum : imo quo diutius, eo ferventius magisque timorate Deo servite Ps. II, 11; Deut. IV, 9. in omni mentis custodia. Non cesset manus vestra, sed quidquid potest, instanter efficiat : Eccle. IX, 10. erit enim merces, et utique merces II Par. XV, 7. æterna ac infinita, operi vestro. Non sunt Rom. VIII, 18. condignæ passiones vitæ præsentis ad gloriam vobis paratam : ideo patrum vestrorum vestigia incessanter sequamini, et eorum statum cum omni diligentia observate.

SERMO QUINTUS

DE VITA ET PERFECTIONE AD MONACHOS PERTINENTE, SECUNDUM DOCTRINAM DIVINI DIONYSII.

ACCEDAMUS cum corde vero in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala, tenentes spei nostræ confessionem indeclinabilem. Hebr. x, 22, 23.

Ferventissimus ac illuminatissimus ille Areopagita Dionysius, ritum institutionis ac benedictionis seu consecrationis monachorum, prout in primitiva fiebat Ecclesia, in libro de Ecclesiastica hierarchia cap. vi. describens, inter cetera ait, quod inter eos qui perficiuntur, summus est ordo monachorum, qui idcirco speciali nomine designantur. Nam quidam Apostolorum nuncupaverunt eos Dei famulos seu placatores, propter assiduum quem Deo exhibent famulatum. Alii nominaverunt eos monachos, a monade seu unitate, propter ipsorum singularem vitam qua adunantur ac simplificantur in Deo per abstractionem a materialibus ac sensibilibus rebus, et per divinorum contemplationem ac puram affectionem. Unde dicuntur et monachi, quasi singulares ac solitarii et uniti, quia eorum vita non debet in temporalibus esse divisa, sed in Deum reducta, ne cogitationibus et affectionibus aut sollicitudinibus per temporalia distrahantur aut Luc. x, 42. evagentur, sed in uno summo quod solum necessarium est, stabiliantur.

Deinde, in primitiva Ecclesia, sacerdos monachum benedicens ac consecrans stetit ante altare, cum cantu Deum pro monacho invocans, id est, aliquos psalmos illi ministerio convenientes decantans; et consecrandus in monachum, stetit retro sacerdotem. Qui monachum interrogavit an vellet renuntiare omnibus sæcularibus conversationibus ac phantasiis, sæcularibus quoque rebus seu opibus, non solum A quoad consecutionem earum, sed etiam cogitationibus affectionibusque illarum; et exposuit monacho perfectionem vitæ monasticæ. Monacho autem confitente quod omnia vellet servare, signavit eum sacerdos crucis signaculo, atque tondebat; et pristinis vestimentis extractis, induit eum alias vestes, osculabaturque eum cum ceteris qui adstabant, et dedit ei Eucharistiæ sacramentum. Monachus vero nullum genu flectebat, nec super caput ejus evangelium ponebatur, ad designandum quod B non est sui officii aliorum gerere curam seu prælationem, et animarum gubernationem habere, sed sui ipsius esse sollicitum et custodire unum, scilicet Deum, ipsum sincere colendo, vel se ipsum, cor purum ubique servando. Unde dicitur monachus, quasi custos unius.

Præterea, crucis signatio innuit monachum a carnalibus desideriis oportere penitus abstinere, ut cum Christo crucem Luc. ix, 23. suam portet quotidie, corpus proprium castigando ac proprias voluntates mortifi- C cando. Capillorum vero detonsio signat mundam, nudam et non fictam monachi conversationem, ne simplicitas mentis, eorum exteriori compositione ficte ornetur, sed pure erigatur ad Deum : quoniam sicut in libro Job scriptum est, Congregatio Job xv, 34. hypocritarum est sterilis, hoc est coram Deo infructuosa, Christo in Evangelio de talibus contestante, quia receperunt mer- Matth. vi, 2, 5, 16. cedem suam. Et iterum ait Scriptura : Simulatores et callidi provocant iram Dei. Job xxxvi, 13. Rursus, quia capilli superfluunt corpori, D per eorum abrasionem intelligitur resecatio superfluorum, ut monachi simplici ac tenui victu atque vestitu sint contenti, prout votum paupertatis eorum requirit. Propter quod dominus Guillelmus Antisiodorensis fatetur in Summa sua, quod tenuitas victus et vestitus adeo sunt de religionis essentia, quod non cadit dispensatio super ea. Insuper, per mutationem vestitus, innuitur quod monachus de gradu communis plebis ad altiorem assumitur gradum ac ordinem : propter quod ad novam melioremque vitam tenetur.

De his in libro præfato multa Dionysius sacer conscribit, ex quibus fundamentaliter innotescit quam interna, spiritualis, pura ac fructuosa religiosorum conversatio debeat esse, quia divino obsequio totaliter mancipati consistunt. Idcirco per sacrificium illud legale quod holocaustum vocatum est, sunt expressi. Holocaustum namque seu incensum ad divinæ majestatis honorem totaliter comburebatur, ad figurandum quod religiosi debent se totos Deo offerre mundoque mortuos exhibere. Rom. xii, 2. Quibus specialissime ait Apostolus : Nolite conformari huic sæculo; Coloss. iii, 1-3. et rursus : Quæ sursum sunt quærite; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram : mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Hinc cœnobium sepulcro assimilatur, quia in cœnobio debet religiosus huic mundo abscondi ac mori. Unde et claustrum a clausura nomen accepit, quia claustrales ab universis sæculi hujus inquietudinibus, curis, tumultibus debent esse reclusi, tanquam in omnipotentis Dei præsentia constituti, et vultui gloriæ ejus intenti (quorum est dicere cum Elia, Vivit Dominus, in cujus III Reg. xvii, 1. conspectu sto hodie), ut omne opus Domini efficiant diligenter, et juxta regulæ suæ tenorem ambulent timorate indesinenter, nec intuente Altissimo audeant cogitare et affectare quod coram hominibus erubescerent dicere.

Væ igitur religiosis pigris, carnalibus, intimoratis ac dissolutis, qui cum ingratissimis illis Judæis redeunt corde in Ægyptum Num. xiv, 3, 4. sæculi hujus nequam, hoc est ad levitates pueriles, ad vanitates et affectiones carnales, ad loquacitates et lautitiam gustus oblectamentaque corporis : sicque ad transgressiones et negligentias detestabiles efficiuntur quotidie proniores, et tandem sic indurantur ut propriam non advertant ruinam, nec sua pensent pericula, imo nec informationem, nec correptionem, multoque minus correctionem suscipiant; sed fit eis frons mulieris meretricis, quia Jer. iii, 3. de suis vitiis erubescere renuunt. Quibus, ut beatissimus princeps Apostolorum locutus est, contigit illud veri proverbii : II Petr. ii, 22. Canis reversus ad vomitum suum; et, Sus lota in volutabro luti. Attendamus ergo, I Cor. i, 26. o fratres, vocationem professionemque nostram; et cuncta carnalia ac terrena pro nihilo adspicientes, Domino majestatis cum omni spirituali profectu jugiter serviamus.

SERMO SEXTUS

DE FORMA ET SIGNIFICATIONE HABITUS MONACHORUM.

INDUIT me Dominus vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. Is. lxi, 10.

Ut religiosus advertat quam abominabilis et injustus, quamque deridendus et stultus sit coram inspectore cordium Deo, nisi veræ devotioni, contemptui mundi virtutibusque insistat, nunc aliquid de ipso monastico habitu est tangendum. Monachorum etenim habitus, non solum litteralis, sed et mysticus perhibetur, quia non solum certus habitus eis præfigitur ut contegat nuditatem, pudorique consulat, et frigoris aut caloris immoderantiam pellat, sed etiam ut ex qualitate habitus sui admoneantur qualiter vivere obligentur. Quum enim habitus professioni, quemadmodum medium fini, debeat correspondere, sancti Patres tam specialem habitum religiosis præstiterunt, ad insinuandum quantum a mundanis hominibus teneantur distare, quibusque virtutibus et actibus oporteat eos pollere, et quam mortificati esse debeant omnibus quæ sunt mundi.

Denique de hoc gloriosus pater et doctor Joannes Cassianus, primo libro Institutionum Patrum sanctorum, sapienter disseruit. Et primo, cur cingulo utantur monachi exprimens : Monachum, inquit, ut militem Christi in procinctu belli jugiter positum, oportet accinctis lumbis semper incedere. Sic namque in veteri Testamento Sancti aliqui incesserunt, qui hujus monasticæ vitæ fundaverunt primordia, puta Elias ac Eliseus. Unde de Elia servi regis Israel regi suo dixerunt : *IV Reg.* I, 8, 6. Vir pilosus et zona pellicea renes accinctus occurrit nobis. De Joanne quoque Baptista refert Evangelista : *Matth.* III, 4. Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. Sed et principi Apostolorum Petro angelus jussit : *Act.* XII, 8. Præcingere, et calcea te caligas tuas. De Paulo item apostolo Agabus dixit propheta : *Ibid.* XXI, 11. Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem Judæi. Ex quibus omnibus constat hos utriusque principes Testamenti cingulo esse usos. Itaque monachus, tanquam veraciter Christi miles, idcirco se noverit esse debere cinctum, ut ad cunctos usus ac opera cœnobii sit non solum mente paratus, sed etiam ipso habitu expeditus : nam quanto ad obedientiam fuerit promptior, tanto circa spiritualem profectum ac divinorum cognitionem ferventior comprobatur. Insuper lumborum accinctio, et ambitus mortuæ pellis, significat monachum mortificationem membrorum in quibus libidinis seminaria

A continentur, jugiter circumferre, ut impleat evangelicum illud, Sint lumbi vestri *Luc.* XII, 35. præcincti ; et quod hortatur Apostolus, Mortificate membra vestra quæ sunt super *Coloss.* III, 5. terram.

Præterea, Cassiano narrante, in Ægyptiorum monachorum habitu quædam erant non tantum ad corporis curam quantum ad morum formulam congruentia. Nam parvulis utebantur cucullis diebus ac noctibus, ad innuendum ex habitu ipso, quod simplicitatem et innocentiam custodire es-

B sent solliciti. Sic et colobiis lineis vix ad cubitum pertingentibus utebantur, ad designandum quod opera mundi essent amputata ab eis, atque ab omni conversatione terrena eos esse mortificatos. Alia quoque nonnulla ad habitum suum spectantia deferebant, ad demonstrandum quibus peccatis carere, et quibus virtutibus tenerentur pollere. Et sic in diversis Ordinibus, diversi instituti sunt habitus ob mysticas causas, ut religiosi intelligant se omnia vana atque mundana debere despicere, et

C solis cœlestibus inhiare.

Nunc ergo perpendant religiosi et monachi qui sub veste religiosa monastica cor gerunt carnale, mundanum, inane, quam viles ac miseri, quam iniqui ac irridendi, quamque damnabiles sint coram Judice summo, infallibili ac supersapientissimo Deo. Nonne omnino monstruosi atque mendaces, et velut vacua vasa sunt coram eo ? Quum enim monstrum dicatur effectus suæ speciei inconveniens, isti qui a veris religiosis tam damnabiliter distant

D ac differunt, imo intus omnino eis contrarii dissimillimique consistunt, rite in ordine monachali monstra censentur. Quumque rem per eorum habitum forinsecus designatam intus non habeant, vacua vasa sunt. Imo quum vitiis intus sordeant, quæ virtutibus ad quas obligantur directe contrariantur, recte dicuntur mendaces, non habendo quod se habere ostendunt, sicque hypocritis conformantur. Denique similes sunt asino coronato, et simiæ religioso vestimento opertæ, ac fatuis veste sapientium indutis. Sunt igitur deridendi. A Quis enim hominem armatum suis armis non utentem, sed omni hostium ictui se præbentem non irrideret? Cur equidem se armavit, si hostibus reluctari aut se tueri non voluit? Sic irridendus est religiosus monasticis utens vestibus, nec tamen virtutibus studens, ad quas designandas suus institutus ac formatus est habitus; imo potius omni dæmonum impugnationi, omni passionum vitiorumque motui infeliciter cedens, seque undique vulnerabilem præbens, nec suæ salutis B adversariis digne resistens.

Postremo, circa habitum religiosorum, multæ, proh dolor! inordinationes, abusiones et enormitates jam emerserunt, tam in pretiositate et colore quam in curiositate et forma ac superfluitate diversa: quæ omnia prorsus sunt evitanda, ut nil curiositatis aut pompæ, nil superfluitatis aut indecentiæ in eorum appareat habitu, sed omnis simplicitas, omnis humilitas, aspernatio mundi, mortificatio sui, et interna religiositas mentis, hoc est interior cultus Dei, et diligentia animi soli Deo intenti, et ei jugiter complacere optantis.

SERMO SEPTIMUS

DE MONACHORUM ET RELIGIOSORUM DEFINITIONIBUS VERIS.

STABILES *estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, sci-* C *entes quod labor vester non est inanis in Domino.* I Cor. xv, 58.

Ad hoc finaliter ordinatur ac tendit omnis illa religiosorum abstractio, qua a curis et actibus sæculi, a propinquis et sæcularibus hominibus se elongant, quatenus Deo altissimo stabilius sint intenti, et spiritualibus actibus frequentius occupati, puriores ferventioresque corde in omnibus. Hinc Climacus monachum multipliciter definiens seu describens, inter cetera ait: Monachus est, qui solum ea quæ Dei sunt D agit, cogitat, loquitur, Christo unitus omni tempore, loco atque negotio. Et datur descriptio ista de monacho secundum statum monachalem perfectum, hoc est secundum completam monasticæ vitæ perfectionem. Ad hoc equidem tendit institutio regularis atque professio monachalis, ut monachus quantum in vita præsenti sit possibile, indesinenter Deo intendat, orando, psallendo, meditando, legendo, contemplando, diligendo, ceterisque virtutum exercitiis insistendo. Corporalia quoque opera ordinate ac discrete secundum divinæ legis tenorem et suæ regulæ institutionem, ad Dei honorem efficiat, otia semper negligentiasque vitando, et in continua cordis stando custodia, cum Propheta veraciter dicens: Providebam Dominum *Ps.* xv, 8.
in conspectu meo semper; et item, Oculi *Ps.* xxiv, 15.
mei semper ad Dominum. Ad hoc itaque conemur indesinenter, ut in divinis simus quotidie stabiliores, et orationibus, psalmodiis, meditationibus sacris absque distractionibus vanis ac miseris vacemus perfectius. Consuescamus mentem nostram in omni loco et actu frequenter ad Deum levare per internas ac breves orationes, laudes et meditationes, etiam in mensa, in via, in lecto, et in omni labore atque colloquio; nec sic recreationibus quibuscumque utamur, ut cordis læsionem dissolutionemque incurramus. Imo scribendo, studendo, aut alia quævis agendo, a Dei memoria non cessemus.

Deinceps istud faciliter adimplebit, qui Deum fervide diligit. Quod namque ardenter diligitur, ante oculos cordis quasi incessanter A habetur, juxta illud, Ubi amor, ibi oculus : sicut videmus quosdam miserrimos carnali amore ita succensos, ut quidquid faciant, rei dilectæ oblivisci non queant. Qui autem in Dei amore nondum est perfectus, ad ista agenda consuetudinem sibi optimam facere moliatur, et Deum piissimum pro auxilio gratiæ id agendi fiducialiter ac instanter precetur. Consuetudine vero adepta, erit sibi istud perfacile et jucundum, imo dulcissimum. Hæc namque agendo, experietur sæpissime B consolationes divinas, compunctiones internas, inflammationes supernas : sicque cum Enoch ambulabit cum Deo, et cum David ambulabit coram Domino. Præterea, constat ex his quam longe sint a vera monachi ratione, a monastica perfectione, a spirituali profectu, qui dissoluti sunt moribus incustoditique oculis, qui tam facili occasione ad loquacitates, ad consolatiunculas pueriles et fatuas se effundunt, atque in risus et cachinnos ac dissolutiones vertuntur. Videant tales qualiter C suæ satisfaciant professioni, qua ad perfectionem quotidie tendere tenentur, ne tanquam rei et transgressores voti desuper judicentur, reprobentur ac pereant.

Gen. v, 24.
III *Reg.* III, 6; IX, 4.

Iterum Climacus monachum describens, ait : Monachus est violentia naturæ indesinens, et custodia sensuum indeficiens. In qua descriptione abstractum pro concreto est positum, ut sit sensus : Monachus est indesinens violentator sui ipsius, et indeficiens propriorum sensuum custos. Quum namque Christo testante, regnum cœlorum D vim patiatur, et violenti rapiant illud, et arcta sit via salutis (in quibus verbis cœlestibus violenti vocantur qui salubriter vincunt se ipsos, et salutarem violentiam inferunt sibimetipsis, prava desideria superando, et Deo propriam voluntatem subdendo), patescit quod quanto religiosi præ ceteris magis abnegaverunt se ipsos et propriis voluntatibus renuntiaverunt, tanto amplius obligantur propriam superare naturam, proprias libertates concupiscentiasque abjicere, et proprios refrenare affectus ac motus. Quod in principio satis est difficile, in tantum ut Salomone testante, qui dominatur animo suo, melior ac fortior sit urbium expugnatore. Dicitur demum monachus custos indeficiens sensuum suorum interiorum et exteriorum, inordinatum illorum usum vitando, ne per exteriorum sensuum portas mors ingrediatur, ne oculi videant vanitatem, ne figantur in feminas, ne aures illicitorum verborum auditui præbeantur, sed juxta Scripturam, sepiantur spinis, ne audiant linguam nequam, ne audientiam tribuant detractori, neque discordiam seminanti. Tactus etiam præcipue refrenetur ab omni contactu inordinatum motum ac stimulum concitante, nec in cibo et potu quæratur delectatio gustus, sed naturæ necessitas. Conformiter custodiendi sunt religioso sensus interiores ab apprehensionibus phantasticis, ab imaginationibus fœdis, a phantasiis protervis, a cogitationibus vanis. Hic ergo considera te ipsum, o religiose, an vere sis monachus, an modo præfato frangas atque custodias temetipsum : alioqui dole, ingemisce, et juxta prætacta te dirige.

Matth. XI, 12.
Ibid. VII, 14.
Prov. XVI, 32.
Jer. IX, 21.
Ps. CXVIII, 37.
Eccli. XXVIII, 28.

Tertia descriptio monachi est : Monachus est sanctificatum corpus, expurgatum os, et illuminata mens. Quæ descriptio datur quasi per partes integrales, et in ea ponitur pars pro toto, ut sit sensus : Monachus est homo habens corpus divino cultui consecratum, a carnalibus inquinamentis mundatum, in sanctis operibus animæ subditum, habens quoque os a verbis illicitis purum ac sancto silentio perornatum, et mentem desuper illustratam, ad divinorum contemplationem limpide elevatam. Cur autem per tria hæc specialiter describitur monachus, nisi quoniam specialiter spectant ad eum, et in his alia ad ipsum spectantia includuntur? Itaque constat quam longe distent a monacho gulosi, garruli, pertinaces ac duri.

Quarta descriptio est : Monachus est mœrens et dolens anima indesinenti mortis memoria. Ubi rursus principalis pars A hominis pro homine ponitur. Pertinet quippe ad monachum, ex consideratione mortis quotidie flere, propria pensando ac deplangendo peccata, ac metuendissimum Dei ponderando judicium atque supplicia peccatoribus post vitam præsentem parata. Debet etiam flere præ desiderio regni *Rom.* VII, 24. cœlestis, cum Apostolo exclamando : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore *Ps.* CXIX, 5. mortis hujus? et cum Propheta : Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus *Ps.* XLI, 3. est; et rursus : Sitivit anima mea ad Deum B fortem, vivum ; quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei ? Sed ex compassione passionis Christi flendum est monacho, non in quantum passio Christi fuit redemptio mundi, sed quia mitissimus *Jer.* XI, 19. Agnus tam crudelissimam mortem innocentissime pertulit. Ideo dixit Apostolus : *Galat.* II, 19. Christo confixus sum cruci; et iterum, Si *Rom.* VIII, 17 ; II *Tim.* II, 12. compatimur, et conregnabimus. Spectat quoque ad monachum, aliorum peccata deplangere et pro omnibus orare, præsertim pro benefactoribus et propinquis ac sibi C commissis. Postremo, qui verissime monachus est, lacrimatur frequenter ex abundantia gaudii spiritualis, et ex suavissima complacentia proprii Creatoris, qua superserenissimus ac supergratiosissimus Deus complacet sibi in contemplatione theorica qua rapitur ad divina. Advertant hæc religiosi ad levitates, risus, cachinnos dissolutionesque proni, et deplorent se ipsos, eo quod a ratione verissima monachi distent tam infinite, quum et Christus in Evangelio contestetur : Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis. *Luc.* VI, 25.

Quinta descriptio est : Monachus est ordo et consistentia incorporalium in corpore materiali et sordido consummatus. In qua definitione denuo abstractum et substantivum concrete adjectiveque sumitur, ut sit sensus : Monachus est homo ordinatus et consistens instar angelorum in corpore materiali et sordido seu immundo quantum ad naturales impuritates. In carne etenim non carnaliter conversatur, et vitam angelicam ducit in terris, terminos *Deut.* XIX, 14. sibi in regula sua præfixos transgredi non præsumens, sed juxta similitudinem angelicorum spirituum in cunctis ordinate se habens, seque divinæ legi et observationi regulari subjiciens. Unde et discretio præcipue necessaria est monacho, teste beatissimo patre nostro Antonio, ut omnia suo loco et tempore agat, ne perturbetur, sed tranquilla mente adhærens Altissimo, ei acceptum semper reddat obsequium. Sapientissimo etenim Deo ordinatio valde placet.

SERMO OCTAVUS

DE TRIBUS PRINCIPALIBUS CHRISTI CONSILIIS, IN QUIBUS OMNIS MONASTICA RELIGIO TRIAQUE VOTA RELIGIOSORUM FUNDANTUR QUÆ SUNT DE ESSENTIA CUJUSLIBET RELIGIONIS.

CHRISTO confixus sum cruci ; vivo D *autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Galat. II, 19, 20.

Is. XXVIII, 22. I *Cor.* I, 24. Dominus noster Jesus Christus, legifer summus et sapientia Dei Patris, sciens ac docens caritatem Dei omnium esse virtutum altissimam, universa quæ docuit, consuluit aut præcepit esse vitanda aut peragenda, ordinavit ad hoc, ut credentes in ipsum, in caritate Dei proficiant, perseverent, perfectique fiant. Unde in Enchiridio loquitur Augustinus : Omnium evangelicorum Christi consiliorum ac præceptorum finis est, ut præceptum illud primum ac *Matth.* XXII, 37, 38.

summum diligendi Deum toto corde perfecte A adimpleamus. Porro quædam caritati Dei directe contrariantur, sicut peccata mortalia, præsertim invidia : et illa Christus absolute prohibuit. Quædam vero a caritatis profectu ac perfectione ut communiter impediunt hominem, ut divitiæ, deliciæ et honores, carnalis propinquitas, propriaque libertas : ideo talia consuluit Christus esse vitanda.

Horum vero quædam sunt penitus extra hominem, sicut terrenarum rerum possessio. Quas Christus consuluit propter Deum B Matth. xix, 21. relinqui, dicendo : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veniens sequere me. Sicque in isto consilio fundatur votum paupertatis voluntariæ. Quædam autem illorum sunt aliquo modo nobis conjuncta, ut uxor, parentes et proles. Quæ omnia docuit relinqui Salvator, dicens : Luc. xiv, 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et fratres et sorores, et uxorem et filios, non potest meus esse discipulus. Et in isto fundatur votum perpetuæ castitatis. C Quædam vero illorum sunt intra nos, ut propria voluntas. Quam Dominus Jesus relinquendam consuluit, præinductis verbis adjiciendo : Adhuc autem et animam suam. Matth. xvi, 24. Unde apud Matthæum ait : Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et in isto fundatur votum obedientiæ. Docuit itaque Filius Dei hæc omnia derelinqui desiderio perfectionis atque intuitu Dei, ut in Deo cor amorosius perfectiusque figatur, vitiis plenius reluctetur, et in omni D virtute concrescat. Cor namque humanum tanto integrius ac ferventius in uno defigitur, quo minus in multis dispergitur, et quo magis a multis abstrahitur. Siquidem virtus unita fortior est quam dispersa. Estque vulgare eloquium : Pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Propter quod sancti affirmant doctores : Nequaquam homo in uniuscujusque operis ratione colligitur, quando mens ejus per diversa partitur. Et rursus : Impar (inquiunt) quisque invenitur ad singula, dum mente confusa dividitur per diversa.

Ut ergo in summi boni sincerissimo proficiamus amore, studeamus ad nullum prædictorum, imo ad nullum creatum affici inordinate, sensualiter, immoderate, sed solum spiritualiter, ordinate et pure, puta in Deo, secundum Deum et propter Deum, omnia scilicet referendo ad Dei honorem ac gloriam, nec ea amando aut cupiendo nisi secundum Dei voluntatem ac legem, seu prout nobis utilia aut necessaria sunt ad serviendum complacendumque Deo. Cujus oppositum faciunt religiosi proprium peculiumve habentes, et qui ad suos propinquos seu alios carnaliter afficiuntur, et pro eis inordinate sollicitantur, aut sæcularium more inquietantur. Sed quum ad proficiendum in Dei sancto amore, parum aut nihil prosit res ipsas exteriores ac propinquos deseruisse, nisi et ipsi interiores inordinati affectus ad illa funditus eradicentur de corde, propterea ipsas cupiditates et inordinatas omnes affectiones penitus exstirpemus, et solis necessariis contenti simus, I Tim. vi, 8. atque in omnibus animum imperturbatum, cor per patientiam forte et inconcussum, mentemque reformatam habere ac possidere semper conemur. Unde nonnulli religiosi ita non agentes, frequenter pro rebus minimis ac vilissimis passionantur, contendunt et indignantur, tamque inordinate afficiuntur ad parva quorum usus eis concessus est, ut sæculares ad magna quæ possident. Hinc parva fratribus suis concedere renuunt, nec ea sibi auferri a superioribus suis æquanimiter ferunt.

Postremo de hac re sancti et expertissimi patres Eusebius Emisenus, Cassianus et Climacus plenissime ac subtilissime scribunt, quemadmodum quidam ad interiorem renuntiationem ac reformationem dare se negligentes, nunquam ad perfectionem pertingunt, imo parum aut nihil proficiunt : quin imo pereunt, quia sæpius pro uno stilo, pro graphio, pro tabula aut similibus immoderatissime concitantur. Nam amor habendi seu ipsa cupido A nisi radicitus exstirpetur, ardentior est in parvis.

Deinceps sancti Patres hi docent triplicem esse renuntiationem : primam, qua ipsis rebus abrenuntiamus ; secundam, qua interioribus inordinatis renuntiamus affectibus et pristinis moribus pravis ac vitiis ; tertiam, qua propriæ voluntati in cunctis renuntiamus, et nos ipsos ac universa creata in tantum relinquimus atque transcendimus, sicque in Deum movemur, defigimur, transformamur ac rapimur, ut B nihil creatum, neque nos ipsos, nec proprios actus, advertimus aut sentimus. Harum renuntiationum prima ad secundam, ambæque illæ ad hanc tertiam ordinantur.

Denique, sicut Climacus scribit, quicumque peccata sua efficaciter ponderat, ac divini rigorem judicii profunde considerat, imminentemque sibi mortis amaritudinem ac futura tormenta acutius speculatur, propriam quoque vocationem, et quid Deo promisit ac tenetur, subtiliter contemplatur, non ultra ad terrena et carnalia vitiose afficietur, nec ad propinquos aut alios sensualiter se habebit, neque in arrepto Dei itinere piger efficietur aut negligens.

Propterea omnia hæc juxta sanctorum horum doctrinam Patrum adimplere, et Deo digne conversari conemur. Ad laudem ejus, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Monitum auctoris. — Epistolam et evangelium cum sermonibus suis de templi Dedicatione, in operis fine de Sanctis, Deo propitio ac agente, exponam. Nam juxta formam istam expositionum epistolarum ac evangeliorum de Tempore cum suis sermonibus, intendo et de Sanctis epistolas et evangelia cum sermonibus exponere.

FINIS SERMONUM DE TEMPORE

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

GENESIS.

VI, 7. Pœnitet... me fecisse eos, 547 D.
XV, 1. Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis, 306 A'.

EXODI.

III, 14. Ego sum qui sum... Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos, 17 B'.
XVI, 8. Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum, 331 B.
XX, 7. Non assumes nomen Domini tui in vanum : nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra, 587 B.

LEVITICI.

XIX, 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, 591 A.

DEUTERONOMII.

IV, 19. Ne... elevatis oculis ad cœlum, videas solem et lunam et omnia astra cœli, et... adores ea, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt, 82 A.
— 29. Quumque quæsieris... Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris et tota tribulatione animæ tuæ, 42 D.
XXXII, 13. Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, 286 D.
— 28, 29. Gens absque consilio est et sine prudentia ; utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent, 534 D.
— 39. Ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere, 633 D.
XXXIII, 2. In dextera ejus ignea lex, 69 C', 426 D.

JOSUE.

I, 7, 9. Confortare... et esto robustus valde... Noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris, 567 A.
VII, 19. Fili mi, da gloriam Domino... et confitere atque indica mihi quid feceris, ne abscondas, 537 A.
XXIV, 14. Timete Dominum et servite ei perfecto corde atque verissimo, 273 A.

JUDICUM.

V, 31. Domine, qui... diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent, 407 A.

I REGUM.

VII, 3. Præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, 273 D', 447 B.
XV, 23. Est... quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, 436 D'.

III REGUM.

X, 8. Beati viri tui et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam, 404 A.
XIX, 10. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, 603 A.

IV REGUM.

I, 6, 8. Occurrit nobis... vir pilosus et zona pellicea accinctus renibus, 659 C.
II, 12. Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus, 529 C.

I ESDRÆ.

IX, 6. Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniqui-

tates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum, 284A.

JUDITH.

VIII, 26, 27. Non ulciscamur nos pro his quæ patimur; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse... non ad perditionem nostram evenisse credamus, 441B.

ESTHER.

XIII, 9. Domine, rex omnipotens, in ditione... tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, 375C'.

JOB.

V, 2. Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia, 490C', 501B'.

XV, 12, 13. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus? 364D.

— 34. Congregatio... hypocritæ sterilis, 298C, 657C'.

XXVII, 9, 10. Numquid Deus audiet clamorem ejus, quum venerit super eum angustia? aut poterit in Omnipotente delectari? 311C'.

XXXIV, 14. Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet, 85C.

— 17. Numquid qui non amat judicium, sanari potest? 223D'.

— 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, 173D.

XXXVI, 5. Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens, 141B.

— 13. Simulatores et callidi provocant iram Dei, 299B'.

— 22. Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus, 379D.

XLI, 25. Ipse est rex super universos filios superbiæ, 165D.

PSALMORUM.

I, 1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit, 384D'.

IV, 5. Irascimini, et nolite peccare, 257A.

XIV, 4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, 372A.

XVII, 2, 3. Diligam te, Domine, fortitudo mea,... et cornu salutis meæ, 578B.

XX, 7. Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo, 37B'.

XXXIII, 14. Prohibe linguam tuam a malo, 229C.

XXXV, 9, 10. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos : quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen, 201C.

XXXVI, 4. Delectare in Domino, 422C, 518C'.

— 27. Declina a malo, et fac bonum, 560C'.

XXXVIII, 2. Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, 20D.

— 6. Substantia mea tanquam nihilum ante te, 177D, 375B'.

XL, 2-4. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus, etc., 209B.

XLVIII, 19. Confitebitur tibi quum benefeceris ei, 505C.

LII, 2. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus, 425A.

LXIX, 2. Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina, 338B'.

LXX, 23. Exsultabunt labia mea quum cantavero tibi, et anima mea quam redemisti, 563C'.

LXXVIII, 8. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis, 338B', 350A.

LXXX, 13. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis, 463C'.

LXXXII, 17, 18. Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine; erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur et pereant, 576C.

LXXXVIII, 15. Justitia et judicium præparatio sedis tuæ, 96A'.

XCII, 5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, 56D'.

XCIII, 12. Beatus homo quem tu erudieris, Domine, 248A'.

XCIX, 2. Servite Domino in lætitia, 190C'.

CII, 5. Renovabitur ut aquilæ juventus tua, 524C.

CIV, 3, 4. Lætetur cor quærentium Dominum; quærite Dominum et confirmamini; quærite faciem ejus semper, 120B.

CXVIII, 63. Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua, 429A.

CXVIII, 136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, 344 D.

CXIX, 5. Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est, 139 B.

CXL, 5. Corripiet me justus in misericordia et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, 594 A, 621 C.

CXLIV, 14. Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos, 572 A.

PROVERBIORUM.

I, 32. Prosperitas stultorum perdet illos, 472 B'.

II, 4, 5. Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies, 237 C.

III, 13. Beatus homo qui invenit sapientiam, 492 B.

VII, 4. Dic sapientiæ, Soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam, 50 C.

VIII, 31. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, 194 C.

XI, 27. Qui... investigator malorum est, opprimetur ab eis, 214 C'.

XVIII, 3. Impius, quum in profundum venerit peccatorum, contemnit, 470 C.

— 24. Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater, 513 B.

XX, 3. Honor est homini qui separat se a contentionibus, 432 D'.

— 4. Propter frigus piger arare noluit, 572 C.

XXII, 9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, 211 A.

XXV, 20. Sicut tinea vestimento,... ita tristitia viri nocet cordi, 170 D'.

XXVII, 4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati ferre quis poterit? 266 D'.

ECCLESIASTÆ.

III, 7. Tempus tacendi, et tempus loquendi, 74 A, 88 B.

VII, 10. Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit, 257 A.

IX, 1. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, 307 B'.

X, 1. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti, 45 B.

CANTICI CANTICORUM.

II, 5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, 509 B.

III, 1. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, 65 C.

IV, 1. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! 580 C.

V, 1. Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi, 79 A'.

VII, 10. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus, 510 A'.

SAPIENTIÆ.

I, 5. Spiritus... sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, 11 A, 80 D'.

VI, 26. Multitudo... sapientium sanitas est orbis terrarum, 574 D.

IX, 15. Corpus... quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, 130 D'.

XI, 24. Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, 194 A, 277 B.

— 25. Diligis... omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, 145 A'.

XIII, 1, 5. Vani... sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est;... a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri, 288 A, 386 D'.

ECCLESIASTICI.

I, 22, 28. Corona sapientiæ timor Domini... Qui sine timore est, non poterit justificari, 117 D.

III, 19. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris, 485 C.

— 31. Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam, 236 C.

V, 14. Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, 516 B.

VI, 1. Noli fieri pro amico inimicus proximo, 229 C'.

— 2. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, 499 C.

— 6. Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille, 114 A'.

X, 7. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia, 362 D.
XIV, 1. Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, 87 C'.
XV, 14. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui, 494 C.
XVII, 12. Mandavit illis unicuique de proximo suo, 532 C.
XVIII, 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis, 316 A.
XXVII, 4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, 138 D.
— 6. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis, 308 C', 496 C.
XXVIII, 2. Relinque proximo tuo nocenti te ; et tunc deprecanti tibi peccata solventur, 205 D.
— 6, 10. Memento novissimorum et desine inimicari... Abstine te a lite, 261 A.
— 28. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire ; et ori tuo facito ostia et seras, 294 C'.
XXX, 24. Miserere animæ tuæ, placens Deo, 118 B.
XLI, 15. Curam habe de bono nomine, 454 C.
XLII, 17. Dominus omnipotens stabilis in gloria sua, 110 D.
XLIV, 20. Non est inventus similis illi... qui conservavit legem Excelsi, 126 D, 597 B.

ISAIÆ.

I, 16. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, 323 A'.
III, 12. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant, 303 B.
VI, 2. Seraphim stabant super illud ; sex alæ uni et sex alæ alteri, 66 C.
XXVI, 9. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis ; de mane vigilabo ad te, 525 A.
XXXIII, 22. Dominus... judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, 378 D.
XXXV, 4-6. Ecce Deus vester... ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum... et aperta erit lingua mutorum, 382 D, 392 D.
XLI, 8. Semen Abraham amici mei, 325 B.
XLV, 15. Vere tu es Deus absconditus, 520 C'.
LIII, 2, 4, 5. Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat adspectus ;... vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit ;... ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, 59 C.
LVI, 7. Domus mea domus orationis vocabitur, 346 B.
LVII, 20. Impii... quasi mare fervens quod quiescere non potest, 529 A.
LXI, 10. Induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, 658 D.
LXIV, 4. Oculus non vidit... quæ præparasti exspectantibus te, 219 A'.
LXVI, 2. Ad quem... respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos ? 65 A.

JEREMIÆ.

II, 13. Duo... mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas... dissipatas, quæ continere non valent aquas, 489 B.
VI, 13. A minore... usque ad majorem, omnes avaritiæ student, 451 A.
X, 21. Quia stulte egerunt pastores et Dominum non quæsierunt, propterea... omnis grex eorum dispersus est, 333 A.
XII, 1. Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum ; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur ? 346 B'.
XVII, 16. Ego non sum turbatus, te pastorem sequens ; et diem hominis non desideravi, tu scis, 475 B'.
XXIII, 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, etc., 650 B.
XLVIII, 36. Quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt, 426 D'.

THRENORUM.

III, 22. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus, 278 C, 471 A.
— 30. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis, 351 D'.

BARUCH.

III, 24, 25. O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus, ma-

gnus est et non habet finem, excelsus et immensus! 159 A'.

EZECHIELIS.

VI, 9. Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, 329 D.
XVI, 49. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ... saturitas panis et abundantia, 148 D.
XXIX, 3. Ecce ego ad te, Pharao,... draco magne, qui... dicis : Meus est fluvius et ego feci memetipsum, 366 C.
XXXVI, 26. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, 392 B'.

DANIELIS.

IX, 26, 27. Occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est;... et finis ejus vastitas,... et usque ad... finem perseverabit desolatio, 398 C.

MICHÆÆ.

II, 1. Væ qui cogitatis inutile, 354 A.
VI, 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo, 190 C'.

HABACUC.

II, 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso; justus autem in fide sua vivet, 631 B.
— 5. Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur, 458 A.

AGGÆI.

I, 5. Ponite corda vestra super vias vestras, 448 C.
II, 8. Veniet Desideratus cunctis gentibus, 397 C.

ZACHARIÆ.

IX, 11. Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua, 240 D.

MALACHIÆ.

II, 7. Labia... sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, 56 D.

MATTHÆI.

V, 6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, 648 C'.
— 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, 207 D, 245 C, 438 B', 456 A.
— 22. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, 265 B.
— 23. Si... offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus, etc., 268 B.
VI, 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, 559 A'.
— 28, 29. Considerate lilia agri, quomodo crescunt;... dico... vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis, 37 C.
— 33. Quærite... primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis, 450 B, 458 D.
VII, 16. A fructibus eorum cognoscetis eos, 307 D.
— 19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur, 310 B.
— 21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, 27 C.
IX, 1. Ascendens (Jesus) in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam, 538 A.
— 2. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, 540 D.
— 21. Dicebat... intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero, 639 A.
— 22. Confide, filia; fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora, 630 D, 641 D.
X, 16. Estote... prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ, 63 B'.
XI, 28. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, 280 D.
XII, 42. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic, 404 A'.
XVI, 24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me, 663 C.
XVIII, 32, 33. Serve nequam, omne debitum

dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ? 599 C.
XVIII, 34, 35. Dominus ejus tradidit eum tortoribus,... sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, etc., 602 A.
XXII, 2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo, 562 D.
— 13. Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores ; ibi erit fletus et stridor dentium, 555 A.
— 16. Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, 610 D.
— 18. Cognita... Jesus nequitia eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ ? 619 D.
— 21. Reddite... quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo, 613 D, 622 A.
— 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc., 520 B.
— 40. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ, 517 D.

MARCI.

VII, 34. Suspiciens in cœlum, ingemuit, 390 C.
— 37. Bene omnia fecit : et surdos fecit audire et mutos loqui, 385 B, 392 D.
VIII, 2. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, 278 D', 285 B.
— 3. Si dimisero eos jejunos..., deficient in via, 287 D.
XI, 25. Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester... dimittat vobis peccata vestra, 269 A.

LUCÆ.

I, 69, 70. Erexit cornu salutis nobis,... sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus, 410 D.
V, 1. Quum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, etc., 247 A.
— 3. Sedens docebat de navicula turbas, 239 C.
VI, 24. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram, 137 D.
— 25. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis, 141 A.
— 37. Nolite judicare, et non judicabimini, 214 B, 220 B.
— 41. Quid... vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras ? 223 A.
VII, 13, 14. Dominus misericordia motus... ait : Adolescens, tibi dico, surge, 476 C.
— 16. Propheta magnus surrexit in nobis, 478 D.
X, 23. Beati oculi qui vident quæ vos videtis, 412 A.
— 27. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, 414 C.
XIV, 1. Ipsi observabant eum, 497 D.
— 4. Ipse... apprehensum sanavit eum, 500 A.
— 16. Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos, 172 D.
XV, 1. Erant... appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum, 192 A.
— 10. Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, 194 C.
XVI, 2. Redde rationem villicationis tuæ, 332 D.
— 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, 324 D.
— 19. Dives... induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, 146 D.
— 22. Factum est... ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ ; mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno, 149 A.
XVII, 13. Jesu præceptor, miserere nostri, 428 B.
— 14. Ite, ostendite vos sacerdotibus, 433 D.
— 17. Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt ? 436 A.
XVIII, 11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, 371 D.
— 14. Omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur, 366 A, 374 C.
XIX, 41. Videns civitatem, flevit super illam, 351 C.
— 43. Circumdabunt te inimici tui vallo... et coangustabunt te undique, 353 D.

JOANNIS.

III, 3. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, 113 C, 115 A.
IV, 24. Spiritus est Deus ; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare, 45 B.
— 49. Domine, descende priusquam moriatur filius meus, 582 D.
V, 21. Sicut... Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat, 467 D.

VI, 14. Hic est vere Propheta qui venturus est in mundum, 652 D.

VII, 24. Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate, 220 C.

XIII, 35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, 168 B.

XIV, 1. Creditis in Deum, et in me credite, 125 A'.

— 6. Nemo venit ad Patrem, nisi per me, 251 C.

— 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, etc., 89 C, 90 A.

— 26. Paracletus... Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, 92 A.

XV, 26. Quum... venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, 63 D, 71 D'.

XVI, 8. (Paracletus) arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio, 21 D.

— 23. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, 41 C.

— 24. Petite... ut gaudium vestrum sit plenum, 36 A, 44 C.

XX, 29. Beati qui non viderunt et crediderunt, 412 A'.

ACTUUM.

II, 4. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, 71 D, 86 D.

— 14. Stans... Petrus cum undecim, levavit vocem suam, 79 A.

— 43. Fiebat autem omni animæ timor; multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat magnus in universis, 72 D'.

III, 18. Deus... prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum, 58 B'.

— 24. Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps,... annuntiaverunt dies istos, 647 C.

IV, 32. Multitudinis... credentium erat cor unum et anima una, 655 A.

X, 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, 58 B.

AD ROMANOS.

V, 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, 81 C.

VI, 4. Quomodo Christus surrexit a mortuis..., ita et nos in novitate vitæ ambulemus, 263 A.

— 21. Quem... fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ? 282 D.

VIII, 14. Quicumque... Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, 293 D.

— 16. Ipse... Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, 84 B, 304 D.

— 17. Si... compatimur, ut et conglorificemur, 147 C'.

— 18. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, 200 A, 218 B.

— 35. Quis... nos separabit a caritate Christi ? 92 B'.

XIV, 10. Omnes... stabimus ante tribunal Christi, 322 A.

I AD CORINTHIOS.

I, 4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis, 515 B.

X, 12. Qui se existimat stare, videat ne cadat, 315 B, 327 C.

— 13. Tentatio vos non apprehendat nisi humana, 330 A.

XII, 6. Deus... operatur omnia in omnibus, 338 A.

— 11. Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult, 349 A.

XIV, 40. Omnia... honeste et secundum ordinem fiant, 50 C'.

XV, 10. Gratia... Dei sum id quod sum, 359 D', 369 B.

— 58. Stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, 660 C.

XVI, 14. Omnia vestra in caritate fiant, 409 A'.

II AD CORINTHIOS.

III, 6. Littera... occidit, spiritus autem vivificat, 388 A.

— 18. Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu, 122 A, 281 B.

V, 20. Legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos ; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, 262 A.

AD GALATAS.

II, 20. Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus, 264 A, 662 D.

— — In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me, 188 D.

III, 22. Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus, 410 B.

V, 22. Fructus... Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, 420 D, 431 C.

— 26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes, 440 D.

VI, 1. Fratres,... si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,... hujusmodi instruite, etc., 456 A.

— 2. Alter alterius onera portate, 453 B.

AD EPHESIOS.

III, 14. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, 474 A.

— 16. (Pater) det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari... in interiorem hominem, 463 B.

IV, 1. Digne ambuletis vocatione qua vocati estis, 483 D, 495 A, 656 C'.

— 23, 24. Renovamini... spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, 535 C.

— 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem..., ut det gratiam audientibus, 49 B'.

V, 1, 2. Estote... imitatores Dei, sicut filii carissimi ; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, 343 A.

— 15. Videte... quomodo caute ambuletis, 558 A.

— 18. Implemini Spiritu Sancto, 545 C, 560 C.

VI, 10. Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus, 577 D.

— 13. Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare, 580 A.

AD PHILIPPENSES.

I, 9. Caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, 586 B, 597 A.

— 23. Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, 184 C'.

III, 17. Imitatores mei estote, 617 B.

III, 20. Nostra... conversatio in cœlis est, 606 D.

AD COLOSSENSES.

I, 9. Impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali, 636 D.

— 13. (Pater) eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, 626 C.

I AD TIMOTHEUM.

I, 15. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, 187 D.

IV, 7, 8. Exerce... te ipsum ad pietatem : nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, etc., 211 C.

VI, 15, 16. Beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium ; qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem ; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest ; cui honor et imperium, 119 B.

II AD TIMOTHEUM.

III, 1, 2, 4. In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati,... voluptatum amatores magis quam Dei, 512 C.

AD HEBRÆOS.

II, 1, 3. Abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus... Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ? 370 A.

III, 13. Adhortamini vosmetipsos per singulos dies,... ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, 242 A'.

X, 22, 23. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala, et... teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, 657 A.

— 28, 29. Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, etc. ? 389 C.

XI, 6. Sine fide... impossibile est placere Deo, 358 B.

XII, 1, 2. Deponentes omne... peccatum, per

patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, 115B'.

JACOBI.

I, 17. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, 17A.
— 19. Sit... omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram, 4B, 19D.
— 25. (Refrenans linguam suam) hic beatus in facto suo erit, 39D.
— 26. Si quis... putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio, 38D.
II, 13. Judicium... sine misericordia illi qui non fecit misericordiam, 456A.
IV, 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis, 180C, 184C.
— — Purificate corda, duplices animo, 301C.

I PETRI.

III, 8. Omnes unanimes (in oratione estote), 241D.
— — Compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, 244C.
— 15. Dominum... Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe, 55C.
IV, 7. Estote... prudentes, et vigilate in orationibus, 60D.
V, 6. Humiliamini... sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, 189D.
— 8. Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, 177B.

II PETRI.

II, 19. A quo... quis superatus est, hujus et servus est, 416C'.

I JOANNIS.

II, 16. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, 163C.
II, 27. Unctio ejus docet vos de omnibus, 61B'.
III, 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est, 14D.
— 14, 15. Qui non diligit, manet in morte; omnis qui odit fratrem suum, homicida est, 153C, 169D.
— 18. Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate, 167A.
IV, 16. Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo, 129A, 144A.
— 19. Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos, 128C.
V, 14. Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, 33B.

III JOANNIS.

4. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare, 504C.

JUDÆ.

5. Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit, 110B.
19. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, 361A.

APOCALYPSIS.

II, 4, 5. Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam,... sin autem, venio tibi, 252C.
III, 1, 17. Nomen habes quod vivas, et mortuus es... Quia dicis quod dives sum... et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper et cæcus et nudus, 154D.
— 20. Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis... aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum, 160C', 172D.
IV, 6. In circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro, 116C.
— 8. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, 101D.
XVIII, 7. Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum, 149A'.
XIX, 7. Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se, 552A.
— 9. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, 159D.

INDEX

NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

A

ABBACYRUS monachus, 151B.

ABIMELECH. Ejus ambitio, 166A'.

ABNEGATIO, 663A'. *Cf.* Mortificatio, Renuntiatio.

ABRAHAM hospitalitati deditus, 52C'. — Promissiones illi factæ, 395A et s., 398A', quid spiritualiter significent, 398B'. — Sinus Abrahæ, 132D'.

ABRAHAM eremita, 406B'.

ABSALON, typus superbiæ, 365A'.

ABSTINENTIA, 147A. *Cf.* Cibus.

ACEDIA, 491D, 501C', 572B, 583C'.

ADOLESCENTES duo quam sancte vixerint in eremo Scythi, 240D'.

ADONIS, 405B.

ADOPTIO filiorum, 292C, 306B.

ADVERSITAS patienter toleranda, 190C, 246A', propter futuram gloriam, 197A, 200A et s., 219C. *Cf.* Patientia, Tribulationes.

ÆDIFICATIO proximi, 453B', 583B, 618D'.

AFFECTIONES mortificandæ, 459A.

AGATHON abbas, 3D, 41A', 45C', 355C.

AGNES (S.), 509C.

ALBERTUS (B.) Magnus, 26A', 56A', 97B, 99B, 134A, 162D, 217A.

ALCORANUS, 379A', 479B.

ALEXANDRINA Ecclesia, 100C, 656C.

AMAN propter superbiam punitus, 368A'.

AMBITIO, 225C', 493C, 498C', 556A', religiosis vitanda, 173C et s., 437C.

AMBROSIUS (S.), 5B', 54C', 55A, 132C, 177D', 183C', 208B', 209D, etc.

AMICITIA Dei quomodo acquirenda, 324D et s. *Cf.* Amor, Caritas, Dilectio.

AMMON abbas, 559C'.

AMMONIUS (S.), 131A'.

AMOR multiplex, 513A, 522A. — Amor naturalis ac socialis, 513D. — Amor mercenarius, 513B'. — Amor carnalis, 13B, 392A, 512D, 514D, 522C. — Amor vanitatis, 471A' — Amor sui improbus, 163C et s., 264B. — Amor ecstaticus, 509B et s., 520B et s. — Amor Dei crescens usque ad contemptum sui, 164D'. — *Cf.* Amicitia, Caritas, Dilectio.

ANANIAS ab igne præservatus, 616D'.

ANDREAS cardinalis, intercessione S. Hieronymi suscitatus et salvatus, 143B'.

ANGELI quomodo nos diligant, 189B, et gaudeant de conversione peccatorum, 182B, 183D'.

ANIMA, cui adversatur caro, 432C, quo pacto regenda, 322B', 333B, 649B, et corpori præficienda, 420D. — Ejus infirmitas, 375A, confortatio, 567A et s., 577D et s., renovatio, 524C, 535C, integritas, 425B et s. — Anima impassibilis, 653C', et irreprehensibilis, 653D'. — *Cf.* Cor, Homo, Ratio.

ANIMALIA quatuor in Apocalypsi laudata, 99B, 116C et s.

ANSELMUS (S.), 10D', 117B', 128C', 136C.

ANTIOCHENA Ecclesia, 100B.

ANTIOCHUS rex, non bene pœnitens, 486A', propter superbiam percutitur, 14A'.

ANTONIUS (S.), 90D', 113A', 131A', 240A', 339B', 351A', 354B, 394C, 453A, 498B', 559B, B', 561D', 581B, 582B', 588A', 607B', 656B, A', 662C'.

APOLLO abbas, 443A', 444A.

APOLLONIUS (S.) eremita, 213C', 339C'.

APOSTOLI qualiter Spiritu Sancto repleti, 69D et s. — Eorum prædicatio, 53C, 54C, 71A, 72A', 79A et s., et miracula, 57C, 72C'.

APPARITIONES discernendæ, 339A'. — Christi apparitiones post resurrectionem, 357A.

APPETITUS sensitivus reformandus, 536A.

ARABIA, 71A'.

ARBOR bona virtuosum significat, 303C, 312B.

ARISTOTELES, 1C, 18B', 59D', 61A, A', 62A, 74C, D', 81C, 114B', 119B, 153C, 170D, 186B, 204B', 215D', 222C, 326A, 333B, 418A, 426D', 472D, 574D.

ARMATURA Dei, 565 C, 566 C, 579 A', 581 D'.

ARSENIUS (S.) abbas, 46 B', 126 B, 282 B', 355 C, 478 A, C', 534 D', 548 A'.

ASTION monachus et martyr, 90 B, 409 B', 410 A.

AUDITUS refrenandus, 294 C'.

AUGUSTINUS (S.), 4 B', 7 A', 15 C, 19 B, 31 B, etc. — Ejus Regula, 561 C. — Profundissimus fuit Trinitatis contemplator, 103 A'. — Illi apparuit S. Hieronymus, 405 A'.

AVARITIA, 16 A, 141 B, 157 C', 165 D', 426 A', 448 A', 450 B' et s., 490 D', 501 D, 556 D'. — Avari in inferno positi, 449 B'. — *Cf.* Divitiæ.

AVICENNA philosophus, 379 D.

AZARIAS ab igne præservatus, 616 D'.

B

BAPTISMUS, 98 D', 105 C, 106 B, 108 D, 249 A et s. — Rex aliquis stolida ratione Baptismum renuit, 253 B'.

BARNABAS (S.), 239 A.

BASILIUS (S.) a S. Ephrem visitatur, 86 B'. — Ejus Regula, 39 C', 45 D', 46 A, C, 168 D, 169 C', 328 B. — Allegatur etiam, 45 A, D, 143 C', 171 B, 210 B, 401 D', 488 B'.

BEATITUDO, 36 A et s., 156 B, 162 B', 194 D', 200 A et s., 205 B', 218 A et s., 404 C' et s., 553 D', 651 B et s. — Beatorum caritas, 408 C', 415 C'.

BEDA (S.) Venerabilis, 27 A', 48 C, 56 A', 71 B, 97 B, 99 B, D', 108 C', 125 B', 126 A, 160 B, 184 A', 570 B, D'.

BENEDICTUS (S.). — Ejus Regula, 20 D, 44 C, 146 A', 457 A', D', 561 D, 655 A, C.

BENEFICIA Dei, 12 A, 64 D, 81 C' et s. — Beneficia spiritualia quanta gratitudine accipienda, 439 B', 443 B, 458 B.

BENJAMIN eremita, 561 C.

BERENGANDUS (*alias* Berengaudus), 96 C, 97 A, 99 B, 100 A.

BERNARDUS (S.), 17 C', 23 D, 43 D', etc. — Varia de ejus gestis et virtutibus, 16 C', 163 A, 221 B', 360 B, 387 A, 548 A', 569 D'. — Illi attributa Epistola ad Fratres de Monte Dei, 288 B'.

BESSARION abbas, 46 C', 512 A.

BOETIUS (B.), 135 B', 452 A'.

BONUM delectabile, utile et honestum, 164 A. — Bona diversi generis, 224 A', 228 C, 372 B'. — Bona exteriora bene dispensanda, 324 C. — A Spiritu Sancto procedit omne bonum quod agimus, 349 B'.

BRIGITTA (S.), 136 B', 232 C', 486 A'.

BYSSUS quid, 131 D.

C

CARITAS igni assimilata, 426 C, 427 D. — Ejus natura, 130 C, excellentia, 48 A', 128 C et s., 153 C et s., 283 B, 597 A, motiva, 130 A, 519 B', actus, 93 A, 519 D', 598 B, dotes, 518 C et s., dimensiones, 462 B, 464 B, gradus, 131 B, 408 C' et s., perfectio, 130 B', signa, 84 B et s., 89 C, 306 D', effectus, 48 C', 52 A, 63 A, 92 C, 145 C'. — Præceptum caritatis, 400 C' et s., 413 B', 414 C et s., 507 C', 517 D, 591 D'. — Caritas erga Deum, 407 A et s. — Caritas fraterna, 51 C', 63 B, 93 D, 127 C', 129 B', 130 A', 144 A' et s., 152 B et s., 155 B, 167 C' et s., 226 A, 343 B', 532 C et s., 591 A et s., 618 C', 639 B', erga pauperes, 155 C', 160 D, erga inimicos, 343 C, 352 C. — *Cf.* Amor, Devotio, Dilectio, Proximus.

CARO crucifigenda, 433 B'. — Vitanda ejus desideria, 431 C, et opera, 432 D. — *Cf.* Concupiscentia, Corpus.

CAROLUS Magnus, 26 B'.

CARTUSIENSIS Ordo. Ejus Statuta de silentio, 40 A'.

CASSIANUS, 42 A, 148 C, 256 B, 269 B, 288 A', 289 D, 376 C', 391 B', 463 D', 477 A, 526 C', 558 C', 559 B, C', 561 C, 564 C, B', 577 D', 653 C, 655 D, 659 B, A', 663 D'.

CASSIODORUS, 506 D.

CATO (Dionysius), 175 C', 294 D.

CAUTIO, 558 A. *Cf.* Discretio.

CHOREB eremus, 478 B.

CHRISTIANUS. Ejus vocatio, 483 D et s., privilegia, 406 A, finis, 169 A', officia diversa, 28 B, 57 C', 137 D et s., 211 B', 293 D et s., 303 C, 389 D, 453 B, 587 D', perfectio, 606 D et s. — Religio christiana per naviculam figurata, 538 A et s. — Christiani populi peccata, 486 D, 489 B', 607 D'.

CHRISTUS in veteri Testamento prænuntiatus, 58 B et s., 287 A, 395 A et s., 397 C, 410 C, 647 C, 650 B. — Ejus divinitas, 646 D, humanitas, 123 A', adventus multiplex, 504 A, regnum, 644 A', 653 B, potestas, 508 A', justitia, 644 A, 648 A', judicium, 645 A, redemptio, 645 A, lacrimæ, 344 B, miracula, 56 D', 411 A, sacramenta, 632 D', convivium, 160 C', 280 D et s., sermo post Cœnam, 64 A, passio, 115 C, crux per navim figurata, 240 D, apparitiones post resurrectionem, 357 A, pax, 76 C', 91 A, jugum suave, 472B. — Illi quomodo testimonium perhibuerit Spiritus Sanctus, 72C et s. — Christus quærendus, 247A et s., et audiendus, 248A'. — Ejus consilia, 662D et s., et varia documenta, 347B', 381C et s., 382D et s., 385B et s., 392D et s., 467D et s. — Quam fructuosum sit ejus sermonem servare, 89C et s. — Christus imitandus, 238C', 247A', 263A, 286B', 351C et s., 536C, 554B, 612A, 639A et s., 642A. — Ipsius caritas erga homines, 155A', 188C, 628A', 639C, etiam inimicos, 343A, 352A, misericordia, 278D', 402B' et s., 589A', veritas, 610D et s., sapientia, 404C, 644C', humilitas, 263A, 363A, 640D', paupertas, 450B', obedientia, 641A', patientia, 602A. — Unio cum Christo, 411A', 475A. — *Cf.* Deus, Incarnatio, Verbum.

CHRYSOSTOMUS (S.), 15D, 42B, 107C', 133C, 141B', 148A', etc. — Consuevit subditos interrogare de prædicationibus suis, 238B.

CIBUS moderandus, 294A, præsertim religiosis, 304D', 328B, 355A', 434B, 561B. *Cf.* Abstinentia, Sobrietas.

CINGULUM monachorum, 659B.

CIRCUMSPECTIO, 62C, 545C'. *Cf.* Discretio.

CISTERCIENSIS Ordo. Allegatur liber de Viris illustribus hujus Ordinis, 387A — Cisterciensis quidam monachus quare in purgatorio detentus, 38A'.

CLEMENS (S.) Papa et martyr, 155C, 171C, 573B'. — Adhæsit primum S. Barnabæ, 239A, deinde S. Petro, 239A'. — Ejus miracula, 239B'.

CLIMACUS (S. Joannes), 39D', 40D, 41A', 42A, 43A, C, B', 46D, 148C', 151A, A', 191A', 222B', 264D', 265A, 267B', 288B', 312A, 328A', 350B, 351A, 355C, 372D, 374A, 376A, 475C, 476C', 477C', 478B, 480C', 500C', 501B, 517B', 520A, 536B', 537C, B', 539C, B', D', 540A', 603D, 619A, 638D, 640C, 653C', 660C, 661C, 663D', 664A'.

COELUM adspiciendum, 386B', et desiderandum, 138D', 652C. — In cœlis est conversatio perfectorum, 606D et s. — Cœli gaudia. *Vide* Beatitudo.

COENA corporalis, 159D, spiritualis, 160C', infernalis, 161C', cœlestis, 162B'. *Cf.* Convivium.

COENOBITÆ unde orti, 655C'.

COGITATIONES qualiter moderandæ, 642B', 643B, 654A.

COLLOQUIA vitanda, 231C'.

CONCORDIA bona et mala, 229C, 242B', 243A. *Cf.* Caritas, Unitas.

CONCUPISCENTIA sensitiva et intellectiva, 316A. — Carnalis concupiscentia, 327C. — *Cf.* Caro, Corpus.

CONDEMNATIO proximi vitanda, 205A, 215C.

CONFESSIO religiosorum quomodo facienda, 433D et s.

CONSIDERATIO, 117D.

CONSILIUM. Donum consilii, 281A'. — Consilia evangelica, 325B', 662D et s. — Consiliarius eligendus, 114D.

CONSOLATIO spiritualis, 289B', 370D.

CONSORTIA pravorum fugienda, 384B', 393B'.

CONSTANTINOPOLITANA Ecclesia, 100C.

CONSTANTINUS Magnus, 26B'.

CONSUETUDO mala, 391B, 430A.

CONTEMPLATIO, 253C, 289B', 597B'. — Variæ ejus species, 118B, 122A et s. — Oratio ad illam pertinens, 65C, 66C. — Exemplum contemplationis, 113A'. — *Cf.* Theologia.

CONTEMPTUS rerum terrenarum, 484C. *Cf.* Creatura.

CONTENTIO, 243D'.

CONVERSIO in Deum per legem evangelicam edocta, 60A. — Conversio mundi ad fidem, 57D, 358C'. — Quomodo peccator convertatur, 186C, D', 468A' et s. — Conversio non differenda, 473B, 486C'. — Exempla conversionis, 187B, 282B', 384B, 387A, 393D, 409B', 470A', 574C.

CONVIVIUM Christi quid sit, 280D et s. — Convivia splendida quam nociva, 280B. — *Cf.* Cœna.

COR Deo præparandum, 447B, 448A. — Cordis custodia, 573B. — Cordis humani malitia, 619D. — *Cf.* Anima.

CORPUS quam vile, 375C. — Exercitia spiritualia impedit, 538B'. — Qualiter tractandum, 146D et s., 293D et s., 322C. — *Cf.* Caro, Sensualitas.

CORRECTIO vel Correptio fraterna, 575D, 594A et s., ordinate facienda, 217A', 223C, 438A', 442D, 456A et s., et suscipienda, 330B', 331B, 500C', 537A. 620B. — *Cf.* Increpationes.

CORRUPTIO corporalis et spiritualis, 425A.

CREATURA quantum distet a Deo, 184C, quem manifestat, 287D'. — Creaturæ pro Creatore abjiciendæ, 663A'.

CRUDELITAS a quodam tyranno punita, 116B.

CRUX Christi per navim designata, 240D. — Ejusdem inimici, 608C.

CURIOSITAS, 371 A, 437 A', 498 D.

CUSTODIA cordis, 573 B.

CYPRIANUS (S.), 179 C, 390 B.

CYRILLUS (S.), Alexandrinus episcopus, 204 C, 222 B'.

D

DÆMON vel Diabolus, 78 B, apparet in specie angeli, 339 A', 351 A, imo ipsius Christi, 339 B', 351 D. — Dæmonum potentia, 565 B', et malignitas, 34 C', 176 A, 526 C, 573 B, 579 C, speciatim contra moribundos, 347 B, 354 C'. — Dæmones repellendi, 139 C', 176 C, 179 A, 581 D. — Parochiani diaboli, 133 D. — Frater quidam a dæmonibus deceptus patrem suum occidit, 339 C'.

DAMASCENUS (S.), 2 B, 17 C', 30 C, 136 D, 462 D'.

DAMNATI. Eorum dispositiones, 136 D, et pœnæ, 133 D', 534 C. *Cf.* Infernus.

DANIEL propheta. Ejus fidelis obedientia, 628 B'.

DAVID peccans fragilitatem humanam denotat, 578 C.

DECIMÆ, 614 D.

DEFECTUS aliorum portandi, 455 B', 485 B'.

DELECTATIO vitiosa, 315 C.

DEMOPHILUS monachus, 259 C', 267 A'.

DESIDERIUM cœli, 138 D', et spiritualis profectus, 426 B'. — Desideria carnalia, 431 C et s.

DETRACTIO, 171 D, C'.

DEUS caritas est, 125 A, 144 A, 145 A', actus purus, 18 B', immutabilis, 2 A. — Ejus essentia, 17 A', perfectio, 407 B', pulchritudo, 405 A, 651 C, longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, 462 D, 464 D, bonitas, 11 C, 81 C, 129 A', 407 C, 651 C', misericordia, 203 A, 261 A et s., 269 B', 277 B et s., 471 A, 555 A, 592 C, 599 C, dilectio erga homines, 127 D, 194 C et s., 568 C, 647 D', beneficia, 12 A, 408 B. — Ab illo sunt et conservantur universa, 19 A. — Ejus præcepta, 615 A et s., et judicia metuenda, 142 D'. — Dupliciter cognoscitur, 122 B'. — Oportet illi corda præparare, 447 B, 448 A, ejus memoriam servare, 168 D', et præsentiam revereri, 399 A, 495 C, 582 B'; illi appropinquare, 184 C et s., 192 A et s., et servire, 189 D', 273 A et s., 285 A, 295 D, 350 A, 447 B et s., 623 B', 628 B; ipsum diligere, 130 C, 660 D', et se in Deo diligere, 164 C'; ejus amicitiam acquirere, 324 D et s., et voluntatem sequi, 169 B; in illo delectari, 518 B', confortari, 567 A et s., 577 D et s., fiduciam ponere, 33 B et s.; ad eum in tribulatione confugere, 386 B', ipsique inhærere, 642 C. — Quare sit amandus, 289 D, 519 B'. — An odio possit haberi, 444 B'. — Peccata contra amorem illi debitum, 615 A. — Gratitudo illi exhibenda, 504 C et s., 614 C'. — *Cf.* Christus, Spiritus, Trinitas.

DEVOTIO, 66 D' et s. — Devoti impetrant conversionem peccatorum, 468 D', 470 A'.

DIES omnis velut ultimus ordinandus, 480 B'.

DILECTIO, 65 C', 591 B', spiritualibus patribus debita, 623 C. *Cf.* Caritas.

DIOGENES, 179 B'.

DIONYSIUS (S.) Areopagita, 32 C, 57 B, 74 B', 78 D', 92 A', 96 C, 122 B', D', 129 A', 162 D, 176 A, 215 D', 234 A, 259 B, C', 267 A', 314 A', 336 A, 418 A, 497 D', 657 A, 658 A.

DIRECTIO quærenda, 139 D.

DISCORDIA vitanda, 243 D, 485 C'.

DISCRETIO, 51 B, 558 B et s. — Discretio spirituum, 337 D, 339 A', 351 A. — *Cf.* Prudentia.

DIVITIÆ quo sensu dicantur « mammona iniquitatis », 321 B'. — Divitiarum contemptus, 141 A', 327 A', 450 B et s. — Divitiæ spirituales, 506 B', 516 A. — Dives epulo, 131 C et s., 141 A et s., 149 A et s., ejusque imitatores, 142 B'. — *Cf.* Avaritia.

DOMINICUS (S.), institutor Ordinis Fratrum Prædicatorum, 506 D'.

DONA Spiritus Sancti, 281 B et s.

DULAS abbas, 46 B', 512 A.

DUPLICITAS, 301 C. *Cf.* Hypocritæ.

DURANDUS (Campanus), 222 B.

E

EBRIETAS, 547 B.

ECCLESIA militans figurata per navim, 239 C, 529 A et s., et per Jerusalem, 347 A'. — Ejus pulchritudo, 350 B', deformatio, 352 B', murus triplex, 530 A'. — Ecclesia primitiva, 655 D', 656 C, 657 A. — Ecclesiæ patriarchales, 100 B. — Ecclesia triumphans, 553 D'. — Ecclesia (id est templum) ad quid Deo consecrata, 347 D'.

ECSTASIS, 92 A'.

ELEAZARUS, typus fortitudinis, 532 A'.

ELECTI. Quam fructuosæ illorum tribulationes, 149 A et s., 154 C', 167 A, 200 A et s., 219 C, 228 B, 296 A, 463 D, 474 C, 497 A, 573 A'. *Cf.* Tribulationes.

ELEEMOSYNA quare facienda, 212 C'. *Cf.* Misericordia.

ELIAS abbas, 43 C, 126 B, 355 C.

EPHREM (S.), 86 B'.

EPICTETUS presbyter et martyr, 409 B', 410 A'.

EPIPHANIUS (S.), episcopus Cypri, 262 C'.

EPISTOLA ad Fratres de Monte Dei, 288 B'.

EREMITA quidam sanctus allegatur contra iram, 259 D.

EUCHARISTIA, 287 C. — Monachus de illa tentatus liberatur, 360 B. — Cuidam judici miraculose datur, 613 B'. — *Cf.* Missa.

EUPHRASIA (S.), 554 D.

EUSEBIUS, Cæsariensis episcopus, 630 A, 632 A.

EUSEBIUS, Emisenus episcopus, 288 B', 355 B, 663 D'.

EUSTACHIUS (S.), 573 B'.

EVANGELISTÆ quatuor, 99 D.

EXEMPLA mala non sequenda, 473 C. — Narrantur exempla conversionis, 187 B, 282 B', 384 B, 387 A, 393 D, 409 B', 410 A, 470 A', 574 C, pœnitentiæ, 16 C', 43 D', 406 B', 478 B, 540 D' et s., mortificationis, 399 A', 548 A, 569 C', abnegationis, 264 D, laudabilis luctus, 344 D', 345 B', divitiarum contemptus, 327 A', 453 A, humilitatis, 275 B, 304 B, 423 A, 526 D', orationis, 46 B', contemplationis, 113 A', castitatis, 608 C', 633 B, 649 A', patientiæ, 151 B, 191 A', 573 C', 593 B', fortitudinis, 318 A', caritatis fraternæ, 217 D', 232 A', 262 C', 280 A', 348 A', zeli apostolici, 163 A, hospitalitatis, 52 C', 210 B', obedientiæ, 628 B', silentii, 6 D', 41 A', 385 A', 422 D', perfectionis monasticæ, 240 D', 554 D, mortis sanctæ, 301 B, 588 A', 596 C'.

F

FAMA bona quærenda, 453 C', 454 C.

FEBRIS spiritualis, 572 A et s.

FERVOR in Officio divino, 563 B'.

FESTA quomodo observanda, 615 A'.

FIDES, 128 C, 129 B, 410 B, 630 D. — Ejus argumenta, 55 C et s., 58 B et s., 63 D, 113 C, 339 C, 358 B et s., 369 C et s., 410 B' et s. — Scutum fidei, 582 B.

FIDUCIA, 33 B et s., 125 C'.

FINIS operis et operantis, 54 D'. — Finis generis humani, 651 A et s.

FORNICATIO, 313 C, 317 B, spiritualis, 329 C.

FORTITUDO, 567 A et s., 577 D et s.

FRANCISCUS (S.), 289 D, 453 A', 581 B.

FRATERNITAS christiana, 231 A, 245 A. *Cf.* Caritas.

FURTUM, 616 B.

G

GABRIEL (S.) archangelus adfuit cuidam peregrino morienti, 301 B.

GAUDIUM spirituale, 422 B. — Gaudium Beatorum. *Vide* Beatitudo.

GLORIA vana, 440 D' et s., 454 D, 457 D'. *Cf.* Superbia.

GLOSSA, 70 A', 292 D, A', 360 A, 364 A'.

GODEFRIDUS de Bolonia, rex Jerusalem, 526 D'.

GORRA (Nicolaus de), 134 C, 160 C.

GRATIA, 272 A'. — Ejus necessitas, 577 D et s. — Gratiæ gratum facientis dignitas, 283 A, et signa, 152 B. — Gratiæ gratis datæ, 335 B', 336 A'. — Gratiarum actio, 44 A', 515 B, 562 B.

GRATITUDO pro beneficiis Dei, 504 C et s., 614 C'.

GREGORIUS (S.) Magnus, 3 D', 5 A', 6 B, 15 C', etc. — Ejus tres amitæ, 577 A.

GREGORIUS (S.) Nazianzenus, 27 D.

GREGORIUS (S.) Nyssenus, 160 B'.

GUILLELMUS (S.) quomodo pœnitentiam egerit, 16 C'.

GUILLELMUS Antisiodorensis, 84 D', 306 D', 658 A.

GULA, 142 A, 147 A et s.

H

HABITUS monachorum, 658 D' et s.

HADRIANUS (Ælius), 341 D.

HALES (Alexander de), 224 D'.

HAYMO, Halberstatensis episcopus, 99 C'.

HELLADIUS abbas, 569 C'.

HENRICUS, cognatus regis Franciæ, 387 A, fit monachus Cisterciensis, 387 B, et episcopus, 387 C'.

HIERONYMUS (S.), 15 D, 99 B', 126 B, 146 D', 172 A, etc. — Ejus Regula, 20 B', 39 C. — Ejus gesta et virtutes, 43 D', 143 B', 405 A', 485 B, 499 D.

HILARION (S.), 262 C', 354 C, 581 B, 618 C.

HILARIUS (S.), 18 B, 100 A.

HOMICIDIUM, 615 C', multiplex, 155 C, 171 C. — Utrum gravius odio, 170 A.

HOMO, qui lignum seu arbor vocatur, 529 C', quo sensu distet a Deo, 184 C et s., a quo beneficia multa accepit, 12 A, 64 D, 81 C' et s. — Quomodo ad finem suum se regere debeat, 322 A et s., 494 B. — *Cf.* Anima.

HOROLOGIUM æternæ sapientiæ (Henrici Suso), 480 A.

HOSPITALITAS, 52 B'.

HUGO (S.), Gratianopolitanus episcopus, 344 D'.
HUGO (S.), Lincolniensis episcopus, 29 B'.
HUGO de S. Victore, 6 A, 29 B, 39 B, 41 B', 66 D', 82 B, 105 C', 245 D, 289 C, 350 D, 434 C', 437 A', 442 B.
HUMILITAS, 175 A, 245 D', 362 A, 370 B', 484 B', 488 C, 493 C', 495 C', 499 C, 547 C', 576 B', 617 B', 631 D. — Ejus motiva, 174 B, 177 B, 374 C et s. — Humilitas Christi, 363 A.
HYDROPICUS peccatorem significans, 490 B et s.
HYPOCRITÆ, 296 C, 298 C et s., 310 B et s., 437 B, qualiter dignoscendi, 307 D et s. — Mors cujusdam hypocritæ, 300 D'.

I

IDOLOLATRÆ quinam efficiantur, 316 D', 328 D'.
IGNATIUS (S.), episcopus Antiochenus et martyr, 189 A'.
IGNORANTIA vitanda, 627 D.
ILLUMINATIO divina, 627 B'.
IMMISERICORDIA, 142 A', 209 B'.
IMPEDIMENTA salutis, 555 A' et s.
IMPII quam ingrati erga Deum, 83 B, et quomodo regendi, 635 C'. — Eorum excæcatio, 188 D', 346 B, et pœnæ, 347 A. — Impius quidam quare solenniter sepultus, 296 A. — *Cf.* Iniquus.
INCARNATIO Verbi, 123 A', 196 B, 552 C, 562 D', 647 D'. *Cf.* Verbum.
INCONSTANTIA, 537 A'.
INCREPATIONES religiosis utilissimæ, 150 B', 540 A', qualiter ab ipsis accipiendæ, 22 C'. *Cf.* Correctio.
INDURATI, 576 A.
INFERNUS, 133 B', 161 C', 492 A, 534 C. *Cf.* Damnati.
INGRATITUDO, 506 B.
INIMICI. Caritas erga illos, 343 C, 352 C. — Fugiendæ inimicitiæ, 421 D'.
INIQUUS per surdum et mutum designatus, 383 A et s. *Cf.* Impii.
INJURIÆ dimittendæ, 205 C, 215 D, 591 A et s., 599 C et s., 602 A et s., et sustinendæ in spiritu pœnitentiæ, 539 C'.
INNOCENTES an pœnitentibus præferendi, 182 A'.
INNOCENTIUS, monachus patientissimus, 191 A'.
INSTABILITAS mentis qua arte curanda, 641 D et s.
INTEGRITAS spiritualis, 425 B et s.
INTELLECTUS, donum Spiritus Sancti, 55 C', 281 D.
INTIMORATI, 555 B'.
INVIDIA, 14 D', 170 D, 442 A, 455 A, 490 B', 498 A.
IRA, 6 B, 21 C, 255 A, 257 A et s., 265 B et s., 421 A', 523 A', 537 B. — Ira laudabilis, 257 A', 265 C'.
ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, 51 B, 61 A, 245 C, 317 D', 331 D, 442 D', 558 B', 596 D.

J

JACOBUS (S.) Minor, apostolus, 357 C.
JACOBUS de Voragine, 84 D'.
JAIRUS archisynagogus, prælatum figurans, 635 A. — Ejus filia suscitatur, 629 A et s., 633 D et s.
JEREMIAS cruciatus, 557 C', et occisus, 557 D'.
JERUSALEM a Romanis obsessa et vastata, 340 D', 341 D. — Ecclesia Jerosolymitana, 100 B.
JOANNES (S.) apostolus, 100 A, quatuor mortuos suscitavit, 57 D.
JOANNES eremita, 90 B, 399 A'.
JOANNES, Bossinensis episcopus (auctor Summæ confessariorum), 222 B.
JORAM rex. Ejus crimina, 494 B', et punitio, 494 C'.
JOSEPH filius Jacob, exemplar castitatis, 608 C'.
JUDÆI. Illorum excæcatio, 398 A, 411 C, et peccata, 489 B.
JUDAS Galilæus, 609 C'.
JUDICIUM multiplex, 220 D, 223 C'. — Judicium divinum, 534 A. — Judicium faciendum, 203 A', 214 A, 649 D, vel licitum, 225 A. — Judicium suspiciosum, 204 A', 222 B. — Judicium temerarium, 117 D', 204 A, 214 C', 221 C, 224 C, religiosis specialiter vitandum, 223 A.
JULIANUS Apostata, 632 B.
JURAMENTUM, 586 C', 615 C.
JUSTITIA, 581 D', 612 C' et s., 648 C'. — Justitia originalis, 293 D.

L

LACRIMÆ monachorum, 661 D'.
LARGUS, Sarracenus ad fidem catholicam conversus, 380 C'.
LATRIA, 193 A.
LAUS humana contemnenda, 302 D.
LAZARUS mendicus, 132 A et s., 149 A et s.
LEO (S.) Papa, 91 A', 176 B, 211 D', 230 A, 331 D', 338 A', 360 A, 583 D. — Quomodo gratiam castitatis impetraverit, 35 C'.

LEPRA peccati mortalis, 428 B et s. *Cf.* Peccatum.

LEX Mosaica, 377 B', 379 A et s., 388 B et s., 395 C' et s. — Lex evangelica quam sancta et perfecta, 25 A', 59 B' et s., 377 A', 378 D et s., 388 A et s. Ad illam observandam quantum obligentur Christiani, 28 B, præsertim religiosi, 64 B.

LIBER vitæ, 606 A'. — Liber de Causis (David Judæi), 336 D, de Profectu religiosorum (David Augustani), 258 B, 288 B', de Sphæra (Maschaallah Arabi), 233 D', de Viris illustribus Ordinis Cisterciensis (id est Exordium magnum Ordinis Cisterciensis), 387 A. — Liber Vitaspatrum, 3 D, 213 C', 217 C', 288 B', 296 A, 300 C', 304 A, 311 D', 318 A', 327 A', 339 C', 345 B', 385 A', 399 A', 422 D', 431 B, 443 A', 465 B, 534 D', 569 B, C', 649 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 73 et 74.)

LIBERALITAS, 215 D'.

LIBYA, 71 C.

LINGUA frenanda, 19 D, 26 B, 29 A, 38 D et s., 87 D, et dirigenda, 73 D', 87 C' et s., 394 C, 516 B. — Lingua Hebræa, 73 C'.

LONGANIMITAS in spe, 422 A'. *Cf.* Patientia, Spes.

LORICA justitiæ, 581 D'.

LOT hospitalitati deditus, 52 C'.

LUCAS (S.), 100 A.

LUCTUS laudabilis multiplex, 344 D et s.

LUXURIA, 15 B', 157 D', 166 B, 317 B, 491 A'. — Luxuriosus in inferno punitus, 492 A.

LYRA (Nicolaus de), 134 C.

M

MACARIUS (S.) abbas, 240 D', 345 B', 480 B'.

MACROBIUS, 153 C.

MAHOMETUS. Ejus doctrina, 359 B, 379 D, 479 B.

MALITIA manifesta, 557 B.

MALUM. De apertis malis utrum liceat judicare, 225 A.

MAMMONA iniquitatis, 326 C. *Cf.* Divitiæ.

MANSUETUDO, 485 C.

MARCUS (S.), 100 A. — Sub illo floruit Ecclesia Alexandrina, 656 C.

MARIA (S.) Ægyptiaca, 307 A.

MARIA (S.) Magdalene, 307 A.

MARIA, filia Abrahæ eremitæ, 406 B'.

MARTINUS (S.), 129 D, 133 C, 136 D', 289 D, 339 B', 618 C.

MARTYRIUS, « monachus sanctus », 348 A'.

MATTHÆUS (S.), 99 A' et s.

MELANCHOLICI, 170 B', D'.

MEMBRA in bonum adhibenda, 284 D.

MENAS, « vir sanctus », 264 D'.

MENDACIUM, 525 C, 536 C'.

MICHAEL (S.) adfuit cuidam peregrino morienti, 301 B.

MIRACULUM, 104 B'. — Miracula novi Testamenti, 650 C', Christi, 56 D', 411 A, Apostolorum, 57 C, 411 B. — Narrantur diversa miracula, 60 C, 136 D', 213 C', 507 A', 512 A', 636 B', 650 A'.

MISAEL ab igne præservatus, 616 D'.

MISERICORDIA, 213 D. — Misericordia Dei, 203 A, 261 A et s., 269 B', 277 B et s., 471 A, 555 A, 592 C, 599 C. — Opera misericordiæ, 27 A, 29 D, 52 C, 207 D et s., 211 A et s., spiritualia, 334 B', 339 A, 438 A', 442 D, 456 A et s.

MISSA quomodo celebranda, 435 C. *Cf.* Eucharistia.

MODESTIA, 231 B, religiosis commendatur, 245 C.

MONACHUS verus, 350 B, 660 C et s. — Quatuor genera monachorum, 655 A et s. — Consecratio monachorum in primitiva Ecclesia, 657 A et s. — Monachi quare detondeantur, 657 C', et quid significet illorum habitus, 658 D' et s. — Monachorum quorumdam mira pœnitentia, 540 D et s. — *Cf.* Religiosus.

MONICA (S.), mater S. Augustini, 383 C'.

MORS timenda, 477 B, non tremenda, 477 C'. — Memoria mortis, 476 C' et s., 479 C et s. — Mors justorum, 301 B, 588 A', 596 C'. — Mors peccatorum, 300 D', 473 C'.

MORTIFICATIO corporis, 146 D et s., 293 D et s., sensuum, 284 A', 294 A', 322 B', 334 B, affectionum, 459 A. *Cf.* Caro, Corpus, Pœnitentia.

MOYSES. Ejus lex, 377 B', 379 A et s., 388 B et s., 395 C' et s.

MOYSES abbas, 217 D', 264 D, 559 B, D', 561 C, 653 C.

MULIER a sanguinis fluxu curata, 629 C', 631 D'.

MUNDUS quare vocetur « mare », 531 A'. — Mundi conversio ad fidem, 57 D, 358 C', et futura innovatio, 198 C'.

MURMURATIO, 314 A, 317 A', 330 A et s.

MUTIUS abbas, 477 D', 478 A.

N

NABAL, 140 B'.

NAVICULA Petri, 239 C et s. — Navicula re-

ligionem christianam figurans, 538A et s.
NEGLIGENTIA, 556A, 563A'.
NICODEMUS (S.), 103D' et s., 113C et s.
NOVISSIMA quatuor, 533D'.
NUPTIÆ quinquepartitæ, 552B et s. — Nuptiæ spirituales, 499B, 553A.

O

OBEDIENTIA, 613D', 622A.
OBLATIONES, 262C, 614D. — Reconciliatio ante oblationem facienda, 268B et s.
OBSECRATIO, 44A.
OBSTINATI, 557B.
OCTAVIANUS imperator, 646B.
OCULI Christum contemplantes, 412A et s. — Mortificatio oculorum, 569C'.
ODIUM proximi, 169D et s.
OFFICIUM divinum qualiter persolvendum, 434C', 563B'.
OPERA bona a Deo sunt, 586B. — Opera misericordiæ. *Vide* Misericordia.
ORATIO. Ejus species, 43D', 46D', motiva, 34A', 41C, 51C, conditiones, 30B, 35B, 42D, 44C, 46C', efficacia, 43A', 468D'. — Attentio requisita ad orationem, 44C'. — Unanimitas in oratione, 242A. — An oratio debeat esse diuturna et verbis prolixa, 46C. — Oratio ad contemplationem pertinens, 66C. — Oratio prælati pro subditis, 625A et s., 626C et s., 636D et s. — *Cf.* Contemplatio, Suffragia.

P

PACOMIUS (S.), 393D, 470A', 548A.
PALÆMON (S.), 548A.
PAMBO abbas, 87C', 422D'.
PANES septem a Christo multiplicati quid significent, 281B et s., 285C et s.
PAPHNUTIUS abbas, 371B.
PARIS, 405B.
PASSIO Christi, 115C.
PASTOR abbas, 41B', 275B, 559C'.
PATER æternus, 101D', 120D, 474C'. *Cf.* Deus, Trinitas.
PATIENTIA, 612B, in adversitatibus, 190C, 231A', 485D, 496B, 618C. — Patientia religiosis commendatur, 246A, ut probatrix virtutum, 496B'.
PAULUS (S.) apostolus quomodo imitandus, 617B et s. — Ejus humilitas, 357A', 359C', 617D, patientia, 618A, caritas, 618A'.
PAULUS (S.) primus eremita, 656B, A'.
PAUPERTAS Christi, 450B', et Sanctorum, 453A. — Pauperes sublevandi, 155C', 160D.
PAX Christi, 76C', 91A. — Pax carnalis, 354D.
PECCATUM, 16D, 112B', 185B', ex triplici radice oritur, 185D'. — Peccati originalis vulnera, 567B'. — Peccati mortalis enormitas, 553A', et effectus, 385B', 406C, 416B', 428B et s., 471B', 572A et s., 632D, 635C et s. — Peccati consuetudo, 186B, B'. — Peccata dimissa an redeant in recidivante, 590C', 600D. — Vitanda peccata etiam venialia, 414A. — Deflenda peccata propria, 344D, et proximorum, 344A'. — Ad peccandum non fiat provocatio, 441C'. — Peccatores per leprosos designati, 428B, 430A', et per suscitatos a mortuis, 468C et s. — An peccator debeat orare, 30C', qua via ad Deum redeat, 186C, D', 383A' et s., et quibus causis retardetur, 471D et s. — De conversione peccatorum quomodo gaudeant angeli, 182B. — Quanta sit Dei misericordia erga peccatores, 277B', 278B'. — *Cf.* Vitia.
PELAGIUS hæresiarcha, 577D.
PENTECOSTE, 68A et s., 86D. *Cf.* Spiritus Sanctus.
PERFECTUS per navim significatus, 529C. — Perfectorum caritas, 415D.
PERSECUTORES Apostolorum et martyrum, 54C'.
PERSEVERANTIA, 114C'.
PERTINACIA, 436B'.
PETRUS (S.) ordinavit S. Clementem suum in papatu successorem, 239A'. — Ejus humilitas, 235A, prædicatio, 79A et s., sententia de homicidio, 155C, 171C. — Quid figuret ejus navicula, 239C et s.
PETRUS (S.), Ravennensis episcopus, 133B.
PHÆDO, 479D', 480A, 538B'.
PHILO, Judæus scriptor, 656C.
PIAMMON abbas, 655D, C', 656D.
PLATO, 479A' et s., 538C'.
PŒNITENTIA, 252C', 279D, 531D, per navim figuratur, 240B, 539C. — Pœnitentes utrum innocentibus præferendi, 182A'. — Monachorum quorumdam mira pœnitentia, 540D et s. — *Cf.* Mortificatio.
POLYCARPUS (S.), 57B.
POMPEIUS, 609C'.
PORTITORES quatuor paralytici varia significant, 533A et s.
POSTULATIO, 44A'. *Cf.* Oratio.
PRÆCEPTA Dei, 615A et s.

PRÆDESTINATIO, 75B.
PRÆDICATIO quomodo audienda, 236C et s. — Prædicatores, 158B, 234D, B'.
PRÆLATUS qualis esse debeat, 216A', 515B, erga delinquentes, 23C, 457B, 595D'. — Quis non eligendus in prælatum, 206C. — Prælatus malus, 332D', 492D', aut corde non rectus, 602C'. — Prælatus sapiens et sollicitus, 575B, pro subditis orans, 625A et s., 626C et s., 636D et s. — Prælati correctio quomodo accipienda, 500C'. — An liceat vitioso prælato alios corrigere, 217A. — Officia subditi erga prælatum, 458B, 622A et s. — Contra prælatos non murmurandum, 330B'.
PRIMITIÆ solvendæ, 262D.
PRINCIPATUS qualis appetendus, 494B.
PROCLUS Platonicus, 336D.
PROFECTUS spiritualis, 138B, 140C, 150C', 185D, 252A, 279A', 284C, 288C', 315C', 345D, 623D', sapienter desiderandus, 426B', qualiter impediatur, 538A'. — Liber de Profectu religiosorum (David Augustani), 258B, 288B'.
PROPHETIÆ de Christo, 58B et s., 395A et s., 397C, 410C, 647C, 650B.
PROPOSITUM bonum, 251C.
PROSPER (S.), 117D', 332B, 442C'.
PROSPERITAS temporalis quam periculosa, 472B'. — Prosperitas impiorum funesta, 346B'.
PROXIMUS ædificandus, 453B', 583B, 618D'. — Proximis compatiendum, 230A', 244D, 455B'. — *Cf.* Caritas.
PRUDENTIA, 50C, 60D et s.
PUGNA spiritualis, 252A'.
PURGATORIUM. Ejus pœnæ, 38A', 348D, 477D.
PYTHAGORAS, 3D.

R

RAIMUNDUS (S.) de Pennafort, 217A.
RATIO, per quam regenda est anima, 333B, et cui submittenda est sensualitas, 295C, 322C', 420D', 421D, Deo subjiciatur, 295D, 323B. *Cf.* Anima, Homo.
RECONCILIATIO fraterna, 255C' et s., 261A et s., 268B et s. *Cf.* Caritas.
REDEMPTA, mulier sancta, 202C.
REFECTIO corporalis, 159D. *Cf.* Cibus, Cœna.
REGNUM Dei, 653C, primum quærendum, 446B', 452B'.
RELIGIO quid sit, 26D.
RELIGIOSUS qualem sollicitudinem habere debeat, 191A. — Religiosorum vocatio, 370B, 495A et s., 637D', 656C', vota, 662D et s., profectus, 150C', 263A et s., 623D', concordia, 242D', caritas, 409B, 415B, silentium, 20B et s., 21B', studium seu lectio, 288A', 516A', varia officia, 22C', 23D, 64D', 242D, 265B, 304D', 328B, 351C et s., 353A, 355A', 371A', 390B, 413C et s., 458B, 475B, 517B, 539A', 621C, 622A et s., 658B. — Religiosi quare tepescant, 353D et s., et quænam illis sint vitanda, 21D et s., 147C, 173C et s., 434B et s., 460A, 499B', 500B et s., 516D, 558B', 563A', 601B, 620D', 658A', 659C'. — Religiosus spiritualiter surdus et mutus, 390C et s., 393B. — Religiosi infidelis judicium, 353A'. — Religiosi quomodo debeant confiteri, 433D et s., se ipsos regere, 333C, et Spiritu Dei agi, 305D. — *Cf.* Monachus.
REMIGIUS (Antisiodorensis), 255C.
RENOVATIO animæ, 524C, 535C. *Cf.* Anima.
RENUNTIATIO, 663A, 664A. *Cf.* Abnegatio.
REPROBI. Miserrima eorum prosperitas, 149A et s.
REVERENTIA prælatis exhibenda, 623B. *Cf.* Prælatus.
ROMANI, 550A, 609C'.
ROMULA, discipula Redemptæ, 202C.

S

SACRAMENTA, 632D'.
SALOMON utrum pœnitentiam egerit, 569A.
SALUS, 114B, a Christo procedens, 645A'. — Impedimenta salutis, 555A' et s. — Salus proximi sapienter procuranda, 583A.
SANCTITAS legis evangelicæ quomodo demonstretur, 59B' et s. *Cf.* Lex.
SAPIENTIA aquæ assimilata, 426B, A', 427B, caritati favet, 583A. — Sapientia, donum Spiritus Sancti, 123A, 281B, 325D', 386A, 394C, 574D et s., 654B'. — Sapientia, gratia gratis data, 336C'.
SARA abbatissa, 569D'.
SARABAITÆ, 655B, A', 656A'.
SARRACENI, 111A, 195D', 347A', 379D, 380C', 463D'.
SCANDALUM, 453C', 454C', 469D, 640B'.
SCIENTIA virtutibus jungenda, 27C. — Scientia, donum Spiritus Sancti, 281C', 587A'. — Sermo scientiæ, 336D'.
SCOTUS (Duns), 74B'.

SCRIPTURA. Ejus multiplex sensus, 285C et s., et septem effectus, 287D et s. — Quomodo ex illa Deus cognoscatur, 287D'.
SCYTHI eremus, 240D'.
SEBASTIANUS (S.), 153B.
SENECA, 5C', 61D', 63A', 167B', 297B, 333A', 480C', 603B.
SENIOR quidam perseverantiam in cella commendat, 151A.
SENSUALITAS rationi subjicienda, 295C, 322C', 420D', 421D, per sensuum mortificationem, 284A' et s., 294A', 322B', 661A'. *Cf.* Corpus, Mortificatio, Ratio.
SERAPION abbas, 561B.
SERPENS æneus, 110B, 115B.
SERVATIUS (S.), 573C'.
SEVERINUS (B.), Coloniensis episcopus, 348D.
SILENTIUM opportunum, 5B'. — Silentium religiosorum, 20B et s., 21B', 40A. — Silentium alicujus monachi prodigiose remuneratur, 6D'.
SILVANUS monachus, 393D, 470A'.
SIMULATORES. *Vide* Hypocritæ.
SISOIS abbas, 588B, 636A'.
SOBRIETAS, 148B', 178C'. *Cf.* Cibus.
SOCIETAS virtuosorum quærenda, 140A.
SOCRATES, 452D'.
SOL, imago Dei, 129A'.
SOLITARIUS aliquis quare a fera comestus, 296A.
SOLLICITUDO vitanda, 138A', 445C, 446D, 450D et s., 459C'. — In Deum projicienda, 178B, 190A'.
SOLON philosophus, 170B', 455B.
SOMNUS qualiter moderandus, 294C, 434A'.
SPES, 128C, 129B, 193B'. — Ejus argumenta, 55C et s. — Longanimitas in spe, 422A'.
SPIRITUS multiplex, 419A. — Discretio spirituum, 337D, 339A', 351A.
SPIRITUS Sanctus. Ejus processio, 54A, 102A, 120D', missio, 8B et s., 23D', 53B, 68A et s., 76D, 82C', 86D, dona, 55C', 281B et s., fructus, 419B', 422B, 433A. — Quomodo testimonium Christo perhibuerit, 72C et s. — Quo sensu illo impleamur, 547A', 560C et s., illique assimilemur, 92A et s. — Præparatio ad ejus visitationem, 64D', 73B', 545C, 546A. — Quibus signis dignoscatur ejus præsentia, 84B et s. — Quænam impediant ne ab hominibus suscipiatur, 11A et s., 14D et s., 87D. — Qualiter deprecandus sit, 24C. — Actuali ejus motione indigemus, quo sensu, 292A, 305A', 335C, 338C, 349B. — Ab illo procedit omne bonum quod agimus, 349B'. — *Cf.* Deus, Trinitas.
STATUS incipientium, proficientium et perfectorum, 161D. — Status diversi ad diversa obligantes, 486A.
STEPHANUS abbas, 596B'.
STEPHANUS anachoreta, 638D.
STOICI allegantur de passionibus, 260A'. — Unus ex illis in tempestate turbatus, 260B', quomodo se justificaverit, 260C'.
STUDIUM religiosorum, 288A', 516A'.
SUBDITI quales esse debeant erga prælatos, 458B, 622A et s. *Cf.* Prælatus.
SUFFRAGIA Sanctorum et devotorum quam utilia, 383D', 384C. *Cf.* Devotio.
SUPERBIA, 13B', 157D, 165B, 173B et s., 360D, 361D, 362D et s., 376D, 391A', 439A, 449A, 459A', 490B, 500B. — Ejus species diversæ, 173D', 366A et s., 371C et s., et remedia, 373A. — *Cf.* Gloria.
SURDUS et mutus a Christo curatus, 381A et s., 382D et s., 385B et s.
SUSANNA, castitatis exemplar, 633B.
SUSPICIO vitanda, 204A'.
SYMPHRONIUS, præfectus Romæ, 509C.
SYNCLETICA (S.), 581A.

T

TACITURNITAS laudabilis, 5B'. *Cf.* Silentium.
TACTUS reprimendus, 294D'.
TEMPUS redimendum, 546C.
TENTATIO, 314B', 318B, 331D. — Quomodo illi resistendum, 569D. — Tentatio præsumptionis et desperationis quo pacto superata, 569B. — Tentatus caritative tractandus, 443A'. — Monachus a tentatione contra fidem Eucharistiæ liberatur, 360B.
TESTIMONIA Dei, 4B.
THEODORUS abbas, 464A.
THEODOSIUS imperator, 26B', 90C.
THEOLOGIA mystica, 123A. *Cf.* Contemplatio.
THEONAS (S.) abbas, 561B.
THEOPHANIUS comes, 210B'.
THEOPHILUS (id est Theophylactus), 182A, 217A', 423D, 571A.
THEOPHILUS, Alexandrinus episcopus, 422D', 478C'.
THOMAS (S.) Aquinas, 26D, 44C', 45D, 46D, 66D', 74B', 82D', 129A, 134B', 136A', 170B, D, 198D', 203B', 204A', 217A, D, 219B, 222B, 243D, C', 335B', 358C, 359A', 419D', 436D, 452B, 622B, 648A.

TIBERIUS, 610 A'.

TIMOR multiplex, 126 C'. — Timor laudabilis, 273 A, 531 B, 573 A. — Timor vitandus, 146 A, 232 A, 573 D, 584 B. — Timor spiritualis laboris, 472 A. — Timor cujusdam anachoretæ ante mortem, 638 D.

TITUS, 340 D', 341 C, 550 A.

TRIBULATIONES Ecclesiæ, 530 A. — Tribulationes electorum, 463 B, quam fructuosæ, 149 A et s., 154 C', 167 A, 200 A et s., 219 C, 228 B, 296 A, 463 D, 474 C, 497 A, 573 A'. — Tribulationes per sapientiam mitigantur, 427 C. — *Cf.* Adversitas, Electi.

TRINITAS divina, 74 C', 75 A', 101 D et s., 110 D et s., 119 B et s. — Ejus beneficia, 64 D, 187 D, 196 B, 648 B, cognitio, 119 B, cultus, 102 D'. — *Cf.* Christus, Deus, Pater, Spiritus Sanctus.

TRISTITIA inordinata, 170 D.

TULLIUS, 229 C', 297 B.

TUNGRENSES, 573 C'.

U

UNANIMITAS in oratione, 242 A. *Cf.* Oratio.

UNITAS spiritus, 497 A'. *Cf.* Concordia.

V

VANITAS, 471 A'.

VERBUM æternum, 120 D. — Verbi incarnatio, 123 A', 196 B, 552 C, 562 D'. — *Cf.* Christus, Trinitas.

Verbum Dei audiendum, quare, 4 D, 21 A, et quomodo, 6 A', 236 C et s., 279 B. Idem implendum, 25 A, 89 C et s. — Verba quænam proferenda, 49 A', vitanda, 231 C', 561 C', non audienda, 294 C'.

VERITAS vitæ, 620 A'.

VESPASIANUS, 340 D', 341 C, 550 A.

VIA purgativa, 148 A.

VIGILANTIUS, 409 D', 410 A.

VIOLENTIA laudabilis, 661 C.

VIRTUS quam suavis, 472 B. — Per virtutes qualiter Deo assimilemur, 192 D et s. — Virtutes theologicæ, 128 C. — Virtutum necessitas, 579 A', connexio, 597 A, profectus, 598 B, fructus, 580 A et s., 632 B'. — Virtutes quomodo colligendæ, 607 A'. — Virtuosum significat arbor bona, 303 C.

VISIO beatifica, 404 C' et s. — Visio de gaudiis et pœnis alterius vitæ, 465 A', de operibus hominum, 534 D'. — *Cf.* Beatitudo.

VISUS reprimendus, 294 B'.

VITA humana quam brevis, 149 A. — In novitate vitæ ambulandum, 263 A et s — Veritas vitæ, 620 A'. — Liber vitæ, 606 A'.

VITÆ Patrum, seu Liber Vitaspatrum. *Vide* Liber.

VITIA quam deformia, 283 D. — Speciem virtutum assumunt, 301 D', 309 A. — Quomodo sint impugnanda, 564 C. — *Cf.* Peccatum.

VOCATIO christiana, 483 D et s., religiosa, 370 B, 495 A et s., 637 D', 656 C'.

VOLUNTAS Deo subjicienda, 295 A', 323 B'. *Cf.* Anima.

VOTA religiosorum, 662 D et s. *Cf.* Religiosus.

Z

ZACHARIAS monachus, 264 D.

ZELUS. Ira per zelum, 257 A', 258 C, 265 C'.

INDEX GENERALIS

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

Enarratio in epistolam : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est.* Jacob. i, 17-21 1
Sermo I. De testimoniis Dei et præceptis, auditioneque verbi Dei 4
Enarratio in evangelium : *Vado ad eum qui me misit.* Joann. xvi, 5-15. . . . 7
Sermo II. De impedimentis quibus homines impediuntur a susceptione Spiritus Sancti 11
Sermo III. Qualiter invidia, luxuria, avaritia, ceteraque mortalia peccata impediant infusionem ac tollant inhabitationem Spiritus Sancti 14

Ad religiosos.

Sermo IV. De excellentia, munificentia et effectibus Dei. 17
Sermo V. De moderamine in loquendo et observatione silentii 19
Sermo VI. Qualiter Spiritus Sanctus per patres arguit negligentes religiosos . . 21

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

Enarratio in epistolam ; *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Jacob. i, 22-27 . . 25
Sermo I. De lege Christi servanda, lingua cohibenda, et caritate proximis impendenda 27
Enarratio in evangelium : *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joann. xvi, 23-30 30
Sermo II. Qualiter invocandus sit Deus, et de pietate ac pronitate ejus ad exaudiendum 33
Sermo III. De pleno gaudio Beatorum, et de mediis quibus pervenitur ad illud . 36

Ad religiosos.

Sermo IV. De reformatione et moderatione linguæ. 38
Sermo V. De orationis necessitate ac utilitate, si debite fiat. 41
Sermo VI. De oratione ; et quomodo ad eam requiratur actualis intentio, et qualiter fiat ad impetrandum idonea ; et an debeat esse diuturna et pluribus utens verbis 44

DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

Enarratio in epistolam : *Estote prudentes, et vigilate in orationibus.* I Petr. iv, 7-11. 48
Sermo I. De prudentia, discretione, oratione, caritate et hospitalitate, Christiano necessariis 50
Enarratio in evangelium : *Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis,* etc. Joann. xv, 26, 27; xvi, 1-4. 53
Sermo II. De argumentis testimoniisque fidei christianæ 55
Sermo III. De fidei veritate et lege evangelica 58

Ad religiosos.

Sermo IV. De prudentia, et quæ ad eam necessaria requiruntur 60
Sermo V. De mysteriis christianæ fidei, et quid eadem operari in veris debeat religiosis 63
Sermo VI. De oratione et devotione ad contemplationem mysticamque theologiam pertinente. 65

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Enarratio in epistolam : *Dum complerentur dies Pentecostes,* etc. Act. ii, 1-11. 68

Sermo I. Quomodo Spiritus Sanctus perhibuit Apostolis et electis testimonium de Christo, et de cautelis servandis in loquendo 71
Enarratio in evangelium : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, etc. Joann. XIV, 23-31 74
Sermo II. De prædicatione Apostolorum in die sacratissimo Pentecostes . . . 79
Sermo III. De caritate, pietate et liberalitate Dei circa homines, atque de negligentia, ingratitudine perversitateque hominum erga Deum 81
Sermo IV. De effectibus Spiritus Sancti in corde fidelium ; qualiterque si in nobis Spiritum Sanctum, caritatem ejus ac gratiam habeamus, nosse possimus. . 84

Ad religiosos.

Sermo V. De eminentia sacrosanctissimæ solennitatis Spiritus Sancti, et de observandis in loquendo. 86
Sermo VI. Quam sit salubre, fructuosum ac meritorium, verbum Dei nedum audire vel scire, sed opere quoque adimplere 89
Sermo VII. Qualiter Spiritui Sancto per virtutes et dona sanctaque opera assimilari debemus. 92

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Enarratio in epistolam : *Vidi ostium apertum*. Apoc. IV, 1-10. 95
Sermo I. De natura et essentia æternæ superbeatissimæque Trinitatis, et quales exigat cultores 101
Enarratio in evangelium : *Erat homo ex Pharisœis Nicodemus nomine*. Joann. III, 1-16. 103
Sermo II. De infinita felicitate et gloria superdignissimæ Trinitatis, et de fideli ac humili contemplatione ipsius . . . 110
Sermo III. De certitudine christianæ fidei, et eadem quibus adornanda sit operibus. 113

Ad religiosos.

Sermo IV. De spirituali significatione quatuor animalium, et de sex speciebus contemplationis, per sex alas animalium designatis 116
Sermo V. De supergloriosissimæ Trinitatis vita, felicitate et gloria penitus infinita. 119
Sermo VI. De speciebus contemplationis, et de mystica theologia 122

DOMINICA PRIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Deus caritas est*. I Joann. IV, 16-21 125
Sermo I. De commendatione et perfectione caritatis, qua Deus proximusque diligitur 128
Enarratio in evangelium : *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso*. Luc. XVI, 19-31. 131
Sermo II. Contra prosperitatem mundanam, et de contemptu hujus mundi. . 137
Sermo III. Contra imitatores divitis epulonis, et contra vitia ejus 141

Ad religiosos.

Sermo IV. De divisionibus, habitibus effectibusque caritatis, quibusve operibus declarari debeat. 144
Sermo V. De salubri corporis afflictione, triplicique via salutis, nempe purgativa, illuminativa et perfectiva 146
Sermo VI. De impiorum miseriis periculosissimaque prosperitate eorum, et de beatitudine electorum. 149

DOMINICA SECUNDA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Carissimi, nolite mirari si odit vos mundus*, etc. I Joann. III, 13-18 152
Sermo I. De præconio et conditionibus caritatis in Deum proximumque, et quomodo hæc filios Dei constituat. . . . 153
Enarratio in evangelium : *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos*. Luc. XIV, 16-24. 156
Sermo II. De quadruplici cœna 159
Sermo III. Contra tria principalia vitia, superbiam, avaritiam et luxuriam, de quibus in evangelio hodierno fit mentio. 163

Ad religiosos.

Sermo IV. Adversa omnia forti animo esse ferenda, ut humilitas fraternaque caritas incolumes serventur; et Dei voluntas quomodo in omnibus præ oculis haberi debeat 167
Sermo V. De enormitate fraterni odii, multiplicique homicidio; et contra de-

tractionis vitium 169
Sermo VI. De multiplici cœna, et tribus principalibus vitiis per quæ homines a divinæ cœnæ participatione præpediuntur 172

DOMINICA TERTIA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet,* etc. I Petr. v, 6-11 175
Sermo I. Quibus modis et mediis studere debeant fideles potentem Dei manum evadere, ejusque misericordia salutem consequi 177
Enarratio in evangelium : *Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores,* etc. Luc. xv, 1-10 180
Sermo II. Qualiter homines Deo variis modis debeant appropinquare. 184
Sermo III. De caritate et misericordia Dei angelorumque ad homines, et de miserorum hominum ingratitudine . . . 187

Ad religiosos.

Sermo IV. Quomodo omnis correptio, adversitas sive exercitatio, tanquam de manu Dei, benignissimi Patris, suscipienda ferendaque sit 189
Sermo V. Qualiter appropinquandum sit Deo 192
Sermo VI. De admirabili caritate et misericordia Dei ad homines. 194

DOMINICA QUARTA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. viii, 18-23. . 197
Sermo I. Quomodo liberalissimus Deus, electis suis pro tribulationibus operibusque bonis vitæ præsentis, præstat in patria beatitudinem ineffabiliter magnam 200
Enarratio in evangelium : *Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est.* Luc. vi, 36-42 203
Sermo II. De misericordia operibusque misericordiæ corporalibus ac spiritualibus. 207
Sermo III. De eadem materia. 211
Sermo IV. De temerariis vitandis judiciis, de injuriarum remissione, ac de ordinato modo judicandi et corripiendi proximos 214

Ad religiosos.

Sermo V. De incomparabili inæstimabilique electorum beatitudine 218
Sermo VI. Qualiter non debeamus judicare ; et de multiplici judicio. 220
Sermo VII. Quam faciat sibi terribilem judicem Deum, qui pronus est confratris sui dicta vel facta temere judicare. . 223

DOMINICA QUINTA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Omnes unanimes in oratione estote.* I Petr. iii, 8-15. . 226
Sermo I. De unanimitate, pace concordiaque fraterna ; deque vitiosis vitandis colloquiis 229
Enarratio in evangelium : *Quum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei,* etc. Luc. v, 1-11 232
Sermo II. Qualiter audienda sit prædicatio verbi Dei 236
Sermo III. Quænam sint turbæ, per Petri naviculam spiritualiter intellectæ, quas Christus Dominus docet 239

Ad religiosos.

Sermo IV. De unanimitate, pace et fraterna in bono concordia. 241
Sermo V. De caritate et compassione fraterna, aliisque virtutibus quæ maxime cœnobitam decent 244
Sermo VI. Quam feliciter irruant in Jesum boni religiosi, quam felicissime autem atque deliciosissime veri contemplativi 247

DOMINICA SEXTA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Rom. vi, 3-11. 249
Sermo I. Qualiter vita Christi est exemplar vitæ Christianorum 251
Enarratio in evangelium : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. v, 20-24 . . 253
Sermo II. Qualiter liceat irasci, et qualiter non. 257

Sermo III. Qualiter debeamus nos proximis reconciliare. 261

Ad religiosos.

Sermo IV. Quomodo boni religiosi in novitate vitæ ambulantes, se virtutibus vitæ Christi conformare debeant. . . . 263
Sermo V. De vituperio iræ, et mansuetudinis laude 265
Sermo VI. De reconciliatione facienda ante oblationem. 268

DOMINICA SEPTIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ.* Rom. VI, 19-23 271
Sermo I. De gradibus timoris, et quomodo Deo serviendum corde perfecto atque verissimo 273
Enarratio in evangelium : *Quum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent,* etc. Marc. VIII, 1-9. 275
Sermo II. De sex considerationibus ex quibus potissimum liquet immensitas misericordiæ Dei ad homines; et quo mentis desiderio audiendum sit verbum Dei, ipsique Christo adhærendum per triduum 277
Sermo III. De spirituali significatione convivii de quo in evangelio hodierno legitur, et de septem panibus quos Christus quotidie fidelibus suis apponit. . . . 280

Ad religiosos.

Sermo IV. De virtutum splendore, gratiarum pulchritudine, et plerisque aliis religiosorum ornamentis 282
Sermo V. De panibus ac piscibus spiritualibus, quibus boni religiosi a Domino misericorditer pascuntur. 285
Sermo VI. De septem effectibus sacræ Scripturæ. 287

DOMINICA OCTAVA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Rom. VIII, 12-17. 291
Sermo I. Quomodo conandum cuilibet Christiano, ut ad originalis justitiæ conformitatem redeat 293
Enarratio in evangelium : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,* etc. Matth. VII, 15-21. 296
Sermo II. Contra simulatores et callidos, contra deceptores atque hypocritas. . 298
Sermo III. Quod discretio medium in omnibus desiderat, et ratio bene illuminata, bona operatur, nec falli facile potest. 301

Ad religiosos.

Sermo IV. De carnalibus vitiis evitandis et concupiscentiis refrenandis 304
Sermo V. De vitanda hypocrisi et ficta devotione 307
Sermo VI. De hypocrisi et ficta devotione vitanda, variisque documentis religiosorum 310

DOMINICA NONA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Non simus concupiscentes malorum, sicut et illi,* etc. I Cor. X, 6-13. 313
Sermo I. De refrenandis iniquis peccatorum concupiscentiis, deque sinceris summi Dei cultoribus 315
Enarratio in evangelium : *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Luc. XVI, 1-9. 318
Sermo II. Quomodo quisque substantiam sibi a Deo commissam, corpus videlicet et animam, et quidquid ad se pertinet, fideliter dispensabit 322
Sermo III. De temporalium rerum pia et fideli dispensatione. 324

Ad religiosos.

Sermo IV. De inordinatis affectionibus et carnalibus concupiscentiis abjiciendis. 327
Sermo V. De murmuratione compescenda a bonis religiosis, et tentationum utilitate 330
Sermo VI. Quomodo religiosi in omnibus secundum rationem se regere, et sensualitatem refrenare debent. 332

DOMINICA DECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Scitis quoniam quum gentes essetis, ad simulacra muta,* etc. I Cor. XII, 2-11. 335
Sermo I. De ornatu Ecclesiæ membrorumque ipsius, et de certitudine fidei christianæ 338

Enarratio in evangelium: *Quum appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam.* Luc. XIX, 41-47. 340
Sermo II. De Christi caritate, pietate, compassione et lacrimatione; et qualiter Christo in his conformari debemus. . 343
Sermo III. De causa spiritualis excæcationis, et angustiis impiis superventuris; et demum quid in ecclesia materiali agendum sit, etc. 346

Ad religiosos.

Sermo IV. De caritate, misericordia et liberalitate Dei ad homines; de insufficientia quoque defectuositateque hominum. 349
Sermo V. In quo cohortantur potissimum religiosi ne inaniter in prosperitate vel promotione glorientur, et multiplicis visitationis a Domino Jesu sibi exhibitæ admonentur 351
Sermo VI. De causa quotidianæ ruinæ et defectionis religiosorum 353

DOMINICA UNDECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi,* etc. I Cor. XV, 1-10 356
Sermo I. De fidei christianæ firmitate, quæ non rationi humanæ, sed supernaturali operationi innititur; deque Mahometici erroris vanitate 358
Enarratio in evangelium : *Dixit Jesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi.* Luc. XVIII, 9-14. 360
Sermo II. Contra superbiam et filias ejus. 362
Sermo III. De quatuor speciebus superbiæ, et de humilitate, atque aliquot evangelii hujus documentis. 366

Ad religiosos.

Sermo IV. De fidei certitudine, et humilitate 369
Sermo V. De quadam mirabili et occulta superbiæ specie 371
Sermo VI. De laude et origine humilitatis, et de vituperiis atque effectibus maledictæ elationis 374

DOMINICA DUODECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum,* etc. II Cor. III, 4-9. 377
Sermo I. De perfectione et excellentia evangelicæ legis 378
Enarratio in evangelium : *Exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem,* etc. Marc. VII, 31-37. 381
Sermo II. De spirituali significatione curationis surdi ac muti. 382
Sermo III. De spirituali intellectu eorum quæ Christus in curatione surdi et muti egit, agitque in dies in justificatione peccatorum 385

Ad religiosos.

Sermo IV. De excellentiis legis evangelicæ supra legem veterem, et qua sanctimonia nunc vivendum 388
Sermo V. Causæ speciales quæ religiosum reddunt spiritualiter surdum aut mutum 390
Sermo VI. De mysteriis curationis surdi et muti, quæ in scopum sibi præfigere boni debent religiosi 392

DOMINICA TERTIADECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Abrahæ dictæ sunt promissiones,* etc. Galat. III, 16-22 395
Sermo I. Quomodo Deus promissa olim Abrahæ in lege, spiritualiter suis largiatur fidelibus; hi quoque quomodo digne vivere debeant. 397
Enarratio in evangelium : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Luc. X, 23-37 399
Sermo II. De jucunditate visionis divinæ, de felicitate Christianorum, deque nocumentis mortalium peccatorum. 404
Sermo III. De divino amore et elucidatione præcepti caritatis Dei et proximi. 407

Ad religiosos.

Sermo IV. Quomodo per fidem in Jesum Christum fideles consequantur gratiam et gloriam 410
Sermo V. De primis et principalibus legis divinæ præceptis, et quo studio impleri debeant 412
Sermo VI. Elucidatio præcepti caritatis, et de novem nocumentis peccati. . . 414

DOMINICA QUARTADECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* Galat. v, 16-24 418

Sermo I. De fructibus Spiritus quibus ornare se debent boni religiosi 420

Enarratio in evangelium : *Dum iret Jesus in Jerusalem,* etc. Luc. xvii, 11-19 . . 423

Sermo II. De spirituali significatione leprosorum, et quæ requirantur ad integritatem spiritualis sanitatis 425

Sermo III. De spirituali significatione leprosorum, per quos et universi designantur peccatores. 428

Ad religiosos.

Sermo IV. Quomodo religiosi, superatis vitiis et operibus carnis, fructus Spiritus apprehendere possint, et secundum eos digne vivere. 431

Sermo V. Qualiter quisque se confessori ostendere debeat, ut a lepra peccati mundetur 433

Sermo VI. De ingratitudine peccantium, deque multiplici religiosorum lepra. . 436

DOMINICA QUINTADECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Galat. v, 25, 26; vi, 1-10 438

Sermo I. De inani gloria invidiaque vitandis, et variis circa caritatem profectumque proximi observandis. 440

Enarratio in evangelium : *Nemo potest duobus dominis servire.* Matth. vi, 24-33. 444

Sermo II. De impedimentis divini obsequii, et multiplici servitute. 447

Sermo III. De variis causis vitandi avaritiam sollicitudinemque superfluam, et de multiplici insipientia avarorum. . 450

Ad religiosos.

Sermo IV. De multiplici perfectione ad quam potissimum obligantur religionum professores 453

Sermo V. Quomodo subditi a prælatis ad viam virtutis post lapsum sint revocandi, prudenterque dirigendi ; et quomodo illi ipsi subditi habere se debeant. 456

Sermo VI. Deo et animæ profectibus serviendum, non concupiscentiis carnis; et de inutili temporalium sollicitudine abigenda 458

DOMINICA SEXTADECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis.* Ephes. iii, 13-21 461

Sermo I. Quomodo radicari in Dei ac proximi caritate debeamus, tribulationesque ac sensualitati molesta æquanimiter ferre 463

Enarratio in evangelium : *Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim.* Luc. vii, 11-16 466

Sermo II. De spirituali significatione trium mortuorum quos Christus suscitavit. . 467

Sermo III. De portitoribus qui peccatores spiritualiter mortuos portant sepeliendos in inferno 471

Ad religiosos.

Sermo IV. De tribulationis utilitate ; et quomodo Christus in corde et corpore portandus sit. 474

Sermo V. Memoria mortis quæ gignat bona ; et de purgatorii pœnis 476

Sermo VI. De utilissima mortis memoria, et præparatione ad eamdem 478

DOMINICA SEPTIMADECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Obsecro vos, ego vinctus in Domino.* Ephes. iv, 1-6. . 482

Sermo I. De perfectione vitæ Christianorum, et quomodo digne ambulare in vocatione sua debeant 483

Enarratio in evangelium : *Quum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem,* etc. Luc. xiv, 1-11 487

Sermo II. De septem hydropicorum proprietatibus, per quas septem mortalia peccata designari possunt 489

Sermo III. De variis virtutibus quibus cœlestibus nuptiis disponuntur fideles. . 492

Ad religiosos.

Sermo IV. De variis mediis quibus pertingitur ad finem perfectionis monasticæ. 495

Sermo V. Quæ debeat fugere vitia, quasque colere virtutes verus vestigiorum Christi observator 497

Sermo VI. De hydrope septemplici negligentium et pereuntium religiosorum, qui opus habent curari a Christo. . . 500

DOMINICA OCTAVADECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Gratias ago Deo meo semper.* I Cor. I, 4-8. 503
Sermo I. De gratitudine pro naturæ et gratiæ beneficiis 504
Enarratio in evangelium : *Accesserunt ad Jesum Pharisæi.* Matth. XXII, 34-46. . 507
Sermo II. De amore spirituali perfecto, qui vocatur amor ecstaticus, et de signis ipsius 509
Sermo III. De amore multiplici, et de fœditate ac signis amoris carnalis . . . 512

Ad religiosos.

Sermo IV. Quomodo religiosi satagere debent ut spiritualiter divites fiant, et nihil eis desit in ulla gratia 515
Sermo V. Quomodo diligendus sit Deus (quemadmodum prior dilexit nos) suaviter, sapienter et fortiter 517
Sermo VI. De effectibus atque indiciis amoris ecstatici, deque multiplicibus amoribus aliis. 520

DOMINICA NONADECIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Ephes. IV, 23-28. . 523
Sermo I. De renovatione spiritus; et de mendacio, ira furtoque vitandis. . . 524
Enarratio in evangelium : *Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit.* Matth. IX, 1-8 527
Sermo II. De spirituali comparatione navis et Ecclesiæ, maris et mundi, transfretationis vitæque præsentis 529
Sermo III. De spirituali intellectu eorum quæ circa paralytici curationem acta sunt. 532

Ad religiosos.

Sermo IV. De renovatione sensitivi appetitus ceterorumque habituum intellectum et voluntatem perficientium, et quibusdam aliis ornamentis animæ 535
Sermo V. Quo pacto per naviculam, nedum monastica, sed tota religio christiana designetur; et de vera et falsa pœnitentia 538
Sermo VI. De exemplari inductione quorumdam veraciter pœnitentium, ut vere pœnitere discamus. 540

DOMINICA VICESIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Videte quomodo caute ambuletis.* Ephes. v, 15-21. . . 544
Sermo I. Quomodo vivendum his qui Spiritu Sancto impleri peroptant 545
Enarratio in evangelium : *Locutus est Jesus principibus sacerdotum et Pharisæis,* etc. Matth. XXII, 1-14 548
Sermo II. De multiplicibus nuptiis de quibus sacra loquitur Scriptura 552
Sermo III. De impedimentis pertingendi ad spirituales nuptias Christi 555

Ad religiosos.

Sermo IV. De discretione et vigilantia mentis semper habenda 558
Sermo V. Quomodo religiosi præcipue Deum orare, ad ipsum suspirare, Spirituique Sancto habitaculum parare debeant 560
Sermo VI. De variis nuptiis, et impedimentis pertingendi ad nuptias spirituales perfectionemque monasticam. . . 562

DOMINICA VICESIMA PRIMA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Confortamini in Domino,* etc. Ephes. VI, 10-17. . . . 565
Sermo I. De fortitudine et his quæ hominem in Deo confortant, et qualiter sit tentationibus resistendum 567
Enarratio in evangelium : *Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur,* etc. Joann. IV, 46-53. 570
Sermo II. De febre spirituali, deque timore laudabili tranquillitateque animi servanda 572
Sermo III. De vera sapientia, ejusque communicatione in alios. 574

Ad religiosos.

Sermo IV. Sine gratia Dei nil meritorie agi posse ; de confortatione spirituali mentis in Deo, deque jugi pugna vitæ præsentis 577
Sermo V. Quemadmodum virtutes comparentur ad animam, et qualiter sit ten-

tationibus resistendum, deque instantia inimicorum nostrorum 580
Sermo VI. Quomodo rectores et prælati debent lucere ac prodesse subjectis, imbecillitatesque infirmorum portare . . 582

DOMINICA VICESIMA SECUNDA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Confidimus in Domino Jesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum,* etc. Philipp. I, 6-11. . . 585
Sermo I. Quomodo universa nostra bona a Deo sint ; de vitando pravo usu jurationis ; et quomodo perfici debeamus in scientia Scripturarum ceterisque virtutibus 586
Enarratio in evangelium : *Assimilatum est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Matth. XVIII, 23-35 588
Sermo II. Quam necessarium sit injuriam irrogantibus ignoscere, et multa quæ ad hoc inducere nos debent. 591
Sermo III. De correptione fraterna et rigore divini judicii 594

Ad religiosos.

Sermo IV. De laude fructibusque caritatis 597
Sermo V. Quam necessaria sit ad salutem remissio injuriarum 599
Sermo VI. De remissione injuriarum ex sacris litteris et verbis sanctorum et catholicorum Patrum 602

DOMINICA VICESIMA TERTIA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Imitatores mei estote, et observate eos,* etc. Philipp. III, 17-21 ; IV, 1-3 605
Sermo I. Quomodo conversatio nostra debeat esse in cœlis, ut caritas nostra in dies magis magisque abundet, et declinantes a malis faciamus bona. . . 606
Enarratio in evangelium : *Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt,* etc. Matth. XXII, 15-22. 609
Sermo II. De triplici veritate quæ fuit in Christo, et qualiter in ea Christum imitari debeamus 610
Sermo III. De his quæ Christiani tenentur Deo, suisque principibus ac prælatis. 613

Ad religiosos.

Sermo IV. De invitatione Apostoli ad sui imitationem 617
Sermo V. De malitia cordis humani, et de triplici veritate in Christo 619
Sermo VI. De his quæ superioribus debentur, puta obedientia, reverentia, amor, etc. 622

DOMINICA VICESIMA QUARTA POST TRINITATEM.

Enarratio in epistolam : *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis Dei.* Coloss. I, 9-14 625
Sermo I. Quam sollicitudinem prælati erga subditos gerere debeant. 626
Enarratio in evangelium : *Loquente Jesu ad turbas,* etc. Matth. IX, 18-22. . . 629
Sermo II. De mystica significatione feminæ a sanguinis fluxu curatæ 630
Sermo III. De spirituali significatione eorum quæ de suscitatione filiæ Jairi scripta sunt 633

Ad religiosos.

Sermo IV. Prælati quomodo pro sibi subjectis orare curamque gerere debeant. 636
Sermo V. Quomodo religiosi fimbriam Jesu tangere debeant, sanctissimæ vitæ ejus virtutes æmulando 639
Sermo VI. De instabilitate mentis humanæ, et contra fluxibilitatem cogitationum 641

DOMINICA VICESIMA QUINTA POST TRINITATEM.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Ecce dies veniunt.* Jer. XXIII, 5-8. . . . 644
Sermo I. De immensa liberalitate caritatis Dei ad homines, et de sanctitate Christi 647

Ad religiosos.

Sermo II. De dulcedine et fructu incarnationis Filii Dei 650
Sermo III. Quomodo religiosi venturo judici Christo regnum in se parare debeant 652
Sermo IV. De institutione vitæ monasticæ, et origine religiosorum ac monachorum. 655

Sermo V. De vita et perfectione ad monachos pertinente, secundum doctrinam divini Dionysii 657
Sermo VI. De forma et significatione habitus monachorum 658
Sermo VII. De monachorum et religiosorum definitionibus veris. 660
Sermo VIII. De tribus principalibus Christi consiliis, in quibus omnis monastica religio triaque vota religiosorum fundantur quæ sunt de essentia cujuslibet religionis 662
Index locorum S. Scripturæ 667
Index nominum et rerum notabilium. . 677

AD CLERUM

QUI ROMANO UTITUR KALENDARIO

A dominica quarta post Pascha usque ad festum Pentecostes inclusive, in utroque ritu, Romano scilicet ac Cartusiano, epistolæ et evangelia concordant; discrepant vero in sequentibus :

1° Require enarrationes
In dominicæ primæ post Pentecosten epistolam, pag. 125.
In dominicæ primæ post Pentecosten evangelium, pag. 203.
In dominicæ secundæ post Pentecosten epistolam, pag. 152.
In dominicæ secundæ post Pentecosten evangelium, pag. 156.
In dominicæ tertiæ post Pentecosten epistolam, pag. 175.
In dominicæ tertiæ post Pentecosten evangelium, pag. 180.
In dominicæ quartæ post Pentecosten epistolam, pag. 197.
In dominicæ quartæ post Pentecosten evangelium, pag. 232.
In dominicæ quintæ post Pentecosten epistolam, pag. 226.
In dominicæ quintæ post Pentecosten evangelium, pag. 253.
In dominicæ sextæ post Pentecosten epistolam, pag. 249.
In dominicæ sextæ post Pentecosten evangelium, pag. 275.
In dominicæ septimæ post Pentecosten epistolam, pag. 271.
In dominicæ septimæ post Pentecosten evangelium, pag. 296.
In dominicæ octavæ post Pentecosten epistolam, pag. 291.
In dominicæ octavæ post Pentecosten evangelium, pag. 318.
In dominicæ nonæ post Pentecosten epistolam, pag. 313.
In dominicæ nonæ post Pentecosten evangelium, pag. 340.
In dominicæ decimæ post Pentecosten epistolam, pag. 335.
In dominicæ decimæ post Pentecosten evangelium, pag. 360.
In dominicæ undecimæ post Pentecosten epistolam, pag. 356.
In dominicæ undecimæ post Pentecosten evangelium, pag. 381.
In dominicæ duodecimæ post Pentecosten epistolam, pag. 377.
In dominicæ duodecimæ post Pentecosten evangelium, pag. 399.
In dominicæ tertiæ decimæ post Pentecosten epistolam, pag. 395.
In dominicæ tertiæ decimæ post Pentecosten evangelium, pag. 423.
In dominicæ quartæ decimæ post Pentecosten epistolam, pag. 418.
In dominicæ quartæ decimæ post Pentecosten evangelium, pag. 444.
In dominicæ quintæ decimæ post Pentecosten epistolam, pag. 438.
In dominicæ quintæ decimæ post Pentecosten evangelium, pag. 466.
In dominicæ sextæ decimæ post Pentecosten epistolam, pag. 461.
In dominicæ sextæ decimæ post Pentecosten evangelium, pag. 487.

In dominicæ septimæ decimæ post Pentecosten epistolam, pag. 482.
In dominicæ septimæ decimæ post Pentecosten evangelium, pag. 507.
In dominicæ octavæ decimæ post Pentecosten epistolam, pag. 503.
In dominicæ octavæ decimæ post Pentecosten evangelium, pag. 527.
In dominicæ nonæ decimæ post Pentecosten epistolam, pag. 523.
In dominicæ nonæ decimæ post Pentecosten evangelium, pag. 548.
In dominicæ vicesimæ post Pentecosten epistolam, pag. 544.
In dominicæ vicesimæ post Pentecosten evangelium, pag. 570.
In dominicæ vicesimæ primæ post Pentecosten epistolam, pag. 565.
In dominicæ vicesimæ primæ post Pentecosten evangelium, pag. 588.
In dominicæ vicesimæ secundæ post Pentecosten epistolam, pag. 585.
In dominicæ vicesimæ secundæ post Pentecosten evangelium, pag. 609.
In dominicæ vicesimæ tertiæ post Pentecosten epistolam, pag. 605.
In dominicæ vicesimæ tertiæ post Pentecosten evangelium, pag. 629.
In dominicæ vicesimæ quartæ post Pentecosten epistolam, pag. 625.

2° Ritui Romano proprium est evangelium dominicæ vicesimæ quartæ post Pentecosten, ideoque a Dionysio non enarratum.

3° Evangelium dominicæ primæ, epistola et evangelium dominicæ vicesimæ quintæ post Trinitatem, sunt ritui Cartusiano propria, quorum enarrationes invenies pag. 131 et pag. 644.

Emendanda. Pag. 14 B, lin. 3 : Itaque, *lege* Itemque ; — 18 C', lin. 1 : utputa,... utpote ; — 41 A, lin. 1 : in,... ex ; — 50 B, lin. 8 : forma,... fama ; — 51 A', lin. 1 : utile,... inutile ; — 60 D, lin. 3 : quædam,... quemdam ; — 62 B', lin. 12 : possumus,... possimus ; — 80 D', lin. 5 : actiones,... affectiones ; — 145 D, lin. 12 : atque,... neque ; — 167 C', lin. 4 : præcipue,... præcipui ; — 577 A, lin. 11, 12 : neptes,... amitas.

Dubium. Pag. 55 A', lin. 2 : facilem, *forsan* facialem.

Omissa. Pag. 53 A', lin. 8, *lege* in cruce ; — 73 A', lin. 1, ... diversis linguis ; — 75 C, lin. 4, ... impendit eis ; — 118 C, lin. 1, ... speculatio Deitatis ; — 119 C', lin. 2, ... actus est doni ; — 157 A, lin. 2, ... Beatorum indesinenter ; — 174 A', lin. 7, ... Considera etiam te.

Notandum. Pag. 24 B, lin. 2, in prima editione legitur : Propterea eam sollicite caveamus.

Tom. XXIX, pag. xv, lin. ult. : septimo, *lege* tertio ; — 515 C', lin. 4 : tunicam, nisi quæ,... tunicam quæ ; — 630, lin. 1 : Astio,... Astion.

INTELLECTVM DAT PARVVLIS
BENEDICTVS DEVS IN SECVLA
T · H ·
DIONYSIVS CARTHVSIENSIS

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

Opera

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

3940